

IACOBI CAROLI
SPENER
NOTITIA
GERMANIÆ
ANTIQVAE
et partim
MEDIAE.
HERMINONES

NOTITIA GERMANIAE ANTIQVAE

AB ORTV REIPVBLICAE
AD REGNORVM GERMANICORVM IN ROMANIS
PROVINCIIS STABILIMENTA
GERMANIAE
ET
GERMANICARVM CIVITATVM
STATVM ET CONDITIONEM
PLENE DECLARANS

IACOBVS CAROLVS SPENER

EX
FIDE DIGNIS MONVMENTIS ARGVMENTVM
PERFECIT
ET
NOVIS TABVLIS GEOGRAPHICIS INSTRVXIT

ACCESSIT
CONSPECTVS
GERMANIAE MEDIAE
QVALIS SECVLO VI ET POST PAVLO SEQVENTIBVS
SECVLIS FVIT
ADIECTI SVNT INDICES COPIOSISSIMI

HALAE MAGDEBVRGICAE
Sumptibus BIBLIOPOLII NOVI apud FELICEM DV SERRE
CIↃ IↃ CCXVII

ILLVSTRISSIMO
ATQVE
EXCELLENTISSIMO

DOMINO
Dn. EBERHARDO
LIBERO BARONI
DE
DANCKELMANN
PRVSSICORVM CONSILIORVM
SVMMO
PRAESIDI
ATQVE
DIRECTORI CETERA

DOMINO MEO ET PATRONO
INDVLGENTISSIMO

PERPETVAM FELICITATEM

ILLVSTRISSIME
ATQVE
EXCELLENTISSIME

GRATIOSISSIME DOMINE.

QVod feliciter quondam administrata republica, Curiorum & Syllarum exemplo, agis otium; TVI ILLVSTRISSIMI NOMINIS publica compellatione, argumenti magis quam operæ meæ fiducia, turbare audeo. Quo scilicet magis ad perfectam animi tranquilli-

tatem

tatem totus compositus in communis nostræ patriæ fata atque felicitatem nunc intueris; eo quoque minus illam dedignabere vicissitudinem, qua cogitationes de præsenti patriarum rerum statu cum NOTITIAE ANTIQVAE GERMANIAE *lustratione quandoque possis commutare. Noua enimuero & quæ nostra vidit ætas illis profecto nemo ex dignitate satis memorauerit, qui rerum grauissimarum ipsi inuentores fuerunt & auctores. Contra fere felicius suam collocasse videntur operam, qui monumenta situ squallida purgant, & illorum præparant lectioni, quorum in publicam rem illustria merita historici maxime antiquarii partibus longe habentur superiora. Idem illud mihi præsenti meo opere, quod* TIBI, ILLVSTRISSIME DOMINE, *submisse offero, tentatum iter, quo me insigniter profecisse gaudebo, si quod molitus sum, institutum* TIBI, *pro* TVI *propria mihique meisque plurimis nominibus dudum cognita, benigni-*

tate atque humanitate placere atque probari intellexero. Deus cum æterna ILLVSTRISSIMAE TVAE GENTIS *felicitate, TVO maxime ſolatio conſiliorum a TE quondam prudentiſſime adminiſtratorum lætos illos euentus continuo noſtræ ætati affulgere iubeat; qui, vbi antiquum cum præſenti Germaniæ ſtatu comparaueris, æternum & antiquum decus cum libertate a majoribus quæſita nobis & poſteritati referant, TIBIque certiſſimam rerum ex dignitate populi porro adminiſtrandarum ſpem relinquant.*

ILLVSTRISSIMO TVO NOMINI

Halæ Poſtr. Id.
April.
CIↃIↃCCXVII.

ſubmiſſo cultu deuotisſimus
IACOBVS CAROLVS SPENER. D.

BENE-

BENEVOLE LECTOR.

ET mores poſcunt, & præterea huius libri inſtitutum imperat, vt Te paucis conueniam, doceamque, quæ Tua interſit non ignorare. Germaniæ antiquitatis partem curis meis illuminatam reperis, vt ſæpe tamen amplioris meæ operæ mentionem iniectam reperias, ipſaque commentationis initia maiori videantur attemperata eſſe operi. Noris igitur, quam cœperim primum Germanicis rebus perueſtigandis meam operam conſecrare, me totum me antiquitatis Germanicæ ſtudio dediſſe, eiusque plenam & perfectam notitiam meditatum eſſe. In tres partes diuiſis curis, vt ipſam primo loco Germaniam eiusque populos accurate conſiderarem, deinde vt inſtituta tum publica tum priuata maiorum noſtrorum exponerem, poſtremum vt priſcæ Germaniæ decora ampliori hiſtoria perſequerer; nulli ego

quidem curæ parti defui, quin ei quantum ſuppeteret ingenii, ſatisfacerem: ſed nullam tamen niſi priorem operam ab aliquot annis ita confeci, vt publicæ eam poſſe luci tradere non dubitaverim. Ex re ipſa dedi libro *Notitiæ Germaniæ Antiquæ* inſcriptionem: & en hic Germanicæ antiquitatis commentariorum liber prior, dudum paratus, ſed caſu in hoc tempus, quo ſolus, ſed comite licet deſtitutus non imperfectus tamen aut mancus prodiret, dilatus. Nempe abſoluta priori opera, vt continuo duas alteras eius partes abſoluerem, adeoque Germanicam antiquitatem plene illuminatam darem, obſtitere mei muneris rationes, quæ, vt neceſſarios labores præferrem vtilibus, mihi legem impoſuerunt. Miſſa proinde antiquitatis cura elaborare totius *Germanicæ Hiſtoriæ commentarios*, duxi conſultius: vt cum tanta ſcriptorum in hoc argumento inopia haberem tamen, quem publice

priua-

priuatimque hiſtoriam patriam docendo, librum commodius ſequerer. Nunc poſtquam pars meæ hiſtoriæ altera ſimul demum cum Antiquæ Germaniæ Notitia in publicum exit, non animus deeſt porro reſumendi miſſam operam, & eo modo reliqua perficiendi argumenta, vt quod primum fuerit abſolutum, rurſus ſolum prodeat, nec ſecunda tertiaque prioris huius libri pars, ſed eadem, qua prius opus, ratione ſingularis Germanicæ antiquitatis ſit commentatio. Donec exſoluerim vero promiſſa mea, vtere hac mea opera Benigne Lector, & Tuo iudicio atque fauore mea reliqua ſtudia accende.

Videare vero mihi ſubdubitare, an Germanicæ antiquitatis ea ſit præſtantia, quæ tanta cura excoli & perueſtigari mereatur? Fortaſſis præiudicatis ex Romanarum Græcarumque antiquitatum excellentia opinionibus captus dedignabere vetuſtam, quamque Barbaram vocare moris eſt, Ger-

maniam, nihilque Tua, si forsitan non es Germanus homo, referre, quid sit in prisca Germania actum, scire arbitrabere. Sed pone quæso, Lector, cuias es, debilem istam opinionem, & disce verum Germanicæ antiquitati statuere pretium. Non improbamus politioris Græcæ Romanæue antiquitatis, saltem moderatius, studium: sed, quam habet & semper habebit venerandæ vetustatis studium maximam commendationem, tam decere censemus ante omnia patriæ commodis studere, eiusque antiquitates, si vtiles, si scitu necessarias, peregrinis priscis rebus anteponere. Modo scilicet, qui forte Gallus es, aut natione Anglus, aut Hispanus, aut etiam Batauus, Danus, Suecusque, Lector, mihi plane illudes Germanicæ antiquitatis studium eo nomine commendanti, quod patriæ præcipue studere conueniat. Adeo ergo mihi, quisquis es, exprobrabis, Germania tua esto patria, vt amem excolamque magnique faciam

ciam veſtram antiquitatem. Germanis id, dices, tuis da negotii, vt eius curam eamque in pretio habeant; ceterum aliud quære argumentum, quo publice expoſito ſapientiæ vniuerſorum ſatisfacias. Bona autem quæſo verba. Vt nihil Græcas Romanasque antiquitates, quarum paſſim maior quam ex vero iactatur præſtantia, moremur, plane tibi fatebor Lector, cuias ſis, nihil in ipſis tuæ nationis rebus recte explorandis magis tibi noſtræ antiquitatis ſtudio profuturum. Proſpice in imperii tui incunabula, & reperies Germanicas ea oſtendere & referre origines. Romana vis perquam diu cum Germania colluctata, tandem ab hac eſt impulſa & fracta & vbique conculcata. Tum imperium rerumque ſumma Germanis ceſſit, atque ab eis exui prouinciis Roma, clariſſimaque totius Europæ regna condi, patriisque cœpere decoribus, legibus, & inſtitutis exædificari. Redde ergo Lector Galle, ſeu Angle, Ba-

taueque, aut quisquis es alius Germanico prisco genere oriundus, veras publicorum nationis tuæ iurium atque institutorum rationes. Sane facillime perspexeris, nisi nostræ antiquitatis imbutus fueris notitia, minime tuam posse proficere solertiam. Cum publica priuataque instituta priscæ Germaniæ olim persequuturus sum, quam antiqui maiorum nostrorum mores in omnia ab ipsis condita regna se diffuderint, & in diuersis eorum legibus atque consuetudinibus hodieque agnoscantur, præter quod ipse rei ignarus esse nequeas, clarius ex commentatione mea patebit. Sed, vt ad meos Germanos redeam, quo maiora vobis ipsis probe exculta vestra antiquitas spondet commoda. Manca est egregiaque sui parte spoliata nostra sine illius notitia historia. Finium nostrorum publicæ rationes sunt confusæ & obscuræ, nisi antiquissimam ætatem consulueris. Frustra præsertim de iurium nostrorum publico-
rum

rum priuatorumque veris causis & originibus disceptant eruditi, quos eas longe tutius vel solus Tacitus, Romanus Germanicarum rerum scriptor, nedum vniuersa Germaniæ antiquitas docuisset. Vt proinde paucis absoluam, interest vicinorum regnorum omnium sed longe maxime Germaniæ nostræ publici priuatique status & quodammodo salutis, esse quam diligentissime exploratam & excussam nostræ patriæ antiquitatem.

Verum enimuero non deesse, Lector, putes scriptores, qui omnem nostram quantumuis licet deprædicatam antiquitatem illuminauerint, vt parum proinde nouis meis videatur esse opus commentariis. Sane PHILIPPVS CLVVERIVS Germaniam Antiquam locupleti commentario descriptam dedit. Meum hoc argumentum, quod modo accuratius exposui, CHRISTOPHORVS CELLARIVS, IOH. NICOLAVS HERTIVS, & ma-

gnam

gnam eius partem MENSO ALTINGIVS, clarissimi quondam viri, diuersis singuli rationibus tentarunt. Præter egregios labores HERMANNI CONRINGII, instituta Germanorum publica priuataque exposuit PAVLVS HACHENBERGIVS, & strictim alii docuerunt multi, qui præsertim Taciti Librum de moribus Germanorum explicarunt. Westfaliæ antiquitates FERDINANDVS FVRSTENBERGIVS, Princeps Episcopus, maximum sui seculi decus, descripsit. Et quo vsque non foret discurrendum, si SCHATENIOS, AVENTINOS, BRVNNEROS, VELSEROS, CZECHERODIOS, BALBINOS, CRVSIOS, PONTANOS, VALESIOS, & quot non alios celeberrimos viros? vellem enumerare, qui singuli variis nostræ antiquitatis partibus vtilissimam nauarunt operam. Ergo sat isti studio litatum contenderis, cum pars eius prope nulla deserta iaceat atque inculta. Ego vero

plurimum

plurimum contendo superesse, quod maiorem in antiquis nostris rebus curam exspectet. Geographiam a Cluuerio expositam, præter quod ille suo ingenio nimium quantum indulsit, perficere deinceps alii conati, non abripuerunt aliis eam porro perficiendi operæ pretium. In moribus nostris priscis peruestigandis adhuc parum sudatum. Quod est vtilissimum argumentum, non exponenda modo vetusta cum publica tum priuata instituta, sed etiam eorum vestigia in omnium a Germanis conditorum regnorum legibus, consuetudinibus, atque institutis, & antiquioribus, & paulo recentioribus, sunt ostendenda atque declaranda. Superest etiam post egregios multorum labores, quod in historia nostra veteri præsertim in eius originibus laboretur. Quæ me, quamquam imparem superioribus ingenio, amore tamen litterarum & nostrarum præsertim antiquitatum impulsum, mouerunt & excitarunt

integrum ſumere laborem, & trifariam, ita, vt dixi, diſpertitis curis meis eas nouis commentariis illuſtrare.

Ad commentariorum eam partem, quam Tibi, Benevole Lector, nomine Notitiæ Germaniæ Antiquæ trado, nunc redeo. Eo & animo & modo, quem ſupra declaraui, eam concinnatam, cum antea more veteri vno quodammodo ordine liberiorique tractationis curſu argumentum complexus eſſem; iam ſuaſu editoris, qui maluit hodierno ſeculo conuenienti habitu librum prodire, in ſex libros & capita plura diuiſi. Partitio noua facile parata, cum ante diſtributionem capitum & librorum ipſa tractatio argumenti in totidem partes abiret. Liber primus fines veteris Germaniæ, & alter naturales eius notas, puta ſiluas, fluuios, & montes, enarrat. Rationes inſtituti deinde imperarunt, vt ſuccederet libro tertio nomine populorum Germaniæ conſideratio. Liber

quartus

quartus occidentalem, & liber quintus orientalem & aquilonalem Germaniam veterem repræſentat. Sextus liber excurrit extra Germaniæ veteris limites, & Germanos oſtendit, qui in Sarmatia, in Pannoniis, Norico, Rhætia, in Italia, atque in Belgica, antiquitus commorati ſunt. Hic quidem librorum finis. Quod adiectum vero Germaniæ proximæ vetuſtati ſiue mediæ conſpectum deinceps, Lector, deprehendes, non ſpero, quod fere inſtituti limites id egrediatur, id Te laturum ægre. Ingens eſt Germaniæ Mediæ notitiæ inopia; quam, vt ſimul veteris Germaniæ notitiam adiuuarem, meis curis aliquantum ſubleuaturus, non putaui inutilem operam ſumſiſſe. Quod animus eſt, tractationem de Germanorum priſcis moribus in ſeriora ſecula proferre, legesque & conſuetudines vicinorum a Germanis oriundorum populorum, non antiquiores modo, ſed etiam paulo recentiores, eum

ad vnum conferre: non huic meo instituto male conuenit, quod etiam geographiam antiquam vltra antiquitatis terminum paulo latius protuli. Reieci ceterum in obseruationes testimonia auctorum omnia late citata: quod minus me iudice faciant commode, qui creberrime ipsi commentationi interpositis scriptorum testimoniis impeditum & confusum reddunt eius sensum, & non leuiter Lectorum siue intelligentiæ siue legendi cupiditati obstrepunt. De aliis rebus, quæ nostram geographiam attingunt propius, & præcognoscenda visa sunt, consulas, Lector, licet ipsius huius operis introitum.

Superest, vt de Tabulis nostris Geographicis ære expressis Te pauca moneamus. Animus fuit dare plures tabulas, singulasque populorum in Germania migrationes & vicissitudines iis exprimere. Coëgit vero temporis, quo edendus fuit liber, angustia deserere consilium, vnaque

tabula omnes Germaniæ veteris viciſſitudines repræſentare. Docebit ipſa commentatio tabulæ iſtius potioris multo ſtudio paratæ rationes; quibus adeoque exponendis nunc libenter ſuperſedemus. Altera tertiaque tabulæ Noricum Rhætiamque, atque Belgicam exhibent. Veteri harum regionum ſtatui attemperatas ſtatim medii æui rationes, non feres inique Lector. Quod pluribus ſcilicet tabulis deſtinatum fuerat, in paucas neceſſario fuit conferendum. Quarta tabula Germaniam, quam proximam vetuſtati extrema noſtra commentatione conſideraui- mus, deſcribit; & ſolis fere meis debetur curis, cum in reliquis CLVVERIVM, CELLARIVM, ALTINGIVM, præeuntes habuerim: quos quidem partim me emendaſſe atque correxiſſe, non difficulter reperient, qui & tabulas diligenter inſpexerint, & librum ipſum ſimul euoluerint. Nunc Te, Beneuole Lector, dimitto ad

LEIBNITIANAM epiſtolam, quam continuo annectere præfationi ex ipſius Illuſtris Viri, quam paucis ante obitum diebus ſcriptis ad me litteris teſtatus eſt, voluntate viſum eſt. Quam ille Germaniæ antiquitatum amantiſſimus fuit, non recuſauit de mea petitione, &, cum coram ei Hanoueræ hos commentarios offerrem, a capite eos ad calcem perlegit, additoque benigno iudicio mihi aliquo tempore interiecto comite epiſtola, quam en do tibi, remiſit. Pauca manu ſua ſummus & ſupra laudes meas poſitus vir paſſim adiecit, nec mea tamen verba deleta voluit. Vbi itaque duo ſigno quodam incluſa verba ſimul repereris, ſcito alterum & ſuperius verbum Leibnitianæ deberi curæ, inferius meæ. Vale & boni conſule.

EPISTOLA

* * *

EPISTOLA LEIBNITIANA.

Vir Nobilissime & Celeberrime Fautor Honoratissime

OPus Tuum cum multa voluptate percurri partem maxime, quæ comprobationes continet. Apparent ex eo non vulgaris doctrina & diligentia: nonnulla fatendum est in hoc argumento valde problematica esse.

Ingeniosa est coniectura illa, qua Fosos cum Cluuerio trans Albim locas. Sed mihi videtur, ne Cheruscos quidem vsque ad Albim pertigisse, & regionem circa Luneburgum, Dannebergam, & Antiquam Marchiam pene vsque ad Magdeburgum, fuisse Bardorum vel Longobardorum. Et licet Cherusci vsque ad Albim pertigisse ponerentur, non tamen commode dici posse ex Tacito Fosos conterminam Cheruscis gen-

tem,

tem, si Albi, præsertim vbi tam magnus est, diuidebantur. Denique non apparet, quomodo trans Albim tacti illi fuerint ruina Cheruscorum a Cattis profecta; cum dubitari non posse videatur, bellum inter Cheruscos & Cattos cis Albim gestum. Itaque mihi verisimilius videtur, Fosos non alios fuisse, quam accolas Fusæ amnis. Poëtæ & Panegyricorum auctores non satis exacte situs locorum obseruant. Illud:

ingentes Albim liquere Cherusci

non magis accuratum est, quam istud alterum:

mediumque ingressa per Albim
Gallica Francorum montes armenta pererrant.

Auctor Tabulæ Hydrographicæ Germaniæ est Dn. Phil. Henr. Zolmannus, filius Consiliarii Intimi Saxo-Cizensis.

Quod superest vale & faue. Dabam Hanoueræ 3. Octobr. 1715.

Deditissimus
Godefridus Guilielmus Leibnitius.

SERIES

SERIES
LIBRORVM
ET
CAPITVM.
NOTITIA GERMANIAE ANTIQVAE.

LIB. I.
DE
FINIBVS VETERIS GERMANIAE.

LIB. II.
DE
NATVRALIBVS NOTIS, SILVIS, FLVVIIS, MONTIBVS, VETERIS GERMANIAE.

LIB.

NOTITIA GERMANIAE MEDIAE SEV PROXIMAE VETVSTATI.

ORDO TABVLARVM.

NOTITIA

NOTITIA GERMANIAE ANTIQVAE.

I.

CONſignaturus hiſtoriam litteris, vt arduum molitur graueque opus, ita non cura ſimplici eniti & contendere debet, quam maxime poſſit, vt muneri officioque boni hiſtorici omni ex parte ſatisfaciat. Duo autem cum ſint, quæ hiſtoricum decent, vt ipſam primo hiſtoriam propriis metiatur legibus, adeoque non niſi veritate duce ſtilum trahat; vt deinde hiſtoriæ ſuum tribuat decus atque ornamentum, claritatem inquam & perſpicuitatem: vtriusque profecto operæ dignam opus eſt gerat curam, qui aptæ decoræque ſcriptionis ſperat atque exoptat laudem. Primum & quidem probi hiſtorici officium, vt egregiæ illæ ſummi oratoris leges definiunt; quibus *prima*, inquit, *eſt hiſtoriæ lex, ne quid falſi dicere audeat, deinde, ne quid veri non audeat, ne qua ſuſpicio gratiæ ſit*

Hiſtorici duplex officium.

Veritatis ſtudium & integritas.

in scribendo, ne qua simultatis (*a*): ita idem rei poscit natura causaque, & simul honestas decusque imperat, vt exuere nomen historici eum liqueat, qui separet ab historia veritatem, animumque siue vanum, siue mendacem, ad historiam scribendam afferat. Idque cum sit, necesse parum est, vt ista muneris pars potior multis exornetur & commendetur verbis, cum historicus esse nequeat, quin induxerit animum bona vbicunque in scribendo versari fide. Alterum vero historici munus, quod formam scriptionis dirigit, & sæpe abest, vt historia seruet nomen suum, adeoque non raro ab auctoribus habetur insuper, postulat, vt paulo amplius de eo dicamus. *Historici officium.*

Claritas historiæ eiusque præstantia. II. Est itaque bona officii pars, vt apte, clare, atque perspicue, historicus rerum gestarum commemorationem instruat, nihilque vitet magis, quam aut confusionem rerum, aut obscuritatem significandi. *Nihil,* summus orator inquit, *est in historia pura & illustri claritate dulcius.* (*b*). Et sane quid molestius est lectori atque odiosius, quid & minus aut ad vtilitatem, aut ad quendam iucunditatis percipiendum fructum, iuuat, quam obscuram & impeditam narrationem, siluamque quasi quandam atque materiam vniuersam permixtam & confusam alicubi reperire & intueri omnium gestarum rerum? Non equidem nego,

(*a*) CICERO *Lib. II. de Orat. Cap. XV.* Conf. elegantissime de hac causa disserens POLYBIUS *Lib. II. Cap. XIV. Lib. XII. Cap. VI. & XV.*

(*b*) CICERO *de Clar. Orat. & de Orat. Lib. II. Cap. IX.*

Historici officium. go, historiam posse esse, vt minime sit ordinata, & compta, & concinna; sæpeque hic & temporum indoli & scriptorum ingenio aliquid dandum est. Si tamen boni historici spectamus officium, non is in eo tantum eniti debet, vt historiam scribat, sed in eo etiam, vt bene eam scribat. Relicta proinde rudibus seculis & ingeniis ignauis inculta barbarie, quantum possit, plane atque dilucide dicere, atque ex inordinato in ordinem iustum quæuis adducere oportet auctorem ex illustrata historia siue vtilitatem publicam, siue iucunditatem, promoturum.

III. Verum, inquies, quibusnam ergo historiæ perspicuitas claritasque absoluitur partibus? Et bene mones, non omnibus id esse datum, vt perspicue expediteque sensa mentis exponant, facilitateque significandi, quantum ad verba scriptionisque modum attinet, instructi sint; male autem a scriptionibus prohiberi, qui, cum impedito vtantur stilo, abundent tamen experientia & iudicandi egregia facultate. Nec istud nos claritatem historiæ interpretamur, vt ordinate elaborateque concinnata illa prodeat in publicum; licet, si fieri contingat, vtique isto ornatu magis commendabilis haberi possit. Claram potius nos perspicuamque historiam adpellamus, quæ nihil habet, quod pariat obscuritatem, aut impediat iudicium, quo minus libere de rebus actis lectisque fieri queat. Sed cum nihil magis officiat intelligentiæ in rebus histo- *Claritatis historicæ partes;*

ricis, quam si temporum non distinctæ rationes, locorumque, quibus quidlibet gestum sit, non definitæ vicissitudines fuerint; manifestum est facile, eam demum claram & expeditam esse historiam, quæ ex parte vtraque absoluta, atque sic vtroque, ita vt dicam, suo oculo instructa, compareat. Hæ nobis præcipuæ sunt partes claritatis atque euidentiæ, qua vt historicus præcipue suam exornet scriptionem, ex altero eius officii capite modo postulauimus. *Temporis locique Enarratio.*

iusta temporis enarratio,

IV. Primum vt dilucida expeditaque fiat historia, *ætatum annorumque diuisiones* sedulo ab historico tradendas censuimus. Et sunt enim temporum rationes præcipuum de historia iudicium formare aptæ; adeoque fabulam legere, non historiam, sibi videatur necesse est, qui necessario illo adiumento per auctoris siue inertiam, siue incuriam, exclusus ad legendum accesserit. Solet tamen plerumque paucis exceptis casibus, vbi per varias causas tempora ignorantur, annorum notatio ipsam ingredi rerum gestarum commemorationem, aut sane cum hac necessario copulari; vnde cum non tam facile negligatur, sed vel ab ignorantibus obseruetur, neque hic opus erit longa separataque istius postulatæ claritatis consideratione. Est autem diuersa ratio alterius causæ, quæ perspicuitatem historiæ conciliare potest, nempe *geographiæ:* eaque persæpe ab historicis quasi nota & cognita relinquitur, aut superficie tenus tantum tractatur, cum & vbi maxime

& enodatio geographiæ.

Geographiæ necessitas. xime necessaria solers & accurata eius fuisset explicatio. Digna & quidem hæc videtur auctorum hallucinatio, quam & diligenter notemus, & ipsi caute euitemus.

Geographiæ necessaria tractatio in certis casibus ostenditur; V. Scilicet vbi in notissimis versetur historia, aut recentis ætatis, aut patriæ, variarumue simul nationum, exponat res, non equidem semper fuerit necesse geographicas rationes præmittere; licet vtile eas subinde, vt clarior fiat rerum descriptio, & iis lectis vt in memoriam locorum lectores redeant, interponere. Quoties vero aut primum antiquiora tradimus acta, aut rursus continuo tractu historias vnius alteriusue gentis perteximus, non tantum est perutile, sed admodum necessarium, geographicam considerationem suppeditare, & in ea lectorem instruere: illic quidem, quod rari lectores antiquiorem regionum faciem cognitam, istamque cognitionem in promtu, habent, adeoque discere cupiunt a scriptore, quod ignorantes in historiæ lectione morari potest; hic autem, quod vniuersa rerum gestarum series exhausta mirificam semper lucem accipit, ante explicatis, prouinciæ & populorum, quorum fit in scriptione mentio, rationibus. Cum & maxime ad vsum historiæ geographia tota sit adparata, & vero historia instabilis erraticique fortunæ in orbe cursus sit indagatrix atque memoratrix; varia proinde, & diuersa, & fere, si diversa contenderis tempora, sibi contraria: præcipue intelligi-

tur, quoties variorum seculorum acta enarrantur, antecedere semper historiæ talem debere geographiam, & tantum variari, quantum distinctæ ætates vicissitudinum, quæ, dum populos feriunt, simul omnino regionum rationes mutant, ostenderint. Sic profecto historiæ antiquæ parum geographia nostri æui præmissa conduceret; nec æuo medio nisi propria geographia debetur: nostro autem tempore inepte veteres terrarum fines, terminique & diuisiones, citarentur, si de regionum limitibus & gentibus hodiernis coorta esset controuersia.

Germanica geographiæ necessitas.

& ad reddendam rationem nostri instituti adplicatur:

VI. Non mihi libet esse in exponenda hac geographiæ præstantia & necessaria tractatione copiosiori: sed generatim indicatis rationibus, cur sæpe geographia sibi locum insignem in historia postulet, digito simul, quod opus erat, monstrasse sufficit potiores meas caussas, cur & ipse, dum antiquæ Germaniæ plenam molior historiam, a geographica & historica descriptione finium, regionum, & gentium, ordiar, harumque tractationem conatus mei primæ operæ destinauerim. Est nimirum, tertiam vt caussam, quæ præcipue geographiæ enodationem imperat, vrgeam, in antiquis rebus errore illo nihil perniciosius, qui ex præiudicata opinione de hodierno statu admittitur, & qui omne interturbat iudicium, dum diuersa & aliena permiscet & confundit. Cui cum melius obuiam iri nequeat, quam antiquam geographiam antiquæ hi-

storiæ

Germanicæ geographiæ necessitas.

storiæ attemperando; vel vna hæc causa haberet satis, vt opera digna pretio existimaretur. Verum accedunt peculiares propriæque rationes non admodum paucæ, quæ id præsertim in Germanica veteri historia imperant, quod in omni generatim descriptione rerum antiqua vtile est & commodum. Nulla vnquam regio tam sæpe, quam Germania prisca, mutauit limites; qui ideoque non partite, definite, distincteque, explicati fallere & decipere historiæ studiosos admodum apti sunt. Nusquam & alibi tot nationum cognatarum nomina, & vicissitudines, & migrationes, reperies, quam in vasta illa regione, & immani vi populorum, præsertim antiquitus, maxime abundanti: quæ vero omnia iusto ordine persequatur & exponat geographia necesse est, ne inde historiæ cognitioni ingens subinde interponatur mora. Sunt & quidam scriptores, qui cum digne satis laudes recentioris Germaniæ æstiment, indigne tamen & inepte statum Germaniæ antiquæ eiusque populorum taxant & despiciunt; aut id historiæ verioris ignari, aut Romanorum in hac causa admisso errore abrepti. Quæ iam singula breuiter hic memorata multis modis exigunt, nosque vehementer admonent, vt verum Germaniæ antiquæ statum solertius explicemus, eumque & ex propria geographia, & ex reliqua historia, illustremus, commodamque & expeditam cum præsenti rerum statu eum componendi occasionem subministremus.

additis causis singularibus, cur maxime geographia Germaniæ antiquæ historiæ antecedere debeat.

VII.

Statuitur Geographiæ noſtræ primus terminus, a quo orſuri ſumus;

Germanicæ geographiæ initia.

VII. Protinus ergo ad Germaniæ antiquæ, qualem molimur, accederemus geographiam: niſi iudicaremus neceſſario ſtatuendam leuem adhuc moram eſſe, donec difficultates quasdam circa eam indicauerimus, ſimulque, quantum licet, remouerimus. Primum de *termino primo*, *retroque*, ita vt dixerim, *acto*, *finium* deſignationis, & regionum gentiumque deſcriptionis, generatim tenendum eſt; non ante nos in hac noſtra geographia finium diſtinctionem tradere conaturos, aut nationis noſtræ ſedes determinare, quam videatur æuum notius vbiuis diſtinctos & diſcluſos, Græcisque & Romanis cognitos, inter nationes & regiones terminos admittere. Non eſt probabile, nec quisquam tale quid facile adſeruerit, ſtatim, poſtquam mundus cœperit habitari, diuiſas eſſe ab inuicem prouincias; limites deſcriptos; nomina certa & ſedes ſeparatas a familiis & gentibus delectas eſſe. Omne id ſane non ante eſt actum, quam augescente hominum populorumque multitudine de mutua ſecuritate cogitare viſum eſſet; & aut metus ſuaſiſſet, aut ambitio, de cognatorum populorum fœderibus, certisque conuenire metis & potentiæ terminis. Vsque profecto eo videntur exiguæ nationes promiſcue coluiſſe; occupaſſe & permutaſſe ſedes, prout luberet; incerta nomina, nec ſatis decerno, an communia? habuiſſe. Quod vero in toto orbe contigiſſe antiquiſſima rerum memoria, & ipſa omnino ratio comprobat, idem in noſtra

Germaniæ veteris geographiæ termini.

nostra Germania accidisse statuatur, necesse est: vt itaque fines aut populi Germaniæ vix ante intelligantur, quam primæ ingentesque minorum ciuitatum cessauerint migrationes, suaque cuique genti, nunc auctiori, adeoque etiam Germanicis ciuitatibus, certa sedes & regio fuerit adserta. Id tamen, quomodo omne gestum sit, ex solis liquet coniecturis, indeque plane declarari nequit: vnde & satius est, paucis hic monuisse, de quo nihil possit statui; quam voluisse vltra quam licet curiosa nimis inuestigatione in antiquitatem adscendere.

VIII. Expositis modo primordiis nostræ Geographiæ, dictisque causis, cur nequeamus ad vagas promiscuasque mortalium habitationes attendere, interque eas nostrorum maiorum vestigia atque incunabula interuisere: addimus iam statim, quousque videatur historiam finium persequi; aut, quod est idem, vbi *terminum* antiquæ Germaniæ consideratio nostra sit habitura. Et solent quidem a diuersis diuersissime tempora distingui, vt alii adsignent æuo veteri, quod ceteri tribuunt ætati mediæ, huic vt quidam adscribant, quod nonnulli recentiori æuo attributum malunt (*c*). Cum itaque nulla hac in causa constans lex

alterque terminus, ad quem vsque progressuri sumus.

(c) Plurimi a Constantini M. æuo tempus auspicantur medium. Alii in ætate Theodosii inuenisse rati, quod temporis suppeditet aptam distinctionem, eam elegere, indeque medium æuum

lex ſit, ſed ſua quisque vtatur opinione, meo etiam mihi liceat abundare ingenio, & antiquitatem Germanicam, vt libet, vtque videtur maxime commodum, definire. Quando itaque cum ſeculi quinti fine Romanum in Occidente imperium a Germanis deſtructum, & in Italia ceterisque omnibus Romanis prouinciis varia ab iisdem Germanis regna condita, cerno; eodemque tempore partem terminorum Germaniæ coarctatam, partem protentam, reperio: res mihi hæ tanti momenti viſæ ſunt, vt decreuerim denique in earum deſcriptione antiquæ hiſtoriæ terminum ponere, & quæ ſequuntur, niſi adprime antiquam iuuare poſſint aut geographiam, aut hiſtoriam, æuo medio reſeruare. Quod & inſtitutum, vt liberæ exſtitit optionis, ita per memoratas cauſas cuilibet facile iri probatum ſpero ego atque confido.

Germaniæ veteris geographiæ difficultas.

IX. Non nunc poſſum non remotis quibusdam difficultatibus, quæ morari noſtram poterant inueſtigationem, ceterarum etiam meminiſſe, contra quas vix ſufficiens dari video remedium. Sunt & eæ plures profecto, quam quisquam putauerit; eo vero ſolertius hic obſeruandæ, quo magis geographiæ noſtræ ſunt propriæ, & quo facilior cognitarum, ſi quæ omnino, datur euitatio. Vt partite diſtincteque de iis dicamus, genus difficultatum, quæ noſtram premunt

Plurimæ difficultates geographiæ noſtræ, indictis cauſis, enarrantur:

orſi ſunt. Suæ quibuslibet fuere cauſæ; nec leues, ſi ad Romanam reſpexeris hiſtoriam. Nos noſtræ rationes tuentur.

Germaniæ veteris geographiæ difficultas. munt geographiam, vnum *Romanis ſcriptoribus*, alterum *ipſis maioribus* noſtris eorumque moribus & conſuetudinibus acceptum referendum fore intelligimus. Romanorum primo ſcriptorum, qui Germanicas attigerint res, ingens raritas eſt (*d*). Eos deinde, qui ſcripſere, admodum decepit & impediit intricata & obſcura Germaniæ rerum Romæ notitia, & ſolemnis incuria, abſonaque eorum negligentia, quæ populos reſpicerent barbaros (*e*). *quarum pars Romanis ſcriptoribus.* Non leuiter etiam tentatam ſcriptionem obſcurauit ineptum purioris latinitatis inter Romanos ſtudium; quod frequentes & diuerſas, prout quisque auctorum ſenſu ſuo abundauit, barbarorum vocabulorum in latinam formam contortiones magno noſtræ Geographiæ damno produxit. Sit a fluuiis, ſiluis, montibus, armis, moribus, hæ enim fere vocum videntur eſſe origines, vocabula ſibi Germaniæ gentes acceperint: quis diſtortam & corruptam adpellationem, cum eam a ſolis neceſſe ſit Romanis petere, interpretabitur? Ex fontibus autem enarratis proſiliere ſcriptorum quorundam negligentia

B 2

(*d*) Inter bene multos, quos nominabimus paſſim, auctores, pauci geographiam noſtram excuſſe adiuuant. Sunt fere POMPONIUS, STRABO, PLINIUS, TACITUS, PTOLEMÆUS, AMMIANUS, quos hac in cauſa vna cum THEODOSIANA, quam vocant, *tabula*, & ANTONINI *Itinerario*, *Imperiique Notitiis*, conſulere licebit. Quaſi tamen transeundo & alii Romani hiſtorici ſæpe illuſtrant Germaniæ notitiam.

(*e*) TACITUS *Annal. Lib. II. Cap. LXXXVIII.* eam barbarorum incuriam Græcis exprobrat, nec ſuos tamen excuſat Romanos.

tia & indiligentia, aliorum diſſenſio atque contentio, omnium obſcuritas, minorque auctoritas: vnde & denique omnia confuſa & litigioſa cernuntur, quantum ad Germaniæ Magnæ Geographicam attinet deſcriptionem. *Germaniæ veteris geographiæ difficultas.*

pars maioribus noſtris ipſis accepta refertur. X. Superant aſt non pauciores difficultates, quas ipſi noſtrorum maiorum mores & conſuetudines interiecere. Quod primi maiores noſtri neſcirent litteras, ſaltem acta illuſtria ſuæ gentis mallent canere quam ſcribere; non habemus, qui res patriæ accuratius expoſuerit, adeoque alienigenarum ſcriptorum errores aptus ſit emendare (f). Fuit præterea communis omnibus Germanis expedita ſoli mutatio, crebraqe migratio (g). Cum & maiores populi emitterent colonias plures; quædam patrium ciuitatis tenuere nomen, quædam mutarunt iſtud, aut pror-

(f) Cani facta præclara, quam ſcribi, inter maiores præſtitit: licet ſcripta eſſe mallet vtique poſteritas. TACITUS *de Germ. Cap. II. & III. Ann. Lib. II. Cap. LXXXVIII. Optimus tunc quisque facere, quam dicere; ſua ab aliis benefacta laudari, quam ipſe aliorum narrare, maluit:* quod elogium antiquioribus Romanis a SALUSTIO *Bello Catil.* datum hic mutuari liceat. An plane noſtri maiores litteras ignorauerint? diſputatur ad TACITUM *Germ. Cap. XIX.* Interpretes LIPSIUS, COLERUS, GRONOUIUS, alii, litterarum ſecreta amatorias litteras interpretantur. Non male puto per orationis contextum. Alio namque loco patebit, non plane litterarum rudes exſtitiſſe maiores.

(g) STRABO *Lib. VII. Communis omnium eſt facilis & expedita ſoli mutatio.* Vid. CÆSAR *Lib. I. Cap. XXXI. Lib IV. Cap. I.* TACITUS *Hiſtor. Lib. IV. Cap. LXXIII.* de Germanorum mutandæ ſedis æterno amore.

Germaniæ veteris geographiæ difficultas.

prorſus adſumſerunt nouum (*b*). Quam vero ſit migrationum antiquiorum hiſtoria inculta & prope deſerta? nemini eſt ignotum, qui modo hiſtoriæ non eſt expers. Quod maxime nullas, aut raras, ſaltem non Romano aut Gallico more conſtructas & munitas, vrbes noſtri maiores incoluerunt, ſed vicis villisque contenti promiſcue habitarunt (*i*); illis illuſtrioribus notis ſedium negatis, hisceque leuioribus veſtigiis prope ignoratis, facile iterum eſt ad probandum,

 nihil

(*b*) Gothicarum coloniarum diuerſiſſima nomina infra videbimus. Batauorum, Caninefatum, Mattiacorumque, ex Cattis origo, ſi TACITUS tacuiſſet, paſſim ignorata foret.

(*i*) CÆSAR *Lib. IV. Cap. XIX.* oppida Sueuorum, & PTOLEMÆUS *Lib. II. Cap. XI.* plures Germaniæ vrbes, memorant. Contra TACITUS *Germ. Cap. XVI. vrbes nullas Germanos habitaſſe*, diſerte dicit. Quonam modo contrarias conciliabimus ſententias? Nempe TACITUS animum Germanorum reſpiciens nullas eos amare aut habitare dicit vrbes; ſolis vicis, villisque delectari; TACITUS *Ann. Lib. I. Cap. L. & LV. Germ. Cap. XII.* præſertim munitas odiſſe vrbes, *muros*, *munimenta ſeruitii* reputantes, vt eſt apud TACITUM *Hiſt. Lib. IV. Cap. LXIV.* in Tencterorum ad Agrippinenſes legationis oratione. Non autem repugnante TACITO quasdam vrbes, maxime poſt eius ætatem, Germani habere potuerunt; ſaltem non impenſo eas habitandi ſtudio, nec crebras, nec munitas. Et CÆSARIS quidem oppida, quæ vocauit, haud dubie vici villæque fuerunt; eius enim ætati minime cum Germaniæ vrbibus conueniſſe, putem. Sed, quæ PTOLEMÆUS nominauit oppida, aut fuerint paucæ vrbes, ad Romanorum imitationem a Germanis, aut ad Germaniæ fines a Romanis, conditæ; aut fuerint celebriores Germaniæ villæ, quæ fama exteris ſunt cognitæ: aut etiam alia illuſtria loca fuerint, quorum accepta nomina PTOLEMÆUS de vrbibus interpretatus eſt.

nihil vnquam geographia vetustæ Germaniæ esse spinosius, aut inextricabili propius nodo.

Germania veteris geographia directio.

Institutum nostrum earum ratione indicitur;

XI. Ego enimuero optarem, vt contra illas molestias, quæ, quod perbreviter indicaui, antiquæ Germaniæ notitiam vndique circumsistunt, remedium daretur promtum & sufficiens; vtque, quemadmodum primam alteramque dubitationem in initio fineque nostræ geographiæ statuendis remoui, sic & plene in limine commentationis meæ leuare possem ceteras, quæ morantur nostram inuestigationem, difficultates. Quod tamen supra mei ingenii vires est tentare, nedum plene perficere, ingenue indicandum esse ratus sum: capto ceterum consilio, quanta possim solertia, vitandi magis errationes, quam vbiuis certa crepando captandi ineptam ingenii gloriationem; & vtiliter magis perspicueque dicendi, quam magnifice, aut ex absoluta perfectaque, quam hic affectare perquam turpe foret, scientia. Diuidetur autem hæc mea circa geographiam exponendam occupata opera ita, vt prima *finium antiquæ Germaniæ* singulorum cura sit; altera *naturales regionis notas, fluuios, siluas, montes*, peruestiget; extrema eaque potior breuem quidem, sed tamen integram, *singulorum populorum* reddat *historiam*.

& nostra tractatio in partes diuiditur.

LIBER

LIBER I.

DE FINIBVS VETERIS GERMANIAE.

CAPVT I.

FINES DIVERSI REGIONIS ET NATIONIS.

I.

FINES VETERIS GERMANIAE primum consideraturi, præcipue animos ad differentiam horum finium attendimus. Sunt nobis generatim *fines, quibus mutuo populorum consensu regiones a regionibus, & a gentibus gentes disterminantur*. Non itaque, vel illa descriptione teste, solum fines sunt, quibus aut vsu, aut pactis, siue Gallia, siue Italia, siue aliæ prouinciæ, inuicem separantur; sed si & Galli in Italiam vltra regionis suæ fines olim progressi sunt & morati, seruatis antiquis patriæ terminis, nouis sane ipsi finibus a ceteris Italiæ gentibus cœpere discludi atque distingui. Ista autem distinctio inter *fines regionis* & ceteros *nationis terminos*, cum prope in omni geographia obtineat, tum maxime in nostra seruanda est, cum vbique & in omni fere æuo eius obseruatio insignem nobis præstet vsum. Quis nescit ad nostrum vsque æuum extra proprios Germaniæ limites Germanos habitare, & intra fines Germaniæ ipsos esse admissos alienigenas (*a*). Maxime vero nostra antiquitas exemplis, quibus Fines diversi sunt regionis & nationis.

CAP. I.

(*a*) Respice Liuoniam, Prussiam, atque Transiluaniam, & semper habebis Germanos, extra Germaniæ limites habitantes. Bohœmi vero, Moraui, passimque dispersi Venedi, alienigenæ semper manent, licet eorum maiores longa iam secula Germaniam coluerint.

quibus hoc discrimen finium probetur, copiosa est. Quot ibi Germanicæ ciuitates in alieno constitutæ solo cernuntur? quorum vtique fines, quibus a populis diuersis fuere separati, indagandi erunt. Quot & peregrinas gentes in Germania veteri substitisse antiqui auctores suspicati sunt? *(b)* Quæ profecto omnia iubent & imperant in veteri nostra Germania istud discrimen inter nationis & regionis fines maxime obseruare. Ita vero commode illa distinctio a nobis illustrabitur, si primum semper *fines regionis*, mox *fines* spectemus *nationis;* iterumque deinde historiam regionis & gentium in ea colentium pertractemus primum, & postremum historiam gentium extra patriam in alieno solo constitutarum.

Germani extra Germaniam.

Ostenditur Germanos esse posse, licet nec ipsi nec maiores eorum in Germania egerint.

II. Quærere hic omnino lubet, nam non explicata quæstione multa deinceps perobscura lectoribus videbuntur; *an sit statuendi necessitas, omnes Germanos in peregrino quondam locatos ex Germania in nouas sedes commigrasse, vtrum vero quidam populi possint Germani dici, licet nec ipsi, nec maiores, in propria egerint Germania?* A primo equidem non est dubium quin pleræque Germanicæ gentes, quas in peregrinis regionibus reperiemus, ex ipsa eo patria mouerint: idque vt partim abitus cognitum tempus, & rationes sint exploratæ; partim vt de iis nihil constet, abitus tamen ipse causis probabilibus persuadeatur. Cum tamen *non a Germania* vocentur *Germani*, sed *a populo terra* demum nomen siue istud, siue initio aliud, acceperit, non valde cerno, vt gens quædam Germanica adpelletur, necessario requiri, vt in Germania habitauerit. Fuerit fortassis ciuitas, lingua, moribus, institutis, Germanorum similis, parque sanguine ortu-

(*b*) Quondam Bastarnæ, Getæ, Aestii, in Sarmatia, Tungri, plurimæque aliæ Germanicæ ciuitates, in Gallia egerunt. In Germania ipsa Heluetios, & Boios, Gallici sanguinis esse dixerunt CÆSAR *Lib. VI. Cap XXIV.* TACITUS *Germ. Cap. XXVIII. Gothinos* & ait TACITUS *Germ. Cap. XLIII. Gallica, OSOS Pannonica lingua coarguit, non esse Germanos, & quod tributa patiuntur.* Vtraque tamen natio in mediis Germaniæ finibus habitauit.

Germani extra Germaniam.

ortuque, quæ in itinere constitit, nec cum gentilibus in eam perrexit regionem, quæ a populis ibi commorantibus, postquam acceptum gentis nomen est, Germania dicta est. Nemo adseruerit, a ciuitate Germanica istam nationem excludendam esse, quod non ipsa, aut maiores ipsius, in Germania egerint; imo vero Germanicam dicet, cum Germanis sit iuncta sanguine, linguaque, & moribus, licet nunquam tellurem Germanicam viderit. Quis itaque probauerit validissimam nationem Bastarnas, indubios Germanos, ex Germania in Sarmatiam migrasse? Quis & fecerit fidem, omnes Geticas ciuitates, quas nos infra Germanico vindicabimus sanguini, ex Scandinauia processisse, & deinceps sedes posuisse in Sarmatia? Sane maior vndique fides adsertioni erit, si in via familias quasdam dixerimus resedisse, vnde Bastarnæ, vnde Getæ fuerint orti, cum ceteræ cognatæ domus in Germaniam mouerint. Hæc etiam digna est ratio, quod vix nisi ab Oriente tales reperimus populos, quorum natales isto modo videantur designandi. Quippe cum ab Oriente ad Occidentem, & ex Asia in ceteras Europæ prouincias, omnes quondam familias perrexisse necesse sit, potuere in vasta Sarmatia, quam peragrare fere opus fuerat, plures Germanicæ ciuitates, quas ita per anticipationem adpellare liceat, consistere, vt propriam non adirent Germaniam: non secus vt medios inter Germanos potuisse arbitrer Gallos morari, ceterorum Gallorum persimiles, licet & ipsi, quod per transitum ponimus, non ex Gallia in Germaniam processerint, sed fortassis ab initio inter Germanos perstiterint, nec quam lingua moribusque fuerint, separatis demum & accuratius distinctis gentium nominibus, agniti, Gallique cum ceteris Cisrhenanis vocati.

CAPVT II.

GERMANIAE REGIONIS FINES.

I.

Fines regionis;

GERMANIAE REGIONIS FINES, nam ab his exponendis commentationis nostræ ducetur initium, eos adpellamus terminos, quibus tractus ingens terrarum, cui nomen *GERMANIÆ* obtigit, a Gallia, a Sarmatia, ceterisque circumiacentibus prouinciis, communiter distingui consueuit atque separari. His & quidem definiendis valde auctorum discrepant sententiæ, vt tamen non desit, vnde vnius alteriusue suffragii maior probetur probabilitas. Sunt primum recentiores quidam, qui fines Germaniæ antiquissimos, *RHENUM*, *OCEANUM*, *TANAIM*, *PONTUM EUXINUM & DANUBIUM* (c) afferunt. Hi vaga nimis incertaque sententia non Celticum tantum nomen, sed etiam Scythicum, Sarmaticumque, Germaniæ audent annumerare. Quod vero ad limitem orientalem pertinet, contra rationem eum in Pontum usque Euxinum & Tana-

antiquissimi perperam putati, ideoque additis caussis ex parte reiecti.

(c) Equidem PLUTARCHUS *in Mario fol. CCCCXI.* eam fuisse putauit Celticæ Galliæque quondam longitudinem & laxitatem, vt ab oceano & septentrionibus, ad orientem Mæotimque paludem, & Ponticam Scythiam, pertinuerit. Constat autem, non eum Germaniam intelligere, sed Galliæ Celticæque nominis vetustam complexionem; cui & Sarmatia quondam est debita. Tam magnis sane Germaniam aliquando finibus patuisse, antiquorum prodidit nemo; sed sola ea recentiorum quorundam infida exstitit opinio. Nempe infidum ducem, commentitium BEROSUM, eiusque veteratorium commentorem, ANNIUM VITERBIENSEM nonnulli sequuti bonæ antiquitati friuolam sententiam bona supposuerunt fide. BEROSUS *Lib. V, Annius Comment. Lib. XV,* Thuisconem Germanorum regem, a Rheno ad Pontum & Tanaim imperium tenuisse, adseuerarunt; & inde latissimorum Germaniæ finium nata fabula. Vt alios transeamus, quibus ille nequam BEROSUS imposuit, JOD. VVILLICHIUS *in Taciti Germ. Cap. I.* valde sibi illa inuentione placuit, & ceterarum Germaniæ definitionum eam primam & antiquissimam, quasi de veritate rei optime ipsi persuasum esset, constituit.

Ipsis fines. Tanaim extentum esse, nec vllam posse fidem invenire, censeo. Sit ad prima tempora ab illis respiciatur auctoribus, vbi distinctæ nondum satis essent regiones, neque definiti admodum aut descripti prouinciarum limites. Tum vero non tantum Sarmatia, sed & Gallia, Hispaniaque omnis, a cognatis, si primam spectes originem, nationibus habitatæ fuere: nec tamen omnis is terrarum tractus magis *Germania* meretur, quam *Sarmatia* dici. Potius, me docente supra, nulli tum fines statuuntur, vbi adhuc nulli erant; & illorum demum ibi historia incipit, vbi gentes disterminari mutuo cœpere aut metu aut consensu. Quodsi vero alius Scythicum nomen Germanos subinde complexum esse, Germanosque præcipue Celto-Scythas dictos esse ostenderit; nec hic satis illum ab Oriente terminum defendet. Licet enim, & per vagam Græcorum de gentibus notionem, & quod ab initio multæ Germanicæ ciuitates inter Scythas constiterint, atque ipsi deinde Cimbri, Gothi, aliique populi Germanici, in Scythiam mouerint, ex communi adpellatione ipsi Germani Scythæ vocari consueverint; non tamen magis inde probabitur, omnes Scythas Sarmatasque Germanos inter censendos esse, quam Celtico vocabulo solos Germanos intelligi, quia sit compertum, & ipso olim hoc vocabulo Germanos non raro esse denotatos *(d)*.

II. Missa proinde facta vana nuperorum scriptorum opinatione, certiores Germaniæ limites a Græcis & Romanis exquirimus; qui sane, dum vellent, potuere de sui æui rebus commode testari. Secundum eorum plures, eosque fide digniores, verus Germaniæ, quamdiu Romanum stetit imperium, *versus Orientem* limes VISTULA fluuius fuit; a fonte eius ad Sarmaticos montes via ducta aut imputato itinere. *Certiores Germaniæ termini; ab oriente Vistula:*

(d) Infra in nominibus Germanorum illa Scytharum, Celtarum, Celtoscytharum, & Hyberboreorum, numerabimus. Licebit ibi argumentationis nostræ petere illustrationem.

itinere (*e*). Non pauci hic iterum, nec leues auctores, si spectamus verba, paulo sentiunt diuerse; atque aut *metu mutuo montibusque a Germanis disclusos fuisse Sarmatas* aiunt; aut etiam *solum Sarmaticarum gentium confinium* citant (*f*). Hi tamen, quod facile manifestum est, non tam nobis ipsa adversantur re, quam diversos fines intelligunt: cum ipsi ad *gentium fines* magis videantur respicere, nos vero hoc loco proprios *terræ terminos* studeamus statuere. *Regionis fines.*

III. Quot

(*e*) Optime PTOLEMÆUS *Lib. II. Cap. XI.* primum ponit Danubii ἐπιστροφὴν πρὸς τὰ ὑπερκείμενα Σαρματικὰ ὄρη; *flexum ad superiacentes Sarmaticos montes:* quem, vt ipse gradibus determinat, circa Granuæ ostium, aut paulo citerius, Cusum versus, poni necesse est. Deinde nominat κεφαλὴν τοῦ Οὐϊστούλα ποταμοῦ: & addit, καὶ ἔτι αὐτὸς ὁ ποταμὸς ἕως θαλάσσης, subaudi, ὁρίζει τὴν ἀνατολικὴν πλευράν. Hoc est, *fons Vistulæ fluuii, & ipse fluuius Vistula usque ad mare, terminat orientale latus.* Idem *Lib. III. Cap. V.* Sarmatiæ Europeæ initium a *VISTULA* facit. Consentit prorsus MARCIANUS HERACLEOTA *in Periplo*, vbi de Germania magna ait: Ἡ Γερμανία ἡ μεγάλη περιορίζεται - - - ἀπὸ ἀνατολῶν τοῖς Σαρματικοῖς ὄρεσιν, καὶ μετὰ τὰ ὄρη τῇ κεφαλῇ τοῦ Οὐϊστούλα ποταμοῦ, καὶ ἔτι αὐτῷ τῷ ποταμῷ. *Germania magna,* inquit, *terminatur - - - ab oriente montibus Sarmaticis, ac post montes capite Vistulæ fluuii, atque etiam fluuio ipso.* AGATHEMERUS *Lib. II. Cap. IV.* idem adserit: τῆς Γερμανίας μετὰ τὸν Οὐϊστούλαν ποταμὸν ἔχεται ἡ Σαρματία. *Germaniam*, ait, *excipit trans Vistulam fluuium Sarmatia.* Nec POMPONIUS *Lib. III. Cap. IV.* dissentit, *Sarmatia ab iis*, inquit, *quæ sequuntur, Visula amne discreta.* Inconcinna vero est CLUUERII coniectatio *Germ. Ant. Lib. III. Cap. XLII*, PTOLEMÆUM, & reliquos, fines non satis habuisse exploratos, ideoque antiquiores citasse limites; TACITUM, aliosque, rectius Germaniæ metam, plenius ipsorum tempore cognitam, produxisse. Nempe vtrique non peccarunt. Non PLINIUS atque TACITUS; qui ad Germanicam respexere gentem. Non POMPONIUS, PTOLEMÆUS, & ceteri; nam geographicæ conueniebat curæ, accuratos regionum fines in promtu habere.

(*f*) TACITUS *Germ. Cap. I. Germania - a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus separatur.* PLINIUS *Lib. IV. Cap. XII. Germanorum confinium* inter Sarmatas ostendit. Inde SOLINUS *Cap. XXIII.* dicit, *Vistulam de internis Germaniæ partibus in oceanum præcipitari.* Rursus POMPONIUS *Lib. III. Cap. III, Germania*, ait, *ab oriente Sarmaticarum confinio gentium obducta est.* Vltimum tamen locum facile interpretabere, si *Caput IV.* legeris, vbi confinium istud Vistula amne diserte POMPONIUS separauit. Interim illa inter fines regionis & nationis distinctione neglecta, adeoque perperam intellectis auctoribus, nequicquam CLUUERIUS impenso labore veros Germaniæ in ipsa Sarmatia limites conatus est exquirere.

Regionis fines. III. Quot ceterum trans Vistulam Germanicæ gentes habitaverint, paulo dicetur postea; vt tamen fides sit non leuis, non tam ex Germania eo omnes concessisse, quam potius non paucas familias perstitisse ibi, cum reliquarum Germanicarum nationum parentes cis Vistulam sedes maluissent ponere. Roma deinceps imperante infinitis Germanorum Cisuistulanorum migrationibus regiones Transuistulanæ im-
Sec. II. III. pleri, veteresque cognationes visitari cœpere; vnde quidem plerique Germanorum inter Sarmatas habitationes arcessere solent: vt tamen ipse aliter iudicandi mihi videar dignissimam adinuenisse rationem. Porro autem, postquam Roma imperare desiit, per triumphos Germaniæ valde olim ampliatus finis regionis plurimum iam cœpit coarctari. *qui limes irruptione Slauorum postea est ruptus, & vix a Carolo M. restitutus.*
Sec. V. VI. Cum enim effusi in Gallias, in Hispanias, in Pannonias, in Noricum atque Rhætias, in Italiam, in Britanniam, in extremam denique Africam, Germani desertam prope patriam, desertasque prope antiquas sedes, reliquissent; immensa vis Sarmaticorum populorum in vacuefactas cis Vistulam Viadumque ad ipsum vsque Albim, fluvios, sedes immigravit, dubiæque possessionis occupauit solum: tenuitque, Germaniæ nomine hic fere coangustato, donec primus Carolus re-
An. DCCCV. stitueret patriæ limitem antiquum, & peregrinam gentem in suam ditionem & potestatem redigeret.

IV. *Septentrionale* Germaniæ *latus*, immensa terrarum, quas insulas veteres crediderunt, spatia, latissimosque sinus, complexum, OCEANUS vndique ambiit. (*g*) Multa fuere *a septentrionibus Oceanus;*

(*g*) *OCEANUS*, omnium consensu auctorum, Germaniæ in septentrionem finis est. Hoc ambigunt quidam, vtrum ora maris austrum spectans Germaniam finierit, an sinus, insulas & vlteriora complectens? PTOLEMÆUS insulas separare videtur *Lib. II. Cap. XI.* in fine: Νῆσοι ὑπέρκεινται τῆς Γερμανίας. *Insulæ*, inquit, *supra Germaniam sitæ sunt.* Easdem vero & vlteriora rectius includunt TACITUS *Germ. Cap. I, Cetera,* ubi ait, *oceanus ambit, latos sinus, & insularum immensa spatia complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus ac regibus, quos bellum aperuit:* PLINIUS *Lib IV. Cap. XIII.* vbi de Scandinauia loquutus, *incipit inde,* inquit, *clarior aperiri fama ab*

fuere isti Oceano & Germaniam quoquoversus cingentibus maribus cognomina; vt modo vocarentur a regione, quam alluerent, modo a populis, quos finirent, modo etiam a cœli plagis, quas contra protenderentur. *GERMANICI* nomen oceani latissime patuit, omnesque cis Cimbricam chersonesum terrarum oras istud mare adluit. Ex quo vero in vastas terras, Scandinauiam & Finningiam inter Sueuicaque litora, se istud sinuavit mare, *SUEUICUM* dictum est, nec raro *SINUS CODANI*, & ex altera parte *VENEDICI SINUS* nomine venit. Propius deinde ad septentriones vergens oceanus, qua ingenti circuitu extremam clausit Germaniam, *SEPTENTRIONALIS* nominatus est: vt nomina tamen singularia partiretur *MORIMARUSÆ* seu *MORTUI MARIS*, quantum ille a Cimbris ad Rubeas promontorium extenditur, & *CRONII*, *CONGELATI*, *GLACIALIS*, *PIGRI* atque *AMALCHII MARIS*, vltra Rubeas quicquid est oceani. (*b*)

Regionis fines.

variis antiquitus nominibus insignitus.

V. Quo-

gente Ingauonum, quæ est prima inde Germania: POMPONIUS *Lib. III Cap. III, Super Albim Codanus ingens sinus, magnis paruisque insulis refertus est. Hac re mare, quod gremio littorum accipitur, nusquam late patet, nec vsquam mari simile, verum aquis passim interfluentibus ac sæpe transgressis, vagum atque diffusum facie amnium spargitur: qua littora attingit, ripis contentum insularum non longe distantibus, & vbique pene tantundem, vt angustum & par freto: curuansque subinde se longo supercilio inflexum est. In eo sunt Cimbri & Teutoni: vltra vltimi Germaniæ Hermiones.* Quis non intelligit, hic Teutonorum insulas, & maxime vastam Scandinauiam, cuius populum POMPONIUS, quam recte nominatum, non hoc loco cum CLUVERIO disquirimus; *vltimum* vocat Germaniæ, significari. Ceterum Scandinauiam, Finningiam, Nerigonem, Bergos, in insulis habuisse veteres, præter auctorum citata testimonia, habes etiam in PLINIO *Lib. IV. Cap. XIII. & XVI*, in SOLINO *Cap. XXIII.* & omnino in JORNANDE, qui eundem nondum exuerat errorem, *de rebus Geticis Cap. III & IV.*

(*b*) Varia *oceani septentrionalis*, Germaniam ambientis, apud auctores nomina deprehendis. *GERMANICUM OCEANUM* dixere PTOLEMÆUS *Lib. II. Cap. XI*, ὁ Γερμανικὸς Ὠκεανός: MARCIANUS HERACLEOTA *in Peripl.*, ὁ καλούμενος Γερμανικὸς ὠκεανός: PLINIUS *Lib. IV. Cap XVI, In Germanicum mare sparsæ Glessariæ.* TACITUS *de Germ. Cap. XXXVII. Germaniæ sinus.* *SUEUICI MARIS* nomen est apud eundem TACITUM *Germ. Cap. XLV.* *CODANUS SINUS* memoratur a PLINIO *Lib. IV. Cap XIII.* & POMPONIO MELA *Lib. III. Cap. III.* *VENEDICI*

Iquais fuis. V. Quouſque maribus illis circumfuſæ vaſtæ regiones fuerint Germanico nomine complexæ, adeoque terminus ille ſeptentrionalis, quamdiu perſtiterit? difficilis coniectura ægre decidit. Senſim, exiſtimo, ſicque exiſtimandi iuſtam cauſam habeo, pedetentimque Scandinauiæ Cimbricæque cherſoneſi, & inſularum, quæ his terris interiacent, incolas mutaſſe adpellationes, & Germanorum nomine venire deſiiſſe: vnde & denique vocabuli ceſſante vſu, ipſæ regiones communi Germaniæ denominatione excidere. Quod autem contingit in rebus, quæ eueniunt tarde nemineque admodum obſeruante, vt facti facile tempus lateat; id etiam hac in cauſa deprehendimus. Tempore licet itaque indefinito, veri tamen videtur admodum ſimile, per ingentes Germanorum in alias prouincias migrationes hanc nominis Sec. v. accidiſſe viciſſitudinem. Tum enim, cum generatim ipſum Germaniæ atque Germanorum nomen parcius audiretur, quid mirum extremas in ſeptentriones regiones paulatim depo-

non minus tamen deinde coarctatus, & ad littora Cismarina reductus.

SINUS PTOLEMÆUS *Lib. VIII.* meminit. *SEPTENTRIONALIS OCEANUS* vocatur a PLINIO *Lib. IV. Cap. XIX, Ad Rhenum ſeptentrionalis oceanus:* a SOLINO *Cap. XXII,* a TACITO *de Germ. Cap. I.* Septentrionalis tamen oceani nomen longe latius patuit, quam alterum Germanici, vnde PTOLEMÆUS, PLINIUS, MELA, vltra Hiſpanica littora extendunt. Græca nomina habemus apud PLINIUM *Lib. IV. Cap XIII. Septentrionalis oceanus: Amalchium eum Hecatæus adpellat, a Paropamiſo amne, qua Scythiam alluit; quod nomen eius gentis lingua ſignificat congelatum. Philemon Morimaruſam a Cimbris vocari dixit, hoc eſt mortuum mare, vsque ad promontorium Rubeas: vltra deinde Cronium.* SOLINUS *Cap. XXII.* illa paulo obſcuriora illuſtrat; *Occa-num,* inquit, *ſeptentrionalem ab ea parte qua a Paropamiſo amne Scythia alluitur, Hecatæus Amalchium adpellat: quod gentis illius lingua ſignificat congelatum mare. Philemon a Cimbris ad promontorium Rubeas Morimaruſam dicit vocari, hoc eſt, mortuum mare: vltra Rubeas, quicquid eſt, Cronium nominant.* *CONCRETI MARIS* vocabulum PLINIUS *Lib. XXXVII. Cap. II.* adfert; & *PIGRUM MARE* bis nuncupat TACITUS *Germ. Cap. XLV. & Vita Agric. Cap. X.* *GLACIALEM OCEANUM* JUUENALIS *Sat. II. v. 1. & 2.* citat.

Vltra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum.

DIONYSII, FESTI AUIENI, aliorumque de hujus oceani nominibus teſtimonia, ſilentio transmittimus.

depoſuiſſe priſcum Germaniæ nomen? cum maxime nondum careat diſputatione, an ipſi extremæ iſtius telluris incolæ *Germaniæ Germanorumque* cognomenta adoptarint; vtrum vero a ſolis Romanis eo vocabulo fuerint adpellati? Poſtea ſane cum *Normanni* vsque quaque graſſarentur, vix vltra cogitatio ſubiit, Germanos eſſe, quos ſub nomine nouo omnis terra ipſaque maxime propria Germania, infeſtos haberet: certo id argumento, plane tum diſtinctas ſuas a Germania rationes illas prouincias habere cœpiſſe. Succedente demum, hoc vt adiiciam, æuo, vt de Scandinauia ad ius Germaniæ reuocanda nunquam cogitatum eſt; ita ſolus quidem *Codanus ſinus* & *Germanicum mare* verſus ſeptentriones Germaniæ fecere finem: quod vero attinet ad Cimbricam peninſulam, *Eidora* aliquando fluvius ex mutuo imperantium conſenſu eam a Germania diſterminauit. (*i*)

Regionis fines.

Sec. VIII. IX.

An. DCCCXI.

ab occidente Rhenus;

VI. *Occidentalis* Germaniæ terminus ab omni rerum memoria RHENUS exſtitit; conſtans ille Galliæ Germaniæque regionibus, limitibus confiniiſque determinandis, Romano æuo factus finitor. (*k*) Iſtudque Rhenus ſuum munus

ſeruauit

(*i*) Apud Francicos ſcriptores nulla occurrit finium mediæ Germaniæ deſcriptio: vnde, quando Danorum inſulæ & Scandinauia exciderint ex Germaniæ complexione, prorſus ignoratur. Daniæ & Saxoniæ limitem a Carolo M. *Eidoram* amnem conſtitutum eſſe, *Annales Francorum* a NUENARIO & PITHOEO editi, cum ALBERTO STADENSI, *ad annos DCCCX. & DCCCXI,* item ADAMUS BREM. *Lib. I. Cap. XI.* memorarunt. Vid. CONRINGIUS *de Fin Imp. Germ. Lib. I. Cap. IV.*

(*k*) CÆSAR *Bell Gall Lib. I. Cap. I. & II.* Belgas & Heluetios *RHENO* a Germanis ſeparari, idemque alibi pluries, oſtendit. *Idem* maxime *Bell. Gall. Lib. IV. Cap. XVI.* Sigambrorum reſponſum habet: *populi Romani imperium. Rhenum finire.* STRABO *Lib. VII* ineunte: Εὐθὺς τὰ πέραν τοῦ Ῥήνου μετὰ τοὺς Κελτικοὺς πρὸς τὴν ἕω κεκλιμένα Γερμανοὶ νέμονται *Statim trans Rhenum poſt Gallos orientem verſus Germani habitant.* POMPONIUS *Lib. III. Cap. III. Germania ripis Rheni vsque ad Alpes - - - obducta eſt.* TACITUS *de Germ. Cap. I, Germania omnis a Galliis - - - Rheno - - - ſeparatur.* PTOLEMÆUS *Lib. II. Cap XI.* Τῆς Γερμανίας τὴν μὲν δυσμικὴν πλευρὰν ἀφορίζει ὁ Ῥῆνος ποταμός. *Germaniæ latus occidentale Rhenus terminat.* MARCIANUS HERACLEOTA *in Periplo* prorſus idem dicit. SOLINUS *Cap. XXIII. Diues,* inquit, *virorum terra, frequens populis nume-*

Rheni fons. seruauit integrum, qua in Alpibus Lepontiorum ortus vno simplicique fluctu ad inferiora decurrit. Qui vero alueus, vbi ingens flumen bifariam trifariamque scinditur, distinctis temporibus Germaniam finierit, Galliamque separarit; non admodum certe, rem ipsam Romanis scriptoribus silentio dissimulantibus, potest constitui. Me sane opinante, vt Germanorum Romanorumque res præualuere, sic fere hic variatum videtur, vt generatim istic limitem ponere non sit necesse. Quod si tamen placuerit, vtrum alueum Romano æuo constantiorem terminum dicere, medium maxime eligendum esse adseruerim (*l*).

VII. Ceterum, quod constantem Germaniæ terminum Rhenum nominauimus, nihil eo de antiquissima Germanorum, qui adhuc, antequam Romani rerum potirentur, in Gallia Perſæpe a Germanis tentatus.

rosis & immanibus, extenditur inter Hercynium saltum & rupes Sarmatarum: vbi incipit, Danubio, vbi desinit, Rheno perfunditur. CLAUDIANUS *Bell. Get. v. 330. seqq.*

- - - Hercynia confinis Rhætia siluæ.
Quæ se Danubii iactat Rhenique parentem,
Vtraque Romuleo prætendens flumina regno.

Vid. etiam PLINIUS *Lib. IV. Cap. XVII.* DIO CASSIUS *Lib. XXXIX.* TACITUS *Hist. Lib. IV. Cap. XXVI.* SENECA *Quæst. Natur. Lib. I. Præf. Lib. VI. Cap. VII.* HERODIANUS *Lib. II. Cap. IX.* Est in HENRICI BEBELII *commentatione de laude, antiquitate, imperio, victoriisque, veterum Germanorum* singulari capite, nempe II. demonstratum: *Semper Rhenum fuisse terminum Romani imperii versus Germaniam.*

(*l*) Descriptionem Rheni fluuii habebis infra: vbi etiam disputabitur de Rheni alueorum diuerso in auctoribus numero, eiusque causa. Sane, quicquid dubitauerim certum constituere, medium iam Rheni alueum, qui nomen seruat, perpetuum Romano æuo Galliæ Germaniæque finitorem fuisse adseuerabo. Romanum licet imperium in Frisios, & vltra, aliquando fuerit protentum, non saltem limes Germaniæ mutatus, sed prouincia trans Rhenum tentata est. Audi TACITUM, cuius æuo nondum prorsus repulsi Romani a Transrhenanis erant partibus, & reperies tamen, eundem Germaniæ, qui fuerat, mansisse terminum; medium, inquam, Rheni, vbi ingens fluuius scinditur, aluenm. *Hist. Lib. V. Cap. XIX.* (Ciuilis) *diruit molem,* inquit, *a Druso Germanico factam, Rhenumque prono alueo in Galliam ruentem, disiectis, quæ morabantur, effudit. Sic velut abacto amne tenuis alueus,* (medium alueum signari quis non videt?) *insulam inter, Germanosque, continentium terrarum speciem fecerat.* Infra in Batauis copiose argumentum tractabitur,

lia locarunt cisque Rhenum sedes, laude detractum cupimus. *Regionis fines.* Nempe regionis Germaniæ fines describimus, qui Romano fuere æuo: tum vero omnes Germanorum cisRhenum sedes, licet in facti memoriam *GERMANIARVM* nomine insignitæ essent, pars tamen prouinciæ a Romanis habitæ, Galliæque adiudicatæ, adeoque a Germania reliqua separatæ sunt. Mansit vero & durauit ille limes occiduus, si regionem ipsam contuemur, inter mille casus rerumque discrimina diutissime. Quadringenti quidem anni Romano stante imperio effluxere, perque eos de perrumpendo limite a Germanis, de defendendo a Romanis, acerrime decertatum est. Respondit & *denique ruptus,* demum Germanorum votis & ausis fortuna, & quasi destructo aggere, omnis vis populorum Germaniæ in Galliam vicinasque effusa est regiones. SEC. V. Non tamen adeo tum regionis promotum esse limitem, vt Galliæ, Hispaniæque, Germaniæ accesserint, quod essent a Germanis occupatæ, quisquam dixerit. Potius regionis nostræ finem eundem adhuc tum perstitisse, qui ante erat Rheno fluuio notatus, est probabile: quantumuis licet, nam & hoc transeundo memorasse iuuat, ab vsu non prorsus fuerit alienum, vt ipsæ Galliæ, Hispaniæque, nouæ Germanorum prouinciæ, quandoque *GERMANIÆ* vocarentur (*m*). *sed tarde tamen vere productus.* Ast tandem vere fines regionis videntur ad Occidentem vltra Rhenum promoti esse, cum per Francici imperii diuisionem *Austrasiæ* surgeret *regnum*, eidemque adiuncta bona Germaniæ Transrhenanæ pars cum Cisrhenanis Austrasiæ regionibus copularetur. AN. DXIV. Largior de reliquo non ingratiis, confusas aliquamdiu finium hic rationes post

(*m*) GREGORIUS TURON. *Lib. II. Cap. XXV.* Aquitaniam primam & secundam, quam Vesigothi tenuerunt, *geminas Germanias* vocauit. *Idem de Mirac. Confess. Cap. LXXIX. primam Germaniam* Lugdunensem prouinciam; & eandem SIDONIUS APOLLINARIS *Lib. V. Ep. VII. Lugdunensem Germaniam*, quod scilicet a Burgundionibus Germanis teneretur, nuncupauit. Saxones in Britannia a Britannis *Germanici* dicti sunt; haud dubie etiam regio eorum noua *Germania*, vt deinceps *Saxonia* & *Anglia*, BEDA *Hist. Lib. V. Cap. X.*

Iquinis fines. post illud adhuc tempus exstitisse. Sed firmus denique Galliæ Germaniæque finis, isque longe vltra Rhenum in Romanam Galliam traductus, extrema Carolidarum pactione *An. DCCCXLII. & DCCCLXXX.* statutus est: *(n)* qui quidem quam mutuis bellis Germanorum Gallorumque dilatatus sæpe aut coarctatus fuerit, id non huius est commentationis, vt porro enarretur.

VIII. *Meridionalem* Germaniæ terminum indagaturi **A meridie Danubius** a diuersis sollicitamur auctorum veterum sententiis. Sunt qui Rhætos Vindelicosque cum Noricis non sine omni auctoritate in Germanis annumerarunt, *Alpes*que latus Germaniæ superum prætexere censuerunt. Quod tamen scriptores plerique istarum regionum incolas alienigenas esse, aliisque ortos populis, ostenderunt, iam isti opinioni metuo. Cum autem norim, parum curantibus Germanis, cito Cisdanubianas regiones, Romano hic more locorum designatione perfungor, in Romanorum venisse ditionem, partemque prouinciarum esse deinde habitas; non vltra vereor, deserta altera sententia iustiorem amplecti eam, quæ DANVBIVM verum Germaniæ versus meridiem limitem statuit. Huic quippe adsertioni amplissima fauet auctoritas; fauent idoneæ rationes, a gentium peregrinitate, Germanorumque neglectione vicinitatis oppressæ, non incommode deductæ: vt hic adeo terminus, non minus quam reliqui, de quibus vix dum

(n) Regno Austrasiæ condito vere iam Germaniæ limitem ad occidentem productum esse, alibi ducebitur. Anno DCCCXLII. Verduni trifariam Francicum imperium diuisum esse, ideo monemus, quod mediæ partis occidentales limites ipsam demum Germaniam finierint. Namque anno DCCCLXXX. primus Ludouicus, Ludouici Germanici filius, bona Gallorum pace integrum Lotharii quondam regnum occupauit: quod aliquo interposito tempore solennibus pactionibus, sæpe & sæpius repetitis, Germaniæ plene adsertum est. REGINO *ad An. DCCCXLII.* SIGEBERRUS GEMBL. *ad Ann. DCCCXLIV.* ANNALES PITHORANI *ad Ann. DCCCLXXXI* De Ludouici Germanici & Caroli Calui diuisione Lothariensis regni, iam ante facta, qua non minus Germaniæ terminus ad occidentem vlera Rhenum in Galliam erat promotus; vid. REGINO *ad an. DCCCLXX.* SIGEBERTUS *ad an. DCCCLXXI.* APPENDIX AIMOINI, & ipsa ibi formula diuisionis.

vlla lis superest, plene videatur perspectus & exploratus. (*o*) *Regionis fines.*

IX. Verum adhuc nondum Romana cœperat labascere potentia, cum grauissime Cisdanubianis illis prouinciis Germani vicini imminerent, plurimorumque imperatorum exercerent fortitudinem. Cum extremum ab oriente & septentrionibus per memoratas causas Germania fines contraheret; ex hac ad meridiem parte, primo prolato regionis limite, longe lateque explicata, & in *Alpes* vsque protenta est. Tum Alemannis, cumque iis Boioariis, cis Danubium consistentibus, periere prope antiqua regionum nomina, nouis sumtis

Itidem hic ruptus, & satis cito ad Alpes vsque dilatatus.

SEC. II. III.

SEC. IV. V.

(*o*) Ambigue loquitur STRABO *Lib. VII.* ἐξήρτηται ἡ χώρα πρὸς νότον, καὶ συνεχῆ ταῖς Ἄλπεσι ποιεῖ ῥάχιν τινά, πρὸς ἕω τεταμένην, ὡς ἂν μέρος οὖσαν τῶν Ἄλπεων. *Attollitur Germania meridiem versus, ac dorsum quoddam erigit contiguum Alpibus, porrectum in orientem ita, vt videri pars Alpium possit.* Sed, quod Alpium nomen vltra Danubium in Germaniam porrectum esse legitur, & illi ad Danubii ortum montes ipsis ceteris Alpibus quodammodo continuantur, non diuersam STRABONIS putamus fuisse sententiam, quam quæ aliorum, meridionalem Germaniæ limitem Danubium constituentium, exstitit. POMPONIUS autem Agrippam sequutus, cuius opinionem memorauit PLINIUS *Lib. IV. Cap. XIII*, diserte ad Alpes Germaniam produxit, adeoque Noricum, Rhætiamque omnem, in Germania censuit. *Lib. II. Cap. IV. Alpes*, inquit, *vbi Germaniam attigerunt, verso impetu in orientem abeunt:* & manifesto magis *Lib. III. Cap. III*, vbi omnes Germaniæ fines simul percenset; *Germania hinc ripis Rheni vsque ad Alpes; a meridie ipsis Alpibus: ab oriente Sarmaticarum confinio gentium: qua septentrionem spectat, oceanico littore, obducta est.* Idem mox ait; *Amnium* (Germaniæ) *in alias gentes exeuntium Danubius, & Rhodanus - - - clarissimi:* vt facile constet, Rhætos, in quibus oritur Rhodanus, POMPONIUM in Germanis numerasse. Dederit fortassis Agrippæ & Pomponio errorem, quod Norici, Rhætique non valde a moribus vicinorum Germanorum alieni fuerint: vnde & *gentium Semigermanarum* nomine notantur a LIUIO *Lib. XXI. Cap. XXXVIII.* Nos rationes idoneas memorauimus, quæ vtique errationis POMPONII sententiam coarguunt, & TACITUM, aliosque audire iubent. Ille *Germ. Cap. I. Germania*, inquit, *omnis a Galliis, Rhætiis, & Pannoniis, Rheno, & Danubio fluminibus, - - - separatur.* PTOLEMÆUS *Lib. II. Cap. XI*, Τὴν Μεσημβρινὴν πλευρὰν ὁρίζει τοῦ Δανουβίου ποταμοῦ τὸ δυσμικὸν μέρος. *Meridianum latus* (Germaniæ) *terminat Danubii pars occidentalis:* nam pars orientalis extra Germaniam in Pannonias & Moesias dilabitur. Vid. SOLINI *Cap. XXIII.* CLAUDIANI *Get. Bell. v. 330.* supra citata testimonia.

ſumtis a Germanicarum gentium ſedibus cognomentis. Accidit & tum per Germanorum bellicam fortunam, vt libere *Danubius* per Germaniam curreret: quem quidem fluuium ſuæ ditioni adſerere, atque ex vtraque tenere ripa, nunquam Romani, quantumuis licet contenderent, potuerant. *(p)*

CAPUT III.
NOMINA GERMANIÆ ROMANIS SOLENNIA.

I.

FAciet iam ad pleniorem Germaniæ finium hiſtoriam, vt deſcriptos modo intra terminos longe lateque patentem tellurem Romano definiamus more, ſparſimque & inciſim dicta, vna breuique complectamur periodo. Quicquid itaque Romano æuo Belgicam inter & Rhætias, Noricum atque Pannoniam, Romanas prouincias, vaſtamque Sarmatiam, & extremum Oceanum, terrarum fuit interpoſitum; dictum omne id eſt, poſtquam in Galliis inuentum nomen eſſet, ab exteris, præſertim a Romanis, GER-

Intra hos fines regio Germania dicta,

(p) Sæpe Romani gloriati ſunt deuictum Rhenum, fractum & ſubactum Danubium: quibus laudibus pleni ſunt Panegyriſtæ & Poëtæ, maxime, qui ſeriore vixerunt æuo. AUSONIUS *Epigr. III.* prædicat;

Nec Rhenum Gallis limitis eſſe loco.

Idem de Danubio *Epigr. IV.* ad Auguſtos:

Danubius penitis caput occultatus in oris,
Totus ſub veſtra iam ditione fluo.

CLAUDIANUS *de laud. Stiliconis, &* *de Get. Bell.* plurimis in locis vtriusque limitis plenam occupationem item oſtentat: vt panegyricos Conſtantio, aliisque imperatoribus, dictos, transeam. Vere autem nunquam aut Danubium, aut Rhenum, Romani in ditionem redegerunt, ſed in ſolis conſtitere conatibus. Contra Germani, vt raros habuerint virtutis & fortunæ præcones, effecerunt, quod anxie Romani tentarunt, vt integer demum vterque fluuius, & Danubius, & Rhenus, ſub ipſorum ditione flueret.

GERMANIA (*q*). Quale aut vetuſtius regionis iſtius, ſi omnino quoddam ante commune fuit, fuerit vocabulum? quo aut nomine ipſi maiores noſtri patriam ſuam antiquitus inſigniverint? eſt vtrumque id incertum, aut potius plane ignoratur. Infra & quidem de nomine & regionis & gentis, in vtramque diſputabili partem, quædam afferentur: ſed vt nolo dicenda anticipare, nec tum tamen quam coniecturas quicquam polliceri auſim.

Germaniæ nomina.

Varia inter Romanos inuenit cognomenta.

II. Germaniæ autem noſtræ, ad diuerſas eius rationes ſignificandas, varia a Romanis indita quondam ſunt vocabula. Dicta eſt *MAGNA* Germania, vt partim denotaretur vaſta iſtius regionis magnitudo, partim vt ea diſcerneretur a Cisrhenana prima ſecundaque Germania, vtraque Romanorum prouincia (*r*). Conſueuit etiam *TRANSRHENANA* & *TRANSDANVBIANA* vocari Germania; vt indicaretur regionis ſitus, qui Romanarum reſpectu prouinciarum trans vtrumque erat fluuium (*s*). Nos & qui-

(*q*) Quomodo Germaniæ nomen inuentum ſit? habet TACITUS *Germ. Cap. II.* Infra de nomine copioſe inquiretur. Intra memoratos fines regionem omnem *GERMANIAM* dictam eſſe, vno ore omnes auctores teſtantur: TACITUS *Germ. Cap. I.* POMPONIUS *Lib. III. Cap. III.* SOLINUS *Cap. XXIII.* & ceteri.

(*r*) *GERMANIÆ MAGNÆ* nomen habet PTOLEMÆUS *Lib. II. Cap. XI.* ibi in Palatino codice inſcriptio eſt; *Γερμανίας μεγάλης θέσις. Germaniæ magnæ poſitio.* Sane & maior vetuſtiſſima fuit Germania, quam, aut media, aut recentior; quod, quicunque veteris terræ ambitum contenderit cum medii æui aut hodierni rationibus, negabit nemo. Detractis quippe de Germania, integra Scandinavia, Finningia, Dania, atque ad Viſtulam usque Polonia, ampliſſimis regionibus; quæ ei rurſus acceſſere prouinciæ, Noricum, Rhætia, Cisrhenanaque Germania, minime quidem cum priorum magnitudine comparari poſſunt. Vt ſecus vero cenſeant AEN. SYLUIUS *Germ. Cap. II*, & ANDR. ALTHAMERUS *in Taciti Germ. Cap. I.* vterque apud SCHARDIUM *Tom. I*, ita ad eorum confutandam errationem computare tantummodo numeros ſufficit. Conf. CLUUERIUS *Germ. Ant. Lib. I. Cap. XI.* qui de magnitudine veteris Germaniæ accurate præcipit.

(*s*) Primus JULIUS CÆSAR Germanos *CISRHENANOS* & *TRANSRHENANOS* diuiſit. *Lib. VI. Cap. II.* *Quum*, inquit, *videret*, *Ner-*

Germaniæ nomina. quidem opus non haberemus, vt hunc loquendi Romanum morem ſequeremur, cisque & trans Rhenum Danubiumque illud diceremus, quod noſtræ regionis intuitu contrariam dictionem poſtularet. Quod tamen antiquitatem Germanicam illuſtraturi ſolos neceſſe eſt Romanos Græcosque ſcriptores audiamus, confuſionis & obſcuritatis vitandæ ergo, & nos poſt alios maluimus loqui cum Romanis, quam geſtarum rerum ſitus ſcrupuloſe ad noſtram accommodare prouinciam. Appellata denique eſt noſtra Germania a Romanis *BARBARA* & *BARBARIA*: more iſtud Romanorum Græcorumque ſolenni, vt omnes regiones extraneas, elegantiæque morum atque linguæ, ſiue Romanæ, ſiue Græcæ, expertes, arroganter & ambitioſe ad Barbariam referrent (*t*). Quæ nomina deinceps, cum Roma, ſuperbæ adſueta diu

uios & Menapios, adiunctis Cisrhenanis omnibus Germanis, eſſe in armis. Lib. IV. Cap. XVI, Vbii vni ex Transrhenanis legatos miſerunt. Lib. V. Cap. II. Treuiri Germanos Transrhenanos ſollicitare dicebantur. Transrhenanorum Germanorum, variis deſcriptionibus vſus, meminit TACITVS *Ann. Lib. IV. Cap. LXXII Hiſt. Lib. IV. Cap. XV. XXIII. XXVIII. LXIII LXXIII. LXXVI. & Lib. V. Cap. XVI.* CAPITOLINUS *in Maximino Cap. XII. Germaniam Transrhenanam;* CLAUD. MAMERTINUS *Genethliaco Maximiani Cap. VII. Transrhenanam victoriam,* & *Cap. XVI. Transrhenanas expeditiones,* memorant. LIUIUS *Lib. XI Cap. LVIII. Transdanubianam regionem,* inquit, *repetiit;* de Gallis loquutus, quorum pars, poſt ſuorum cladem, trans Danubium in Sarmatiam Germaniamque conceſſerint.

(*t*) Quos primum Græci *BARBAROS* vocare conſueverint, STRABO *Lib. XIV.* de Caria agens, ediſſeruit. Inde omnes peregrini a Græcis barbari dicti ſunt, & Græcis oppoſiti. Oris enim vitium, vt quis craſſo atque difficili ore loqueretur, & noua præcipue ac facta recens aſpere duriterque pronuntiaret, quod primum illo nomine notatum eſt, alienigenarum proprium fere & commune extitit. Romani, Græcos imitati, omnes, qui nec latine, nec græce, loqui nouerant, quique alieni erant a cultu Romanorumque morum elegantia, maxime vero eos, qui ſeruarant libertatem, nec Romani iuris ac ditionis facti erant, item barbaros habuerunt, & vocarunt: quod plurimis auctorum teſtimoniis liceret comprobare. Præcipue autem *Germani* a Romanis ſunt in *Barbarorum* numero habiti; quod *Arſacis regno* adhuc *acrior* erat *Germanorum libertas:* dicente TACITO *Germ. Cap. XXXVII.* Videris inde *BARBARORUM* nomen quaſi proprium Germanorum, apud TACITUM *Ann Lib. XII. Cap. XIV. Hiſt. Lib. IV. Cap. XIII. Germ.*

diu dominationi, triſte Germanorum ſubire iugum coacta eſſet, paſſim periere & cœpere antiquari: cum maxime ipſum Germaniæ vocabulum generale deſineret valde audiri, & prope a cognomentis patriæ ſuccedentibus abſorberetur.

CAPUT IV.

GERMANIAE NATIONIS FINES.

I.

Fines nationis vix certi conſtantesque in alieno manent.

COmmemoratis hactenus ſoli patrii, vt illud Romani ſuo putarunt æuo, finibus, ad deſignandos ipſius GERMANICÆ NATIONIS FINES, qui vtique antiquiſſimo iamdum æuo longe quam regionis limites fuere porrectiores, nos noſtrum vocat protinus inſtitutum. Equidem cum ſatis accurata finium regionis deſcriptione fuerimus perfuncti, non quisquam parem nunc vbique in inueniendis Germanicarum ciuitatum quoquouerſus diffuſarum limitibus accurationem a nobis exſpectet. Recte nimi-

Cap. XVIII. MARTIALEM *Lib. VII. Ep. IV.* AUSONIUM *Edyll. VII.* & plurimos alios. Germaniam bis *BARBARIAM* vocauit NAZARIUS *Paneg. Conſtantini Cap. XVIII. Bellicum ſtrepunt nomina & immanitas Barbariæ in ipſis vocabulis adhibet horrorem:* & mox; *o vere cæca Barbaria, quæ in illo vultu ſigna principis non videris.* Et idem iterum *Cap. XXXVII.* ait: *Armis veſtris contuſa barbaria.* Et *Cap. XXXVIII. iacet,* inquit, *in latere Galliarum aut in ſinu ſuo fuſa barbaria.* CLAUDIANUS *Lib. II. in Rufin. v. 78 Barbariem* Getarum patriam nominavit. EUTROPIUS *Lib. VII. Cap. V.* Druſi victoriam deſcribens, *Germanorum,* inquit, *ingentes copias cecidit: ipſos quoque trans Albim fluuium ſubmouit, qui in Barbarico longe vltra Rhenum eſt.* AMMIANUS *Lib. XVIII. Cap. IV.* de Alemannia, *ponte conſtrato ſollicitarum gentium opinione præuenta, uiſus in Barbarico miles. Barbaricum ſolum,* Germaniam, & *Barbaricam prædam,* ex Germania captam, nuncuparunt porro A. VICTOR *Epit. de Decio,* & VOPISCUS *in Probo Cap. XIII.* Rurſus infra de Barbarorum nomine dicendum eſt; quo remittimus lectorem.

Nimirum fines. nimirum illi grauissimi auctores, cum Plinio Tacitus, dum nationis nostræ ab oriente fines vellent designare, non fluuios quosdam montesque nominarunt, sed mutuum metum & solum Sarmaticarum gentium confinium; non illi ignari, possessionum, aut in alieno vi occupatarum, aut contra vim hostilem inibi defendendarum, vix constantes stabilesque vnquam posse determinari metas. Siue enim a nouis hospitibus ampliari insessas sedes; siue ab irruentibus hostibus de parte nouæ possessionis peregrinos deiici iterum atque remoueri: Suppetet tamen, nequicquam difficultatibus obstantibus, ad qualemcunque nobis nostri negotii confectionem, apta distinctio inter antiquiores Germanicarum quarundam ciuitatum apud exteros populos sedes; tumultuariasque excursiones, quas succedens vidit æuum; & illas demum ingentes propioresque Germanicorum populorum migrationes, quibus integrum conuulsum est & conculcatum Romanum imperium, nouaque quasi Europæ prouinciis, illustrioribus passim regnis a Germanis conditis, data est facies. Ratio illos fines dignoscendi. Illis namque populis, qui antiquitus in alieno consedere solo, commode quidam fines poterunt designari, & a nobis etiam designabuntur. Quæ successere tumultuosæ & turbulentæ incursiones, nullam prorsus, præterquam vt indicentur, finium admittent, nec exspectabunt omnino descriptionem. Quid enim quæso illa mutabilitatis rerumque humanarum inconstantiæ præcipua exempla ista cura indigerent, minimeque successura diligentia? Postquam vero integræ prouinciæ a Germanis sunt occupatæ, licet tam maxime nationis fines quam amplissime fuerint prolatati; sufficiet tamen acceptas prædæ loco regiones tantum nominasse, non vltra eas definiisse, Germanicam nobis, non ceterarum Europæ prouinciarum, geographiam hic molientibus.

II. Ab *Oriente* itaque trans *VISTULAM*, Eoum Germaniæ limitem, præcipue Germanica natio amplissimas anti- Ab oriente in Sarmatia con-

 quitus

Bastiarnis egere Bastarnæ; Nationis fines. quitus compleuit regiones. Statim post illum fluuium BASTARNAE, validissima gens, habitarunt, & omnem inde soli tractum ad Carpates montes, ad amnem Tyram, ad Euxinum vsque Pontum, coluerunt; a Sarmatis mutuo, credo, metu & suis circumcirca discriminati armis. Quam & ingens fuerint Bastarnæ populus; quot & in ciuitates, diuersaque diuisus nomina; tum dicetur, cum gentis a me historia memorabitur. Hoc vnum non pigeat repetere, per manifestas nobis causas, ex iis videri Bastarnas cum parte Geticarum ciuitatum gentibus, quæ non tam processerint in Sarmatiam ex Germania, quam antiquissimo illorum ortu, qui fortassis constiterint in primo itinere, fuerint generati. Ex illis autem GETICIS ciuitatibus primum, Germaniæque propius, *Dacia* fuit celebre *regnum*, quod ad Traiani Imperatoris æuum, supra Carpates montes ad Istrum vsque, & a Tibisco amne ad Tyram protentum, floruit. Fuere ex illis *Getæ proprii*, post Dacas cum Peucinis, & inter eos, cis Istrum, & trans eum iam iam desiturum, latis strati regionibus. Fuere imo, cuius adsertionis nostræ reddemus infra idoneas rationes, remque totam ab initio ad calcem exponemus, ex istis Geticis gentibus & *Massagetæ*, & *Sacæ*, *Dahæ* quæ, locis longe dissitis in Scythiam vsque diffusi Asiaticam. Infra denique Bastarnas, extrema Germanorum trans locatorum Vistulam & indubia ciuitas, AESTII latissimis tenuerunt statim ab illo fluuio ad omnem Germaniæ sinus oram sedes. Et tantum est, quod constantiores antiquioresque Germanorum extra solum patrium in Sarmatia regiones, regionumque fines, nouimus (*v*).

Geticæ ciuitates;

Aestii.

III. Eo-

(*v*) Omnium harum nationum in Sarmatia sedes copiose suo loco illuminabuntur, vt anticipatione tractationis hoc quidem loco minime opus sit. Vid. tamen de Bastarnis PLINIUS *Lib. IV. Cap. XIV.* TACITUS *Germ. Cap. XLVI.* De Getis POMPONIUS *Lib. II. Cap. II.* SOLINUS *Cap. XVI.* de Aestiis TACITUS *Germ. Cap. XLV.*

Meinis fen. III. Eodem vero ad orientem ex Germaniæ latere, mirum, quot passim, succedente præsertim paulum ætate, Germanicæ eruperint, Sarmatiamque, eique adiacentes prouincias, peragrarint gentes. Et quidem, si audiremus plures, dicendum erat, & Bastarnas, & ciuitates Geticas, & Aestios, omnes quondam patriam migrasse terram, & concessisse in Sarmatiam; nec contra illam sententiam prorsus repugno, licet Geticarum quarundam civitatum & Bastarnarum diuersa quodammodo mihi videatur origo statuenda: illos tamen populos nominaui ante, quam ceterorum persequerer migrationes, quod, licet migrationem olim egissent, ignotæ tamen omnino sunt istarum migrationum rationes; & quod finibus eorum circumscribi potuere sedes, cum contra tumultuariarum possessionum nulla superet definitio. Primi autem eorum, de quorum abitu ex Germania certo constat, fuerunt CIMBRI & TEVTONI, longe diuque vastam peruagati Sarmatiam, priusquam in Romanas facerent impetum prouincias; longusque eorum furor, Oratore quodam dicente, in Mario staret imperatore (*x*). Memorant alii, nisi antiquiores, saltem æque vetustos, GETARVM & GOTHORVM ex Scandinauia discessus, & in Sarmatia accessus: indeque aiunt vetustissimas Geticas in vtraque Scythia satas esse ciuitates (*y*). Quod tamen largior, vnam videri Gothos Getasque

[Margin: Ex eodem ad orientem latere passim in vicinias prorupere, non tamen certis sedibus positis.]

[Margin: Cimbri & Teutoni;]

[Margin: An. V.C. DCXLIII. DCLIII. Ant. C.N. CVIII. XCVIII.]

[Margin: Getæ quidam & Gothi antiquiores;]

E 2

(*x*) PLUTARCHUS *in Mario*. FLORUS *Lib. III. Cap. III.* & plurimi auctores alii, migrationem Cimbrorum & Teutonorum descripserunt. QUINTILIANUS *Declam. III. Gens*, inquit, *maiorem terrarum partem victoriis peruagata, tantum in Mario stetit.* In Sarmatiam primum Cimbros Teutonosque migrasse, & ad Mæotim usque paludem penetrasse, præsertim cum fabulis Græcorum, inde natis, edisserit STRABO *Lib. VII.*

(*y*) IORNANDES *Rerum Geticarum* scriptor, plenus, quod omnes fatentur, fabularum, primus Getarum, Gothorumque, ex Scandinauia egressum, & in Sarmatiam antiquissimam migrationem, ex auitis, quod perhibet, memoriis descripsit. Hunc sequuti recentiores mira fingendi licentia grassati sunt, & nescio quas distinctas migrationes, & quot insignia veterum Gothorum imperia, testibus, ad quæ prouocant, suis carminibus, bonæ suppo-

tasque gentem, & vtramque Germanico vindicandam sanguini; non ita censeo certam esse & euictam antiquissimæ Geticæ gloriæ, quam multi ostentant, commendationem, vt ea probandæ Getarum, Dacarum, Massagetarumque, possit sufficere origini. Sed certiores fuere GOTHORVM per omnem Sarmatiam seculo fere tertio, & deinde porro, frequentati discursus: (z) at ii non minus, si migrationis spectaueris initium, & vnde cœperit, in variam, quod alio declarabimus loco, adducti dubitationem. Ceterum Gothis adiuncti socii, *HERVLI, RVGII, BVRGVNDIONES*, aliique Germanici populi, cum iis non tantum egere in Sarmatia, passimque ibi crebra, tanquam tempestatum, sic ipsi expeditionum commutatione, modo occuparunt regiones, modo mutarunt, modo alias perturbarunt; sed & iidem in Macedoniam, in Græciam, in Thraciam, in ipsam omnino Asiam infestis sunt delati armis, Romanorum vbique gauisi bonis (*a*). Post Gothos & VANDALI pererrasse Sarmatiam, & a Romanis demum ipsis sedes in Thracia accepisse, memoratum legimus (*b*). Et hoc non silendum hoc est loco, ipsos FRANCOS a Probo Imperatore abductos esse in Thraciam, partesque accepisse agrorum; hos tamen præclarissimo edito facinore cito peregrinum deseruisse solum,

Nationis fines.

Gothi recentiores;

Sec. III. IV.

Vandali;

An. CCLXXX.

Francorum pars.

fuerunt antiquitati. Quam parum autem istis narrationibus debeatur fidei; quis non agnoscit?

(z) Omnis historia a Gordiani æuo plena est impressionum, quas Gothi in Romanas fecerunt prouincias, memoriæ. Quæ nati Gothici fœderis sit ratio, quæ occasio? infra copiose exponetur.

(*a*) Ex Bastarnis Carpi, ex ceteris Germanis Heruli, Rugii, atque Burgundiones, in Gothorum exercitibus & societate ab auctoribus monstrantur. Vid. ZOSIMUS *Lib. I. Cap. XXV. seqq.* TREBELLIUS POLLIO *in Galliено.* Idem *in Claudio Cap. VI.* FL. VOPISCUS *in Aureliano.* PROCOPIUS *Goth. Rer. Lib. II, Vandal. Rer. Lib. III, multique alii passim.*

(*b*) Vandali cum Burgundionibus crebro in Gothis numerantur ab auctoribus, quos modo laudavimus. Dedit Vandalis sedes Probus, quod habet FL. VOPISCUS *in Probo Cap. XIIX*, sed omnes fidem fregisse, plurimumque molestiæ Romanæ gloriæ intulisse, adiicit.

solum, domumque miranda peruectos nauigatione reuertisse (c).

IV. Ad hunc igitur modum longissime modo certis & stabilibus, modo tumultuariis, prouinciarum possessionibus nationis Germanicæ fines prolati; quinto tamen circiter seculo, vt illi regionis limites, prorsus sunt contracti, variisque casibus alio inclinati. Ingens *Vandalica* in Gallias Hispaniasque expeditio Vandalorum vacuauit sedes. Post eam *Gothicæ* migrationes in Italiam, deinde in Galliam & Hispaniam, Gothicas Geticasque ab oriente ciuitates ad occidentem auocarunt. Cum Gothis autem, aut si mauis cum Vandalis, *Bastarnas* abiisse, vacuasque suas fecisse regiones, statuatur necesse est. Jam ante enim perdito prope suo nomine cum Gothis militasse Bastarnas legimus, & cum iisdem sociis suum demum eos migrasse solum, postquam ipsorum nomen audiri desiit, est probabile. Soli deinde *Aestii*, quod certo scimus, antiquis suis in regionibus perdurarunt, & fecere,

Sec. V.

Finis nationis orientalis ingentibus migrationibus Germanorum contractus est; paucis tantummodo inter Sarma-

E 3

(c) Zosimus *Lib. I. Cap. LXXI.* Καὶ Φράγκων τῷ βασιλεῖ προσελθόντων, καὶ τυχόντων οἰκήσεως, μοῖρά τις ἀποστᾶσα πλοίων εὐπορήσασα, τὴν Ἑλλάδα συνετάραξεν ἅπασαν. Καὶ Σικελίᾳ προσσχοῦσα, καὶ τῇ Συρακουσίων προσμίξασα, πολὺν κατὰ ταύτην εἰργάσατο φόνον. ἤδη δὲ καὶ Λιβύῃ προσορμισθεῖσα, καὶ ἀποκρουσθεῖσα, δυνάμεως ἐκ Καρχηδόνος ἐπενεχθείσης, οἷά τε γέγονεν ἀπαθὴς ἐπανελθεῖν οἴκαδε. *Cum Franci ad imperatorem accessissent, & ab eo sedes obtinuissent; pars eorum quædam defectionem molita, magnamque nauium copiam nacta totam Græciam conturbauit. In Siciliam quoque delata, & Vrbem Syracusanam adorta, magnam in ea cædem dedit. Tandem cum & in Africam adpulisset, ac reiecta fuisset, adductis Carthagine copiis; nihilominus domum redire, nullum passa detrimentum, potuit.* Eiusdem præclari Francorum facinoris, quod sero æuo multarum fortassis fabularum Francicis auctoribus occasionem suppeditauit, nouum testem Eumenium *Paneg yr. Constantii Cap. XIIX.* adducere non piget. *Recursabat quippe,* ille inquit, *in animos illa sub diuo Probo & paucorum ex Francis captiuorum incredibilis audacia, & indigna felicitas, qui, a Ponto vsque correptis nauibus, Græciam Asiamque populati, nec impune plerisque Libyæ littoribus appulsi, ipsas postremo naualibus quondam victoriis nobiles ceperant Syracusas, & immenso itinere peruecti oceanum, qua terras irrupit, intrauerant: atque ita euentu temeritatis ostenderant, nihil esse clausum piratica desperationi, quo nauigiis pateret accessus.*

tasGermanicis eiuitatibus relictis;

Nationis fines.

cere, vt extra verum Germaniæ limitem ab oriente etiam persisteret Germanici nominis gloria (*d*). Fortassis etiam, quod tamen ponitur, non plene probatur, aliæ Germanicæ ciuitates, aut ex Gothis Gepidisue, aut ex Bastarnis Vandalisque, posito suo nomine seruatis autem institutis, moribusque Germanicis, & patria simul lingua custodita, in Sarmatia permanserunt: vt inde commode possit explanari, cur medios inter Slauos semper gentes quædam Germanicis imbutæ moribus, linguamque callentes nostram, repertæ fuerint. Ceterum vacuefactas a Germanicis ciuitatibus ingentes regiones Sarmatici populi, *Venedi*, *Slauique*, statim insedere: iidemque cum vastæ Albim inter & Vistulam prouinciæ non minus per maximas Germanicarum gentium migrationes exhaustæ essent, desertæque prope iacerent, perrexere vlterius, & factam diu magnæ patrii sui soli partis per Germanos possessæ iacturam, reciproca magnæ Germaniæ partis occupatione, nihil scilicet istud tum temporis Germanis, ad lautiores occupandas prouincias passim intentis, curantibus, compensarunt (*e*).

ceteris Germanorum sedibus a Venedis Slauisque infessis.

Sec. V. VI.

Ad septentriones fines regionis & nationis antiquitus iidem fuere.

V. *Ad septentriones* ipsam Transmarinam Germaniam, quam est lata & ampla, omnes antiquitus occupasse regiones, superiore loco ostendimus. Nationis itaque Germanicæ nouos extra regionis fines velle hic limites inuestigare, frustra foret

(*d*) Migrationum quoquouersus a Germanicis gentibus susceptarum defunctorie modo hic meminimus, adeoque, qua probentur, auctoritatem, alii loco commodius reseruamus. Aestii in Sarmatico solo, postquam iam omnes reliqui Germani illud vertissent, semper durarunt; testibus JORNANDE, THEODORICI *epistola apud* CASSIODORUM, & EGINHARDO *in Vita Car. M.*

(*e*) Nihil magis in historia certum est, quam Slauos Venedosque in desertas a Germanis Sarmaticas regiones inuasisse, posteaque etiam penetrasse in orientis Germaniam, & a Vistula ad Albim vsque locasse sedes. Facti etiam occasio facile patet; namque ingentibus migrationibus exhaustæ erant Germaniæ terræ, paucique facti reliqui non sustinendæ Venedorum vi sufficiebant. Sed tempus occupationis est maxime incertum, & ipsa Venedicæ expeditionis historia a nullo coæuo auctore exposita. Jam quinto exeunte, sextoque coepto seculo, Venedos inuasisse in Germanos, ex JORNANDE colligitur, qui *facientibus peccatis vbique eos desæuire*, in Geticis rebus memorauit.

Naturæ fines. foret operam sumere; cum supra Germaniam extremam immensus & inaccessus olim, vt ita dicam, oceanus naturam finierit (*f*) Postquam autem ingentes illæ a Germania separari cœperunt regiones, & patriæ nostræ heic constringi fines; verum vtique tum est, extra Germaniæ proprios limites tunc Germanos habitasse: Germanici enim sanguinis generisque Scandinauiæ & insularum incolas esse, nemo adhuc dubitauit. Primum tamen non nisi antiquioris æui acta nos moramur: deinde cum de Scandinauiæ, insularumque chersoneso Cimbricæ adiacentium, populis, in propria olim Germania adnumeratis, nos infra dicturi simus, ex eo etiam capite duplicato labore nobis non opus est.

VI. ***Ad occidentem*** ab æuo vetustimo longe supra *RHENVM*, celebrem illum Germaniæ limitem, natio Germanica diffusa fuit. Iam ante Romanorum in *Gallias* aduentum insignis vis populorum Germaniæ pertransiit Rhenum, & vicinam expugnauit Galliam. Sedes inde Germanorum Cisrhenanæ, quanquam a Romanis in ditionem redactæ sunt, a gente tamen seruarunt GERMANIARVM cognomentum: & enim cis Rhenum in parte Germanicorum populorum cœpit nomen Germanorum primum, & inde denique ad reliquos omnes translatum est (*g*). Termini vero fuerunt Cisrhe-

Ad occidentem fines nationis antiquissimi dedere nomen Germaniarum;

Ant. C.N. Sec. II. circiter.

(*f*) TACITI *Germ. Cap. XLV.* verbis vtor. Hic, *Trans Suionas*, inquit, *aliud mare pigrum ac prope immotum, quo cingi claudique terrarum orbem fides.* Mox; *Illuc vsque, & fama vera, tantum natura.*

(*g*) Germani plurimi ab omni memoria cis Rhenum coluerunt. Batauos, Treueros, Triboccos, Neruios, Menapios, Eburones, Cæsar in Gallia reperit; nec eorum aduentus, quippe iam valde antiqui, vllam mentionem fecit. Paulo autem ante Cæsaris æuum Ariouistus, Sequanorum inductus inuitatione, nouam Germanorum manum in Galliam duxit: quæ vero tempore aliquo interiecto Cæsaris virtute deleta est. CÆSAR *Bell. Gall. Lib. I. Cap. XXXI. & LIII.* A Germanis possessoribus nomen prouinciæ, licet a Cæsare debellatæ, Germaniæ inditum est. Bene DIO *Lib. LIII.* rem exponit: Κελτῶν τινες, οὓς δὴ Γερμανοὺς καλοῦμεν, πᾶσαν τὴν πρὸς τῷ Ῥήνῳ Κελτικὴν κατασχόντες Γερμανίαν ὀνομάζεσθαι ἐποίησαν, τὴν μὲν ἄνω, τὴν μετὰ τὰς τοῦ ποταμοῦ πηγάς. Τὴν δὲ κάτω, τὴν μέχρι τοῦ Ὠκεανοῦ τοῦ Βρεττανικοῦ οὖσαν. Hoc est: *Celtæ quidam, quos Germanos vocamus, quum omnem Celticam*

Nationis fines. rhenanæ Germaniæ, a pluribus diuerſeque nominatis ciuitatibus habitatæ, *Oceanus Germanicus* ad ſeptentrionem, qua Batauos & Toxandros alluit; *Scaldis* fluuius ad occidentem, & pauca ſui parte *Moſa*, qua Arduennam peruadit ſiluam. Ad meridiem *Vogeſus* mons Triboccos a Sequanis, eosdemque deinde cum Nemetibus & Vangionibus a Mediomatricis diſcluſit. Ab oriente demum idem **Rhenus**, Galliæ Germaniæque finitor perpetuus, Cisrhenanam Germaniam a Magna & Barbara diſterminauit *(b)*.

Vtraque mare prolatati ſunt in extremam Britanniam. VII. Rurſus ad nationis Germanicæ ex hoc occidentali latere fines noſcendos pertinet, incerto tempore Germanicam quandam ciuitatem nauibus in *Britanniam*, quam Romani vocarunt Barbaram, & quam nos Scotiam adpellamus, delatam, amplisſimum ibi regnum condidiſſe, illudque ad ſeriſſimam usque ætatem defendiſſe. Dicti fuere illi Germani, Britanniæ potentioris Domini, CALEDONII; rutilas enim horum comas, magnosque artus, Germanicam adſeuerare originem, iam ſuo æuo Tacitus teſtatus eſt, eique vetu-

regionem, quæ ad Rhenum eſt, occupasſent, effecerunt, vt ea Germania vocaretur; ſuperior, quæ Rheni fontibus propior eſt: inferior, quæ ab hac vsque ad oceanum Britannicum ſe extendit. Nomen hoc Germaniæ Auguſti iam ætate Cisrhenanæ prouinciæ datum eſſe, ex multis TACITI aliorumque auctorum teſtimoniis manifeſtum eſt. TACITUS *Ann. Lib. III. Cap. XLI. Lib. IV. Cap. LXXIII.* De ipſo Germaniæ nomine cis Rhenum inuento, vid. TACITUS *Germ. Cap II.*

(b) CÆSAR, PLINIUS, TACITUS, ceterique auctores, quos olim producemus, hos Cisrhenanorum Germanorum fines nos ſatis docent. De Rheno atque oceano dubium non eſt. Scaldim diſerte PLINIUS *Lib. IV. Cap. XVII* Germanorum adverſus occaſum terminum ponit. De meridiano limite infra inquiremus. Notandum vero, hiſce finibus circumſcribi Germaniam, qua Germanos Cisrhenanos complectitur. Qua Romanorum arbitratu a Belgica Cisrhenana Germania diuiſa eſt; ſciri debet, Neruios, Succonos, Bethaſios, & duas Treuerorum partes, in Belgicam eſſe imputatos; pauloque adeo diuerſos limites fore ſtatuendos. Vid CLUUERIUS *Germ. Ant. Lib. II. Cap. XXXVII. De finibus Germaniæ Cisrhenanæ.*

Nationis fuit. vetuſtisſima illius nationis hiſtoria ipſa adſtipulatur (*i*). Præter antiquiores autem pacataſque Belgicæ Caledoniæque poſſesſiones, quas Germanis noſtris adſeruimus, ſequente deinceps ætate, Romana ſtante adhuc dominatione, miris ſe modis Germani ex hac ſuæ patriæ parte iactarunt, pericula Romanis, ceterarum ad occidentem prouinciarum dominis, grauisſima intenderunt, formidineſque mille oppoſuere. Primo ſeculo ſecundoque modo *FRISII*, *BATAVI*que, modo *CHERVSCI*, *BRVCTERI*, *CHAVCI*, modo *CATTI*, aliæque Germaniæ gentes, in vicinam prorupere Galliam, longeque lateque hoſtile ſolum depopulati ſunt. Tertio deinde quartoque ſeculo validiori vi atque impresſione *FRANCI*, *ALEMANNI*, atque *SAXONES*, Romanorum in Gallia res ſunt conati euertere. Franci iamdum inferiori ſuperato Rheno in Hiſpaniam vsque peruenere, omnemque vniuerſe Galliam intutam reddidere. Ab Alemannis ſuperiori Rheno adiacentes regiones non ſimplici vice vaſtatæ ſunt occupatæque. Saxones vero, vt terram Franci Alemannique omnem, ita illi quamlibet maritimam oram vexarunt & diripuerunt

Sequutæ ſunt variæ in Hesperias prouincias Germanorum incurſiones;

Sec. I. II.

Sec. III. IV.

(*i*) TACITUS *Agricolæ Vita Cap. XI.* *Rutilæ*, inquit, *Caledoniam habitantium comæ, magni artus, Germanicam originem aſſeuerant.* Haud vero dubie hoc TACITUS non ex coniectura ſolum, ſed & ex incolarum memoriis, accepit. Adſenſionem domeſticæ Anglorum hiſtoriæ, quantum attinet ad Caledoniorum originem, habes apud CAMDENUM *in eius Britannia.* Ipſos Brittos quidam Germanorum ſatu ortos exiſtimant. Maritimas etiam oras a Belgis inſeſſas eſſe CÆSAR *Bell. Gall. Lib. V. Cap. XII.* & TACITUS *Vit. Agr. l. cit.* teſtantur; qui Belgæ forſitan ex Germanicis fuerint. SCHEDIUS *Syngr. de Diis Germ.* hanc Britannorum Germanicam originem, & GOR. BECANUS *in Goto-Danicis Lib. VII. pag. 759.* eorundem Danicos ortus, defendit: hic poſterior *Bri-Daniam*, quaſi *FreyDanien*, putat Britanniam nominatam eſſe. Conf. ROB. SCHERINGHAMI *de Angl. gentis Orig. Cap. I.*

runt (*k*). Sed vsque eo tamen, si memoratam supra Gallici soli a Germanis captam possessionem exceperis, intra conatus tantum hic stetere maiora eorum molimenta, non ante plenum consequuta exitum, quam Romani internecionem imperii fata designassent. *Nationis fines.*

quæ Seculo demum V. omnes Germanis cessere prædæ; VIII. Enimuero nusquam fines Germanicæ nationis augustiores fecere progressiones ad nobilissimarum possessionem prouinciarum, quam cum occidentali Germaniæ termino, ægre diu defenso, non iam amplius Roma, suis vicina fatis, protegendo sufficeret. Primi tunc VANDALI, SVEVI, ALANI, SILINGIque, mouerunt in Galliam, istaque prouincia cædibus impleta atque rapinis, contenderunt in Hispaniam; quæ misera regio prædæ harum gentium destinata erat. Longe inde diuque peragrata omni Hispania, infestis inter se armis ipsi hi populi magna Hispanorum calamitate commissi sunt, & de stabili agrorum possessione decertarunt. *Vandali* inde, ipsis vocantibus Romanis, traiecere in Africam, validumque ibi constituere regnum. *Sueui* Lusitaniam bonamque occuparunt partem vicinæ Hispaniæ, ceteris per Gothos superuenientes, qui & ipsos, & *Alanos* maxime *Silingos*que, felicibus petierant armis, exclusi agris. Hi GOTHI tum, cum Vandali Sueuique mouerent in Galliam & Hispaniam, ruptis claustris Alpium in Italiam penetrauerant, iamque binis vicibus vrbem orbis dominam expugnarant. Facta tamen

SEC. V. AN. CCCCVI. AN. CCCCXXVII. AN. CCCCXVII. AN. CCCCIX.

(*k*) Anteoccupantur hæc historica momenta, vt rectius de Germanorum in Germanas prouincias eruptionibus hoc loco, vbi nationis diuersus fines declaramus, constet. Auctoritatem quærere conuenit in ipsa Germaniæ antiquæ historia; partim & infra, vbi de populis agetur. AMMIANUS, EUTROPIUS, HERODIANUS, omnesque historiæ Augustæ scriptores, innumeris locis illas Germanicas excursiones describunt.

Nationis tamen cum Honorio pactione Athaulphus rex eos in Galliam
fines. deduxit Narbonensem; primum vbi eorum stetit regnum,
An.
CCCCXI. quod decursu temporis, ipso denique Sueuico destructo regno, omnem Hispaniam complexum est. Inter hæc iam
An. BVRGVNDIO ad Rhodanum fluuium regnum celebre
CCCCVI. erexerat; ALEMANNVS primam occuparat Germani-
An. am: FRANCVS etiam per secundam Germaniam illa-
CCCCXL. tis armis potiundi Galliarum auspicatum initium fecerat. Hic & postremus populus & Vesigothi beatiores fuere ceteris ciuitatibus. Destructo enim Alemannorum principatu, pulsis deinde ex Gallia Gothis, Burgundico proxime in ditionem redacto regno, *Gallias* omnes complexum est *regnum Francicum*; non secus ac *Hispaniarum Gothicum* potitum erat. Sic *Gallia*, *Hispania*que, Hesperiæ Romanorum prouinciæ a Germanis interceptæ, suo iure GERMANIARVM augustum meruere nomen. Quæ *suo iure*
tamen supererat *Britannia*, & ipsa digna, quæ a Germanis *Germa-*
tentaretur, nouissime auxit Germanicæ nationis fines, & *niarum augusto*
ipsa accessit Germaniis; Romana iam Britannia, vt anti- *vocabulo*
An. quitus Barbara, ab ANGLIS SAXONIBVSque eo- *subinde*
CCCCXLIX. dem, quo sunt cetera gesta, seculo obsessa atque occu- *notatæ.*
pata (*l*).

(*l*) De omnibus hisce seculi V. migrationibus vid. ZOSIMUS *Lib. V. & VI.* PROCOPIUS *de Bell Vandal. & Goth.* OROSIUS *Lib. VII. Cap. XXXVI. seqq.* PROSPER AQUIT. *in Chron.* BEDA *Lib. I. Hist. Eccl. gent. Anglorum Cap. XV.* SALUIANUS *Lib. VI. de Gubern. Dei.* Optime occidentalium regionum cladem, quam Germanorum migrationes attulere, & qua ex quasi in Germaniam sunt translatæ, ipsa hac descriptione usus, designauit HIERONYMUS *Epist. XI. ad Acheruchiam Viduam. Innumerabiles*, inquit, *& ferocissimæ nationes vniuersas Gallias occuparunt. Quicquid inter Alpes & Pyrenaeum est, quod Oceano & Rheno concluditur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Sipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, &, o lugenda respublica, hostes Pannonii vastarunt! Mogontiacum nobilis quondam ciuitas capta atque subuersa est, & in ecclesia multa hominum millia truci-*

Ad meridiem Gallia Cis-Alpina fines nostræ designat nationis antiquissimas.

IX. *Meridianus* Germaniæ limes superat dispiciendus, cum & hoc ex latere non tantum sera demum ætate, sed antiquitus omnino, Germanica natio possessionum fines protulerit. Prouoco primum ad CISALPINAM GALLIAM, quæ, si multa largior, non tam a solis Gallis Cisrhenanis, quam præcipue etiam a Transrhenanis, primo puerascentis adhuc Romæ æuo infessa est, nouisque subinde impleta coloniis. Fuit inde æterna Romæ adolescentis hæc Cisalpina Gallia æmula, adeoque illam bellis exercuit, vt pro salute non raro Romanis bellare necesse esset. Postremum hæc quidem Gallia Romani imperii facta pars est; attamen, si excipias Boios, ceteri Galli & Germani tutam lautissimæ in Italia regionis possessionem retinuerunt. Eorum vero illic fines & termini fuere, ab oceano & ad inferum mare *Varus* fluuius, Liguriam a Narbonensi distinguens Gallia; ex Illyrici parte *Arsia*, paruus peninsulæ Istriæ fluuius; mediæ respectu Italiæ ad Adriaticum mare amnis *Rubico;* & ipsæ ad Septentriones *Alpes*, sic tamen, vt in iis incertiores fuerint fines, nec potuerit determinari distincte, quæ fuerint citerioris aut vlterioris Galliæ, aut etiam Rhætiæ, Noriciue (*m*).

Nationis fines.

An. V. C CXLIII. Ant. C. N. DLXXXVIII.

Grauibus deinceps incursionibus ex

X. Vt de *Rhætia Noricoque* dicere pergamus, postquam eæ prouinciæ in Romanorum venissent ditionem, maxi-

data. Vangiones longa obsidione deleti. Remorum vrbs præpotens, Ambiani, Atrebates, extremique hominum Morini, Tornacus, Nemetes, Argentoratus, translati in GERMANIAM - - - Ipsa Hispania iam iamque peritura contremiscunt. Roma vitam auro redimit.

(*m*) Historia Galliæ Cisalpinæ constitutæ est in LIVIO *Lib. V. Cap. XXXIII. seqq.* Varia inde bella, cum Romanis a Gallis administrata, scripserunt POLYBIUS & LIVIUS. Fines Gallorum Cisalpinorum, & Cisalpinæ Galliæ, vide apud CELLARIUM *Not. Orb. Ant. Tom. I. Lib. II. Cap. IX. pag. 644. seqq.*

maxima deinde contentione Germani Transdanubiani in limite illo perfringendo laborarunt; ſpe iam Romanarum illarum prouinciarum poſſeſſione deuorata. Nec nihilum profecere ad Danubium ſitæ ciuitates, ſed ſæpenumero illis Italiæ præmunitionibus, ita vt prouincias limitaneas vocare liceat, perfractis & labefactatis in *Italiam* ipſam penetrarunt, ferroque & incendiis omnia miſcuerunt. Sic ***MARCOMANNI QVADI***que, ſic ***SVEVI***, ſic ***ALEMANNI***, ſic plurimæ gentes aliæ, ſemper intentis ad bella & incurſiones agendas animis, maximum continuumque Romanis faceſſierunt negotium, ut pro ſua ipſi ſalute propugnarent, imminentiaque propulſarent pericula. Non tamen & hic ante licuit potiri votis, cisque Danubium & Alpes Germanici nominis ſtabilire fines, donicum ruente Roma Germaniam vbiuis maneret victoria, & parata Heſperiarum regionum poſſeſſio meridianarum terrarum traheret occupationem (*n*).

[Margin: hoc latere Romanorum res afflictatæ ſunt; — Sec. II. III.]

XI. Nempe quintum erat ſeculum, fatale Romanis, fauſtum fortunatumque Germanis, cum quoquouerſus irruerent hi in Romanas prouincias, & ſumma imperia inter ſe partirentur. Tum primi in Italiam VESIGOTHI effuſi bis expugnarunt Romam, & quam longa eſt lataque, omnem Italiam depopulati ſunt. Ea paulum ab Italia auerſa tempeſtate ALEMANNI Rhætias diripuerunt; BOIOARII Norico inſederunt: LONGOBARDI, HERVLI,

[Margin: donicum Sec. V. omnes eorum Ciſdanubianæ prouinciæ, & ipſa demum Italia, a Germanis occuparentur. — An. CCCCI. CCCCIX.]

(*n*) Sub variis imperatoribus, Antoninis, Valeriano, Gallieno, & paſſim aliis, Rhætiam, Noricum, atque Italiam adeo ipſam, Quad s, Marcomannos, Suenos, Cattos, Alemannosque, tentaſſe; ex EUTROPIO, VICTORE, ZOSIMO, & Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptoribus, diſcimus. Nondum autem fatalis Romæ terminus frui votis ſpeque ſua Germanos permiſit.

tur, & hic etiam terminus nostræ nationis latissime protenderetur.

RVLI, OSTROGOTHIque Pannonias & Illyricum lacerarunt. Vix autem breui calamitatum cessatione Italia refocillata, nouus ex *Germanica Africa* turbo omnia infima summis paria fecit, turbauit, miscuit. VANDALI iam Siciliæ Domini, traiecere in Italiam, cepere vrbem, trucidarunt imperatorem, miseraque demum relicta terra onusti spoliis atque rapinis in Africam sunt reuersi. Nondum inde vigesimus annus effluxerat, cum rex HERVLORVM Odoacer cum magna SAXONVM manu aduentaret, dirutoque demum calamitoso imperio primus Germanorum in Italia nomen regis sumeret. Paulo tamen post nouum Herulorum Italia regnum occubuit, nouumque OSTROGOTHORVM rex Theodoricus orsus est, quod satis diu omnem complexum est Italiam: & demum a Græcis euersum nouæ LONGOBARDORVM dominationi statim post Gothici imperii ruinas constitutæ, locum fecit. Sed hæc hactenus de finibus & Germaniæ regionis, & nationis Germanicæ, dicta sufficiant (*o*).

Nationis fines.
AN. CCCCLV.
AN. CCCCLXXVI.
AN. CCCCXCIII.
AN. DLXVIII.

(*o*) Iidem auctores Germanorum in australes Romanorum prouincias impressiones memorarunt, quos reliquarum in occidentem susceptarum occasione citauimus. Addantur HIERONYMUS *Epist. III. ad Hel.* ibi *Romanus orbis ruit:* JORNANDES *de Reb. Get.* qui victorias Gothicas & Vandalicas, cum ISIDORO *in Chron. Gothorum & Vandalorum persequitur:* PAULUS DIACONUS *Lib. II. Cap. VI. seqq.* Longobardorum in Italia conditi regni scriptor: EUGIPPII *Vita S. Seuerini;* Rugiorum, Herulorum, aliarumque Germanicarum gentium, memorabilium eius æui actorum plenissima.

LIBER

LIBER II.

DE NATVRALIBVS NOTIS, SILVIS, FLVVIIS, MONTIBVS, *VETERIS GERMANIAE.*

NATVRALES NOTAE SILVAE, FLVVII, MONTES VETERIS GERMANIAE iam ſecundam noſtram exſpectant conſiderationem; re ſane non parum deliberata, nec apud quempiam, credo, improbanda. Sunt ſcilicet, vt præter iucundam harum rerum contemplationem magnæ vtilitatis, ex *ea noſtra cura* emergentis, mentionem faciam, amnes, ſaltus, iugaque montium, ſolæ propemodum prouinciarum notæ: quæ & perſtant, ætatemque ferunt, rarasque ſubeunt mutationes; & non raro ab antiquis auctoribus deſcriptæ, maximam regionum fines deſignandi ſubminiſtrant opportunitatem. Vt autem genitiuis corporum notis, ſi quæ ob-

Naturales regionum notæ neceſſario ſpectandæ.

obſeruatæ ſunt, homines optime dignoſcuntur, ſic vtique terrarum ſcrutatio non parum indiget illius naturalis variationis abſoluta cognitione. Quod præſertim in noſtra perdifficili maximeque intricata geographia nihil, quod vel minimum adiuuet inueſtigationem, poſſit negligi; inde potisſimum illius tractationis multifarius vſus ſatis elucet, & præſtantia.

Naturalis ſoli conditio.

CAPUT I.
GENERALIS REGIONIS CONSIDERATIO.

I.

Generalis regionis conſideratio vnde inſtruenda?

ENimuero volo hic, nam eſt commodus rei locus, præmittere breue de patrii noſtri ſoli antiqua conditione iudicium. Hæc GENERALIS REGIONIS SPECTATIO apta erit illuſtrare ſingularem inſpectionem illius a natura profectæ terrarum Germaniæ exornationis, quam paulo poſt ſuſcipiemus. Vel autem illa antiqui ſtatus notitia a Romanis Græcisque ſolis capienda erit; vel ſimul ex præſentibus a nobis æſtimanda. Illud & quidem nemo ſuaſerit, ſi ſane nouit Romanorum vaniloquentiam, & ſi intellexit graues cauſas, cur hic contra veritatem dicere & ſcribere ipſis maxime fuerit conſultum. Et igitur iure meritoque cum Romanorum narratibus noſtrum erit ex præſentibus deductum tutiusque iudicium conferendum. Quod diligenter factum facile omnem errandi excludet

Naturalis soli condi-tio.

cludet occasionem, iustamque naturalis vetustæ nostræ patriæ conditionis cognitionem nobis tribuet.

Romanorum Græcorumque de patrii soli prisca conditione narratus proponuntur;

II. Primos si placet Romanos Græcosque auctores audire, magnum profecto, si ipsis habuerimus fidem, nos nostræ antiquæ patriæ inspiciendæ fastidium ceperit. Fuisse, aiunt illi, *Germaniæ solum, licet aliquantum specie dissimilitudinem habuerit, in vniuersum tamen aut fluminibus impeditum, aut fœdum inuiumque paludibus, aut siluis montibusque horridum. Terram* ipsam adseuerant *sterilem adspectuque tristem, frugiferarum arborum impatientem; nec prope quam improcerorum pecorum fœcundam* exstitisse. Quidam alii *rigores perpetuos, intemperiem aëris maximam, cœlique extremam inclementiam*, incusant, & tantum non detestantur. Neminem ergo, decernunt vniuersi, fuisse Asia, aut Africa, aut Italia, relicta *Germaniam* petiturum, *informem terris, asperam coelo, tristem cultu adspectuque;* nisi si cui sit patria. Quæ & alia plura istiusmodi passim apud auctores occurrunt iudicia (*a*).

III. Er-

Lib. II.

(*a*) Cæsar *Bell. Gall. Lib. I. Cap. XXXI.* ex Diuitiaci Aedui oratione memorat quidem; *neque enim conferendum esse Gallicum cum Germanorum agro, neque hanc* (Gallicam) *consuetudinem victus cum illa comparandam:* quod sane nemo, qui Galliam Germaniamque contenderit, negare ausit. Sed vbi *Bell. Gall. Lib. VI. Cap. XXI. seqq.* Germanorum mores & patriam describit, non quidquam dicit, quod nimiæ Germanici soli eius æui infelicitati fidem faciat. Moderate adhuc Strabo *Lib. VII.* Germaniæ τὴν λιτότητα τοῦ βίου, *tenuitatem victus*, tribuit. Nec abs causa Pomponius *Lib. III. Cap. III. Terra ipsa*, inquit, *multis impedita fluminibus, multis montibus aspera, & magna ex parte siluis ac paludibus inuia*. Tacitus vero *Germ. Cap. V.* nimium videtur veterem nostram Germaniam despicere. *Terra, etsi aliquando*, inquit, *specie differat, in vniuersum tamen aut siluis horrida, aut paludibus fœda. - - - satis ferax, frugiferarum arborum impatiens, pecorum fœcunda, sed plerumque improcera, ne armentis quidem suus honor, aut gloria frontis.* Et idem *Cap. II. Germaniam* dicit *informem terris, asperam cœlo, tristem cultu adspectuque, nisi si patria sit. Ann. Cap. XXIV. Lib. II. truculentia cœli*, ait, *præstat Germania:* & *Hist. Lib. IV. Cap. LXXIII. paludibus & solitudinibus suis relictis* Germanos Gallias adpetere. Ante Tacitum Seneca *de Prouid. Cap. IV. Germanos perpetua hiems, triste cælum, premit, maligne solum*

& per partes singulas examinantur atque refelluntur:

Naturalis soli conditio.

III. Ergo igitur soli nostræ antiquæ patriæ tam sors obtigit dura, vt præter ceteras sub eodem cœlo sitas regiones aëre soloque penitissimam referret barbariam? Dicendum sic vtique erat testibus Romanis; causa licet ignoraretur, cur tantum intersit inter nostram & illam a Romanis descriptam Germaniam. Quorum vero friuolis opinionibus examinatis & refutatis, simulque errorum indicatis causis, facillime veritas aperietur. Flumina proinde, vt examinemus causam, satis frequentia in Germania & fuerunt olim, & hodieque occurrunt. Perperam id vero vituperari, vitioque regioni dari, quis non intelligit? cum scilicet minime fluuii in nostræ patriæ damnum vergant, sed commodum; dum quippe mirifice iis adiuuentur nauigationes, & maxima commerciis nascatur opportunitas. Paludes, si eas spectamus, non hodie frequentes adeo reperiuntur, nec superant siluæ saltusque nimii. Lacus equidem potuisse siccari arte; siluasque, si sit opus agris, non difficulter exscindi, quotidiana docet experientia: nec itaque prorsus negauerim, hac in causa antiquæ Germaniæ, quam nostræ, diuersum fuisse statum. At tanti tamen non esse potuisse hanc diuersitatem, vt fœda paludibus, inuiaque siluis, vetus Germania dici meruisset, manifestum est. De montibus prope nihil dicere attinet. Si qui enim fuere antiquitus, non situm isti mutarunt aut speciem. Quod si au-

sterile sustentat; imbre, culmo aut fronde defendunt, super durata glacie stagna persultant. TACITUM sequuti alii, maxime poëtæ, insigniter atque aspere Germanicam terram cœlumque vituperarunt. STATIUS Silu. *Lib. X. Carm. I.* memorat.

Sarmaticasque hiemes, Istrumque, & pallida Rheni
Frigora.

Scythicas pati pruinas FLORUS *in versibus ad Hadrianum* pro eo dicit, quod Cæsar in Germania agere concupierit. AEL. SPARTIANUS *Vit. Adr. Cap. XVI.* LUCIANUS *de historia recte conscribenda libro.* Κασπιακὴν χιόνα καὶ τὸν Κρύσταλλον τὸν Κελτικόν, *Caspias niues, & glaciem Celticam,* id est, *Germanicam,* coniungit. Panegyrici, quorum dedimus verba, nil, nisi paludes atque siluas in Germania memorant, horridamque barbariam quasi detestantur. Abstinemus a cetera molesta istiusmodi iniquorum iudiciorum, quæ passim adhuc erunt obuia, collectione.

Naturalis soli conditio.

si autem nequit Italia, licet Appeninis iugis montium aliisque distincta, horrida vocari; saltem & perperam Germania ista venit adpellatione. Parum porro de soli sterilitate & inopia contenderim. Italia enim profecto, & Gallia, tunc considerata, quibus in regionibus agrorum hortorumque elegantissima cultura erat vsu recepta; earum vtique intuitu sterilem Germaniam infœcundamque recte dixisses. Extra ceteroquin illam comparationem constat, satis feracem Cereris, multoque, quod sequacius præsertim ostendit æuum, feraciorem vuis, antiquam Germanicam terram fuisse; vt inde nec ista incusatio sine omni nota prætermitti posit. Iam per tot a Romano æuo secula noster admittit ager cultionem, laboribusque indefessis curatus est. Cœperunt maiores iam nostri reliquarum gentium delicias, hortorumque voluptates, amare. Si ergo ad hodiernam respiciatur tellurem, prorsus sterilitas adpareret nulla, & feracissima videretur regio. Sed non ingratiis largior, subesse causas, vt specie facieque hoc nostrum & antiquum patriæ solum differat. Hoc tantum contendo, ipsam Germanici soli habitudinem frustra de nimia sterilitate a Romanis Græcisque esse accusatam.

saniori iudicio de prisco Germanici soli statu addito;

IV. Itaque, vt pergamus dicere sententiam, non imus inficias, in quibusdam per maiorum nostrorum frugalitatem tristiorem cultu adspectuque patriam nostram fuisse; quam paterentur delicati aut Italici, aut Gallicani, mores. Profecto tamen quocunque nos vertimus, reperimus plurima, vnde ipso antiquo æuo præstantia Germanici soli mereatur commendari. Copia frumenti atque fructuum, quam ipsi testantur Romani, inopiam solique paupertatem exprobratam refutat. Ipsa metallorum in terræ nostræ visceribus inuentorum vbertas indigentiam nostræ regionis memoratam retundit. Potuissent sane maiores nostri esse diuites, nec id quispiam Germanicarum rerum gnarus facile negauerit. Sed viles fuerunt operæ, & seruiles labores, quos adeo oderunt,

runt, vt pauperes esse paucisque contenti mallent, quam sudore parare omnium rerum abundantiam. Vis porro & multitudo immensa populorum, qui Germaniam habitarunt, vix videtur admittere, tam paludosam siluestremque fuisse terram, quam Romani commenti sunt. Adde, hoc demum aperte, aut errorem, aut mendacia Romanorum, arguere, quod de perpetuo rigore cœlique inclementia, auctores scripsere. Non nostra mutauit terra situm; nec cœlum temporis diuturnitate cœpit mitescere. Si vero hiemem exceperis, reliquas anni partes illum rigorem cœli prope ignorare, satis iam est in comperto (*b*).

Naturalis soli conditio.

& adiectis causis, quæ Græcos in errorem, Romanos

V. Vnde proinde, quod disputatis illis Romanorum sententiis libet quærere, Græci Romanique auctores suos narratus aut excusabunt, aut tuebuntur? Græcos, inquam, vagi de Scandinauiæ extremæ conditione rumores facile potuere decipere,

(*b*) *Sati ferax* fuit Germania. Ita commode legit CLUUERIUS *in Tacito Cap. V.* loco *satis ferax;* quod sensum non adeo expeditum habet. Frumenta adeoque Romani hostes succidere in Germania consueuere, vbi pugnandi copia non data esset. CÆSAR *Bell. Gall. Lib. IV. Cap. XIX;* TACITUS *Ann Lib. I. Cap. LVI. cum Germ. Cap XVI.* HERODIANUS *Lib VII Cap. II.* Pabulorum in Germania satis fuit. *Nam quid laudatius Germania pabulis?* ait PLINIUS *Lib. XVII. Cap. IV.* Gallorum pecora & armenta trans fluuium missa, vt meliorem pastum capesserent. CLAUDIANUS *de laud. Stilic. Lib. I. V. 224.*

Vt iam trans fluuium non indignante Caico
Pascat Belga pecus, mediumque ingressa per Albim
Gallica Francorum montes armenta pererrent.

Argentum & aurum Germaniæ quasdam venas gignere; TACITUS *Germ. Cap. V.* se ignorare dixit. Ipse tamen *Ann. Lib. XI. Cap. XX.* ostendit; Curtium Rufum in agro Mattiaco reclusisse *specus quærendis venis argenti.* In iisdem Mattiacis salubres calidosque fontes PLINIUS *Lib. XXXI. Cap. II,* & aquas salubres AMMIANUS *Lib. XXIX. Cap. IV.* ostenderunt: nouo insignis naturæ beneficii iam olim indicio. Salis, qui coqui possit, copiam, in Germania ostendunt VARRO *de re rustica;* PLINIUS *Lib. XXXI. Cap. VII.* & TACITUS *Lib. XIII. Cap. LVII.* Multitudinem in Germania hominum, qui nisi benigniore solo ægre vitam tolerassent, nemo iam non uidit. Sed loco omnium testimoniorum vnum adhuc SOLINUM *Cap. XXIII.* audiamus. *Diues,* inquit, *virorum terra,* (est Germania) *frequens populis numerosis, &* *immanibus.*

cipere, vt generatim de omni Germania interpretarentur, qood in extremis ad ſeptentrionem oris fortasſis verum eſſet: homines adeoque iſtos parum cum Germanis habentes commercii non ægre excuſauerimus. Tamdiu vero in Germania magna Romanos militaſſe, tot habuiſſe eos ex Germanis aut ſeruos, aut milites; facit vtrumque, vt minime illos vera Germanicæ telluris conditio latere potuerit. Quid ergo de his iudicabimus? Nimirum toties a Romanis, totius iam orbis dominis, tentata Germania, vim non fortiter tantum excepit inimicam, ſed & fregit. Non pertæduiſſe credemus Romæ creberrimæ turpisque repulſæ, quam Germanos toties impugnando acceperunt? Non Romanam arbitrabimur ambitionem quam maxime eſſe a noſtris maioribus, ſuam libertatem non mordicus tantum defendentibus, ſed & ſeruitutem ipſis Romanis pasſim minitantibus, offenſam? Quid magis tum commodum, Romanæque conſultum vanitati, quam cum vulpe ex fabula deſpicere ſpernereque vuas, quas vorare non liceret. Ea profecto, ſi volumus fateri vera, & paucis errationis, immo potius mendaciorum, cauſam prodere, ignominiæ frequentisſima a Romanis relatæ excuſatio erat & disſimulatio; placere ſibi relinquere nec amplius tentare regionem, cultu adſpectuque triſtisſimam, terris deformem, aſperam cœlo, & quam licet ſuperatam victamque, nemo tamen ſit vnquam petiturus, niſi cui ſit patria.

Naturâ sol audi- tu.

ad mendacia, adduxerint.

VI. Pudet vero tædetque turpis nouorum quorundam auctorum hallucinationis, qui Romanos non ſine quadam ſpecioſa cauſa aut errantes, aut mentientes, melioribus neglectis rationibus, ſequuti, ſuæ patriæ ipſi fecere iniuriam, eamque ex Romano deſcripſerunt ore. Eos ſi perorantes cauſam præſertim Romanam audieris, vaſtisſimas in Germania ſolitudines, æternas noctes, triſtes rigores, ſiluasque paludesque continuas, præterque ſentes vepresque nihil quæſieris. Puros putosque, ſi nationis noſtræ primæ conditionem

Nuperorum ſcriptorum hallucinatio ex inconſulta Romanorum ſcriptorum imitatione orta indicatur & taxatur.

nem ex iis quæsieris, barbaros credideris ibi habitasse, ab omni humanitate alienos, toruos cultu adspectuque, belluinamque prorsus, sine iure, sine decore, sine aris, sineque focis, agentes vitam. Legeris immensum quantum sibi suoque gratulantes æuo, quod demum deserta barbarie morum liceat viuere beatioribus (*c*). Nempe Romanam vanitatem erratio istæc, nemine dubitante, longe superat. Quod tamen pertinet ad mores, cum alia occasione acturi de iis sumus, satis abundeque commentitias futilesque redarguemus sententias. Ast quæ de soli patrii perperam sensere natura, Romanosque imitati scriptores insulso blaterarunt clamore, iam adeo per hactenus dicta falsi sunt conuicta, vt prorsus frustra in retundendis istiusmodi adsertionibus laborauerimus. Iam etiam nimis in re, quam per transitum fuit animus attingere, fuimus multi; protinusque inde ad propriam huius loci, fluminum, montiumque & saltuum, veteris Germaniæ pertexendam historiam festinamus.

Naturalis soli conditio.

(*c*) Parco nominibus eruditissimorum virorum, qui crebro per istum sunt errorem lapsi, vt Romanorum vsi ore & more, non bene subductis rationibus, ipsi suæ iniuriam fecerint patriæ aut nationi. Maxime cerno, multos vocabulorum *Barbariæ* & *Barbarorum*, quibus Romani nostram regionem & gentem compellarunt, vim atque potestatem non satis perspexisse, adeoque *Barbariam* de *infelicissima regione*, *Barbaros* de *incultis, horridis, ferinisque moribus adsuetis, hominibus*, esse interpretatos; cui hallucinationi superiori loco repugnauimus. Potest autem id præiudicata a scholis usque opinio, vt plerumque miremur aliena, Romanaque præcipue extollamus, nostrarum rerum, præsertim vetustiorum, vt ignorantes, ita & incuriosi.

CAPVT

CAPVT II.
FLVVIORVM GERMANIÆ ENVMERATIO.

I.

FLVVIORVM GERMANIAE, nam horum consideratio reliqua præcedet, omnes prope in septentrionalem oceanum exonerantur; aut aliorum fluminum alueos suis augentes aquis; aut ipsi in vnum pluraque ora excurrentes. Solus est DANVBIVS fluuius, qui diuersam sibi viam peragrandam sumit. Is quippe Abnoba monte ortus versus solem orientem maiorem Europæ peruadit partem; denique in Euxinum Pontum per multa irruit ostia. Et est ingenti isti, facileque principi Germaniæ fluuio, antiquum constanterque Græcis Romanisque seruatum nomen *DANVBIVS*, quousque a Germaniæ partibus & vltra currit. Ex quo vero diuersas prouincias perlustrare incipit, tunc vocabulo mutato *ISTER* consueuit antiquitus adpellari; vt tamen fines terminique nominis vtriusque semper manserint inter eruditos disputabiles. Succedente, quod addimus, ætate, promiscuus vtriusque nominis vsus fere obtinuit. *(d)*.

Fluuiorum consideratio.

Danubius.

II. Da-

(*d*) Europæ nobilissimus fluuius, *μέσην σχίζων τὴν Εὐρώπην, Europam mediam diuidens*, vt ait HERODOTUS *Lib. II. Cap. XXXIII.* DANUBIUS constantius adpellatur, ipsa etiam seriore ætate. ISTRI nomen a JORNANDE, PAULO DIACONO, & sequentis æui auctoribus, iam etiam ab AUSONIO *Idyll. X. 6 424.* & AMMIANO *Lib. XXII. Cap. VIII.* littera adspirationem signante auctum est; & ibi plerumque *Histrum* nominari reperis. Fluuium TACITUS *Germ. Cap. I.* bene describit: *Danubius*, inquit, *molli & clementer edito montis Abnobæ iugo effusus, plures populos adit, donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat: septimum enim os paludibus hauritur.* Conf. PLINIUS *Lib. IV. Cap. XII. iuga montis Abnobæ, ex aduerso Raurici Galliæ oppidi*, collocans: SOLINUS *Cap. XIX* qui ait: *Ister Germanicis iugis oritur, effusus monte, qui in Rauracos Galliæ*

Fluuiorum Historia.

II. Danubio ex vtraque ripa, & qua olim alluit Germaniam, & qua disterminauit Vindeliciam, Ripenseque Noricum, varii miscentur amnes; quorum nomina, quod passim sunt in historiis clara priscis, & apta adiuuare nonnunquam in-

spectat: LX amnes in se recipit, omnes ferme nauigabiles; septem ostiis Pontum influit: AMMIANUS *Lib. XXII. Cap. VIII.* eadem scribens cum SOLINO, præter quod orientem dicat Danubium *prope Rauracos montes, confines limitibus Rhæticis:* OUIDIUS *ex Ponto Lib IV. El X. v. 57 58.*

- - - *Quos inter* (subaudi amnes) *maximus omnes*
Cedere Danubius se tibi Nile negat.
Copia tot laticum, quas auget, adulterat vndas:
Nec patitur vires æquor habere suas.
Quin etiam stagno similis pigræque paludi
Cæruleus vix est, diluiturque color
Innatat vnda freto dulcis, leuiorque marina est;
Quæ proprium mixto de sale pondus habet.

AUSONIUS *Epigr. IV.* in quo Danubius Augustos alloquitur.

Danubius penitis caput occultatus in oris,
Totus sub vestra iam ditione fluo:
Qua gelidum fontem mediis effundo Sueuis,
Imperiis grauidas qua seco Pannonias:
Et, qua diues aquis Scythico soluo ostia ponte
Omnia sub vestrum flumina mitto iugum.

Danubium Germaniæ Romanique imperii semper limitem fuisse, ante dictum est. Vt vaniloqui autem Romani falsas victorias crebro consueuerant celebrare, ita passim victum eos & captiuum Danubium gloriari cernimus. Numi plures rem testari poterant. Præter Ausonium unus adhuc MARTIALIS prodeat. Hic *Lib. VII Epigr. LXXIX.*

At tibi, inquit, *captiuo famulus mittatur ab Istro.*

Maxime etiam istiusmodi vaniloquentiæ CLAUDIANI carmina plena esse repereris. Sed hæc transeant. Binominem esse fluuium, modoque Danubium, modo Istrum, vocari, iam accepimus: sed, quibus regionibus *Danubius* sit, & quibus alio *Ister* nomine, dissensionibus auctorum maxime est incertum, nisi quod conueniatur in eo, ab occasu Danubii, in oriente istri, valere nomen. POMPONIUS *Lib. II. Cap. I. Per immania magnarum gentium diu Danubius est: deinde aliter adpellantibus accolis fit Ister.* Nullum hic reperis utriusque nominis terminum. PTOLOMÆUS autem *Lib. III. Cap. VIII,* ἀπ' Ἀξίου πόλεως ἤδη καλεῖται ὁ Δανούβιος μέχρι τοῦ Πόντου, καὶ τῶν ἐκβολῶν Ἴστρος: *Ab Axiopoli,* inquit, *iam vocatus Danubius, ad usque Pontum & ostia, Ister.* At Axiopolis in Moesia inferiore est prope Getarum regionem. PTOLOMÆO tamen consentit STRABO *Lib. VII,* τὰ κάτω μέχρι τοῦ Πόντου, τὰ περὶ τοὺς Γέτας, καλοῦσιν Ἴστρον. *Inferiores ad Pontum vsque,* (fluminis partes) *quibus Getæ sunt vicini, Istrum adpellant.* Contra PLINIUS *Lib. IV. Cap. XII. Per innumeras,* ait, *lapsus gentes Danubii nomine, immenso aquarum auctu, &*

Fluuiorum hiſtoria. inueſtigationem noſtram, percenſere non piget. Sunt itaque a ſiniſtra ripa a Danubii ortu *LEMANNVS*, idem ille *Almona*, quem Caroli Magni hiſtoria fecit celebrem; *NÆVVS* deinde cum *REGINO* atque *MARO* in Nariſcis, Marcomannis, Quadisque prioribus, fluuii: quibus ex eiusdem lateris ima parte *CVSVS* accedunt & *GRANVA*, vltimi ad priſcum Germaniæ limitem in Quadis poſterioribus amnes, & Antoninorum expeditionibus clari (*e*). Dextram Danubii in

Amnes in Danubium a ſiniſtra

Vnde primum Illyricum adluit, Iſter adpellatus. Breuiorem hic vſum vocabuli *Danubii* oſtendit; ſed breuiſſimum & diſtinctiorem AGATHEMERUS *Lib. II. Cap. IV.* ὁ Ἴστρος, ὃν μέχρι Οὐινδοβώνης πόλεως Δανούβιον καλοῦσι. *Iſter, quem ad Vindobonam vſque Danubium vocant.* Et quidem Græci mediis partibus plerumque ex Agathemeri poſitione flumen Iſtrum adpellitant; Latini frequentius Danubium. Vid. FLORUS *Lib. IV. Cap. XII.* de Dacis; VOPISCUS *Aurel Cap. XXXIX.* de iisdem; EUTROPIUS *Lib. VI Cap. II. & VIII.* de Curionis Dardanico, & Luculli Thracio, bello; ſemper hi Danubium flumen nominantes: PÆANIUS *in Eutropii locis Lib. VI. & Lib. IX. Cap. IX.* Ἴστρον reddens, qui Eutropio dictus erat *Danubius*; XIPHILINUS, & alii Græci, qui plerumque Dacos Iſtro admouent. At, cum arbitrii res ſit, commode putamus, poſſe PLINII ſententiam nos amplecti, & Danubium da e Germaniæ, exteris regionibus Iſtrum. Sic & FLORUS *Lib. IV. Cap. XII.* cum de Dacis paulo poſt diceret, eos, *quoties concretus gelu Danubius iunxerat ripas, decurrere conſueuiſſe & vicina populari*: ante tamen Iſtri vſus iam in Pannoniis eſt vocabulo; *Pannonii duobus ſaltibus, ac tribus fluuiis, Drauo, Sauo, Iſtroque, vallabantur.*

(*e*) *LEMANNUM* vocauit ISIDORUS, quem IS. PONTANUS *Orig. Francic. Lib. II. Cap. II.* emendauit, & *Alemannum* ſubſtituit. Perperam autem ab hoc amne, licet id Pontano ſit viſum probabile, Alemannorum deriuari nomen, alias docebitur. *ALMONAM* adpellat POETA SAXON. *de geſtis Car. M. Lib. III. ad ann. DCCXCIII.* & *Almonum* ad eundem annum auctor *Annal. rer. geſt. a Car. M. apud* REUBERUM: ibi vterque conatum Car. M. vt Almonam amnem, hodie *Altmühl* dicitur, cum *Radantia*, quem vocat, *Rednitz* amnis eſt, coniungeret; promtamque adeo nauigationem ex Rheno, per Mœnum, Radantiam, atque Almonam, in Danubium procuraret, deſcribens. Tres fluuii ſine nominibus a PTOLOMÆO *Lib. II. Cap. XI.* in medium prolati, putantur eſſe amnis *Bregentz*, ex Sueuia in Danubium excurrens; *Nauus*, Transdanubianam Boioariam ſecans; & demum *Marus* fluuius, ex Morauia profluens in Danubium. Coniecturas ſuas hac in cauſa probat CLUUERIUS *Germ. Ant. Lib. III. Cap. XXIX.* Cete-

& a dextra ripa irruentes. Fluuiorum Historia.

in Vindelicis ripam *ILARGVS*, Tiberii nobilis victoria, primus secat; & alter *GVNTIA*, tertiusque *LYCVS*, qui *VINDONE* hausto amne vno in Danubium irruit alueo, medioque æuo hodieque Boiariam ab Alemannia diuidit. *ABVSINVM* minorem amnem, Abusina vrbs, ad quam Danubio miscetur, illustrauit. *ISARGVS* Isarcis populis videtur dedisse antiquum nomen; isque extremus ex antiqua Vindelicia in Danubium amnis incidit. *ÆNVS* diuisit a Norico Vindeliciam; auctusque *IOVAVI*, aliorumque minorum amnium, aquis intrat in Danubium. *ANISVS* denique tam ortus quam conditus intra Norici fines; vbi in Danubium intrat, vt ex sequaciori æuo istud memorem, Hunnici Francicique imperiorum Caroli Magni æuo fuit terminus. Addimus *MVRVM DRAVVM*que, confluentes; ortos in Rhætia, adolescentes in Norico, vno demum alueo per Pannoniam in Danubium excurrentes (*f*).

III. Quo-

rum nec Bregentz, nec Nabe, amnes, sunt vetustati cogniti. *MARUS* autem laudatur a PLINIO *Lib. IV. Cap. XII.* qui *Morum*, conueniente cum hodierno regionis Morauiæ nomine compellatione, vocauit; porro a TACITO *Ann. Lib II. Cap. LXIII.* Hic ad TACITUM male cum Maro, STRABONIS Marisium, HERODOTI Marin, JORNANDIS Marisiam, AETHICI que Margum, LIPSIUM commisisse, transeundo monemus: Margis quippe Moesiæ amnis est, & cetera vocabula vnum Dacici quondam regni amnem, cui nihil cum nostro Maro, nisi nominis levis sonus, commune est, signant. *REGINUS* amnis non est magis, quam aut Nanus, aut Bregentz, antiquitati notus; nisi eius indicia fida sint castra confluenti Regino cum Danubio in dextra ripa opposita, quibus *Reginorum* nomen fuit; quorumque loco hodie nobilissima vrbs *Regenspurg* visitur. Verum *CUSUS* & *GRANUA*, Quadorum fuere flumina satis celebria. Cusum meminit TACITUS *Ann. Lib. II. cap. cit.* Granuam ANTONINUS *imperator* περὶ ἑαυτοῦ *libro I.* Hic inter *XIV. & XV. sectiones* interfertum est, Τὰ ἐν Κουάδοις πρὸς τῷ Γρανούᾳ, *hæc in Quadis ad Granuam*; vt, licet dubio res non careat, videatur tamen lemma ad consequentia magis, quam ad antecedentia, pertinere.

(*f*) *ILARGUS* inter Licum & Brigantinum lacum nunc *Iler* est, Sueuiam secans. Eum memorat PEDO ALBINOUANUS *Elegia ad Liuiam, vers. 383.*

Quod spes implerunt maternaque vota Nerones:
Quod pulsus toties hostis utroq; duce.
Rhenus & Alpinæ valles, & sanguine nigro
Decolor infecta testis Ilargus aqua.

Fluuiorum Rhætia. III. Quoniam in meridionali Germaniæ antiquioris termino fluuios potiores, qui in Danubium exeunt, & apud auctores habent nomina, modo consideravimus; dicendum simul censuimus de propriæ Rhætiæ fluuiis, qui, licet diuersam peragrent viam, in Germaniæ tamen ius postmodum cum Rhætia pertransiere. Sunt *ATHESIS amoeni* notatus nomine; *ADDVA*, qui per *LARIVM* decurrit lacum; *MINCIVS*, qui *BENACVM* secat; omnes in Rhæticis orti iugis & procurrentes in Italiam: in qua prior quidem amnis, postquam directo diu cursu meridiem petiit, flexa deinceps via ad orientem procurrit, & prope Padi ostia Adriæ miscetur:

Amnes cis Danubium ex Rhætia in Italiam procurrentes.

H 2

Namque loco *Itargi*, seu *Iturgi*, hic *Ilargum* legendum esse, additæ *Alpinæ Valles* facile declarant. *GUNTIA* amnis, nobilis oppido cognomine iuxta sito, quod *Itinera* & *Notitiæ Imperii* habent. Danubii etiam *transitum Guntiensem*, quem EUMENIUS *Paneg. Constantii Cap. II.* memorauit, ad Guntiam spectare Amnem, non est dubium. *LICUS* & *Lichus*, celebrioris extitit famæ amnis; hodie, quod nemo dubitat, *Lech* dicitur. Primus eum memoravit OUIDIUS *ex Ponto Lib. I. Eleg. V. Vers. 21.*

Torquet enim fortuna parum, nisi Licus in Hebrum
Confluat, & frondes Alpibus addat Athos.

Aliis hic *Lycus*, aliis *Nilus*, mihi Vindelicus *Licus*, placet: quod enim Thraciæ & montem, & flumen, nominat, non elegantius quicquam, quam cum Alpibus nostrum Licum, illis potuit opponere, resque difficillimas fortunæ lusui esse, declarare. PTOLEMÆUS *Lib. II. Cap. XII.* λύκιον habet, qui haud dubie noster Licus est. Cum *Vindone*, qui hodie *Wertach* dicitur, inglorio ceteroquin amne, rursus licus a VENANTIO FORTUNATO, & PAULO DIACONO, celebratur. Ille *Lib. IV. de S. Martino ait;*

Pergis ad Augustam, quam Vindo Licusque fluentat.

Hic *Lib. II. de Longob. Cap. XIII.* de eodem itinere ex Fortunati carminibus, quod fatetur, *ad Briones & Augustam ciuitatem, quam Virdo & Lech fluentant, iter fuisse*, scribit. Nomen fluuii *Virdo* apud DIACONUM, in hodiernum amnis nomen *Wertach* elegantius, quam alterum *Vindo*, quadrare, perspicuum est: nec ausim tamen FORTUNATUM emendare, cum RICARDUS poëta multo postea *Austr. Lib. II.* veterem scripturam expresserit, desinente modo mutata forma;

Respicit & late fluuios Vindamque Licumque.

Abusinus hodie *Abenst* dicitur; nec nisi ex oppido, in itineribus laudato, antiquitati cognitus est. *ISARGUS* etiam *Isarus* est, vulgo *Iser* dicitur; sed præter gentem Isarcos, qui ab eo accepere nomen, parum a scriptoribus vetustis memoratur. STRABONIS enim Ἴσαρος, quem *Lib. IV.* profert in medium, Atagin accipit, & cum hoc ab Athesi acceptus, in Adria-

tur; ceteri vero Pado coniuncti cum ipso aquas suas in eundem Mediterranei maris sinum exonerant. (*g*) *Fluuiorum historia.*

Rhenus. IV. Primus reliquorum fluminum, quæ a meridie cursum in septentriones dirigunt, RHENVS est; illustris ille fluuius, qui plura fere, quam ipse Danubius, in vetustate inuenit elogia. Et quidem vtroque fluento antiqua Romano æuo Germania diu terminata est. Pro vtroque etiam & defendendo, & perrumpendo, termino acriter Romani & Germani contenderunt. Vtrumque denique limitem Germani transgressi sunt, & vicinis prouinciis sunt potiti. Prope tamen actorum celebritate, bellorumque gestorum insigni ordine,

ticum mare defertur. Tanto ast magis celebris est *AENUS*, quem ANTONINI *itinera* sæpe *Oenum* vocarunt, vulgo nunc *Inn* vocatur. PTOLEMÆUS *Lib. II. Cap. XII. & XIV.* *Ἄινον, Aenum*, habet. Ortum flumen in extremis Rhætis, & per Rhætiam longo tractu delapsum, tandem inter Vindelicos, Noricumque, in Danubium exoneratur. Sic TACITUS *Hist. Lib. III. Cap. V. Sextilius Felix ad occupandas ripas Aeni fluminis, quod Rhætos Noricosque interfluit, missus.* Cum Aeno a dextra *JOUAUUS*, siue *Juuauus*, vulgo hodie *Saltza* vocatus, confluit; prisco nomine in *Fabulis Itinerum* notatus. *ANISUS*, seu *Anasus*, hodie *Ens*, medio æuo illustrior, quam vetere, exstitit. Fuisse eum Boioariæ & Hunnorum regni terminum, atque certum limitem, habent *Ann. rer. gest. Car. M. ad ann. DCCXCI.* cum EGINHARDO *in Vita Caroli.* Iidem *Annales ad ann. DCCLXXXVII.* cum EGINHARDO, simul notant, Lechum amnem Alemannos & Boioarios tunc diuisisse. *MURUM* amnem, volunt interpretes, PTOLEMÆI esse *Σαμαρίαν*, *Samariam*, vti in Palatino codice scriptum est, *Lib. II. Cap. XVI.* *DRAUUS* STRABONI *Lib. VII.* *Δράβος, Drabus*, PLINIO *Lib. III. Cap. XXV.* *Draus* est. Hodie utrumque flumen prisca seruat vocabula; Murusque *Muhr*, Drauus *Draw*, nuncupatur.

(*g*) *ATHESIN* plures laudant, inprimis *Princeps poëtarum Aen. Lib. IX. Vers. 680.*

Siue Padi ripis, Athesin seu propter amœnum.

ATAGIN, siue *Alsacum*, STRABONI *Lib. IV.* laudatum, Athesis defert in Italiam. *ADDUAM*, & *MINCIUM* cum Athesi, CLAUDIANUS *de Consul. VI. Honorii Vers. 196.* descripsit:

Colla leuant pulcher Ticinus, & Addua visu
Cærulus, & velox Athesis, tarduque meatu
Mincius.

Eodem modo videris apud SIDONIUM APOLLINAREM *Lib. I. Epist. V* fluuios signari: *Vluosum Lambrum, cærulum Adduam, velocem Athesim, pigrum Mincium.* Adduam STRABO *Lib. V.* vocat *Ἀδούαν*. Cursum fluminum, præter quod eum ipsi notauimus, vide in tabulis.

[illegible] dine, aliquoties æmulum ſuperat Rhenus, ſi cum Danubio conferatur. Ipſe hic inſignis amnis, poſtquam ortus in Lepontiorum Alpibus locum *BRIGANTINVM* ſeu *ACRONIVM* peruadit, vnoque alueo per multas variasque Germanicas ex vtraque ripa gentes ad inferiora decurrit, conſtans propriumque *RHENI* nomen tenet, donec medio alueo olim in Germanicum oceanum exiit; hodie vero, donec eodem, ſed pertenui infirmoque & crebris abactibus factisque fluenti ſectionibus plene eneruato, alueo prope oceanum arenariis hauritur (*b*). Alterum ad occidentem Rheni oſtium

Oſtia & diuerſi Rheni aluei clare exponuntur.

H 3 *HELI-*

(*b*) RHENUS & Danubius Germaniæ & Romani termini imperii. Prærer varia ſuperiore loco adlata teſtimonia, vid. TACITUS *Lib. IV. Cap. XXXVI.* qui *vetera imperii monumenta* illos amnes vocant: SENECA *Quaeſt. Natur. Lib. VI. Cap. VII.* illis *Germanos, auidam gentem belli, repelli*, ſcribens: JOSEPHUS *Bell. Jud. Lib. II. Cap. XVI.* in Agrippæ oratione. EUTROPIUS *Lib. X. Cap. VII.* per Julianum *finibus ſuis Romanum imperium reſtitutum eſſe.* De Rheno MAMERTINUS *Paneg. Maximiani Cap. VII.* Rhenum inquit, *antea videbatur ipſa ſic natura duxiſſe, vt eo limite Romanae prouinciae ab immanitate barbariae vindicarentur.* Rheno & quidem Danubius fama vtique eſt antiquior, quippe iam ARISTOTELI, HERODOTOque, & aliis Græcis, cognitus. Poſtea vero longe illuſtrior Rhenus cœpit eſſe in Romanorum hiſtoriis, quam ipſe alter Romani imperii limes, Danubius. Frequentiſſime, vbi Rhenus ſolus nominatur, integra intelligitur Germania. Rei teſtimonio plures eſſe numi poterant, qui *Rhenum* monſtrant, & ultra in parte principis effigiem, qui *Germanicus* dici voluit. Ex poëtis vnus MARTIALIS nos doceat, Rhenum pro Germania Romanos nominare conſueuiſſe. Domitianus Germanicus a Germania deuicta compellari voluit: & ille *Lib. XIV. Epigr. CLXX.*

Hac illi ſine ſorte datur, cui nomina Rhenus
Vera dedit: decies adde Falerna puer.

Tot cyathos quippe hauſturus erat, quot *Germanicus* haberet litteras, nempe *decem.* Porro Germanicum Septembrem Domitianus dixerat: & MARTIALIS *Lib. IX. Ep. II.* canit;

Dum grande famuli nomen aſſeret Rheni,
Germanicarum magna lux Kalendarum.

De fracto, capto, victoque, Rheno, vbi Germanicæ victoriæ partæ erant, vid. *Idem Lib. II. Ep. II. Lib. VII. Ep. VI. Lib. IX. Ep. VII.* Nomen *Rheni*, qui medio æuo frequenter *Hrenus*, transpoſita adſpiratione, ſcriptus reperitur; haud dubie eſt a *Rennen, Rinnen*; quod *citatum, velocem, & violentum eius curſum* Germanica lingua notat. Malunt alii a *Rein*, alia Germanica voce, quod *limpidiſſimas aquas* deferat, Rheni nomen ducere. Vid JOD. VVILLICHIUS *in*

HELIVM est dictum; in idque *VAHALIS*, qui & *Valis*, & *Vacbalis*, & *Vacbalus* audit, sinister ab antiquissimo tempore & validior Rheni alueus, cum nouo eiusdem Rheni, Ciuilis bello procurato, sed longe minori, alueo, qui *LICVS* est dictus, & *Fluuiorum Historia.*

Taciti Germ. Comm. Cap. II. apud SCHARDIUM *Tom. I.* Singulorum nunc, quorum aliqua auctoritas est, verba de Rheno proferemus; & deinde de medio ostio dicemus. CÆSAR *Lib. IV. Cap. X. Rhenus oritur ex Lepontiis, qui Alpes incolunt, & longo spatio per fines Nantuatium, Heluetiorum, Sequanorum, Mediomatricorum, Tribocorum, Treuirorum, citatus fertur; & vbi oceano adpropinquavit, in plures diffluit partes, multis ingentibusque insulis effectis, quarum pars magna a feris barbarisque nationibus incolitur: ex quibus sunt, qui piscibus & ouis auium viuere existimantur: multisque capitibus in oceanum influit.* POMPONIUS *Lib. III Cap. II.* ita de Rheno differit: *Rhenus ab Alpibus decidens, prope a capite, duos lacus efficit, Venetum & Acronium. Mox diu solidus & certo alueo lapsus, haud procul a mari huc & illuc dispergitur, sed ad sinistrum amnis, etiam tum & donec effluat, Rhenus; ad dextram primo angustus, & sui similis, post ripis longe ac late recedentibus, iam non amnis, sed ingens lacus, vbi campos impleuit, Fleuo dicitur: eiusdemque nominis insulam amplexus, fit iterum arctior, iterumque fluuius emittitur.* PLINIUS extrema Rheni fluuii persequutus, diuortia modo Rheni, & comprehensas insulas, describit *Lib. IV. Cap. XV. In Rheno ipso,* ait, *prope C millia passuum in longitudinem, nobilissima Batauorum insula & Cannenufatum: & alia Frisiorum, Chaucorum, Frisiabonum, Sturiorum, Marsaciorum, quae sternuntur inter Helium & Fleuum. Ita adpellantur ostia, in quae effusus Rhenus ab septentrione in lacus, ab occidente in amnem Mosam se spargit: medio inter haec ore modicum nomini suo custodiens alueum.* Tandem TACITUS binis locis Rhenum describit *Germ. Cap. I. Rhenus,* inquit, *Rhaeticarum Alpium inaccesso ac praecipiti vertice ortus, modico flexu in occidentem versus, septentrionali oceano miscetur. Ann. Lib. II Cap. VI.* copiosius eum designat: *Rhenus vno alueo continuus, aut m dicas insulas circumueniens, apud principium agri Bataui, velut in duos amnes diuiditur: seruatque nomen & violentiam cursus, qua Germaniam praeuehitur, donec oceano misceatur; ad Gallicam ripam latior & placidior adfluens, verso cognomento Vahalem accolae dicunt: mox id quoque vocabulum mutat Mosa, flumine, eiusque immenso ore eundem in oceanum effunditur.* Statum Rheni habemus ab auctoribus, quos in medium protulimus, descriptum: sed mox dispiciemus, quomodo CÆSAR multa Capita, PLINIUS tria ostia, TACITUS vero, & POMPONIUS duo modo ostia, Rheno tribuerint? Hic *medium Rhenum* tantum respicimus. Eum notari vidimus a TACITO *Ann. l. cit.* & a POMPONIO. Licet enim quidam repugnent, mediumque Rhenum putent riui tantum instar habitum, adeoque neglectum esse; eos tamen ipse refutare aptus est TACITUS, *Hist. Lib. V. Cap. XIX,* vbi semper, licet tenuem alueum, limitis eum

Flevum Rheni. & amniculo *ISLAE* se demum admiscet, excurrit (*i*). Tertium dextrumque ostium *FLEVI* nomen habuit: in quod *SALA* seu *Isala*, Rheni aquis per *Drusianam fossam*, quam *NABALIAM* dictam fuisse credibile est, adductis auctus, inci-

loco esse habitum, ostendit: & si, rursus a CL. Civili abbactus, perdidit demum violentiam cursus, quam ei TACITUS Tiberii æuo tribuit; quid istud recentius aptum est, TACITUM, antiquiori tempore illam cursus violentiam Rheno medio adhuc vindicantem, aut erroris, aut negligentiæ, arguere? PTOLEMÆUS etiam *Lib. II. Cap. IX.* inter occidentale, & septentrionale ostium, *medium etiam, quod Rheni nomen custodiat*, memorat. Hoc ostium quondam fuerit vnum & præcipuum, & seriore æuo semper Rheni compellatum nomine. Ad illud annonam ex Britannia aduectam esse, & inde aduerso Rheno subuectionem ad Romana præsidia institui esse solitam; docent AMMIANUS *Lib. XVIII. Cap. II.* ZOSIMUS *Lib. III.* JULIANUS, qui præcipue istam subuectionem multo quam antea faciliorem reddidit, *in Epist. ad Athenienses;* EUNAPIUS *in legationibus*, & LIBANIUS *in Orat. funebri.* An ortum sit ex ea Britannica nauigatione, quod sine veteri auctore castello, læua in ora ad ostium quondam sito, fuisse dicitur, *Brittenburgii* nomen? vt negare non ausim, ita tamen plene cum JUNIO *in Bat. Cap. X.* adfirmare id non conabor. Obstructum nunc medium illud Rheni esse ostium ingentibus arenarum collibus, quibus crebris abactibus exsanguis & eneruatus Rhenus ad aditum in mare demum est præclusus; res est cuilibet notissima. Videris locum, vbi elanguidi instar senis, ita Rheuum mori & perire dixeris, inter vicos vtrinque extremos *Katwyck* & *Noortwyck:* eumque ad stupendam rerum signandam vicissitudinem Batavi *het Mallegat* adpellare consueuerunt. Interim, qui iam sit veri istius Rheni, donec deficiat, cursus, qui creber deflexus; quod denique eius rursum aperiendi frequens consilium? videsis in MENS. ALTINGII *Notitia Inf. Germ. Ant.* vbi lemmata, *Ostium Rheni medium*, & *Rhenus*.

(*i*) *HELIUM* Plinii ostium, *occidentale* est PTOLOMÆO; δυσμικὸν στόμα. In hoc alter Rheni alueus ab æuo antiquissimo, nouo autem accepto nomine, decurrit. Illum tacet POMPONIUS *in loco ante viso;* quod alieno nomine insignitus demum cum Mosa, dudum perdita Rheni memoria, confluit. PLINIUS eum sine addito nomine memorat. TACITUS vocat *VAHALEM*, & commode describit: sed idem dextrum Rheni alueum, qui in Fleuum excurrit, silentio transmittit, quod naturalem tantummodo fluuii cursum respiceret. Quid contra disputent PONTANUS *de Rheni diuortiis Discept. III.* & HADR. JUNIUS *in Bat. Cap. VIII*, satis fortiter a CLUUERIO est refutatum, & cum eo ipsa pugnat ratio. CÆSAR *Bell. Gall. Lib. IV. Cap. X.* de illo sinistro Rheni alueo ait: *Mosa profluit ex monte Vogeso, qui est in finibus Lingonum, & parte quadam Rheni accepta, quæ adpellatur Valis, insulam efficit Batauorum.* Legunt quidam in Cæsare *Vualis*, alii *Walis:* quæ posterior vero scriptura, cum *W* littera non facile

incidit (*k*). Ceterum, vt Romani scriptores & ante & post Drusianas actas fossas, aut binis tantum ostiis Rhenum effluere, aut in tria pluraue exonerari, dixerint, facile iam est intellectu. Qui bina memorarunt ostia, aut ætate præcessere Drusum *Fluuiorum Historia.*

antiquis probetur, tolerabilior esse potest in THEODULPHO AURELIANENSI, quam in JULIO CÆSARE. Ille *in Paraenesi ad Judices Vers.* 103. scribit:

Cui parent Walis, Rhodanus, Mosa, Rhenus, & Oenus.

Cum TACITO, *Vahalem*, fluuium dixit LAT. PACATUS, *Paneg. Theodosii. Cap V.* Contendunt & nonnulli cum JOACH. CAMERARIO, non aliter voluisse CÆSAREM scribere, quam *Vahalis*, aut *Vahalos*: siquidem occurrat in pluribus codicibus *Vacalos*, & apud Metaphrasten Βάκαλος, quod mentem CÆSARIS testetur, & irrepsisse incuria scribarum C litteram. SIDONIUS APOLLINARIS *Vachalim* vocavit; *Carm. XIII. Vers 31.*

Detonsus Vachalim bibat Sicamber.

Et *Narbone, siue Carm. XXIII. Vers. 144.*

Tu Tuncrum, Vachalim, Visurgin, Albin,
Francorum & penitissimas paludes intrares.

Nomen fluuii acceptum putatur a *Waalen*, quod Germanis *vertere* est; ita *Waal* dictus, quasi *vergens alio amnis*. Quod totus erat Batauus, in Tabula Peutingeriana *Batauus*, seu *Patabus*, legitur nominatus. An quædam iam olim cum Mosa in superioribus partibus Vahalis fuerit coitio, antequam Mosæ immenso ore hauriretur inferius? ad Cæsarem PONTANUS *Discept. IX.* quæsivit, & quæstionem adfirmavit. Alii cum CLUUERIO negant, Vahalem attigisse antiquitus Mosam, nisi ad mare prope: cum constet de recentiore cursus horum fluuiorum turbatione. Nostram non eam litem facimus. Cum Vahali procurrisse nouum alueum, quem diruta Drusi mole Cl. Ciuilis ex medio Rheno abduxit; eundemque *Lici*, seu *Leccæ*, nomine deinceps notatum esse, eruditi postulant: Res infra in Batauis dispicietur. Hoc loco de Drusi mole vid. DIO CASIUS *Lib. LV.* TACITUS *Ann. Lib. XIII Cap. LIII.* & de eius molis destructione, nouoque alueo ducto, rursus TACITUS *Hist. Lib. V. Cap. XIX.*

(*k*) Septentrionale Rheni ostium *FLEUUM* a PLINIO, τὸ ἀνατολικὸν στόμα, *orientale ostium*, a PTOLEMÆO, dictum est. In illud *ISALA* antiquius solus decurrit. Mox auctus Isala Rheni aquis, Drusiana adductis fossa, noui instar Rheni aluei habitus est. Antiquum noui aluei, aut Isalæ cum Rheno coniuncti, statum habemus in POMPONIO *Lib. III. Cap. II.* quem lucum ante memorauimus. De *Drusiana fossa*, seu fossis vid. SUETONIUS *in Claudio Cap. I.* DIO *Lib. LIV.* hic licet ambigue scribens; TACITUS *Ann. Lib. II Cap. VIII. Lib. IV. Cap. LXXIII.* Infra in Frisiis de re accuratius inquirendi, locaque considerandi hic indicata, commodior locus erit. *Nabaliam*, quasi *Nach-Waale*, siue *De Naffale*, *posteriorem Vahalem*, sua Germanos lingua nouum alueum Rheni, paulo infra Vahalis a Rheno abitum, a Druso in Isalam ductum, adpellasse, est valde

Fluuiorum historia. ſum, aut ſiue nouum ab eo ductum alueum ſiluerunt, ſiue medium Rhenum pertenuem neglexerunt. Tria oſtia ante Druſum nemo adſeruit. Cæſar autem, qui in plures Rhenum diffluere partes, multisque capitibus in oceanum influere, ſcripſit, certo certius non tam ad alueos oſtiaque Rheni, quam ad elices, & lacus, & alia eiusmodi, reſpexerit (*l*).

V. In Rhenum eiusque vtramque ripam; nam vt ante Vin- *Amnes in Rhenum*

credibile. Et *Nabalia* meminit TACITUS *Hiſtor. Lib. V. Cap. XXVI.* vbi omnia docent, fruſtra eſſe, niſi qui de foſſis ab Rheno ad Iſalam ductis illud nomen interpretantur. Ceterum TACITUS *Ann. Lib. II. Cap. VI.* prorſus nouum illum Rheni in Fleuum oſtium excurrentem alueum tacuit; quod ad naturales, non arte procuratos, contueretur. Seriore æuo, vt TACITUS, ita plerique auctores eius curam nullam habuerunt, quod longe eſſet in Barbaria, quam tunc Germaniam adpellarunt, & quod fere totus in paludes effunderetur. Vid. AMMIANUS *Lib. XVIII. Cap. II.* vbi de munimentis Valentiniani ad Rhenum poſitis; LAT. PACATUS *Paneg. Theod. Cap. V. Qua*, inquit, *Rhenus aut Vahalis vidit, aggrediar.*

(*l*) Bina oſtia Rheni memorauit VIRGILIUS *Aen. VIII. verſ. 727.*

Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis.

VIRGILIUM imitatus eſſe videtur CLAUDIANUS *de Bello Get. verſ. 336.*

- - - - te Cimbrica Thetis
Diuiſum bifido conſumit, Rhene, meatu.

TACITUS etiam *Ann. Lib. II. Cap. VI.* & POMPONIUS *Lib. III. Cap. II.* duos modo Rheni alueos nominarunt. De his diximus, vnum Vahalem, alterum Fleuum, ſilentio tranſmittere. VIRGILIUS ante Druſum cecinit, adeoque Druſi nouum alueum ſcire non potuit. CLAUDIANUS aut VIRGILIUM plane imitatus eſt, aut alterutrum alueorum neglexit. Medium alueum plerique putant eum poſthabuiſſe, quod maxime is tenuis foret, & fere continentium terrarum ſpeciem fecerat. Fortaſſis autem & dixeris, aut TACITI eum exemplo dextrum, aut cum POMPONIO ſiniſtrum Rheni alueum, præteriiſſe. Quod CÆSAR *Bell. Gall. Lib. IV. Cap. X.* Rhenum, dixit, *multis capitibus in oceanum influere*; magnam eruditis curam mouit: ſed fruſtra fere, ſi probe ſubduxeris rationes. Duobus oſtiis Rhenum in oceanum eius influxiſſe æuo, ipſe haud dubie non ignorauit; ſatis hiſce in locis verſatus. Ita eius ætate ASINIUS POLLIO apud STRABONEM *Lib. IV.* Rhenum, conſtituit, *δίστομον εἶναι, μεμψάμενος τοὺς πλείω λέγοντας, duobus oſtiis effluere, reprehendens eos, qui pluribus, dicant.* Verum CÆSAR, aut vidit, Rhenum in plures foſſas abigi & diuidi, vt hos aquarios ſulcos, aut elices, partes uocauerit: aut, quod magis placet, cum partem quandam Rheni cum Moſa confluere dixit, ad varia Moſæ, Scaldisque contuitus eſt oſtia, & hæc capita dixit, quibus etiam Rhenus influat in oceanum.

a sinistra parte procurrentes. Vindeliciæ, Norici, Rhætiæque, fluenta cum Danubio perspicuitatis ergo nominaui, sic & nunc Belgicæ flumina, quantum ea antiquas Germanorum rigarunt sedes, postmodumque in Germaniæ peruenere ditionem, censebo: plures insignis in omni ætate nominis amnes aquas adfundunt suas. Sinistræ ripæ adhuc adolescenti *NAVA* miscetur, & inferius nobilissimus *MOSELLA* amnis, qui cum *SARAVO* confluens vno in Rhenum se alueo per Treuiros præcipitat. *ABRINCA*, seu *Obringa*, in Vbiis amnis, superiorem seu primam Germaniam a secunda siue inferiori olim diuisit (*m*). Inde *MOSA* *Fluuiorum Historia.*

(*m*) *NAUA* ad Bingium oppidum, quod nomen seruat, IX millibus passuum infra Magontiacum, Rheno adfunditur: hodie vna mutata littera Nahe amnis est. Primus eius cum ponte imposito, & oppido iuxta sita, TACITUS *Hist. Lib. IV. Cap. LXX.* mentionem fecit. *Tutor*, inquit, *Treueris comitantibus, vitato Magontiaco Bingium concessit; fidens loco, quia pontem Nauæ fluminis abruperat. Deinde* AUSONIUS *Idyllium, Mosellam*, ita orditur;

Transieram celerem nebuloso lumine Nauam,
Addita miratus veteri noua mœnia vico.

Nobilior Naua amnis *MOSELLA* est; ortus in monte Vogeso, per Leucos, Mediomatricos, Treuerosque, decurrens, interque Vangiones, aut potius inter Treueros, se Rheno commiscens: dictus, quasi paruus Mosa, cum prope eum oriatur, eiusque quasi videatur æmulus esse. FLORUS *Lib. III. Cap. X. Cæsar*, inquit, *infra Mosulam nauali ponte transgreditur ipsum Rhenum.* Nomine *Mosellæ* eius meminit TACITUS *Ann. Lib. XIII. Cap. LIII.* vbi de L. Veteris instituto, *Mosellam atque Ararim, facta inter vtrumque fossa, connectendi*: item *Hist. Lib. IV. Cap. LXXI. & LXXVII.* vbi Ciuilis motus Mosellam etiam turbarunt. Eius laudes singulari carmine ab AUSONIO scriptas habemus. Est *Idyllium X.* ibique *vers. 23.* sic adloquitur Mosellam.

Salue amnis laudate agris, laudate colonis:
Dignata imperio debent cui mœnia Belgæ;
Amnis odorifero iuga vitea consite Bacho:
Consite gramineas amnis viridissime ripas:
Nauiger, vt pelagus; deuexas pronus in vndas,
Vt fluuius: vitreoque lacus imitate profundo;
Et riuos trepido potis æquiparare meatu;
Et liquido gelidos fontes præcellere potu.

A *versu 349* enumerat amnes, qui suis Mosellam augeant aquis; & *vers. 374.* ita infit:

- - - Quod si tibi, dia Mosella,
Smyrna suum vatem, vel Mantua clara dedisset:
Cederet Iliacis Simois memoratus in oris

Fluuium Vifuria. *SA* fluuius, cum Mosella ex Vogeso ortus monte, postquam Arduennam siluam pertransiit, Neruiosque & Tungros disterminauit, Menapiosque & Batauos alluit, non quidem in ipsum excurrit Rhenum, ast tamen cum Vahali in idem Helium Rheni ostium, quod *immensum os Mosæ* vocat Tacitus, suas effundit aquas. *SCALDIS* abest abhinc longius, nec quicquam cum Rheno habet commercii, sed postquam leniter semper declinans mutabili varioque cursu diuersas Germanicas gentes & olim hodieque præterfluit, diuersos alueos, vnumque

I 2 præ-

Nec præferre suos auderet Tibris honores.

Musellam VENANTIUM FORTUNATUM dixisse, addimus ex *Lib. VII. Carm. IV. vers. 7.*

Insuper vuifera Musellæ obambulat amnem.

Mosellæ *SARAUUS* paulo supra Augustam Treuerorum miscetur. Id AUSONIUS *Idyll. X. vers. 367.* memorat;

Nauiger vndisona dudum me mole Sarauus
Tota veste vocat: longum qui distulit amnem,
Fessa sub Augustis vt volueret ostia muris.

Tabula THEODOSIANA *Saraui* habet *pontem*, qui locus etiam amnis probat nomen. Dictus tamen & fuerit *Sarra, & Sara*, amnis; teste veteri inscriptione & VENANTIO. Inscriptio apud GRUTERUM *Fol. CCXXV.* coniungit cum Sarro Fluuio Augustam Treuerorum:

CAES. PRO EXER. IMP. P. P.
S. C. AV. TREVE. INGR.
ESSVM H. CASTRA SARRÆ
FLV. PRO MIL. CVSTODIA
BIENN. POTITVS EST.

FORTUNATUS *Lib. VII. Carm. IV. ad Gigonem* canit;

Isara, Sara, Chares, Schaldis, Saba, Somena, Sura

Quod hodie amnis *Saar* nuncupatur, posterioribus duobus vocabulis recte cum nouo nomine conuenit. *OBRINGA* amnis, PTOLEMÆO *Lib. II. Cap. IX.* Ὀβριγγα, & MARCIANO HERACLEOTÆ *in Periplo*, Ἀβριλκα dictus, inferioris atque superioris Germaniæ terminus quondam habitus est, vt ex nominatis auctoribus alibi docebitur. Interpretati plerique sunt Obringam de Mosella flumine; quod putarent, insignem amnem haud dubie illustres duas prouincias disterminasse. Ipse *Auctor Not. Orb. Ant. Lib. II. Cap. III. pag. 268.* vituperat PTOLEMÆUM, quod Mosellam alieno nomine Obringam adpellaverit. Melioribus est iam euictum rationibus, Obringam esse amnem *Are* supra Rimagen, e regione Entiæ, quæ supra Vnckelium est, se Rheno adfundens: nec enim Mosellæ nomen fuit ante PTOLEMÆUM ignotum; nec Mosella limes vtriusque prouinciæ exstitit, sed in superiorem Germaniam omnino imputatus est. Id ergo etiam eruditissimus, quem memini, auctor, immemor fortassis prioris sententiæ, *pag. 371.* sua etiam probauit adsensione, & satis fidenter stabiliuit.

præsertim iam antiquitus cum Mosa communem, in oceanum immittit (*n*). *Fluuiorum Historia.*

Amnes dextro Rheni, sed superioris, lateri,

VI. Dextro Rheni lateri ripæque superiori *NICER* seu *Nicarus*, non ante Constantini æuum in historiis nobilis, affunditur. Antiquiori gloria insignis *MOENVS*, *Menus*, *Moenis*que, fluuius est; isque suscepto superius *SALA*, in Cattis fluento, infra Nicerum ad Moguntiacum Rhenum attingit. Post *LANVS*, seu *Laugona*; deinde *SEGVS*; denique

(*n*) *MOSA* oritur in Vogeso monte, qui in finibus Lingonum est: & ab ortu suo ad ostium usque, qua per M. P. non minus CCC procurrit, idem Mosæ nomen habet. Eius CÆSAR meminit *Lib. IV. Cap. X. Mosa profluit ex Monte Vogeso, qui est in finibus Lingonum, & parte quadam Rheni accepta, qua adpellatur Valis, insulam efficit Batauorum, neque longius ab eo millibus passuum LXXX. in oceanum transit.* TACITUS *Ann. Lib. II Cap. VI. Ad Gallicam*, inquit, *ripam Rhenus latior & placidior adfluens, verso cognomento Vahalem accolæ dicunt: mox id quoque vocabulum mutat Mosa flumine, eiusque immenso ore eundem in oceanum effunditur.* Ostium, in quod incurrit Mosa, *Helium*, quasi inferum, quod Germanica vox *Hel*, seu *Hoel*, sonare creditur, a PLINIO dictum *Lib. IV. Cap. XV.* Illud ostium tum Mosæ tribuitur, vt modo *immensum os Mosæ* TACITUS vocauit; tum Rheno, vt fecit PLINIUS, & maxime TACITUS *Lib. V. Histor. Cap. XXIII.* de Ciuilis nauali pugna. *Spatium*, ait, *velut aequoris electum, quo Mosæ fluminis amnem Rhenus oceano adfundit.* PTOLEMÆUS, qui occidentale Rheni ostium nuncupat, diuersum habet *Mosæ ostium*, magis ad occidentem ab Helio. Cum eo videtur facere CÆSAR *Lib. VI. Cap. XXXIII.* vbi nullum Scaldis ostium admittit, sed *flumen Scaldim* memorat, *quod influit in Mosam.* PLINIUS vero *Lib. IV. Cap. XIII.* Scaldim oceano iungit, absque Mosa receptore; eumque vsus communis sequitur. *SCALDEM* porro PLINIUS *Lib. IV. Cap. XVII.* Germanicarum Gentium finitorem esse ostendit; quo nomine hic in medium profertur: ceteroquin ortus in Veromanduis parum in nostra Germania antiquo æuo respicitur. *Schaldem* VENANTIUS dixit; sed PTOLEMÆUS, nescio quo consilio, *Tabudam.* Huius Tabudæ singulare & ostium PTOLEMÆUS indicauit; quod vero, quantum positura docet, non Scaldis conuenit ostio, sed *Abæ* amnis, apud Grauelingam in oceanum influentis, ori. Qui dixerint, ipsum etiam Scaldem, faciente Mosa, cum quo confluit, cum Rheno misceri; adeoque plura intelligi capita, per quæ Rhenum in oceanum influere, CÆSAR *Lib. IV. Cap. X.* dixerit: non ii contra nos sentient. *Scaldis* nomen inde esse creditur, quod semper amnis hic *leniter declinet*: id quod Germanico, vel Celtico, vocabulo *Schol*, & *Scholde*, denotetur.

Fluuiorum [illegible]

nique *RVRA*; omnes in historiis non prorsus ignoti amnes, distinctis inter se interuallis Rheno miscentur (*o*).

VII. Inferiorem Rhenum *LVPPIA*, seu *Lupia*, celebre flumen, auget; quod in transuorsum a saltu Teutoburgico huc

nec non eiusdem lateris inferiori ri-

I 3

(*o*) *NICRUM* & *MOENUM* coniungit EUMENIUS *Panegyr. Constantini Cap. XIII.* *Pulchrum*, inquit, *tibi videtur, & reuera pulcherrimum est; ut Rhenus ille non solum superioribus locis, vbi aut latitudine vadosus, aut vicinia fontis exiguus, sed etiam ibi nouo ponte calcetur, vbi totus est, vbi iam plurimos hausit amnes: quos hic noster ingens fluuius,* (Mosellam putat Romanam, id est, ex Romana prouincia in Rhenum decurrentem) *& barbarus Nicer, & Manus, inuexit, vbi iam immani meatu ferox, & aluei vnius impatiens in sua cornua gestit excedere.* Solum Nicrum VOPISCUS *in Probo Cap. XIII.* meminit: ibi *reliquias* (hostium) *vltra Nicrum fluuium & Albam remouit.* AUSONIUS *Mosella vers. 423.* canit:

Hostibus exactis Nicrum super & Lupodunum,
Et fontem Latiis ignotum annalibus Histri.

Et SIDONIUS APOLLINARIS *ad Auitum Paneg. vers. 324.*

Bructerus vlua, vel quem Nicer abluit vnda,
Prorumpit Francus.

AMMIANUS *Lib. XXVIII. Cap. II.* *praeterlabentem Nicro nomine fluuium* memorat, ubi Valentiniani munimentum describit. *Neccarum* vocat EGINHARDUS *in historia translationis diuorum Marcellini ac Petri:* nomine hodiernae adpellationi *Necker* adprime congruente. *Moenum* PLINIUS *Lib. IX. Cap. XV.* & TACITUS *Germ. Cap. XXVIII.* memorant. *Moenus* dicitur apud POMPONIUM *Lib. III. Cap. III.* De *Mano* EUMENIUM modo audiuimus. *Menum* AMMIANUS MARCELLINUS *Lib. XVII. Cap. II.* scribit: ibi, *Germani trans Menum nomine fluuium ad opitulandum suis necessitudinibus aduolarunt:* Seriore aeuo idem flumen Moenus, *Mogonus*, & *Moganus*, dici consueuit: vt passim in REGINONE, aliisque eius aeui auctoribus, cernere licet. An vero quondam *Mogus* etiam *Moenus* dictus fuerit, vt inde Mogontiaci, seu Magontiaci, nomen ortum sit? quod GUNTHERUS *Ligur. Lib. I. vers. 384.*

Nomen ab infuso recipit Moguntia Mogo

constituit: non equidem facile iudicauerim. *SALA*, cum Moeno confluens, scriptori veterum cognitus nulli est; si nomen ipsum respexeris. Vbi autem AMMIANUS *Lib. XXVIII. Cap. V. Burgundios*, dicit, *salinarum finiumque causa Alemannis saepe iurgasse:* certe hic Sala, qui tum inter Alemannos & Burgundiones fluxit, & salinis abundauit, intelligitur. Et grauiter itaque HENR. VALESIUS *in Comment. ad illum locum* errat, dum Salam TACITI *Ann. Lib. XIII. Cap. LVII.* & has AMMIANI salinas, vno in loco quaesiit: sed de eo infra in Burgundionibus inquiremus. *LANUS* non magis antiquis notus amnis est. Putat tamen BROWERUS a VENANTIO FORTUNATO *Lib. VII. Carm. VII. Laugonam* Lanum illum adpellari: cum maxime vetusta diplomata

pæ ſuas affundentes aquas.

huc defertur, & *ALISONEM* fluuium, qui & *Eliſo* audit, & licet perexiguus, magnum tamen in antiquitate accepit nomen, ſuperius hauſtum, ſecum trahit (*p*). Extremus hoc ex latere *ISALA*, ſeu *Sala*, fluuius non tam intrat Rhenum, quam eius fit aquis auctior, & in Fleuum exit lacum. Olim Sala, poſtquam tranſiiſſet lacum, ipſo *Fleui* ſuſcepto nomine aquas

Fluuiorum Hiſtoria.

Logana vocem, vt *Lanum*, ſeu *Lonum*, denotet, ſimul adprobent. Verba poëtæ ſunt ad ducem Lupum:

Tamque diu pugnas, acie fugiente, ſequutus,
Laugona dum Vitreis terminus eſſet aquis.

SEGUM, ſiue *Sigum*, non fuiſſe antiquitati ignoratum, quidam ex PTOLEMÆI oppido, quod in Germania ponit, quodque Σεγύδουνον adpellat, coniiciunt. Nos infra in Sigambris de eo dicemus: fortaſſis autem minus recte ad Segum illud referatur. Magis ex nomine *Sigambrorum* gentis, amnem, quem coluerunt, *Sigum* dictum eſſe, arbitrere; & illuſtriori adeo monimento fluentum antiquitati vindices. *RURA* ſeriore eſt æuo illuſtrata: eius tamen RUBRÆ nomine meminit etiam GEOGRAPHUS RAUENNAS *Lib. IV.* vbi ſimul *Logana* amnis, de quo ante dictum, mentionem facit.

(*p*) *LUPPIA* eſt STRABONI *Lupias* Λουπίας: ſed errat inſigniter, cum Lupiam ſuum in oceanum cum Amiſia deducit. *Lib. VII.* poſt initium ait: *ἐπὶ τ' αὐτὰ τῷ Ἀμασίᾳ φέρονται Βισουργίς τε καὶ Λουπίας ποταμὸς, in eandem partem, in quam Amiſia, feruntur Viſurgis & Lupia.* VELLEIUS PATERCULUS *Lib. II. Cap. CV. Pietas ſua Cæſarem,* inquit, *pene iam obſtructis hieme Alpibus, in Vrbem traxit: ad tutelam imperii cum Veris initio reduxit in Germaniam; in cuius mediis finibus, ad caput Lupiæ fluminis* (corruptum hic *Juliæ* vocabulum recte LIPSIUS, BOECLERUS, HEINSIUS, expunxerunt,) *hiberna digrediens princeps locauerat.* Vt hoc Luppiæ caput, hibernis Tiberii nobile, magis Illuſtriſſimus FURSTENBERGIUS, imperii quondam princeps Epiſcopus, ſeculi ſui decus atque ſummum lumen, illuſtraret, monumentum illi egregium additis laudibus poſuit:

FONTES LVPPIAE
MEMORIAE. SACRVM
LVPPIA. ROMANIS ANNALIBVS
INCLYTVS. AMNIS
NEC. MINVS. IN. FRANCA. NOBILIS. HISTORIA
HIC. ORITVR. NOMENQVE. DEDIT
FAMAMQVE. NERONVM
QVO. SITA. MAIORIS. CASTRA
FVERE. LOCO
ET. QVEM. CONCILIO. PRO. RELIGIONE. VOCATO
SAXONIAE. CAROLVM. TER. CELEBRASSE. FERVNT
DEVENERARE. SACRVM. FLVVII
CAPVT. HOSPES. ET. OLIM
CELATIS. NILI. PRAEFER. ORIGINIBVS
QVI. LICET. INNVMERIS. TVMIDVS. PETAT. AMNIBVS. AEQVOR
FONTE. TAMEN. MAIVS. LVPPIA NOMEN. HABET

Luppiam, vocat hoc monumentum optimo iure, cum & TACITUS gemi-

Flumen Fiſona. aquas acceptas in *oſtio Fleuo* dedit oceano. Hodie, ex quo Sala intrat lacum, ſorbetur & deuoratur cum *VECHTO*, Bructerorum quondam amne propinquo, ſed diuerſum tenente curſum; quem male pro Ptolemæi acceptum *Vidro* a multis auctoribus eſſe, transeundo monemus: nec iam ſui vltra ſimilis lacus viſitur, ſed mare eſt ingens, & continuo æſtu vaſto oceano communicatur (*q*).

VIII. In-

nata littera vtatur, & hodiernum fluminis nomen *Lippe*, illam ſeruet. TACITUS *Ann. Lib. I. Cap. LX. Ductum inde agmen ad vltimos Bructerorum, quantumque Amiſiam & Luppiam amnes inter, vaſtatum: haud procul Teutoburgienſi ſaltu. Lib. II. Cap. VII. Ipſe*, (Germanicus) *auxilio caſtellum, Luppiæ flumini adpoſitum, obſideri, ſex legiones eo duxit. Hiſtor. Lib. V. Cap. XXII. Multa luce reuecti hoſtes, captiuis nauibus, prætoriam triremem flumine Luppia donum Veledæ traxere.* POMPONIUS autem *Lib. III. Cap. III* vt STRABO & VELLEIUS, ſimplici littera *Lupiam* ſcripſit: *Amnium in Rhenum exeuntium, Mœnis & Lupia clariſſimi.* Et apud DIONEM CASSIUM *Lib. LIV.* λουπίας eſt: ὥστε Δρούσον, ἀντικαταφρονήσαντα αὐτῶν, ἐκεῖ ᾗ ὅ τε Λουπίας καὶ ὁ Ἐλίσων συμμίγνυνται, φρούριόν τι σφίσιν ἐπιτειχίσαι, *vt Druſus contemtis iis, ad Lupiæ & Eliſonis confluentes, caſtellum contra eos exſtrueret. ELISO* amnis, quem ſimul DIO memorat, hodie *Alme* dicitur, & haud procul Paderborna cum Luppia confluit. An idem flumen indicet TACITUS *Ann. Lib. II. Cap. VII.* & *Aliſonem* vocet; *Cuncta inter Caſtellum Aliſonem, ac Rhenum, nouis limitibus aggeribusque permunita:* vtrum ſine intercifo *caſtellum Aliſonem* coniungere oporteat, vt, quod VELLEIUS *Lib. II. Cap. CXX.* vt locum deſcripſit; *qui ſub circumdati Aliſone immenſis Germanorum copiis obſidebantur*; Aliſo pro nomine caſtelli habeatur? magnam id in eruditorum controuerſiam vocatum eſt. VERTRANIUS, LIPSIUS, FREINSHEMIUS, incidunt voces: vt caſtellum ſit, quod proxime dixeras *Luppiæ flumini adpoſitum.* Contra TH. RYCKIUS, CLUUERIUS, GRONOUIUS, coniungunt ſine interciſo, ad VELLEIUM maxime contuiti: quæ & nobis videtur verior ſententia, cum nihilominus amnis Eliſo ſuam ſeruet celebritatem, licet a TACITO non ſit Aliſonis nomine compellatus. De caſtello Aliſone inquiremus in Sigambris. De lite eruditorum, cuius meminimus, conf. CLUUERIUS *Germ. Ant. Lib. III. Cap. IX.* NIC. SCHATENIUS *Hiſt. Weſtf. Lib. I. fol. XLIII.*

(*q*) *ISALA*, ſeu *Sala*, ſi nomen ſpectaueris, antiquitati prorſus ignotus amnis eſt; ſi rem ipſam, poſt Rhenum in Germania clariſſimus exſtitit. JOH. IS. PONTANUS *Chorogr. diſcept. XXXI.* contendit quidem, Salam, quem STRABO *Lib. VII.* memorat, noſtrum Salam eſſe. Si quis vero ex DIONE *Lib. LV.* extremam Druſi expeditionem conſideraverit, videritque STRABONEM ſcribere Druſi obitum inter Salam & Rhenum accidiſſe; næ is PONTANO minime

Amnes inter Rhenum & Visurgim. *Fluuiorum Historia.*

VIII. Inter Rhenum & Visurgim, secundum celebriorum Germaniæ fluminum, non procul ab Isala *VNSINGIS* est amnis, qui in portum *Manarmanis*, quem Romani adpellarunt, excurrisse antiquitus creditur; isque diu ille disputatus procul dubio fuit amnis, ad quem Vitellius commissas sibi duas a Germanico legiones, æstu antea prope submersas, tandem perduxit. Prope abhinc *AMISIVS*, *Amasius*, *Amisia*, & *Amasia*, tot vicibus vna hæc vox apud Romanos scriptores variatur; haud procul a Teutoburgiensi saltu ortus, cursu ab oriente in occidentem, & deinceps in septentriones, directo, medius Chaucos inter & Frisios ad *Burchanam* insulam duplici ostio in oceanum delabitur; æternamque memoriam ex Drusi & Germanici seruat expeditionibus (*r*).

IX. Se-

adsentietur, sed facile diuersum Salam, qui cum Albi miscetur, a STRABONE designari agnoscet: sed de hoc Sala infra pluribus. Noster autem Sala Rheni aquis Drusiana adductis fossa, auctus, vtique cœpit, sed alieno, Rheni inquam tertii aluei, nomine, inter Romanos clarus celebrisque esse. De fossa alibi dicendi superat locus. Cum Rheno coniunctus Sala per lacum quondam in ostium Fleuum excurrir. Audiamus POMPONIUM *Lib. III. Cap. II.* Rhenus - - - *ad dextrum primo angustus, & sui similis, post, ripis longe & late recedentibus, iam non amnis, sed ingens lacus, vbi campos impleuit, Fleuus dicitur: eiusdemque nominis insulam amplexus, fit iterum arctior, iterumque fluuius emittitur.* Quæ hic de antiquo statu curiose eruditus quidam vir docuit, in Frisiis memorabimus. Notamus modo, *Vechtum* Bructerorum amnem, infra Salam simul in lacum excurrere; & opinionem esse, noua fossa a Sala Rhenum ad Vechtum olim ductum esse, & cum Vechto demum, Isalæ priore alueo pene exhausto, singularique eius ostio arenis obstructo, in ostium Fleuum se exonerasse. *VECHTUS*, siue *Vechta*, non est magis; quam Sala, Romanæ cognitus antiquitati. Qui enim eum a PTOLEMÆO Οὐίδρου ποταμοῦ, *Vidri*, siue *Widri* fluuii, nomine indicatum crediderunt, ORTELIUS, HADR. JUNIUS, CLUUERIUS, & nuper quoque THEOD. RYCKIUS ad TACITI *Ann. Lib. I. Cap. LXX.* quam maxime ii errasse, indice MENSONE ALTINGIO, viro illius regionis peritissimo, sunt satis conuicti. Idem MENSO ALTINGIUS *Not. Germ. Inf. fol. CXV.* Isalæ nomen commode interpretatus est, de *Tsala*, siue *amne inter Salas; quippe consueuisse Rheni diuortiorum accolas depressius solum, cui aqua reses superstare soleat, siue tacitis laticibus eo colliquata, siue data opera pecori aquando corriuata, siue eluuionibus effusa, Salam vocare:* vnde nominis capta origo.

(*r*) *VNSINGIM* amnem, & *Manarmanis portum*, prope nesciremus, nisi vir

Eluirum Viſuria.

IX. Sequens oceani littus VISVRGIS, qui & *Biſurgis* audit, & *Viſurgus*, ſecundus ex iis Germaniæ maioribus fluuiis, qui a meridie verſus ſeptentriones curſum tenent, legit. Ortus iſte paulo infra Mœnum amnis, dextra parte ſui, *ADRANAM*, in Cattis flumen, quod ſuo quondam Germanicus tranſitu fecit celebre, & cum quo *FVLDA* amnis fluit, haurit. Longe deinde inferius ſiniſtræ Viſurgis ripæ in priſco Chau-

Viſurgis & quæ ille ſecum rapit, fluenta alia.

ſummus, MENSO ALTINGIUS, ſua cura & induſtria dubiæ antiquitati conſuluiſſet. *Vnſingim in laudata notitia fol. CXXIX.* primus ipſe in TACITO *Ann. I. Cap. LXX.* vbi, *penetratum ad amnem Viſurgim, quo Cæſar claſſe contenderat*, oſtendit; docuitque contra omnem hucusq; rationem, vocem *Viſurgim*, cum Cæſar in Galliam contenderet, ab eruditis toleratam eſſe. Monſtrat *Hunſing amnem eſſe antiquitus adpellatum, qui in Friſiorum paludibus ad ortum extremis ortus, Vniverſum Trentonum pagum, & poſt lacum Larium, Groninganum etiam agrum, tortuoſis flexibus permeet; & denique recepto Aba, iam maximarum nauium ferax, in portum Manarmanem ſe effundat.* Declarat, magnam agri portionem, infra ipſam Grœningam, in ripa eius dextra, *Hunſingiam* hodieque adpellari: eiusque extremum ad ipſum portum & oceanum angulum, cui *Marna*, & incolarum *Marnſters*, quaſi *Marnemans*, hodie nomen ſit, haud dubie portui *Manarmani*, ſiue potius *Marnamani*, in quem quippe vetus Vnſingis effunditur, nomen feciſſe. Indicat, quam leui litterarum permutatione loco *Vnſingim*, vox altera, *Viſurgim*, ab imperitis locorum criticis fuerit ſubſtituta: vnde magnæ litis magnorumque errorum, eruditis ſuppeditata ſit occaſio. TACITUM demum ita exponit, vt dubitationis nihil vltra ſit reliquum, ſi ad Manarmanis portum & Vnſingim, poſt longa ſecula demum repertos, ſagacem illum antiquitatis inueſtigatorem ſequuti, rite contueamur. Ceterum portum Manarmanis PTOLEMÆUS nominauit inter Rheni & Vidri oſtia; *Μαναρμανὶς λιμὴν*: nec tamen non CLUUERIUS, LIPSIUS, aliique, auſi ſunt ad ingentem lacum, qui Auſtrinum mare hodie vocatur, eum ponere. MARCIANUS *in Periplo Mararmanum* eundem portum vocauit, ſed per multos errores lapſus: licet eius vocabulo cum hodierno nomine prope magis, quam alteri PTOLEMÆI, conueniat. Vid. adhuc ipſe ALTINGIUS *fol. XC.* Ab Vnſingi proximum *AMISII* amnis exſtitit oſtium. *Amiſium* nominant POMPONIUS *Lib. III. Cap. III. Amnium exeuntium in oceanum, Amiſius, Viſurgis, & Albis, clariſſimi*: PLINIUS *Lib. IV. Cap. XV. Albis, Viſurgis, Amiſius, Rhenus.* TACITUS ſemper *Amiſiam* vocavit flumen, *Ann. I. Cap. LX. Cæcinam cum quadraginta cohortibus Romanis* (Germanicus Cæſar,) *diſtrahendo hoſti per Bructeros ad flumen Amiſiam mittit.* Et paucis interiectis: *quantum Amiſiam & Luppiam amnes inter vaſtatum* Et *Cap. LXIII. Mox reducto ad Amiſiam exercitu.* Adde

Chaucorum Cheruscorumque confinio *ALARA* affunditur; extra quem, non minus amnem inglorium, reliqui, qui Visurgim ingrediuntur, fluuii in nulla prorsus historia inuenere nomen (*s*). Ipse Visurgis multoties a Druso & Tiberio fratribus, a Germanico & aliis Romanorum ducibus, est transitus, multaque vicissim damna apud eum data sunt & accepta. Nun- *Fluuiorum Historia.*

Ann. II Cap. VIII. & XXII. de nauigationibus Germanici Cæsaris ad Amisiam. *Amasiam* agnoscit STRABO *Lib. VII.* Εἰσὶ ποταμοὶ πλωτοὶ, ὧν ἐν τῷ Ἀμασίᾳ Δροῦσος Βρουκτέρους κατεναυμάχησε, *Sunt*, inquit, *amnes nauigabiles*, (in Germania) *de quibus est Amasia, in quo Bructeros Drusus proelio nauali vicit.* Ἀμάσιος ποταμὸς dicitur PTOLEMÆO; eiusque illæ ἐκβολαὶ, *Amasii fluminis ostia, Lib. II. Cap. XI.* percenset. Sunt autem duo Amisii ostia, quorum vnum *Barchanam* insulam, quam veteres dixerunt, ab occidente, alterum ad orientem, contingere cernitur. Illud ad orientem Amisii ostium PTOLEMÆI vtique illud est, quod ἐκβολὰς Ἀμασίου ποταμοῦ nominat: id vero hodie minus putatur tutum esse. Quod ad occidentem Burchanam adluit, non *Amisio*, sed *Vidro*, PTOLEMÆUM tribuere, ante iam dictum est. *Vidrus* seu *Vider* creditur dictus esse occidentalis Amisii alueus, quasi *Weiter*, *Wider*; vnde PTOLEMÆI ille Οὐίδρος demum nuncupatus. Numeros PTOLEMÆI hac in causa non ab adsertione abludere, docuit MENSO ALTINGIUS, cui item PTOLEMÆI hæc iusta debetur interpretatio.

(*s*) Βίσουργις STRABONI est *Lib. VII.* Οὐΐσουργις PTOLEMÆO *Lib. II. Cap. XI.* & alio loco Οὐϊσούργιος: DIONI *Lib. LV.* ineunte Οὐΐσουργος. VELLEIUS *Lib. II. Cap. CV. Intrata protinus*, inquit, *Germania: subacti Bructeri, recepti Cherusci, gentes & amnis, mox nostra clade nobilis, transitus Visurgis.* MELA in clarissimis Germaniæ amnibus Visurgim nominauit. Apud PLINIUM idem amnis nomen est, nec non apud TACITUM locis crebris: *Ann. I. Cap. LXX. Lib. II. Cap. IX. XI. XVI. XVII.* SIDONIUS APOLLINARIS *Narbone* siue *Carm. XXIII. Verſ. 244.* eodem vsus nomine;

Tu { *Nicrum* / *Tuncrum* }, *& Vachalim,*
Visurgin, Albin,
Francorum & penitissimas paludes,
Intrares.

Hodie fluuius *Weser* dicitur, media ætate variis insignitus vocabulis; vt modo *Visuris*, modo *Wisaraba*, *Wesera*, *Wisera*, *Wirraba*, *Wierra*, vocaretur. Conf. ADAMUS BREMENSIS; WANDELBERTUS *historia diui Bonifacii*, AIMOINUS; & passim alii. Duplex fluuii nomen, vt *Werre* nominetur, qua a fontibus ad Fuldam confluentem; & qua inde ad oceanum, profluit, *Weser*; ex medio æuo, quod vocabula docent, est. *ADRANAM*, nunc *Eder* dictum flumen, TACITUS *Ann. I. Cap. LVI.* de Germanico meminit. *Cattis adeo improuisus aduenit, vt quod imbecillum ætate ac sexu, statim captum aut trucidatum sit: iuuentus flumen Adranam natando tramiserat, Romanosque pontem captantes arcebant.*

Fluuiorum Historia. Nunquam tamen, quicquid Romani ſunt gloriati, ſi breue illud tempus exceperis, quo Varus caſtra in illis regionibus habuit; potuere ſuam ad vsque illum fluuium ditionem protendere, ſed Germanis eum ſunt coacti ſemper tutum liberumque relinquere.

X. Tertius illuſtriorum ex magnitudine fluuiorum Albis. ALBIS eſt, & *Albius*, *Albaque*, a diuerſis auctoribus adpellatus. Ortus iſte non, quod Tacito viſum eſt, in Hermunduris, ſed in Marcomannis, inclitus amnis, Semnonum Hermundurorumque fines præterfluxit; Cheruſcosque deinde & Chaucos a plurimis Transalbinis gentibus ſeparauit, adeoque mediam prope antiquam ſecuit Germaniam: vere autem terminus fuit antiquæ geographiæ Germanicæ, quantum eam debemus Romanis; qui ipſi, omnia ſibi poſt Albim eſſe incerta, confeſſi ſunt. Nempe præter Druſum & Tiberium nullus Romanorum bellando ad Albim penetrauit. Vnus An. V.C. DCCLIV. Ant. C.N. VIII. Domitius Ahenobarbus, cum curioſitatis ergo cum paucis tranſiiſſet, triumphalia meruit ornamenta (*t*). Tanta Romæ

K 2

FULDAM, & ALTERAM, ſiue *Alteram*, amnes, veterum auctorum memorauit nullus.

(*s*) In *ALBIS* nomine conſentiunt plerique; STRABO, PTOLEMÆUS, quibus ſemper ὁ Ἄλβις: POMPONIUS, PLINIUS, & alii plures. VELLEIUS deſcribit Albim *Lib. II, Cap. CVI. a Rheno vsque ad Albim, qui Semnonum, Hermundurorumque, fines præterfluit.* SENECA *Medea Verſ. 371.*

Nil, qua fuerat, ſede relinquit
Peruius orbis.
Indus gelidum potat Araxem,
Albim Perſæ, Rhenumque bibunt.

VOPISCUS *in Probo Cap. XIII. Albam* vocat noſtrum Albim; vt DIO *Lib. LV.* Ἄλβιον, *Albium.* TACITUS, qui ſemper *Albim* vocat, *Ann. I. Cap. LIX. Lib. II. Cap. XIV. XIX. XXII. XLI.* fontes Albis perperam in Hermunduris quæſiit *Germ. Cap. XLI. In Hermunduris*, ait, *Albis oritur, flumen inclitum & notum olim, nunc tantum auditur.* Lapſum eſſe per errorem, vt flumen *Egram*, quod cum adoleſcente Albi confluit, pro ipſo Albi acceperit; quilibet facile iudicat. Veros Albis ortus alius locus declarabit. De Domitii tranſitu Albis TACITUS *Ann. IV. Cap. XLIV.* ait: *poſt exercitu flumen Albim tranſcendit, longius penetrata Germania, quam quisquam priorum, easque ob res inſignia triumphi adeptus eſt.* STRABO *Lib. VII.* dicit, *plures fortasſis gentes cognitas futuras fuiſſe*, εἰ ἐπέτρεπε τοῖς στρατηγοῖς ὁ Σεβαστὸς, διαβαίνειν τὸν Ἄλβιν, μετιοῦσι τοὺς ἐκεῖσε ἐπανισταμένους, νυνὶ δὲ εὐπορώτερον ὑπέλαβε στρατηγεῖν τὸν ἐν χερσὶ

mæ erat gloria, clarisſimum & fere ignotum Germaniæ tentaſſe flumen! Sequente interim ætate, qui fluuius medium Germaniæ antiquæ tenuerat, extremus fere factus eſt. Sarmatæ, quod dixi, effuſi in vicinam, vacuamque fere relictam, Germaniam Transalbina pleraque occuparunt. Licet etiam ſuccedente tempore armis Germanorum coloni opprimerentur noui; tarde tamen id confectum eſt negotium: adeoque ſatis diu Germanici nominis Albis prope finis exſtitit.

Fluuiorum Hiſtoria.

Sec. V. VI.

Amnes in Albim ex ripa vtraque irruentes.

XI. Ceterum ſiniſtræ dextræque Albis parti plurima fluenta affunduntur. Siniſtræ ripæ noſter amnis *SALA*, ſalinis vetuſtisſimis, quas quondam Catti Hermundurique contermini magna traxerunt vi, nobilis admiſcetur. Superius Sala *VNSTRVTAM*, non quidem in antiquitate, aſt eo magis in ætate media, clarum fluuium, exhaurit. In dextrum Albis littus *SVEVVM*, flumen antiqui nominis, ſed perobſcuri, quidam deriuant; iidemque hoc Longobardorum Semnonumque fluentum *SPREAM* interpretantur (b). Quicquid

An. LVIII.

πόλεμον, εἰ τῶν ἔξω τῦ Ἄλβιος καθ' ἡσυχίαν ὄντων ἀπίχοιτο καὶ μὴ παροξύνοιτο πρὸς τὴν κοινωνίαν τῆς ἔχθρας. *Si Auguſtus militibus permiſiſſet, vt transmiſſo albi eo rebellantes perſequerentur. Sed promtius cenſuit Auguſtus, ſe bellum, quod erat præ manibus, confecturum, ſi populos vltra Albim ſitos, nihilque mouentes, miſſos faceret, neque irritatos maleficio ad ſocietatem cum hoſtibus ineundam inuitaret.* Adeo tum, cum ſperaret Auguſtus Germaniam prouinciam facere, Albis ægre tentatus eſt. Quo magis vaniloqui panegyrici & poetæ ſeculi tertii, quartique, qui victorias imperatorum ad Albim vsque prolatas gloriati ſunt. Inepte profecto glorioſum militem CLAUDIANUS *de laudibus Stiliconis Lib. I. verſ. 224.* imitatur:

Vt iam trans fluuium non indignante Caico
Paſcat Belga pecus, mediumque ingreſſa per Albim
Gallica Francorum montes armenta pererrent.

(b) *SALÆ* nominatim STRABO *Lib. VII.* meminit: Ἔστι καὶ Σάλας ποταμὸς, ὃ μεταξὺ καὶ τῦ Ρήνυ πολεμῶν καὶ κατορθῶν Δροῦσος ἐτελεύτησεν ὁ Γερμανικὸς, *Eſt & Sala fluuius, inter quem & Rhenum bellum feliciter gerens Druſus Germanicus obiit.* Quodſi hic DIONEM *Lib. LV.* de Druſi vltima expeditione audis differentem: ἐς τε τὴν τῶν χάττων ἐσέβαλε, καὶ προῆλθε μέχρι τῆς Συηβίας - - - κἀντεῦθεν πρός τε τὴν χερυσκίδα μετέστη, καὶ τὸν Οὐίσυργον διαβὰς ἤλασε μέχρι τῦ Ἄλβιος πάντα πορθῶν, *in Chattorum fines ingreſſus, ad Suenos uſque peruenit: - - - inde, in Cheruſcos conuerſo itinere, Viſurgim transgreſſus, omnia populando, ad Albim uſque*

Fluuius Isaria. quid tamen afferant rationum, non eas satis censemus dignas, vt coniecturam illam adprobemus.

XII. Infra Albim versus septentriones, in ipsa Cimbrica Chersoneso, est *EIDORA* seu *Egidora* amnis; extremus, qui in Germanicum se oceanum exonerat: idemque prisco quidem ignotus prorsus, sed illustrior tempore medio, tumque insignis a Carolo statutus Germaniæ Daniæque terminus. *Amnes inter Albim & Viadrum.*

An. DCCCXI.

peruenit. Tum a spectro, ne Albim transcenderet, prohibitus, *παραχρῆμα ἀπέβη, σπουδῇ τε ὑποστρέψαντος αὐτοῦ, καὶ ἐν τῇ ὁδῷ νόσῳ τινὶ, πρὶν ἐπὶ τὸν Ῥῆνον ἐλθεῖν, τελευτήσαντος*, *confestim retro ire cœpit, & in itinere, priusquam Rhenum attingeret, morbo exstinctus est.* Qui, inquam, alium Salam credideris a STRABONE intelligi, quam qui in Hermunduris ortus, hos inter & Cattos medius fluxit, donec in Albim euolueretur? Primum Drusus per Chattos ad Hermunduros, seu Sueuos, vsque penetrauit; inde conuerso itinere, & superiore Visurgi transito, in Cheruscos inuasit, Albimque petiit: ex Chattis enim, nisi transmisso Sala, ad Albim peruadere non poterat. Ab Albis prohibitus transitu statim in Cattos retro concessit, vbi cum porro ad Rhenum tenderet, vtique Salam habuit a tergo; adeoque cum moreretur prope Magontiacum, quod EUTROPIUS *Lib. VII. Cap. VIII.* suadere videtur, recte, inter Salam & Rhenum occubuisse, a STRABONE dici potuit. Et ergo PONTANUS errauit, qui STRABONIS Salam de Isala interpretatus est; & HADR. VALESIUS, qui in *Notitia Galliarum* STRABONEM Salam, qui Mœno miscetur, respexisse arbitratus est: huiusquippe STRABO inter maiores Germaniæ fluuios rationem habuisse, ægre censeri potest. Sine nomine TACITUS *Ann. XIII. Cap. LVII.* Salam descripsit. *Eadem*, inquit, *æstate inter Hermunduros Cattosque certatum magno prælio, dum flumen, gignendo sale fœcundum & conterminum vi trahunt; super libidinem cuncta armis agendi, religione insita, eos maxime locos propinquare cælo, precesque mortalium a deis nusquam propius audiri, inde indulgentia numinum illo in amne, illisque siluis, salem prouenire, non vt alias apud gentes eluuie maris arescente vnda, sed super ardentem arborum struem fusa; ex contrariis inter se elementis, igne atque aquis concretum.* Scilicet salinæ tum iuxta Salam ex ipso adhuc flumine maxime prouenisse videntur: fortassis & tamen prope flumen iam fontes inuenti fuerunt, qui salis parandi largirentur copiam. *VNSTRUTA* vocatur *Onestrude*, apud GREGORIUM TURONENSEM *Hist. Francorum Lib. III. Cap. IV.* *Vnstrote* apud ADAMUM BREM. *Hist. Eccles. Lib. I. Cap. IV.* Fluuius in Thuringico bello, quod præter GREGORIUM TURONENSEM AIMOINUS, VVITTECHINDUS & VENANTIUS FORTUNATUS *in poëmate de excidio Thuringiæ*, descripserunt, admodum memorabilis. *SPREAM*, qui profluens ex Boiohæmicis montibus in Hauelam flumen excurrit, non nouit antiquitas. Quidam *SUEUUM* PTO-

Fluuiorum Historia.

A tergo eiusdem cherſoneſi, quam fere Eidora ſecat, *CHALVSVS* eſt, qui ſequente ætate *Traua* aſſumſit, hodieque gerit, nomen; & primus Ciſmarinæ Germaniæ in Codanum ſinum, quem hodie *BALTHICVM* adpellamus mare, effunditur (*x*).

Viadus.

XIII. Quartus maiorum Germaniæ fluminum, quæ in ſeptentriones a meridie curſum agunt, ſuccedit VIADVS: qui & *Viadrus*, *Viader*, audit, & *Odera*. Et de iſtis quidem vocabulis, quin eundem fluuium ingentem denotent, dubium nullum eſt. Diſputatur autem de *GVTHALO*, & magis de *SVEVO:* an diuerſa ſint flumina? an diuerſa Viadi nomina? an oſtiorum Viadri, nam plura ſunt, diſtinctæ adpellationes? Meam & quidem magnam hanc eruditorum litem facere non auſim. Putem tamen Guthalum cum Viado plane eſſe eundem, nec valde Sueui vocabulum alienum eſſe: cum primum Guthalus inter Albim Viſtulamque fuerit neceſſe ſit; deinde Sueuus inter illos a Ptolemæo referatur fluuios, qui in ipſum ſe oceanum exonerant; poſtea ipſam Sueui vocem vnum Viadi oſtium hodieque imitetur; & denique omnem hunc tractum Sueui olim tenuerint; ad fluuii vocabulum

LEMÆI de Sprea ſunt interpretati, ſed male: ſiquidem non niſi fluuios excurrentes in mare PTOLEMÆUS illo loco, vbi Sueui meminit, reſpexit. Illi tamen amnes Sprea, Hauela, Pene, & plures, a TACITO haud dubie intelliguntur, vt vero ignorauerit nomina, vbi *Germ Cap. XL.* ait: *Reudingi deinde, & Cauiones, & Angli, & Varini, & Eudoſes, & Suardones, & Nuithones, fluminibus aut ſiluis muniuntur.*

(*x*) *EIDORA*, ſeu *Egidora*, vocatur in *Annalibus Francorum* alio loco notatis, necnon apud ALBERTUM STAD. *Ann. DCCCXI.* vbi conſtitutum inter Saxoniam & Daniam limitem cernis. *CHALUSUM* habes PTOLEMÆus, & ex eius numeris, & populorum poſitione, manifeſtum fit, amnem Chaluſo notari, qui hodie *Traue* vocatur, & Lubecam perluit, inde in *Balticum mare* excurrens. *Baltiam* inſulam memorauit XENOPHON LAMPSACENUS. Male autem ABR. ORTELIUS *Baltici maris* nomen ipſi XENOPHONTI tribuit; cum modo ALB. CRANZIUS ſub hiſtoriarum initium ſuſpicatus fuerit, hoc eſſe maris nomen, quam vulgo credatur, antiquius. Vere ante HELMOLDUM, & ADAMUM BREMENSEM, vix occurrit auctor, qui Balticum mare nuncupauerit.

Fluuiorum historia. bulum non male a gentis adpellatione hic producto argumento (y).

XIV. Extremum, quantum ad antiquam Germaniam, in eodem mari Sueuico, in quo Viadus, abluitur etiam VISTVLA: qui & *Vistilli*, *Visulæ*, *Bisulæ*, *Vistlæ*, & *Viscla* vocabulis, &, si nouæ auctoritati fides est, parua sui parte, aut magis, vbi minore amne, hodieque *Rodaune* dicto, augetur, Vistula. *ERI-*

(y) Post Albim parum certe Romani nouerant, indeque & amnium vlteriorum confusam notitiam vix mirari conuenit. MELA præter *Visulam* post Albim non alium nouit amnem. PLINIUS habet *Vistulam* & *Guttalum*; SOLINUS *de internis eius* (Germaniæ) *partibus*, ait, *Albis*, *Guthalus*, *Vistula*, *amnes altissimi*, *præcipitantur in oceanum*. PTOLEMÆUS *Chalusum*, *Sueuum*, *Viadrum*, *Vistulam*, nominat. *VIADUS*, siue potius *Viadrus*, idem vtique fluuius est, quem ex Sarmatarum, qui eum longis iam seculis adcoluerunt, vsu hodie *Oderam*, seu *Oderam*, quod vocabulum iam HELMOLDUS *in Slauorum Chronico* protulit, compellamus. Lis vero grauis est de *SUEUO* PTOLEMÆI, & PLINII atque SOLINI *GUTTALO*, siue *Guthalo*. Quid obstet Sueuum de Sprea interpretantibus; ante dictum. Quid nos iuuet, Sueuum de diuerso Viadri ostio accipientes; ipsa habet nostra commentatio. Tria Viadri ostia, per insulas VVollinam & Vsedomiam separata, nouimus: citimum, quod *Pene* amnem simul effundit, eius nomen induit; medium *Suine*, seu *Suene*, adpellatur, quod prope ad Sueui nomen accedit; vltimo *Diffenouii* adpellatio est. Dicamus Suene ostium esse PTOLEMÆI Sueuum: & enim idem duo Amisii ostia memorauit, alterumque diuerso Vidri nomine compellauit. Si vis, errasse PTOLEMÆUM, idemque flumen, quod ob accolas Sueuos etiam Sueui nomen gesserit, nescium veri regionis status, bis nominasse: non magis repugnabo. *Guttalus* PLINII, si eius ordinem, quo flumina nominat, *Lib. IV. Cap. XIV.* rite spectaueris: *Amnes clari in oceanum defluunt*, *Guttalus*, *Vistillus*, siue *Vistula*, *Albis*, *Visurgis*, *Amisius*, *Rhenus*, *Mosa*: videbatur Prussiæ quoddam flumen, forte *Pregelam*, signare. Quod vero SOLINUS, qui PLINIUM presse consueuit sequi, alium ordinem monstrauit, eum sequi & nobis placet; quod vix in Prussia clarus adeo amnis occurrat, quem PLINIUS notare potuerit; & maxime, quod nunquam videatur ille Viadrum, clarissimum inter Albim & Vistulam flumen, silentio voluisse transmittere. Ergo post Vistillam demum Guttalus PLINII ponendus esse videtur, eodemque, quem ostendit SOLINUS, ordine efferendus. Iam autem *Guttalum* PLINII, & *Guthalum* SOLINI, non alium denotare, nisi PTOLEMÆI *Viadrum*, eodem probatur argumento; quod minime videantur industrii auctores maximum inter Albim & Vistulam flumen aut ignorasse, aut tacere voluisse. Lites mittimus; Viadrum, Sueuum Guttalumque, vnum Oderam nostrum antiquitus dictum esse, vidimus.

ERIDANI apud Græcos nomine notatur (z). Fuiſſe iſtum fluuium a fonte eius ad vsque decurſum vetuſtæ regionis finem, eſt extra dubium; idque nos ſupra contra eos, qui Germanicarum nationum trans Viſtulam vrgent ſedes, ſatis ſuperque euicimus. Poſtea aſt coanguſtatum hunc eſſe Germaniæ limitem validiſſima Sarmaticarum gentium in Germaniam vi effuſa oſtendimus. Et licet inde nondum ad antiquum terminum Germania plene redierit; hodie tamen rurſus ad vsque Viſtulam & vltra Germanos plurimos longe lateque habitare, notum eſt, idque mea non hic indiget narratione. *Fluuiorum Hiſtoria.*

de fluuiis trans Viſtulam,

XV. Poſt Viſtulam *CHRONVS, RVBO, TRVNTVS, CHESIMVS*, aliique amnes, *TYRA*que fluuius, ad quem Baſtarnæ habitarunt; in Sarmatia ex antiquitate poterant nominari (*a*). Nunquam vero tam fuere in Sarmatia, quam in

(z) *VISTULÆ* nomen agnoſcunt PLINIUS, SOLINUS, Græcique homines, PTOLEMÆUS, & AGATHEMERUS; vbi Οὐιςούλα: addit vero etiam PLINIUS vocem *Viſtillus*, coniungitque *ſiue Viſtula*; quo ſupplemento male PLINIUM mulctare RHENANUS conatus eſt. In SOLINI quibusdam manuſcriptis codicibus, vocem *Viſtla*, ſiue *Viſcla* reperiri, SALMASIUS teſtatus eſt. POMPONIUS MELA *Viſulam*, & AMMIANUS *Lib. XXII. Cap. VIII. Biſulam* adpellat eundem fluuium. In THEODOSIANA *orbis deſcriptione*, *Huiſtla* dicitur, & a IORNANDE pag 85. & 98. de Rebus Geticis, *Viſcla*. Et idem tamen JORNANDES cum PAULO DIACONO pluribus in locis *Viſtula* vocem adhibent. Indicari ab hiſce omnibus auctoribus flumen, quod vulgo *Weixel*, & *Wieſſel*, ſiue *Weiſſel*, adpellatur; dubitare nos nihil omnino facit. *Eridanum*, & *Rhodanum*, eundem Viſtulam a Græcis auctoribus nominatum eſſe, inde accepto vſu, quod amnis, qui in Viſtulam prope Dantiſcum ſe exonerat, ſemper *Reddaune*, ſiue *Rodaune*, dictus ſit; coniectura curioſa eſt CLUVERII *Germ. Ant. Lib. III. Cap. XXXIV. fol. CXXXVII.* qua multa in antiquitate egregie illuſtrare viſus eſt. Infra in Gothonibus rei rurſus meminerimus.

(*a*) PTOLEMÆUS *Lib. III. Cap. V.* quatuor hæc poſt Viſtulam flumina percenſet, quæ in Venedicum ſinum ſe exonerent. *CHRONUM* interpretantur Geographi de *Niemien* amne, accolis Germanis *Memel* dicto, qui in ſinum, *Curiſch Haff* compellatum, excurrit. AMMIANUS *Lib. XXII. Cap. IIX.* vocat *Chronium*, & cum Biſula coniungit: vt dubitari nequeat, PTOLEMÆI Chronum eſſe; licet populos iuxta ſitos mirum in modum ibidem confundat MARCELLINUS.

Fluuiorum Historia.

in Gallia, distincti Germanorum situs, sedesque; paremque adeo accurationem in inuestigandis amnibus, qualem illic præstiti, nemo hic a me postulabit, cum & præsertim in ipsis populis de fluuiis, quos adcoluerunt, dicendis sit futurus locus commodior. Et libenter pergerem ad Transmarinam Germaniam, & fluuiorum in Scandinauia, magna antiquæ Germaniæ regione, historiam persequerer. Sed non memini, me vnquam legisse in vllo Romano Græcoque scriptore nomen fluuii, quem Scandinauia agnoscat. Media autem ætate ingentia illa terrarum spatia non quidem Germanicam linguam moresque & instituta Germanorum deposuerunt; interim a Germaniæ complexione distingui cœperunt. Vnde si vel detur fluuiorum eius terræ ex isto æuo notitia, ea huius nostri non est loci: ideoque a fluuiorum consideratione porro ad siluas montesque Germaniæ describendos stilum vertimus.

& in Transmarina Germania.

RUBO Dwina multorum consensu est; qui ortus in Moscouia, haud procul Volgæ fonte, tandem apud Rigam in sinum Venedicum se euoluit. *TURUNTUS*, *Welliko* Russis dictus, per lacus defertur, nomine hinc *Nerua* adsumto, Linoniam a Moscouia diuidit, & apud *Naruam* in Finnicum sinum illabitur. In eundem sinum *CHESINUS* excurrit, Prussis *Lobbat* nuncupatus; vt ante tamen lacum *Ilmen* apud vrbem *Weliki Nowogrod* intret, deinde, nouo suscepto nomine *Wolchoff* dictus, in *Ladogam* lacum, & per hunc demum in sinum præcipitetur. Chronus & Rubo Aestiorum fuere; reliqui duo Venedorum. *TYRA Niester*, seu *Dniester*, hodie adpellatur; forte & olim *Danaster* dictus, quo nomine JORNANDES *de Rebus Geticis pag. 84.* vtitur, licet male eum a Tyra disiungat. Nobilissimus quondam, & extremæ antiquitati celebratissimus, amnis exstitit: cuius HERODOTUS *Lib. IV Cap. LI.* SCYMNUS CHIUS *in fragmento*, STRABO *Lib VII.* & plurimi alii auctores meminere. Græcis passim & POMPONIO *Lib. II. Cap. I.* & OUIDIO *Lib IV. ex Ponto Epist. X. vers 50.* *Tyras* dicitur. Infra eum, aliaque Sarmatiæ flumina, porro videbimus.

CAPUT III.

RECENSIO SALTVVM MONTIVMQVE GERMANIAE.

I.

Saltuum montiumque consideratio.

INter SALTVS MONTIVMque IVGA, quibus hodieque nostrum non caret solum, & antiquius, quantum ad siluas, magis adhuc abundauit; vnum primo nomen generale antiquius, quod fere omnibus & siluis & montibus priscæ Germaniæ commune fuit, probe a distinctis & singularibus vocabulis dignoscendum est. Est HERCYNIVM cognomentum, quod saltibus Germaniæ omnibus attributum a Græcis Romanisque reperitur; & cuius complexione vsu recepta montes etiam Germaniæ omnes contineri, vetus nos docet historia. Nempe est credibile, cum audiissent Romani Græcique a Germanis, multas densissimas siluas montesque opacis consitos saltibus in patria ipsorum esse; iidemque vno vocabulo, quod ipsum promiscue denotaret saltus montesque, ab hisce compellarentur; existimasse illos, vere omnium vnum quoddam generale nomen esse, aut quod continuaret siluam silua, aut inops vocabulorum lingua voce vna contenta esset: nescios, quod videtur, patriam illam vocem, vnde *Hercynium* commenti nomen sunt, generatim quidem siluas indicare omnes; non tamen Germanicas magis, quam Gallicas, aut Hispanicas (*b*).

Hercynium generale cognomentum siluarum & montium German. vnde?

II.Quic-

(*b*) Sentiendi nobis CLUUERIUS *Germ. Ant. Lib. III. Cap. XLVII. & XLVIII.* occasionem dedit: & fauet vtique sententiæ nostræ omnis antiquitas. CÆSAR *Lib. VI. Bell. Gall Cap. XXV.* & POMPONIUS *Lib. III. Cap. III.* tantam *HERCYNII SALTUS* vastitatem memorant, vt saltem integræ Germaniæ siluas eius fuisse partes necesse sit. A Græcis suos de Hercynio nomine narratus Romani accepere. Si ergo Græci vbique in Germania

Saltus montesque.

II. Quicquid rei ſit, certum eſt, Romanis Græciſque per omnem veterem Germaniam HERCYNIOS MONTES & HERCYNIAS protendi SILVAS; licet & ipſi Romani in regionibus, in quibus geſſere bella, ſingularia quorundam ſaltuum & aliquot montium nomina aut paſſim deinde compererint, aut ipſi fortaſſis quædam commenti fuerint. Et qui-

Hercynii ſaltus montesque generatim per omnem Germaniam diffuſi.

L 2

Hercynios ſaltus monteſque monſtrarunt, ſane generale ipſis omnium iugorum ſaltuumque Germaniæ, non ſingulare aliquorum, nomen habitum eſſe, liquet. ERATHOSTENI & quibusdam Græcis, hanc maximam Germaniæ ſiluam fama notam, *Orciniamque* vocatam fuiſſe, CÆSAR *Cap. XXIV.* ſcribit. Recte autem de illorum opinione ex CÆSARIS narratione videtur fieri debere iudicium. ARISTOTELES *in Mirandis*, τὸν Ἴστρον ῥέοντα ἐκ τῶν Ἑρκυνίων καλουμένων δρυμῶν, *Iſtrum profluentem ex Hercyniis ſaltibus* meminit: mox de eodem Iſtro alibi loquutus, non ſolis eius fontibus, ſed fluuiis Germaniæ fere vniuerſis Hercynios montes adſignat. Ita in *Meteorologicis Lib. I. Cap. XIII.* ait: ὁ δὲ Ἴστρος δι' ὅλης τῆς Εὐρώπης ῥεῖ εἰς τὸν Εὔξεινον πόντον. τῶν δ' ἄλλων ποταμῶν οἱ πλεῖστοι πρὸς ἄρκτον ἐκ τῶν ὀρῶν Ἀρκυνίων. ταῦτα δὲ καὶ πλήθει καὶ ὕψει μέγιστα περὶ τὸν τόπον τοῦτόν ἐστιν. *Iſter totam interfluens Europam, in Pontum effunditur Euxinum, ex reliquorum fluminum numero pleraque verſus ſeptentriones e montibus Hercyniis profluunt, qui altitudine iuxta ac multitudine maximi in hac plaga habentur.* APOLLONIUS RHODIUS *Argonaut. Lib. IV.* Ἑρκύνιον, *Hercyinium montem*, quaſi vnum commune montium in Celtica nomen, in medium profert. DIODORUS SICULUS *Lib. V.* Britannicas inſulas, κατάντικρυ τῶν Ἑρκυνίων ὀνομαζομένων ὀρῶν, *contra Hercynia, quæ nominentur, iuga ſitas eſſe*, in Galatia ſua, quo nomine ſignat Germaniam, docet. Errat vero DIODORUS fere cum ARISTOTELE, cum ait; μέγιστα γὰρ ὑπάρχειν παρειλήφαμεν τῶν κατὰ τὴν Εὐρώπην, *maximos enim eſſe montes totius Europæ accepimus:* niſi, quod videtur, Hercynia iuga per omnem Germaniæ tractum quærens, ſimul in iis Alpes Ciſdanubianas referat. Cum Græcis fecit PLINIUS *Lib. XVI. Cap. I. Siluæ*, inquir, *totam reliquam Germaniam replent:* & Hercynium commune nomen *Cap. II.* illis ſiluis continuo adſcribit. Et poterant adhuc PTOLEMÆUS, CLAUDIANUS, & cum his alii plures, citari, vt diffuſum per integram Germaniam Hercynium nomen monſtraretur: ſed clara iam res eſt, & collectione teſtimoniorum eam illuſtrantium commode ſuperſedemus. Occaſio nominis Hercynii, ſiue Harcynii, quod habet ARISTOTELES, videtur clare declarata eſſe. Germanica vox *Hartz*, aut *Hart*, *bitumineam*, aut *denſam, fruticoſamque, ſiluam* ſonat. A Germanis acceperunt Græci, eſſe in patria crebros ſaltus monteſque; *Hartzen* adpellarunt: inde *Harcynium* formatum vocabulum, datumque Romanis; veriſque fortaſſis, quæ ſit propria nominis vis atque poteſtas, ignorantibus.

quidem, qui ex antiquioribus de Hercynio ſaltu communiter ſcripſere, ignari eius veræ conditionis, permetiri omnino eum, & amplitudinem quaſi continuæ ſiluæ indicare auſi ſunt. Ita ſummus auctorum Cæſar latitudinem eius IX. dierum itinere, & longitudinem LX. dierum via, deſcribere conatus, ad ipſam Germanorum fidem, ſed perperam cenſeo, prouocauit. Alii autem verius non tam toti ſiluæ montiumque iugo dedere modum, quam, quod conueniebat, eius extremitates varias indicarunt, vocabulaque diſtincta & diuerſos declararunt ſitus; quos adeoque diſtincte & partite noſtram inſtruentes notitiam maiori iure in noſtra ſequemur geographia, quam ceteros confuſe & perplexe promiſcua afferentes (c).

Saltus montesque

III. Im-

(c) CÆSAR *Lib. VI. Cap. XXIV. Hercynia*, inquit, *ſiluæ latitudo IX. dierum iter expedito patet. Oritur ab Heluetiorum, & Nemetum, & Rauracorum, finibus, rectaque fluminis Danubii regione pertinet ad fines Dacorum, & Anartium: hinc ſe flectit ſiniſtrorſus, diuerſis a flumine regionibus, multorumque gentium fines propter magnitudinem attingit. Neque quisquam eſt huius Germaniæ, qui ſe adiiſſe ad initium huius ſiluæ dicat, quum dierum iter LX. proceſſerit, aut, quo ex loco oriatur, acceperit.* Item POMPONIUS *Lib. III. Cap. III. Siluarum Hercynia, & aliquot ſunt, quæ nomen habent: ſed illa dierum ſexaginta iter occupans, ut maior aliis, ita & notior.* Menſura haud dubie ex eo capta, quod per integram Germaniam, quam eſſet lata longaque, ſiluas monteſque procurrere Germani dixerant. Fortaſſis aliqui narrauerunt, ſe IX. dies nondum latitudinem eſſe emenſos: venando autem, modoque huc, modo illuc, diſcurſando, in ſiluis forſitan errauerant, non, credo, viatorum inſtar, eam abſoluerant. Sic & eſt credibile, alios ignaris rerum Romanis Germaniæ tantam magnitudinem, perſuadere voluiſſe, vt ſexaginta dierum ſpatio ſilua, quæ ſit tota Germanica, vix abſolui potuerit; Num ergo non vltra Viſtulam procurriſſe Hercyniam, credemus? Non valde. Non neſcimus quidem, ſiluas continuari ſiluis, ipſum etiam trans Viſtulam: nec neſcimus, a plurimis geographis, qui ad Cæſarem contuiti ſunt, Hercyniam ex Germaniæ angulo ad Rhenum, Danubiumque, ad Viſtulam, indeque ad extremam protrahi Sarmatiam. Sed cum *Hercynium* nomen ex noſtra ſit lingua, ægre mihi perſuadeo, Sarmatiæ ſiluas idem habuiſſe nomen; niſi eæ, quæ fuerunt in Baſtarnis, Aeſtiisque, Germanis communi nonunquam nomine ſunt notatæ. Adhæc poſt CÆSAREM & POMPONIUM, cum ſiluæ Germanicæ natura eſſet magis perſpecta, deſiit tanta magnitudo ei tribui, & nunquam Hercynium vltra Germaniæ fines nomen prolatum reperitur.

Saltus montesque. III. Impoſita proinde ſaltuum montiumque tractui, qui ex extremo Germaniæ ad Rauracos recentemque Danubium angulo ſurgit, & late longeque ad Nicrum Tubarimque, & alios amnes, ſpargitur, nomina reperimus *MARCIANARVM* ſiluarum, & montium *ABNOBORVM*. *Abnoba* mons eſt ille, cuius molli & clementer edito iugo Danubius effuſus magnam parenti parit celebritatem. *Marciana* ſeu *Martiana* ſiluæ ſunt, quas *nigrum* hodie vocamus *ſaltum*, quorumque verum ſitum optime Juliani illud oſtendit iter, quod per Marcianas ſiluas a Rauracis ad nauigabilem Danubium feciſſe legitur (*d*). Trahuntur inde a Marcianis ſaltusque

Singularia nomina ſaltuum montiumque ad Rhenum ſuperiorem;

An. CCCLXI.

L 3 tusque

(*d*) *MARTIANA ſilua*, vt LINDENBROGIUS ſcripſit, *Marciana*, quam vocem VALESIUS agnoſcit, facilis eſt inuentu, vt a MARCELLINO, & in PEUTINGERIANA *Tabula*, ſignatur. Ille *Lib. XXI. Cap. VIII. & IX. Diſcedens*, inquit, *Julianus a Rauracis - - - profecturus per Marcianas ſiluas, viasque iunctas Hiſtri fluminis ripis - - - - - cum ad locum veniſſet, vnde nauigari poſſe didicit flumen, lembis adſcenſis, quos opportune ſors dederat plurimos, per alueum, quantum fieri potuit, ferebatur occulte:* ſcilicet in Pannoniam Sirmium verſus. Quodſi inter Rauracos Danubiique fontes ſaltus quærimus, ſunt præſto, quos *Nigra ſilua*, *Schwartz-Wald*, nomine nuncupamus; iidemque ideo ſunt, qui ab AMMIANO *Martianæ* vocantur *ſiluæ*, & quos eodem in loco PEUTINGERIANA *Tabula* ponit. Vnde aſt nomen? Non ſane a *Marte*, nec a *Martio* quodam: ſed, ſi CLUUERIUM audimus, a voce Germanorum *Schwartz*, quæ facili litterarum mutatione in propinquam vocem *Martz* eſt conuerſa. ORTELIUM Marcianas ſiluas de *Helvetiorum deſerto*, quod a PTOLEMÆO vocatur Ἐλουητίων ἔρημος, interpretari reperimus. BILIBALDUS PIRCKHAYMERUS *in deſcriptione Germ. apud* SCHARDIUM *Tomo I.* ſuperiorem nigræ ſiluæ partem putat illo vocabulo compellari. CLUUERIUS autem putat *Germ. Ant. Lib. III. Cap. II*, infra montes, qui a Danubii Nicrique fontibus, in orientem verſus, iuxta læuam Danubii ripam porriguntur, & vulgo incolis *die Alben* dicuntur, Heluetiorum deſertum contra aquilonem quæri debere. Marcianas ſiluas ab ARISTOTELE Hercynium ſimul ſaltum nominari, ante declaratum eſt. *ABNOBA* mons PTOLEMÆO Ἄβνοβα dicitur; ſed longius ab eo contra ſeptentriones a Danubii remouetur fonte, & præterea per omnem ripam Rheni longiſſime producitur. Aliis Abnoba montium notat iugum, quod ab Rheni Arolæque confluentibus ad ſeptentriones inter Rhenum, & Danubii, Nicrique, fontes ſternitur. Fundit Danubium, indeque omni antiquitati memorabilis mons exſtitit. PLINIUS *Lib. IV. Cap. XII.* de Danubio: *Ortus hic in Germania iugis montis Abnobæ ex aduerſo Raurici Galliæ op-*

tusque montesque per omnem cis transque Mœnum Rheni ripam; quorum tamen singularia nomina ex antiquitate non superant, si *TAVNI* & *RHETICONIS* montium vocabula exceperis. *Taunum* Drusianum illustrauit præsidium, & super eius vestigia deinceps a filio Germanico positum castellum: quibus & notis situs montis trans Rhenum euincitur, & fere probatur, ex aduerso Moguntiaci eum quærendum esse. *Rheticonis* quidem incertior est positio, cum nulla re fuerit celebratus. Malim tamen eum ad Rhenum quærere, vbi ingens ad Segi prope confluentem iugum hodieque cernitur; nusquam profecto minus, quam, quod nominis congruentia quidam decepti fecere, in Rhætia (*e*).

Saltus montesque. An. V. C. DCCXLII. Ant. C.N. X. An. XVII.

IV. In-

pidi, multis vltra Alpes millibus. Et TACITUS *de Germ. Cap. I. Danubius molli & clementer edito montis Abnobæ iugo effusus, plures populos adit.* FESTUS AUIENUS *descriptione orbis Vers. 437.*

Abnoba mons Istro pater est: cadit Abnobæ hiatu.

AMMIANUS *Lib. XXII. Cap. VIII. Rauracos montes* vocat, vnde oriatur Danubius; & EUSTATHIUS *in Scholiis ad* DIONYSIUM AFRUM ex antiquis refert: *Τινὲς δὲ οὕτω συντομώτατα περὶ τοῦ Ἴστρου φασίν. Ἴστρος ὁ τοὺς Παίονας παραμείβων, ἐκ τῶν Ἑρκυνίων ὀρῶν ναυσίπορος ἐκ πηγῆς αἴρεται. Quidam ita breuiter de Istro pronunciant: Ister, qui Pannonios præterfluit, ex Hercyniis montibus nauigabilis ex fonte oritur.*

(*e*) POMPONIUS *Lib. III. Cap. III. Montium altissimi Taunus & Rhetico, nisi quorum nomina vix est eloqui ore Romano. TAUNUM* TACITUS etiam memorauit; *RHETICONEM* præter MELAM nullus alius. TACITUS *Ann. I. Cap. LVI. Germanicus quatuor legiones, quinque auxiliarium millia, & tumultuarias cateruas Germanorum, cis Rhenum colentium, Cæcina tradit: totidem legiones, duplicem sociorum numerum ipse ducit. positoque castello super vestigia paterni præsidii in monte Tauno, expeditum exercitum in Cattos rapit.* Idem *Ann. XII. Cap. XXVIII. præda famaque onusti ad montem Taunum reuertuntur, vbi Pomponius* (qui, repressurus trans Rhenum Cattos, auxiliares Vangiones & Nemetas cum alario equite, qui iam reuertebantur, præmiserat) *cum legionibus opperiebatur, si Catti cupidine vlciscendi casum pugnæ præberent.* Inde situs montis patet quam clarissime. Qui enim cis Rhenum montem quærunt; qui montano præsidio, vt illud poneret Drusus, instauraret Germanicus, in pacata putent opus fuisse prouincia? qui a Pomponio subsidia, emissis contra hostem, cis Rhenum ad casus & fortunam belli posita arbitrentur? Adde MELAM, qui Germaniam Rheno finiit, satis Transrhenanum testari montem, cum eum in Germania nominet. Esse montem, qui ex aduerso Magontiaci vulgo

Saltus montesque. IV. Inferiorem Rhenum post Luppiam *CÆSIA* silua videtur attigisse, eademque longe lateque ad Isalam amnem & vicinias fuisse sparsa. Sane enim cum Germanicus ex Castris Veteribus per Cæsiam siluam ad Marsos duxerit, alio loco saltus quæri nequit. Non & longe a Cæsia, qua tamen ad mediterranea respicimus, montes saltusque *TEVTONICI* seu *TEVTOBVRGIENSES* absunt: nobiles ii Romanorum insigni clade, per quam vindicata Germanorum libertate Romanorum imperium in Rheno stare coactum est. Fuerit vero oportet cis Visurgim Teutoburgiensis saltus, cum cæsæ fuerint in eo cum Varo legiones, quæ vtique cis Visurgim castra habuerunt; cum & vnus alterque, præsertim Alisoni castello, statim post cladem a Germanis obsesso, præfectus, directa ad Rhenum via ingenti se calamitati feliciter subtraxerint. Vnde error eorum enormis, qui modo ad Danubium, modo trans Visurgim Teutoburgiensem saltum, cladis locum, sunt

Ad Rhenum inferiorem;

An. XVI.

An. X.

der Heyrich, & *die Höhe* adpellatur, illo Tauni nomine notatum; CLUUERIUS *Germ. Ant. Lib. III. Cap. VII.* inde contendit, quod ex TACITI *Ann. I. Cap. LVI.* descriptione Germanici in Cattos expeditionis, rectum iter ad Mattium oppidum & Adranam flumen ab illo monte dirigatur. Nisi id obstaret, quod puteatur Drusus propius ad Rhenum præsidium collocasse, vt recessum redderet tutiorem; facerem fere cum JUNCKERO, qui medii æui geographiam illustrare tentauit, & Taunum interpretarer de monte *Dyns*, siue *Dünsberg*, qui prope Giesam est in Hassia. Cum hoc & nomini conueniret, nec male positioni montis a Tacito adprobatæ: Rectum Magontiaco illac ad Mattium Germanico, & ad Adranam iter esse potuit. Sed, quam ipsi iniecimus dubitationem a plena nos adsertione adhuc prohibet. *Rheticonis* situs minus quam Tauni est exploratus. Contra errorem ex nomine captum illud, quod de MELA proposuimus, sufficit. Putat autem CLUUERIUS, quod MELA videatur contra septentriones descendere, posse montium ex Bonnæ aduerso iugum, quod a verticum numero vulgo *das Siebengebürge* appellatur, commode pro Rheticone haberi monte. JUNCKERUS ex nominis reliquiis *pag. 149.* Rheticonem de altiore tractu regionis, quæ in VVestfalia nomine *Rietberg*, seu *Retberg*, *comitatus* compellatur, non male interpretatur. Et iterum adsentiremur, si meminissem tam egregium montium iugum, quod fama potuerit Romanis fieri notum, in ea terra me vsquam deprehendisse.

ſunt quærere conati, adeo manifeſto patet, vt nulla prorſus egeat confutatione (*f*). *Saltus monteſque.*

Trans Viſurgim; V. Trans Viſurgim, ſcribente Cæſare, introrſus pertinuit infinitæ magnitudinis ſilua, quæ *BACENIS* adpellata eſt, & pro

(*f*) Plurimas a Marcianis ſiluis ad inferiorem vsque Rhenum procurriſſe ſiluas, quæ fere, præter commune *Hercynium* nomen nomina ſingularia non habuerunt, docet TACITUS, atque CÆSAR. Hic *Lib. VI. Cap. XXV.* ad Nemetes vsque Hercyniam ſuam producit. TACITUS *Germ. Cap. XXX. Vltra hos*, inquit, *Catti initium ſedis ab Hercynio ſaltu inchoant, non ita effuſis ac paluſtribus locis, vt cetera ciuitates, in quas Germania pateſcit, durant ſiquidem colles, paulatimque rareſcunt: & Cattos ſuos ſaltus Hercynius proſequitur ſimul ac deponit.* Sunt hodie in finibus illis *der Speſſart*, quam ſiluam ADELBOLDUS *in Vita Henr. S. Imperatoris*, in *Ill.* LEIBNITII *Script. Brunſvic. Tom. I. fol. CCCCXXXVII. Speichesbard* adpellat, addito, *qua Bauariam a Francia diuidit: der Oden-Wald*, ab EGINHARDO *in Vita Car. M. Odonowald* dictus ſaltus, inter Moenum, Nicrum, & Almonam, flumina; der *Weſter-Wald*, ad Rhenum longe procurreos, cuius intuitu videtur *Oden-Wald*, quaſi *Oſtenwald*, nuncupari: *der Steiger-Wald* prope Herbipolim; & neſcio, quot non ſiluæ aliæ. *CÆSIA SILUA* deſcribitur a TACITO *Ann. I. Cap. L. Sequitur*, inquit, *ardorem militum Cæſar, iunctoque ponte tramittit duodecim millia e legionibus, ſex & viginti ſocias cohortes, octo equitum alas. - - - - At Romanus agmine propero ſiluam Caſiam limitemque a Tiberio cœptum, ſcindit - - - Cæcina cum expeditis cohortibus praire, & obſtantia ſiluarum amoliri iubetur: legiones modico interuallo ſequuntur. Iuuit nox ſideribus illuſtris, ventumque ad vicos Marſorum.* Quibus omnibus expenſis, & quod ex veteribus caſtris Germanicus copias duxerit, non incommode CLUUERIUS Cæſiam ſiluam partim in Cliuienſi ducatu, partim in Monaſterienſi territorio, quæſiit. Bructerorum & ergo Cæſia fuit, notatus a CLAUDIANO ſaltus, ſi hic ad vetuſtiores reſpexit Bructerorum ſedes, Hercyniæ nomine, *IV. Conſul. Honorii v. 450.*

- - - - - venit accola ſiluæ Bructerus Hercyniæ.

De *TEUTOBURGIENSI SALTU*, & *TEUTONICIS MONTIBUS*, infra in Marſis, atque Dulgibinis, inquiretur. *Monumenta* PADERBORNENSIA docent, Teutoburgienſem ſaltum in Paderbornenſi diocœſi exſurgere, ac per Lippienſem, Rauensbergenſem, Oſnabrügenſem, Monaſterienſem & Oldenburgenſem, ditionem longiſſimo montium ſiluarumque tractu porrigi. Conf. VELLEIUS *Lib. II Cap. CXIX.* DIO *Lib. LVI.* & præſertim TACITUS *Ann. I. Cap. LX. LXI.* Mirum, eruditos viros potuiſſe adeo in quærendo hoc ſaltu aberrare a vero, imo, & a probabili. Inuentus, qui in Thuringia Varianæ cladis locum, adeoque Teutoburgienſem ſaltum, quæſiit. AENEAS SYLUIUS prope Magontiacum ſaltum reperit. Cis omnino Danubium in Vindelicia hanc ſiluam inepte prorſus conſtituerunt plures: OTTO FRISINGENSIS *Lib. III.*

Saltus montesque.

& pro natiuo muro obiecta Cheruscos a Sueuis, Sueuosque a Cheruscis, iniuriis incursionibusque prohibuit. Ex quo descripto situ, & quod Catti, qui Cæsaris Sueui sunt, ea silua a Cheruscis fuerint disterminati, liquet satis, Hercyniæ reliquias genuinas longo hodieque tractu procurrentes, illos Bacenis nomine denotatos saltus montesque esse. Vnus vero horum montium in Baceni sitorum silua singulare *MELIBOCI* nomen tulit; & est dubium, an præterea cum integro montium iugo, quod Baceni silua fuit consitum, illud Meliboci vocabulum fuerit communicatum (*g*). Bacenim ceterum & Melibocum proxime contigisse *SEMANA* silua creditur; vt quidam omnino eandem eam cum Baceni esse velint: alii Salam inter & Vierram amnes eam constituant, & a Baceni distinguant. Ad Sudetos propius montes *GABRETA* fuerit quærenda silua, in qua Nauus ortus amnis per Nariscos deinceps in Danubium excurrit (*b*).

VI. His

Cap. IV. CONRADUS VRSPERGENSIS *Chron. ad Ann.* CIↃ CLXVIII. & post hos JOH. NAUCLERUS, CONR. PEUTINGER, HENR. BEBELIUS, HUTTENUS, & alii. Conf ANDR. ALTHAMERUS *in Taciti Germ. Cap. XXXVII.* VELSERUS *Rer. Aug. Vindel. Lib. III. fol. CCXIX.*

(*g*) De *BACENI* CÆSAR *Bell. Gall. Lib. VI. Cap. X. siluam esse ibi,* dicit, *infinitæ magnitudinis, quæ adpellatur Bacenis, hanc longe introrsus pertinere, &, pro natiuo muro obiectam, Cheruscos a Sueuis, Sueuosque a Cheruscis, iniuriis incursionibusque prohibere.* Ad Bacenis huius fines se Sueui, siue Catti, quum Cæsaris refugerent arma, receperunt. Adparet autem ex descriptione Cæsaris, & hac fuga Sueuorum, non Bacenim nisi saltus montesque notare, quæ hodie longo procurrentes tractu nominis Hercynii reliquias ostendunt, & *der Hartz* adpellantur. Qui inter veros Sueuos & Cheruscos Bacenim ad Albim constituit, veteris is profecto geographiæ, quam mediæ, adhuc multo magis ignarus est. *MELIBOCUS*, Μηλίβοκον ὄρος, PTOLEMÆI est, isque illum montem, aut montium iugum, inter Visurgim & Albim constituit. CLUUERIUS non male de Baceni aut tota, aut eius interpretatur parte. Nomen *des Blockbergs* quibusdam creditur non multum ab antiquo Meliboci vocabulo abesse.

(*h*) *SEMANA SILUA*, Σημανὰ ὕλη, rursum PTOLEMÆI est; eamque ille sub Meliboco monte constituit: vnde CLUUERIUS *Lib. III. Cap. XLVII.* eandem Semanam putat esse PTOLEMÆI cum Baceni CÆSARIS. Ce-

Proprii Hercynii saltus & montes.

VI. His & quidem omnibus montium saltuumque iugis, quæ Rhenum inter Albimque & Salam spectauimus, singularia obuenere nomina; vt in commune tamen & promiscue, quod supra monuimus, omnibus Hercynium simul generale tribueretur nomen. Maxime vero & proprie *HERCYNIVM* cognomentum est impositum siluis, per ingentem quoquouersus circulum Boiohemicis superstratis montibus. Huius latebris siluæ Maroboduus cum Marcomannis defensus Tiberii quondam fregit potestatem, & circum deinde circa reliquas deuicit nationes, non prius illo propugnaculo ex eius deiecto defensione, quam cum Arminium habere cœpisset hostem. Ipsi & montes Boiohemum ambientes *SVDITI* adpellati sunt, & sæpius *HERCYNII*; vt saltui sic montium iugo vere proprio hoc debito vocabulo (*i*). *Saltus montesque.* AN. VII.

VII. Post

terum nec PTOLEMÆO repugnant, qui ad Visurgis ortus Bacenim Gabretamque siluas putant Semano saltu interposito continuari. Totum autem est opinabile. *GABRETA silua* STRABONI *Lib. VII* & PTOLEMÆO, ita describitur, vt in dubitationem nullam vocari possit. Ille ait: Ἔστι καὶ ἄλλη ὕλη Γαβρῆτα μεγάλη, ἔπειτα δὲ τὰ τῶν Σοήβων, ἔπειτα δὲ ὁ Ἑρκύνιος δρυμός. *Est & alia magna silua Gabreta; deinde Sueuorum sedes; inde Hercynius saltus.* Hic *Lib. II. Cap. XI.* τὰ καλούμενα Σούδητα ὄρη· ὑφ᾽ ἃ ἐστὶν ἡ Γάβρητα ὕλη, ὧν μεταξὺ καὶ τῶν Σαρματικῶν ἐστιν ὁ Ὀρκύνιος δρυμός; *Montes Sudeti dicti; sub quibus est Gabrita silua: inter quos & Sarmaticos montes est Hercynia silua.* Est nimirum Gabreta ea silua, quæ hodie Thuringici saltus venit nomine, & ad *Piniferum iugum*, vulgo *Fichtelberg*, confinem Boiohœmi tractum, pertingit. Conf. CLUVERIUS *Germ. Ant. Lib. III. Cap. XXIX.*

(*i*) *HERCYNIA silua* proprie vocata, quæ Boiohœmum vndique includit. STRABO *Lib. VII.* post multa de Marobodui fortuna, & Boiohœmi occupatione, Hercyniam illam ita describit. ὁ δ᾽ Ἑρκύνιος δρυμὸς πυκνότερός τε ἐστὶ καὶ μεγαλόδενδρος ἐν χωρίοις ἐρυμνοῖς κύκλον περιλαμβάνων μέγαν. ἐν μέσῳ δὲ ἵδρυται χώρα καλῶς οἰκεῖσθαι δυναμένη, περὶ ἧς εἰρήκαμεν. *Hercynius saltus densus est, magnisque consitus arboribus, locis natura munitis, magnum includens circulum; in cuius medio sita regio habitationi egregie apta, de qua diximus.* PTOLEMÆI Ὀρκύνιος δρυμὸς creditur maxime eius illam partem, quæ ad orientem vergit, & a Marcomannis Quados diuisit, designare: vt eiusdem Σούδητα ὄρη ceteras saltus montiumque Hercynii iugi partes referant. Eandem proprie vocatam *Hercyniam* (quæ vox sine multa caussa Græcam dictionem imitatur, cum ex Germanicæ linguæ genio commode per simplex *I* scriberetur;) notat

VII. Post Suditos montes ad orientem *LVNA* silua infra Quados sita est; eamque Mari amnis, qui contra Carnuntum Danubio insinuatur, fontes nobilitant. Longius deinde ad Orientem dirimi scindique Sueuiam continuo montium iugo, fama apud Romanos fuit; eamque de *ASCIBVRGIO* monte, quem Ptolemæus in his finibus locare videtur, plerique interpretati sunt. Et quidem iis in locis, vbi quæratur Asciburgius, tantum iugum non reperiri aliquis contendit, ideoque temere in Scandinauiam suam illud transferre conatur. Vt autem editiora paulo loca sæpe montium nomine apud Romanos venisse nouimus, ita malimus iis condonare vocabulum, si vel nullum tale continuum montium iugum in his, quas Romani notarunt, regionibus reperiatur, cum saltem editissimæ eo in tractu terræ sint; quam cum opinatore illo vano Scandinauiæ laudes augendi studio indulgere (*k*). Saltus montesque in Sueuia;

VELLEIUS *Lib. II. Cap. CVIII. & CIX. incinctos* HERCYNIÆ *siluæ campos* memorans, quos Marcomannorum gens incoluerit: & deinde nominans *Boiohæmum*, addito, *id regioni, quam incolebat Maroboduus, nomen est.* Eiusdem & siluæ intuitu TACITUS *Ann. II. Cap. XLV.* ex Arminii ore, *fugacem Maroboduum, præliorum expertem, Hercyniæ latebris defensum,* adpellasse, manifesto patet.

(*k*) *LUNA silua* rursum est apud PTOLEMÆUM. Hic sæpe dicto loco, ὑπὸ τὸν ὀρκύνιον δρυμὸν Κούαδοι. ὑφ' οὓς τὰ σιδηρωρυχεῖα, καὶ ἡ Λούνα ὕλη. *Sub Hercynia silua Quadi: sub quibus ferri fodinæ & Luna silua.* Est haud dubie silua in Morauia, Mari amnis fontibus insignis. Et eam Hercyniam siluam, puto, cum Asciburgio monte vocari; ex auctoribus clarum fit. CÆSAR *Lib. VI. Cap. XXIV.* Hercyniam ad Dacorum & Anartium vsque fines protulit. STRABO *Lib. VII.* Getarum regionem contra Germaniam finit τῇ παρωρείᾳ τοῦ Ἑρκυνίου δρυμοῦ, *latere montium, quibus Hercynius saltus supersternitur.* PLINIUS *Lib. IV. Cap. XII. Superiora*, inquit, *inter Danubium & Hercynium saltum, vsque ad Pannonica hiberna Carnunti, Germanorumque ibi confinium, campos & plana Jazyges Sarmatæ;* (tenent.) Maxime SOLINUS *Cap. XXIII* de Germaniæ finibus loquens: *Extenditur inter Rhenum Hercyniumque saltum & rupes Sarmatarum; vbi incipit, Danubio, vbi desinit, oceano profunditur.* Nomen *ASCIBURGII* montis PTOLEMÆUS habet: Ἀσκιβούργιον ὄρος. Sine nomine iugum TACITUS descripsit *Germ. Cap. XLIII. Dirimit*

In Scandinauia; Saltus montesque.

VIII. In Transmarina Germania, seu Scandinauia *SEVONEM* montem, Riphæis non minorem iugis, Romani memorarunt; interpretesque illud iugum montium immensum eo nomine indicari censuerunt, quod cursu lunato ab extremis ad septentrionem Scandinauiæ oris surgens, integram peruadit peninsulam, & Cimbrico demum finitur promontorio. Eidem Scandinauiæ *RIPHÆOS* montes, Græcis maxime celebratos, quidam adiudicare ausus est. Quod vero Ptolemæus & alii errarunt, qui Riphæos Tanais admouerunt fontibus; magis profecto hic decipitur, qui in Scandinauiam, suo non contentus Seuone, & Asciburgium & Riphæos etiam montes transtulit. Riphæos sane montes, si vspiam, non quam in extremis terrarum ad oceanum glacialem & septentrionalem in Europa Asiaque sitarum oris, ex omnium veterum auctorum testimoniis quæri posse, manifestum est (*l*).

IX. Per

scinditque Sueuiam continuum montium iugum, vltra quod plurimæ gentes agunt. CLUUERIUS *Cap. XXXII.* ostendit, PTOLEMÆI numeris adprime conuenire, vt TACITI iugum sit Asciburgius PTOLEMÆI. Ducit istud montium iugum ex Hungariæ, Silesiæ, atque Poloniæ, confiniis, a *Sarmaticis*, quos PTOLEMÆUS vocauit, *montibus*, ita, vt primum a Polonia Silesiam dirimat, inde per ipsam Poloniam ad Sueuicum mare excurrat. Eius haud dubie partes fuerint *das Riesen-Geburge*, cum montibus, dictis *das Neis- und Märischen-Gebürge*. OLAUS RUDBECK *Atlantica P. I. Cap. XXIV.* vt veram *Sueuiam* ostenderet esse *Scandinauiam*, illud continuum montium iugum, quod TACITUS celebrat, in Scandinauiam transtulit, cum PTOLEMÆI Asciburgio monte: negans, tale iugum cis Sueuicum mare ostendi posse; contra, in Seuonem omnia a TACITO dicta optime quadrare, satis fidenter constituens. Judicium de hac sententia apud alios esto.

(*l*) *SEUONEM montem* vnus fere PLINIUS *Lib. IV. Cap. XIII.* memorat. *Incipit deinde,* inquit, *clarior aperiori fama ab gente Ingæuonum, quæ est prima inde Germaniæ. Seuo mons ibi immensus, nec Riphæis iugis minor, immanem ad Cimbrorum vsque promontorium efficit sinum, qui Codanus vocatur, refertus insulis, quarum clarissima Scandinauia est, incompertæ magnitudinis.* Ex PLINIO SOLINUS *Cap. XXIII. Mons,* inquit, *Seuo ipse ingens, nec Riphæis minor collibus, initium Germaniæ facit, hunc Ingæuones tenent; a quibus primis post*

Siluæ montesque. IX. Per circulum iam ituris, montesque ſaltusque in iis regionibus indagaturis, in quibus paſſim extra patrium ſolum noſtri maiores conſedere, primum in Sarmatia *VENEDICI* occurrunt montes. Trans inferiorem Viſtulam hi fuerint quærendi, ſi Ptolemæo fides, iis in regionibus, quas æuo Taciti habitarunt Æſtii. At cum illorum periti locorum colles verius quam montes in iſto reperiri tractu oſtenderint; nouum id eſt, quo Asciburgius mons veteri Sueuiæ vindicetur, argumentum, colles ſæpe ſaltusque ſolos, hi vero plusquam nimii trans ibi ſunt Viſtulam, montium nomine apud Romanos Græcosque compellatos eſſe. Vbi incipit Viſtula, bina fuere montium iuga, *CARPATIS* nimirum & *SARMATICORVM.* Montem *Carpatem* hodieque ſeruatum nomen iugi, quod Ruſſiam Hungariamque diſterminat, facile indicat. *Sarmatici* autem *montes* a Danubio ſurgentes prope ad ortus vsque Viſtulæ pertingunt; vnde iis & Viſtula, quaſi directa ducta linea, commode Germaniæ vetus regio ad orientem potuit definiri. Infra Carpatem montem in Sarmatia protentiori *PEVCE* mons, ſiue *Peucini* montes, a Ptolemæo In Sarmatia, qua a Germanis inſeſſa eſt.

M 3 locan-

Scythas, nomen Germanicum conſurgit. Putatur a Riphæis montibus Granuici ſinus faucibus Seuo ſeparatus eſſe, indeque inter Svediam Norvegiamque ad fauces ſinus Codani, & contra Cimbrorum promontorium, CCC millibus paſſuum procurrere. *RIPHÆOS montes* tota celebrauit antiquitas. Vid. CLUVERIUS *Germ. Ant. Lib. I. Cap. I. pag. 14. ſeq.* Sed nihil eorum cura ad noſtram ſpectat Germaniam. Quod vero OL. RUDBECK *Cap XXV.* Riphæos montes Scandinauiæ argumentis pluribus, quæ *fol. DCLXIV.* in medium profert, adſertum iuit; nouæ eius, licet contrariæ antiquitati, ſententiæ non obliuiſci debuimus. Silnarum in Scandinauia nullum nomen nouit antiquitas. Obſeruandum vero ex PLUTARCHO, ipſum omnino Cimbris, qui in Cimbrica fuere cherſoneſo, ſiluas tribuere, quæ pars ſint magnæ Hercyniæ. Ait *in Marii Vita:* Τὸ δὲ πλεῖστον αὐτῶν, καὶ μαχιμώτατον ἐπ᾽ ἐσχάτοις οἰκοῦν παρὰ τὴν ἔξω θάλασσαν. ὥσπερ δέ φασι γῆν μὲν νέμεσθαι σύσκιον καὶ ὑλώδη, καὶ δυσήλιον πάντη, διὰ βάθος καὶ πυκνότητα δρυμῶν, οὓς μέχρι τῶν Ἑρκυνίων εἴσω διήκειν. *Maximam eorum multitudinem & bellicoſiſſimam in vltimis oris ad oceanum habere ſedes: regionem incolere profundis & denſis ſiluis, quæ ad Hercynios ſaltus introrſus pertineant, caliginoſam, nemoroſam, opacamque.*

locantur. Et his nomen a Peucinis, ſeu montis accolis Baſtarnis, vt Carpati monti a Carpis, Baſtarnica ciuitate, vnde & *Baſtarnicæ Alpes* montes Carpates audiunt, natum eſt. Sarmatici autem montes non a Sarmatiæ regione; nam Sarmatiam & Germaniam ſeparantes non magis Sarmatici fuere montes, quam Germanici; ſed a Iazygibus ſeu Metanaſtis Sarmatis, qui inter Pathiſſum amnem & montes illos egerunt, inuenere cognomentum *(m)*. *Saltus montesque.*

In Cisdanubianis prouinciis,

X. In Cisdanubianis prouinciis, quæ collapſa Romana dominatione Germaniæ acceſſere regioni, *CETIVS* mons Noricum a Pannonia olim diuiſit; hodie totus noſter eſt, qua

(m) Οὐενεδικὰ ὄρη, *VENEDICI MONTES*, Ptolemæo *Lib. III. Cap. V.* in Sarmatia eo ſunt tractu, quem antiquitus Venedi, Taciti æuo Æſtii, coluerunt. Montes illic eſſe, ſed memoratu minus dignos, colles verius, quam montes, conſtat. Nec ergo Tacitus *Germ. Cap. XLVI.* nomen dedit, ſed ſimpliciter ſiluas ac montes oſtendit. *Venedi*, inquit, *multum ex moribus Sarmatarum traxerunt, nam, quicquid inter Peucinos Fennosque ſiluarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant.* *CARPATES mons*, & *SARMATICI montes*, rurſum ſunt Ptolemæi, qui aliquoties eorum meminit. *Ἡ ἐν Εὐρώπῃ Σαρματία περιορίζεται, ἀπὸ μεσημβρίας, τοῖς Μετανάσταις, ἀπὸ τοῦ νότου τῶν Σαρματικῶν ὀρέων πέρατος, μέχρι τῆς ἀρχῆς τοῦ Καρπάτου ὄρους.* *Sarmatia Europæa terminatur a meridie Iazygibus Metanaſtis, ab auſtrino Sarmaticorum montium fine, vsque ad initium Carpatis montis.* Solinus *Cap. XXIII. Sarmatarum rupes* vocat. Sarmatici montes ſunt iugum montium, quod a deſtructo oppido, quod trans Danubium, ex aduerſo Carpis, dicitur *Vacya*, ad Vagi amnis fontem, continuum protenditur: re a Cluuerio ex numeris Ptolemæi accurate demonſtrata. Nomen Sarmaticorum montium a Sarmatis Iazygibus, non a Sarmatia regione, quam æque ac Germaniam terminant, acceptum eſt. Carpates mons hodie *Krapak*, & *Krepak*, vocatur, & fere Ruſſiam ab Hungaria diuidit. Quod ea iuga, cum Carpatica, tum Sarmatica, infra Daciam Baſtarnæ adcoluerunt, nomen inde in *Tabula Veteri Alpium* eſt *Baſtarnicarum.* *PEUCE mons*, ἡ Πεύκη ὄρος, ponitur a Ptolemæo in Sarmatia *ὑπὲρ τὴν Ἀμάδοκα λίμνην* *ſuper Amadocem lacum:* qui, quod ex eo Ptolemæus flumen, quod etiam *Boryſthenem* vocat, in *Boryſthenem* deducit, non alius eſt, quam qui hodie, medius inter Volhyniam & Podoliam, *Bog* amnem in *Boryſthenem*, vulgo *Dnieſtr* dictum, emittit: & ſuper eum lacum mons ſitus extra controuerſiam Peuce mons eſt. Alibi eum montem Ptolemæus *τὰ Πευκῖνα ὄρη*, *Peucinos montes*, adpellauit.

Siluæ montesque. qua ſupra Vindobonam ad Drauum & Sauum amnes vsque longe procurrit. A dextro Cetii latere in Pannonia *BOIORVM* fuere *DESERTA*, ſilueſtres loci a Boiorum, qui profugi ex Italia ibi habitarunt, exciſione quondam nuncupati. A ſiniſtra Cetii parte vaſtæ cœperunt *ALPES*; eædemque Noricum & Rhætiam omnem priſco prætexuere tempore; hodie ipſam ab Italia Germaniam diſterminant. Dictæ ſunt *Noricæ* Alpes, quæ Noricum adſpexere; *Rhæticæ*, quæ propriam impleuere Rhætiam: vt iam reliqua earum cognomina ab accolis accepta gentibus ſilentio tranſeam (*n*).

XI. Pri-

(*n*) *Montem CETIVM* PTOLEMÆUS *Lib. II. Cap. XIV.* memorat, limitem Norico ad orientem conſtituens τῷ Κετίῳ ὄρει, *in Cetio monte.* Vulgo is mons *Kahlenberg* dicitur: quod nominis, quia etiam iuxta Saui ripam eſt, ex aduerſo Celeiæ, ſiue Cilly; coniicit JOH. LUDOU. SCHOENLEBEN *in Carniolæ adparatu*, ad Sauum usque Cetios montes protentos fuiſſe. *BOIORUM DESERTA* vocantur a STRABONE *Lib. VII.* ἡ Βοΐων ἐρημία. PLINIUS *Lib. III. Cap. XXIV.* *Noricis*, inquit, *iunguntur lacus Peiſo, & deſerta Boiorum, iam tamen colonia diui Claudii Sabaria, & oppido Scarabantia Julia, habitantur.* Situs deſertorum inde euincitur, trans Cetium & cis Arrabonem amnem fuiſſe. Nomen ab exciſis in hac regione Boiis STRABO *Lib. V.* petit, vbi de Gallorum Cisalpinorum fatis loquutus addit: τοὺς δὲ Βοΐους ἐξήλασαν ἐκ τῶν τόπων, μεταστάντες δ' εἰς τοὺς περὶ τὸν Ἴστρον τόπους, μετὰ Ταυρίσκων ᾤκουν πολεμοῦντες πρὸς Δακούς, ἕως ἀπώλοντο πανεθνεί· τὴν δὲ χώραν οὖσαν τῆς Ἰλλυρίδος μηλόβοτον τοῖς περιοικοῦσι κατέλιπον. *Boios autem ſedibus eiecerunt.* {Getæ / Romani} *Qui cum ad Iſtrum commigraſſent, apud Tariſcos habitarunt, bellum aduerſus Dacos gerentes, donec tota gens funditus fuit exciſa. Agrum vero, qui ad Illyricum pertinebat, deſertum, ac pecoribus paſcuum, vicinis reliquerunt.* Boerebiſtam fuiſſe Getarum regem, qui Critaſirum, Boiorum regem, vicit, gentemque integram deleuit; idem STRABO *Lib. VII.* quem vide, teſtis eſt. De *ALPIBUS* Italiam, & olim Rhætiam, Noricumque, hodie ipſam Germaniam, diuidentibus diuerſo loco dicetur. Ipſum autem Alpium nomen trans ortus Danubii quondam fuiſſe protentum, & cum ipſis Abnobæ iugis communicatum, clariſſime ex STRABONE *Lib. IV.* vbi & ceteras Alpes commode deſcribit, patet. Καὶ γὰρ ὁ Ἴστρος τὰς ἀρχὰς ἀπὸ τούτων λαμβάνει τῶν ὀρῶν, πολυσχιδῶν ὄντων καὶ πολυκεφάλων. μέχρι μὲν γὰρ δεῦρο ἀπὸ τῆς Λιγυστικῆς συνεχῆ τὰ ὑψηλὰ τῶν Ἄλπεων διέτεινε, καὶ ἑνὸς ὄρους φαντασίαν παρεῖχεν. εἶτ' ἀνεθέντα καὶ ταπεινωθέντα ἐξαίρεται

& in Cisrhenana Germania. *Saltus montesque.*

XI. Primam secundamque cis Rhenum Germaniam vnus tantum mons; vnaque silua, quæ nomina in antiquitate tulere, illustrant. Est mons *VOGESVS*, qui ingentes inter Sequanos & Triboccos, indeque inter Mediomatricos & Triboccos Nemetesque; tractus occupat, Mosæque & Mosellæ fontibus clarus est. Est *ARDVENNA* deinceps silua, quæ constantem hodieque adpellationem seruat, & olim pluribus Germanicarum gentium circa eam sedibus illustris exstitit (o).

XII. Su-

πάλιν ἐκ πλείω μέρη, καὶ πλείους κορυφάς. Πρώτη δ' ἐστὶ τούτων ἡ τοῦ Ῥήνου πέραν, καὶ τῆς λίμνης κεκλιμένη πρὸς ἕω ῥάχις μετρίως ὑψηλή. ὅπου αἱ τοῦ Ἴστρου πηγαὶ, πλησίον Σουήβων καὶ τοῦ Ἑρκυνίου δρυμοῦ. *Nam & Ister ab his initium sumit montibus, in multas partes, multosque vertices, scissis. Hucusque enim a Liguria summa Alpium iuga continenter porriguntur, vniusque montis speciem præ se ferunt. Hinc remissa humilioraque facta, rursus porro attolluntur in multas partes, multaque cacumina. Primum cacumen est trans Rhenum & lacum Brigantinum, dorsum quoddam versus orientem solem, mediocriter sublime; vbi fontes Istri sunt, prope Suenos & Hercynium saltum.* Hodieque circa Danubii fontes durat Alpium nomen, regioque *die Albe* siue *die rauche Albe* cognominatur.

(o) *VOGESUM* montem CÆSAR *Bell. Gall. Lib. IV. Cap. X.* celebrat. *Mosa*, inquit, *profluit ex monte Vogeso, qui est in finibus Lingonum.* LUCANUS *Lib. I. Vers. 397.* canit:

Deseruere cauo tentoria fixa Lemano,
Castraque, qua Vogesi curuam super ardua rupem
Pugnaces pictis cohibebant Lingonas armis.

CLUUERIUS *Germ. Ant. Lib. II. Cap. XXXIX.* contendit, *Vosegum* montem antiquitus dictum esse: corruptam *Vogesi* vocem esse. Et quidem interpres Cæsaris commentariorum ait; ὁ δὲ Μόσης ποταμὸς ἀπὸ μὲν τοῦ Βοσέγου ὄρους τῆς Λιγγονικῆς καταῤῥεῖ. Sequente etiam ævo *Vosagi* vox vna fere occurrit. VENANTIUS FORTUNATUS *Lib. VII. Carm. IV.*

Ardenna an Vosagus cerui, capræ, ilicis, vrsi,
Cæde sagittifera silua fragore tonat.

GREGORIUS TURONENSIS *Lib. X. Cap. X Dum ipse Guntramus rex per Vosacum siluam venationem exerceret, vestigia occisi bubuli deprehendit.* Et hodie regio ad vtrumque Vogesi latus vulgo dicitur hinc Lotharingis, (nam maxime istud iugum hodie Lotharingiam a Burgundia, & ab Alsatia separat,) *Le pais des Vosgves*, illinc Germanis *das Wasgaw*, quasi dicas, *Vosagensem pagum.* Quæ omnia pro CLUUERIO contra communem lectionem facere videntur. Verum potuit mutari ævo sequente montis nomen, &

Saltus montesque.

XII. Superant luci quidam nemoraque ſacra, quæ in Germania a Romanis demonſtrata non debent in noſtra ſaltuum Germaniæ deſcriptione prorſus omitti. In Marſis fuit inter Amiſiam & Luppiam *TANFANÆ* lucus, cum celeberrimo gentis templo, quod Germanicus Cæſar æquauit ſolo. In Friſiiis *BADVHENNÆ* lucus extitit, ad quem nongenti quondam Romani in bello Friſico fuere confecti. *NEMVS* aliud

Lucorum Germaniæ ſacrorumque nemorum enarratio.

An. XVI.

in quosdam CÆSARIS codices ſcribæ, *Voſegi* magis, quam *Vogeſi*, gnari incuria recentius vocabulum irrepere: vnde ſaltem commune in Cæſare nomen non male adhuc toleratur. Siluam ſimul *Vogeſum* montem habuiſſe, modo ex GREGORIO accepimus. Et CÆSAR *Lib. I. Cap. XXXIX. magnitudinem ſiluarum, quæ inter eas & Arioniſtum intercederent*, memorat: quæ ſane non, niſi montium dicto iugo, videntur tribui poſſe. *ARDUENNA* ſilua a CÆSARE *Bell. Gall. Lib. V. Cap. III.* deſcribitur. *Indutiomarus iis, qui per ætatem in armis eſſe non poterant, in ſiluam Arduennam abditis, quæ ingenti magnitudine, per medios fines Treuirorum, a flumine Rheno ad initium Rhemorum pertinet, bellum parare inſtituit.* Et *Lib. VI. Cap. XXIX. Ipſe*, inquit, *quum maturescere frumenta inciperent, ad bellum Ambiorigis profectus, per Arduennam ſiluam, quæ eſt totius Galliæ maxima, atque ab ripis Rheni, finibusque Treuirorum, ad Neruios pertinet, millibusque amplius* ıɔ *in longitudinem patet, L. Minutium Baſilium cum omni equitatu præmittit.* Adhuc longius vero illam ſiluam producit *Cap. XXXI. Clam dimiſſis per agros nuntiis, ſibi quemque conſulere iuſſit.* (Ambiorix) *quorum pars in Arduennam ſiluam, pars in continentes paludes, profugit. qui proximi oceano fuerunt, ii in inſulis ſe ſe occultaverunt, quas æſtus efficere conſuerunt.* Et *Cap. XXXIII. ipſe* (CÆSAR) *cum reliquis tribus ad flumen Scaldim, quod influit in Moſam, extremasque Arduennæ partes, ire conſtituit: quo cum paucis equitibus profectum Ambiorigem audiebat.* Ergo ſecundum Cæſarem Arduenna ſilua, non inter Rhenum tantum & Moſam, ſed & inter Moſam Scaldimque, & ad oceanum, fuit. Cum vero STRABO *Lib. IV.* ad Atrebates omnino & Britannicum oceanum eundem proferat ſaltum, inde demum opinio eſt, *Arduennæ* nomen, vt in Germania *Hercyniæ*, in Belgica omnium ſiluarum fuiſſe commune. Qui vero CÆSARIS dimenſio, qua millia ıɔ paſſuum memorat, defendi, aut impugnari, poſſit; vide in CLUUERII *Germ. Ant. Lib. II. Cap. XXXVIII.* & HADR. VALESII *Notitia Gall. vocem* ARDUENNA. Arduennam, vt multos & continuos ſaltus, pluratiue nuncupat TACITUS *Lib. III. Ann. Cap. XLII. Aliud*, inquit, *vulgus obæratorum aut clientium arma cepit: petebantque ſaltus, quibus nomen Arduenna.* Quot hodie in finibus Arduennæ nomen duret reliquum; docet VALESIUS, quem conſule.

Ann. XXVIII. aliud *SACRUM* nomine Dei aut Deæ, quibus fuerit ſacratum, non addito, in Batauis Tacito memoratum eſt; in eoque Cl. Ciuilis, cum defectionem a Romanis pararet, primoribus gentis promtisſimisque vulgi epulas exhibuit. Cheruscorum fuit *LUCUS HERCULIS* haud procul Viſurgi amne; quem Arminius locum pugnæ, quam cum Germanico committeret, delegerat. Addi his debent tria nemora ſacra, quæ quibus religionibus & cerimoniis antiquo tempore a maioribus noſtris fuerint frequentata, ex Taciti narratione tum explicabitur, cum aliquando de ſacris Germaniæ veteris rebus dicturi ſumus. Sunt *SACER LUCUS* in Semnonibus trans Albim, quem patrum auguriis priſcaque formidine ſacram ſiluam Tacitus adpellat; *CASTUM TERRÆ MATRIS IN INSULA NEMUS*, quod in Rugia inſula plerique auctores quærunt; antiquæ denique religionis ille apud Naharualos *LUCUS*, *ALCI NUMINI*, ſeu ex Romana interpretatione Caſtori Pollucique fratribus, dicatus: (*p*) de quorum ritu & rationibus inferiori loco rurſus dicendi erit locus opportunior.

Saltus montesque *An. DCVIII*

(*p*) Ratione ſaltuum Germaniæ potuiſſet exemplo CÆSARIS de feris Germaniæ, quas veteres celebrarunt, aliquid addi. Diuerſo autem libro, vbi inter cetera inſtitura de venationibus veterum Germanorum agetur, commodius iſtud illuſtrabitur argumentum. *Sacra nemora* in ſingulis populis cernemus: hic teſtimonium tantum vnum ſingula ſument. *TANFANÆ lucus*, TACITUS *Ann. Lib.I. Cap.LI.* *BADUHENNÆ lucus*, IDEM *Ann. IV. Cap. LXXIII.* *Nemus SACRUM* in Batauis, IDEM *Hiſt. Lib. IV. Cap. XIV.* *Lucus HERCULIS*, IDEM *Ann. II. Cap. XII.* Tria reliqua in Germanis nemora memorat TACITUS *Germ. Cap. XXXIX. XL. XLIII.*

LIBER

LIBER III.

DE NOMINIBVS POPVLORVM *GERMANIAE ANTIQVAE.*

POPVLI ET NATIONES ANTIQVAE GERMANIAE, quarum nunc ex noſtro inſtituto ſuccedit contemplatio, bifariam merentur ratione animoque perluſtrari: vt primum ſcilicet de ipſarum præcipiatur *nominibus, eorumque varia ſucceſſione;* deinde, vt *ipſi gentium* indicentur *ſitus, ſtatusque, & potiora* earum enarrentur *fata.* Prior generalis erit tractatio, aſt ea adeo neceſſaria, vt nequeamus non eius prætermiſſione plurimum in ſequente noſtra opera interpellari, multoque non nequeat noſtra intelligentia augeri damno. Altera erit peculiaris & præcipua commentatio, eiusque ordinem paulo infra declarabimus; vt modo id hoc teſtemur loco, opera omni nos in eo, vel id titulo inſtituti iamdum promittente, elaboraturos, vt argumentum ceteroquin macrum & iniucundum, ſi ſoli populorum oſtenduntur ſitus, regionumque & finium exponuntur menſuræ, varia iucundiorum rerum ſparſione temperemus, vtilitatique ſimul & ſapientiæ communi conſulamus.

Populorum Germaniæ hiſtoria in partes diuiditur;

& vtriusque tractationis rationes exponuntur.

CAPVT I.

NOMINA GERMANIAE VETERIS POPVLORVM NATIVA, GENERALIA, ANTIQVIORA.

I.

Nominum Germaniæ veteris inuestigatio.

NOMINA GERMANIAE VETERIS POPVLORVM ab initio expofituri, neceffario ab antiquisfimis, & generalibus, natiuisque vocabulis, & ab ipfis Germanis fufceptis, enarrandis aufpicamur; antequam ad fuccedentia & fingularia, & a vicinis impofita populis, vifenda progrediamur. Statim autem antiquisfimum, primum, communeque Germanorum cognomentum fcrutantes, in propriam huius loci quæftionem incidimus; *quomodo* fcilicet *& quando nationum communia cœperint frequentari nomina?* eiusque idoneam noftroque perutilem inftituto, fed & perbreuem diiudicationem molimur. Primum fane a fingularibus parentibus familias fingulas compellatas effe, non fecus ac hodie paterno auitoque titulo gaudent diuerfæ domus, exiftimamus. Familiæ deinde domusque diuerfæ diu fortasfis folæ, difperfæque in regionibus, egerint, fuis diftinctæ peculiaribus vocabulis, fuisque fine fœderum cura colendis vnice intentæ agris. Nec eft credibile, prius illas minores ciuitates ad maiores focietates communesque confenfiffe expeditiones, donec augefcente hominum numero communiter ingruerent vitia, ingenitæque humanitati obftreperent. Enimuero tum bella orta, tum furta, tum latrocinia, placuere, & quæ alia opum furiofa cupido adprobauit. Bellis autem ab improba multitudine decretis, aut

Quomodo & quando cœperint communia populorum nomina frequentari? quæritur.

faltem

Historia nominum. ſaltem deſtinatis excurſionibus, fœderibus vtrinque fuit opus; & malorum quidem ſocietate, vt conſilia eo exſequerentur tutius; & proborum conſociatione, vt vim repellerent inimicam, occupatasque tuerentur regiones, aut ſane ab hoſtili refugientes ambitione aliorſum conſiliis communicatis ſecure concederent. Ita fœderibus, primum minoribus, deinde maioribus, ſancitis, per rerum varia diſcrimina, partim bellis & metu pactis, partim & conſenſu, poſſesſiones prouinciarum cœpere demum eſſe tutiores; & ſedes populorum, conſociatione minorum familiarum, ortorum, firmatæ magis, munitæque ſunt, & finibus iuſtis circumſcriptæ. Tum & tandem probabile mihi eſſe perſuadeo, vt talis cœtus gentium, agnationis plerumque cognationisque coniunctarum vinculis, a reliquis dignoſceretur & vicinis; conuentum eſſe de quibusdam generalibus nominibus, quibus, vt propria adhuc ſeruarentur vocabula, in commune tamen natio a natione, regioque a regione, diſtingueretur.

II. Itaque per bella metumque ad fœdera modo deſcripto, per fœdera ad tutas regionum poſſesſiones, & per eas ad communium denique nominum vſurpationem, itum eſſe, nullus dubito: ſed vt facti iuſtum tempus definiam, aut nominum acceptorum porro rationes perueſtigem, nullus prope audeo. Ac minimum tamen, ſi de tempore quærimus, ab *inundatione terrarum* generali tantum huic rei ætatum fuerit tribuendum, vt potuerit hominum numerus plerisque orbis regionibus habitabilibus ſufficere. Oportuerit etiam vagas & promiſcuas migrationes aliquantum ceſſaſſe; & potentiores prouincias accepiſſe conſtantiores incolas, quam vt nouis facile aperirentur aduenis. Quantum & pertinet ad ſuſceptorum communium nominum rationes leuiter deſignandas; opinabile non eſt, plures familias voluiſſe, ſuis poſitis cognomentis, ad vnum ſingularis cuiusdam ciuitatis adoptandum nomen conſpirare: ſed magis veri cenſeo ſimile eſſe,

cum primum de nomine capiendo deliberatum esset, nouum *Historia* esse prorsus excogitatum, atque a genere quodam generali, *nominum.* quale incluti fama herois, aut ipse Dei cultus, aut arma, aut mores, potuere præbere, petitum; cum & istud magis placere ciuitatibus vniuersis, & minus alicuius ex singulis lædere existimationem potuerit.

& expositio quæstionis ad indagandum vetustissimum & commune Germanorum nomen adplicatur.

III. Iam tenuiter & presse communium nominum, quæ antiquissimo tempore ciuitates multæ assumserunt, origines edocti, dispicere incipiamus & curatius vestigare; *quonam ergo modo nostri maiores hoc in negotio ætate prima fuerint versati?* Et a primo ægre mihi persuaserim, illas ciuitates, ex quibus Germanica constitit quondam natio, communi aliquo insignitas fuisse iam ante nomine, quam in nostro terrarum consedissent tractu. Cum enim non ordine fierent magnæ illæ primæque expeditiones, sed promiscue gentes modo occuparent, modo mutarent, modo linquerent, sedes; fieri non potuit, quin cognatæ gentes plurimum dispergerentur & separarentur, & in diuersis principio regionibus habitare inciperent. Iam autem impedierint omnino illæ occupationes terrarum tumultuariæ, quo minus ciuitates nostræ patriæ commune acceperint nomen; antequam primæ deferbuissent paulo migrationes, & pars fœderibus ex aliorum populorum consociatione excitæ, pars bellis odiisque expulsæ, & ad cognatam nationem fugere coactæ, intra Danubium, Rhenum, Oceanum, atque Vistulam, fixissent sedes. Tum vero non cessantibus, sed indies ingrauescentibus, bellis, mutuis fœderibus se Germanicas ciuitates firmasse & muniisse probabile est; vnde demum communi cuidam cognomento eligendo facilis nasci potuit occasio. Si quis interim me contra secus opinantem potuerit nomen quoddam generale ex antiquitate proferre, quo videantur nostri populi, aliis adhuc in locis morati, fuisse adpellati; lubens ipse probatiori adstipulabor sententiæ; ne quis saltem singularia vocabula arri-

[illegible] arripiat, & communia perperam interpretetur: quod multis contigiſſe arbitror, qui noſtram integram nationem, modo *Sacarum*, *Phrygumue*, in Aſia, modo *Titanum*, *Cimmeriorum* & *Cimbrorum*, modo etiam *Aramæorum*, nominibus antiquiſſimo æuo veniſſe, & deinde inſeſſa Germania mutaſſe adpellationem, licenter nimis conſtituerunt.

IV. Enimuero, vt ſit euictum, præter ſingularia vnius ciuitatis aut plurium gentium cognomenta, nullum cognomen commune noſtram tuliſſe, nondum in ipſa Germania conſtitutam, nationem; anceps magis ſuperat diſceptatio, *quale demum antiquiſſimum fuerit totius populi nomen, poſtquam eo per memoratas cauſas inſigniri placuerit?* Et nihil quidem valent hic plenæ adſertiones, in re quippe ab omni memoria remotiſſima: cum maxime non extra dubitationem ſit poſitum, an neceſſarie etiam noſtri maiores, quod potuerint, cumque & vbi potuerint, generale quoddam adoptauerint adnomen, vtrum maluerint ſuis contenti nuncupationibus ſine generali arcti fœderis & cognationis nota agere. Nolumus nihilominus vrgere dubitationem, ſed placet magis enarrare coniecturas vetuſtiſſimi communisque nationis noſtræ adnominis, quale ſane aliquod exſtitiſſe ponimus, veſtigia ex memoriis variis eruentium. Videtur iſtis, nec male, nulla potuiſſe ratione primam noſtrorum maiorum adpellationem ita ſuccedente ætate exoleſcere, vt nulla eius alicubi memoria permanſerit: cum præſertim, quod addunt, & contra ipſam Germanorum vocabuli obiectationem facile defendunt, nullum aliud vocabulum ſucceſſerit, cuius receptus effecerit vſus, vt alterum antiquaretur vocabulum. Inſtant, primi nationis auctoris, *TUISTONIS*, ipſi Tacito memorati, nomen veri cognominis videri fidum veſtigium. Reperiri, & porro monent, eo tempore, quo Romanum corruit imperium, & ſuos Germani habere cœperunt hiſtoricos, diuerſam prorſus Germanorum compellationem; vt nimirum

Non admiſſa quapiam aſſertione, coniecturæ de nomine illo primo, communi, natiuoque, afferuntur:

rum *TEUTISCI*, *Theodisci*, & *Teutones*, vulgo vocarentur. *Historia nominum.* Recentiori illi vocabulo mirifice alterum ex patria lingua desumtum, quo non minus *Teutisci*, siue *Theutisci*, nominemur, consentire urgent. Quibus extremum probabilibus argumentis collectis hoc suaderi contendunt atque postulant, vt in vocabulis siue THEVTISCORVM, siue THEODISCORVM, siue TEVTONVM, verum antiquissimumque nostræ nationis generale quæramus & agnoscamus agnomentum (*a*).

(*a*) TACITUS *Germ. Cap. II. Celebrant carminibus antiquis, quod vnum apud illos memoriæ & annalium genus est, Tuistonem Deum terra editum, & filium Mannum, originem gentis, conditoresque.* CLUUERIUS suppoſuit TACITO vocem *TUITONEM:* alii malunt *Tuisconem*, vt adpellationi nostræ nationis *Tuisken*, seu *Tuitschen*, magis cum illo Dei nomine conueniat. *THEODISCORUM*, & *Teutiscorum*, passim vocabula in medii æui scriptoribus occurrunt. VVALAFRIDUS STRABUS *de rebus Eccles. Cap. VII. A Latinis*, inquit, *Theotisci multa:* (verba acceperunt) & mox, *Theotisci proprias habent voces.* Quæ sunt reliqua sacræ Germanicæ antiquitatis specimina, *Theodiscam*, siue *Theotiscam*, linguam omnia profitentur. Vid. GULDASTUS *Rerum Alemann. Tom. II. fol. LXIII. in epistolis* RUODBERTI *Mag. S. Galli*, vbi *Num. VIII. Theodisca lingua: fol. LXV. nomina mensium secundum Theodiscam, & nomina ventorum secundum Theodiscam: fol. LXVI.* Ibi; *Hrabani Mauri, Abbatis Fuldensis, de inuentione linguarum ab Hebræa vsque ad Theodiscam:* Vir Celeber. JOH. GEOR. ECCARDUS *in erudita Præf. ad Incerti Monachi Weisenburgensis Catechesin Theotiscam, & monumenta Catechetica varia Theotisca;* vbi & *pag. 5.* ex *Canone II. Concilii Moguntini II. vt easdem homilias quisque aperte transferre studeat in rusticam Romanam linguam, aut Theotiscam, quo facilius cuncti possint intelligere, quæ dicuntur:* rursus GOLDASTUS *Tom. III. fol. LXIII.* vbi in transactione quadam ex Caroli Calui æuo; *placuit inter nos chartam pacationis ex vtraque parte alleuari, quod Tuitisce Suonbuoch nominamus.* Vid. etiam NITHARDUS *Hist. Lib. III. pag. 101. Lodhuuicus Romana, Karolus vero Teudisca lingua iurauerunt:* FRODOARDUS *Chron. ad An.* IↃCCCCXLVIII. *iuxta Teotiscam linguam: Vita S. Bernvvardi Hildes. Episcopi Cap. XXV. Amore vestro meos Saxones, & cunctos Theotiscos, sanguinem meum proieci.* Alii malunt *TEUTONIS*, siue *Teutonos*, & *Teutonicos*, maiores nostros dictos esse: nec crebra desunt in scriptoribus æui medii horum etiam exempla vocabulorum. Conf. SCHATEN *Hist. Westfal. Lib. I. fol. V.* Obseruamus vero, Francica ætate videri *Theodiscorum* nomen vsu magis receptum esse; contra alterum *Teutonicorum*, *Teutonorum*que, magis post Caroli exstinctam

Nomen antiquissimum.

V. Habemus itaque, si coniectationes non illepidas audimus, ***antiquissimum*** quoddam ***communeque nostrorum maiorum nomen.*** Vnde vero, quod obieceris opinioni allatæ, potuit fieri, vt per omne Romanum æuum ne nota quidem antiqui istius nominis, si exstitit, & inter Germanos tum temporis frequentatum est, emicuerit? Primum quod sumitur, nullam exstare nominis in Romanorum scriptis notam, plane nondum probatum esse, iam ex *TUISTONIS* Dei, nationisque Germanorum crediti auctoris, memorato nomine declarauimus. Addi & poterant ad retundendam obiectionem occurrentia passim in veterum memoriis *TEVTATIS* Dei, *TEVTONORVM* gentis, *TEVTOBVRGI* ciuitatis, *TEVTOBVRGIENSIS* saltus, & montium *TEVTONICORVM*, vocabula: quæ omnia totidem veri natiuique nationis cognomenti esse vestigia, quis non cernit? (*b*).

obiectioneque quadam liberantur;

Quod

gentem peruulgatum fuisse. Euolue passim illarum ætatum monumenta, & facile obseruationi fauebis.

(*b*) *TEUTATEM* LUCANUS *Lib. I. Vers. 445.* canit:

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates.

Ditem vocauit CÆSAR *Lib. VI. Cap. XVIII.* *Tuistonem* in TACITI *Germ. Cap. II.* vidimus. *Teutoburgiensis* saltus iugique paulo ante meminimus. *Teutonorum* gens infra in insulis cernetur. Addimus VIRGILIUM & PROPERTIUM, qui *Teutonicas opes*, & *Teutonicum ritum*, ita canunt; vt licet fortassis a Teutonis capta occasio sit, ipsi tamen videantur vtrumque de *Germanicis opibus*, & *Germanico ritu*, interpretari. VIRGILIUS *Aen. VII. Vers. 740.*

Et quos maliferæ despectant mœnia Abellæ,
Teutonico ritu soliti torquere cateias.

PROPERTIUS *Lib. III. Eleg. II. v. 44.*

Aut quibus in campis Mariano prælia signo
Stent, & Teutonicas Roma refringat opes:
Barbarus aut sæuo perfusus sanguine Rhenus
Saucia mœrenti corpora vectet aqua.

Quid? quod ipse ad VIRGILIUM SERUIUS mentem eius clare exponat. *Cateias, tela Gallica: vnde & Teutonicum ritum dixit: - - - Caietæ autem lingua Theotisca hastæ dicuntur.* Gallica tela SERUIUM dicere & Germanica intelligere, inde patet, quod statim dicit, *hastas* Theotisca lingua vocari *caietas.* Adhuc clarius MARTIALIS *Epigr. XXVI. Libr. XIV. Teutonicum*, & *Germanicum*, vocabula vno sensu accipit, dum canit;

Nomen antiquissimum.

Quodsi interim vel nihil foret reliquum, quod nomini, modo per coniecturas probato, faceret apud Romanos scriptores fidem, minime istud valde mirandum duxerim. Plurima namque Romanos ignorasse, quantum ad Germaniam attinuit, satis est manifestum; imo & hoc exploratum, plurima eos per ambitionem ingenitam duxisse ignorare laudi, quod extremam barbariam haberent Germaniam. Hoc adiice, rationes satis adparere dignas, cur genuinum nomen & latere Romanos potuerit, & ab ipsis silentio fuerit transmissum: quod alterum, nempe *Germanorum*, nomen ita apud exteros esset vsu adprobatum & vulgatum, vt difficillime natiui adnominis notitia potuerit apud exteras gentes percrebrescere.

& rursus ad prolati nominis Teutiscorum seu Theutiscorum originem inueniendam aduocantur;

VI. Abeunt praeterea, quibus laudatae debentur coniecturae, antiquioris illius nominis rationes peruestigando, prorsus in diuersa. Sunt varii, qui non male a communi Germanorum Gallorumque Deo, quem *TEVT*, seu *TEVTATEM* vocarunt, voluisse nostros maiores denominari, sibi persuadent. Quidam *TVISTONEM* Deum, qui prope tamen cum *Teut*, aut *Teutate* fuerit idem, memorant: quem cum originem gentis conditoremque celebrauerint Germani, quidni, aiunt, ab eo quam maxime commune nomen accipere voluerint? (c) Alios delectant fabulae, iisque in mentem an-

Caustica Teutonicos accendit spuma capillos:
Captiuis poteris cultior esse comis.

NOTITIA etiam *Imp. Occid. Teutonicianos milites* adpellat, si cum aliis cohortibus mixti essent Teutonici seu Germani, milites; teste PANCIROLLO *Comm. P. II. Cap. LXXXVIII.* En *Teutonici* nominis in ipsa Romana antiquitate non infida indicia. *Theotiscae* & sane linguae apud SERUIUM memoria, iam ipsius aeuo *Germanos* esse *Theutiscos*, siue *Theodiscos, compellatos, satis commode comprobat.*

(c) Origo nominis *TEUTISCORUM, Theutiscorum, Theodiscorum, Teutonorum,* a Deo Germanicarum gentium communi, siue is THEUT, siue *Teutates*, siue *Tuito*, siue *Tuisto*, dictus fuerit, plurimis hodie probatur auctoribus. Conf. CLUUERIUS *Germ. Ant. Lib. I. Cap. IX.* HERTIUS *Notit. Germ. Vet. Cap. I. §. 4.* Ceterum affirmat ALB. THONERIUS, Vicarius Paderboruensis, in *monumentis Paderborn. pag. 136.* veteri Saxonica lingua *Dute* Deum sonare. Quodsi est, vt Dei adpellatio disputetur; nihilomi-

Nomen antiquissimum.

antiqui illi Germaniæ reges, a nebulone quodam erudito dicis causa excogitati & conficti, venere; a quorum primo commune nomen tota natio, cetera a reliquis regibus vocabula singulæ ciuitates, tulerint *(d)*. Non & desunt, qui cum Judæis *ASKENAZEM*, Noachi pronepotem, nostri parentem populi prædicantes, ab eo mira flexione *Teutiscorum*, seu *Tuisconum*, vocabulum deriuare conantur *(e)*. Est denique patriæ linguæ genio non aduersa Teutiscorum, & Teutonum, vocis *a populi multitudine* deducta ab illustri quodam nostræ antiquitatis inuestigatore deriuatio; cum scilicet natio nulla

O 2 tot

nus tamen Teutiscorum nomen a Dei nomine, vt a *Dute* dicti fuerint *Dutse*, & demum *Deutsche*; accepta esse recte credetur.

(d) ANNIUS VITERBIENSIS BEROSUM dedit, nec paucis Germanicæ amantibus eruditis diu imposuit. In BEROSI *Lib. V.* primus Germanorum rex *Tuisco* fingitur, & nonus *Teuto*. *Tuisco* perhibetur idem esse, quem *Askenazem* MOSES *Gen. Cap. X. Vers. 3.* nominauit: isque nomen *Tuisconum, derer Tuiker*, vnde *Tuitschen*, & demum *Teutschen*, nationi suæ imposuisse. A *Teutone* nomen *Teutonorum, & Teutonicorum*, captum esse, constituitur. Præter Tuisconem & Teutonum, reges *Sueuus, Alemannus, Marsus, Gambriuius, Vandalus*, & plures commentitii principes, ab ANNIO in BEROSO celebrati sunt: vt ipsis omnino singulares populi nomina sua accepta retulisse meminerentur. Quis hodie vero non ridet insulsas fabulas? At placuere tamen ex superiori seculo adeo, vt ALTHAMERUS, VVILLICHIUS, vterque in TACITI *Germaniam*, AENEAS SYLUIUS, SEB MUNSTERUS, & plures alii, mirum arbitrati fuerint, quantum illis BEROSI acceptis narratibus in antiquitatibus Germaniæ profecerint. IODOCUS VVILLICHIUS enarratis omnibus, quæ collegerat ex BEROSO, *Ad hunc*, inquit, *modum quis dextre & Vetustissimas historias, & supputationem temporis Hebraicam sequutus, & in Chronologia Germanorum pergeret: Dici nequit, quantum fructus discipuli rerum Grrmanicarum facerent, siquidem regum successio sic diligentius notaretur.*

(e) *ASKENAZEM* Germanicæ gentis fuisse conditorem plurimis argumentis CLUUERIUS *Germ. Ant. Lib I. Cap. IV.* probare conatur. Quod vero PHIL. MELANCHTON *in Vocabulis regionum atque gentium apud* SIM. SCHARDtum *Tomo I.* nomen Teutiscorum censuit ab Askenaze acceptum esse; quasi *die Askanen*, deinde *Daskanen* demum *Deutschen*, compellati fuerint; id CLUUERIUS *Cap. IX. fol. LXXX.* ipse improbat & confutat. Sed, quo & minus CLUUERII sententia valeat, repugnant passim eruditi viri, BOCHARTUS, VOSSIUS, GROTIUS, SCHERINGHAM, alii: ostenduntque, in Asia potius Askenazis posteros, quam in Europa, quærendos fore. Res ipsa ad Germaniæ spectat origines, quas vide alibi.

tot quasi examina gentium emiserit, quam Germanica (*f*). Malumus vero nos omnes has prolatas vocum significationes, nisi quas a fabulis desumtas merito reprobauimus, audire, & cuilibet integram relinquere tentandæ diiudicationis copiam; quam ipsi quidpiam in causa obscurissima definire. Vnum tamen monere non piget, quod dignum videatur esse, nobis id supra ostendentibus, a generali quodam genere commune nationis nomen arcessere; efficere prope id, ut a *Tuistone*, siue *Teutate*, aut Deo, aut prisco heroe Germanorum, Teutiscorum vocabulum, quam aliunde aliquis arcessitum maluerit (*g*). *Nomen antiquissimum.*

VII. Esto iam vero, nam plane dicere adhuc semper vereor, liqueat ex coniecturis, primum antiquissimum nostrorum maiorum fuisse nomen *THEVTISCORVM*, siue emollita

(*f*) *Ill.* LEIBNITIUS *Tomo I. Rer. Brunsvic. in Notis ad Excerpta Veterum fol. VIII. Nota C.* vetus Saxonicum vocabulum *Thiod*, quod populum notat, memorat: indeque superesse in Brunsvicensi agro vocem *Thiedde*, quæ plebem designet, ostendit: Existimat Germanos antiquissimos voluisse vocari *Theut*, quasi populus: vnde *Theutiscorum*, & *Theodiscorum*, nomen prouenerit. Addidi nouam caussam, voluisse forsitan Germanos *Theutiscos* compellari, quod præ ceteris nationibus magnus validusque essent populus: aut nuncupatus etiam esse illo proprio a vicinis nomine, quod tot egregias expeditiones hic solus populus peregerit, quot vix plures aliæ gentes vnquam fecerint.

(*g*) Et ipse Ill. LEIBNITIUS loco citato cum pluribus facit, & Teutiscium nomen haud dubie a *Teut* Deo acceptum, constituit. Adhuc tamen de nomine ambigit, vtrum primus gentis dux, qui inde diuinis placatus sit honoribus, *Teut*, siue *Theut*, fuerit dictus, gentisque deinceps nomen dederit; an populus iam ante *Teut* proprio nomine fuerit compellatus, & dux populi susceperit nomen: vt reliqua testetur historia, nomen populi quandoque in regnantes transiuisse. Ipse censuerim, nomen demum Teutiscos a Teut, siue is primus heros Germaniæ, & in deos relatus fuerit, siue eo nomine Germani verum supremumque numen designauerint, adsumsisse. Et fauens enim veterum Germaniæ principum, qui more omnium gentium augustas diisque propinquas adpellationes adfectarunt, nomina; suadentque, *Teut* nomen, a primo quasi vocis ortu, maxime in Germania venerabile esse habitum. Sunt in historiis cogniti & celebres *Teutobochus*, *Teutarus*, *Teutagonus*, *Teutomer*, *Theodebaldus*, *Theodomer*, *Theutebaldus*, *Theodo*, *Theodomannus*, *Theodebertus*, *Theodoricus*, *Theutechildes*, *Theudis*: ut transeamus vocabula plura.

Nomen antiquis-simum.

lita voce *TEVTISCORVM*; patriamque simul TEVTISCIAM olim nuncupatam esse. Nouæ statim emergunt dubitationes; an & Galli, qui Theut, seu Teutatem, Deum coluerunt, antiquitus fuerint Teutisci vocati? annum Teutisciæ iidem, qui Germaniæ, fuerint fines? vtrum vero fines antiquissimi, quos perperam a quibusdam Germaniæ adsignari alio loco diximus, recte Teutisciæ fuerint tribuendi? Si enim a Deo, quod pluribus probari videtur, eoque communi fuerit acceptum nomen; cur vni tantum populo, inquies, tribuatur? Et instabis de ceteris, licet ante nomen regionis fuisset patens latius & amplius, non mirum videri, quod nouo Germaniæ vocabulo recepto huius fines terminique, quam antiquioris nominis, fuerint coangustati magis & constricti postea: idemque, quod recentius probet exemplum pluries fieri, Galliæ accidisse voci, quæ vtique patuerit, quam succedens Franciæ nomen, longius (*b*). Ego enimuero fateor ingenue, in tanta rerum obscuratione plura habeo, quæ moueam, quæue obiiciam, quam rationes, quibus istiusmodi scrupulos ex lectorum meoque euellam animo; duco adeoque

additis quibusdam circa illud nomen dubitationibus.

O 3 satius,

(*b*) Nolumus vsquam in sententiis, quas refutare possimus, percensendis valde immorari: sed semper sufficiet, leuiter monstrasse errores, veramque stabilisse firmiter sententiam. Hoc quidem loco coniecturis res agenda erit: quod tamen commode videbitur, non minus recte sententia adpellabitur. Ergo, licet Gallorum nomen sit etiam Germanos antiquitus complexum, non putamus tamen Teutisciæ nomen cis Rhenum stetisse: nullo enim vestigio rei adparente, non nisi temere ea adfirmatur. Si porro nostra patria ante *Teutiscia*, quam *Germania*, est nuncupata, non censemus, diuersis finibus vtramque contentam fuisse, sed eosdem rectius vtrique vindicamus. Siquidem Teutiscorum, extra Teutisciæ fines positæ sedes, non magis putantur ipsius Teutisciæ nomen prolatasse; quam Germaniam ad Pontum usque protulisse Germanorum ad eum vsque excursiones. Maxime hic errat auctor, qui Gothicum orbem illustrandum, sed infeliciter fere, sumsit. Is *Teutonia*, quam vocat, & *Germania*, nomina ita distinguit, vt hanc putet ad Vistulam vsque pertinuisse, & ipsos Sarmatas, quos ab omni æuo putat trans Albim egisse, comprehendisse; illam non nisi ad Visurgim pertigisse, pauloque vix ultra, & reliqua Germaniæ Sarmatico generi plene reliquisse. Sed temporum & historiarum perpetua confusio adeo totum illud implet opus, vt nec mirum in hac in causa bonum auctorem coecutisse.

ſatius, perſpicatioribus ingeniis intactam prope a me relinquere materiam, quam inter incerta dubiaque, ſcitu neceſſariis enarratis, verſari diutius.

Nomina generalia antiqua.

Proxima generali nomini natiua Germanicarum ciuitatum cognomenta enarrantur.

VIII. Poſt difficilem minimeque expeditam de primo antiquisſimoque noſtræ nationis, domique, ita vt dicam, nato, nomine diſputationem, longe nunc a nobis ſecurius de *proximis generali nomini cognomentis, & ipſis natiuis, multisque in Germania antiqua populis communibus*, agetur. Nituntur nimirum hæc probatorum fide auctorum, hiſtoriamque eo digniorem habent teſtem, quod ipſi Germani Romanorum conſentiunt narratibus: cum illic contra vix coniectura licuerit in antiquitatem proſpicere; minime autem multæ licuerit dubitationi, quam ſemper remanere docuimus, plene ſatisfacere. Et ſunt ex his generalibus vocabulis quædam rurſus antiquisſima, vetuſtisſimis maiorum noſtrorum carminibus iamdum celebrata; quædam vero alia Romano demum æuo cognita, ſed pars quam plurimis gloriæ omnis & creberrimarum victoriarum inſignibus, multo quam reliqua, breui tempore ſunt reddita auguſtiora.

Vetuſtiora dedit Tuiſtonis Dei carminibus Germanicis celebrata familia.

IX. Illa *vetuſtiora* propria huius loci *vocabula*, ad quæ gerenda plures conſpirarunt gentes, celeberrimam Germanicis carminibus Tuiſtonis familiam dediſſe, perhibet Tacitus. Tuiſtoni enim Deo, terra edito, cum Mannus filius eſſet, origo gentis conditorque, & iſti iterum tres naſcerentur filii, pluresque deinde licentia vetuſtatis diuina hac orti domo crederentur; veras hinc & antiquas plurium ciuitatum eſſe adpellationes tractas, ipſi maiores noſtri cecinerunt. INGAEVONES itaque proximi oceano populi, medii HERMINONES, ceteri ISTAEVONES, a tribus Manni filiis fuerint vocati; quibus MARSI, GAMBRIVII, SVEVI, VANDALIque, acceſſerint, propriis reliquorum Deo ortorum, vt fama fuit, nominibus nominati. Et eſſe hæc vere Germanica, adeoque genuina & natiua, vocabula, nemo non intel-

Nomina generalia antiqua.

intelligit, qui vel leuiter eorum fata vimque nouit & poteſtatem (*i*). Nos tamen, quod fecere non pauci auctores, nolumus in dubia vocum ſignificatione perueſtiganda morari; nec veri imitatricem illam fabulam, vnde merito laudata fluxiſſe gentium cognomina exiſtimamus, operoſe hic declarabimus. Hanc vero poſtremam cauſam a capite exponendi tum erit occaſio, cum de diis Germanorum aliquando commentabimur.

Primum ea ad notandas claſſes Germaniæ populorum a Romanis ſunt adhibita;

X. Quantum autem ad nominum fata attinet, ſcire iuuat, Romanos adſumtis quatuor illorum vocabulis, additoque quinto, in totidem claſſes generales omnes Germanicas antiquiores ciuitates, ex ipſa haud dubie Germanorum relatione, diuiſiſſe. Habuerunt proinde *INGÆVONES*, *ISTÆVONES*, *HERMINONES*, *VANDALOS*, recensque additos *BASTARNAS:* quibus omnes per vaſtam diſperſas Germaniam gentes aliquando complexi ſunt (*k*). Paulo etiam dein-

(*i*) TACITUS *Germ. Cap. II. Celebrant*, inquit, *carminibus antiquis, quod vnum apud illos memoriæ & annalium genus eſt, Tuiſtonem Deum terra editum, & filium Mannum, originem gentis conditoresque. Manno tres filios adſignant, e quorum nominibus proximi oceano Ingæuones, medii Herminones, ceteri Iſtæuones, vocentur. Quidam autem licentia vetuſtatis plureis Deo ortos, pluresque gentis adpellationes, Marſos, Gambriuios, Sueuos, Vandalios, adfirmant: eaque vera & antiqua nomina.* Tot ANNIUS reges antiquæ Germaniæ tribuit, quot TACITUS hic nomina memorauit: & paſſim bona fide illos reges alii exſcripſerunt. Et fuiſſe vtique videntur clari Germaniæ heroes, quorum familiam TACITUS celebrauit; vt oppido tamen ſit ineptum, illorum hiſtoriam fingere, & antiquitati ſupponere. Annum potius nationes illa nomina ex ſedium ſuarum natura acceperint? quæri a multis, & adfirmari, reperio. Obſtant vero maiorum antiqua carmina, quæ TACITUS laudat, & quæ ſine cauſa idonea impugnare nefas puto. Et infra patebit, vix explicationi nominum, quam multi proferunt, cum ſedibus populorum, quos notant nomina, conuenire. An conditi hominis veram hiſtoriam illi maiorum de gentis origine narratus retulerint? olim diſpiciemus.

(*k*) PLINIUS *Lib. IV. Cap. XIV. Germanorum*, ait, *genera quinque. Vindili, quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones. Alterum genus Ingæuones, quorum pars Cimbri, Teutones, & Cauchorum gentes. Proximi autem Rheno Iſtæuones, quorum pars Cimbri mediterranei: Hermiones, quorum Sueui, Hermunduri, Chatti, Cherusci. Quinta pars Peucini, Baſtarnæ, ſupra dictis contermini Dacis.* POMPONIUS *Lib. III. Cap. III. Hermiones,* SOLI-

deinde, licet silentio plurima transeant Romani, non graua- *Nomina*
bimur coniecturis quibusdam in antiquitatem prospicere, & *generalia*
exponere, quæ singulatim ciuitates cuilibet ordini fuerint ad- *antiqua.*
mox pas- signandæ. Hoc modo notamus porro, sensim pedetentim-
sim anti- que vnam harum vocum post alteram esse imminutam, de-
quata & mumque interiisse. Prima periere *Ingæuonum*, *Herminonum*,
sepulta
obliuione & *Istæuonum*, vocabula. Illud *Marsorum*, &, quod aliqui exi-
stimant, illud etiam *Gambriuiorum*, nomen stetit diutius, sed
vtrumque inter angusta exiguæ ciuitatis spatia. *Bastarnæ*,
quod alibi monuimus, donec fatis suis succumberet Roma,
auditi sunt. *Vandalorum* nomen, postquam, ciuitatibus eo
comprehensis propriis compellatis nominibus, delituisset diu,
cum fine resurrexit Romani imperii, Galliamque primum, AN. CCCCVI.
mox Hispaniam, deinde Africam, postea Italiam, terrore ma- AN.
ximo impleuit; extremum ex Africa, vbi aliquandiu validum CCCCXXVII.
Vandalorum regnum floruerat, plene Græcorum armis exci-
sum est. Vnum reliquum *Sueuorum* cognomentum in no- AN.
strum per vicissitudines varias perdurauit æuum. Et primum DXXXIV.
id aliquot, quod videtur, gentium proprium, immensa mox
cepit incrementa, vt populus Albim inter & Salam & Vistu-
lam Sarmaticosque montes, indeque ceteros supra maria o-
mnes, comprehenderet. Ast rursus nomen hoc, postquam
insignis Sueuorum in Galliam, in Hispaniam, & proxime in AN.
Lusitaniam, migratio accidisset, est coarctatum; vsque quo CCCCVI.
pars eius in Rheni Danubiique confinio, & partim extra anti- SEC.
quum Germaniæ limitem, vbi hodieque Sueuiæ durat no- VI.
men, consisteret.

NUS *Cap. XXIII. Ingæuones* memorat. *Vindilorum* seu *Vandalorum*, nec non *Bastarnarum* crebrior apud auctores mentio occurrit, quam quæ hic indicari possit. Ceterum, quod olim in quinque hæc genera omnes Germanicæ ciuitates diuisæ fuerunt, magis id probare videtur, a familiarum quibusdam principibus, aut ciuitatum insignibus ductoribus, nomina accepta potius esse, quam alia ex causa. Fata harum singulorum generum adpellationum vide infra.

CAPUT II.

NOMINA NATIVA, GENERALIA RECENTIORA.

I.

Recentiora generalium vocabulorum,

ROMANO *æuo nata* aut certe cognita *generalia*, *Germanorumque propria*, *vocabula*, quæ modo post antiquiora veniunt consideranda; alia singularium ciuitatum antiquitus fuere nomina, & deinceps eas accessiones fecere, vt plurimas alias simul, tanquam arctissimo fœdere aut clientela deuinctas, notarent gentes; reliqua ab ortu vsque societatum clararum fuere & perstitere insignia. Ex prioribus SAXONVM adpellatio haud dubie illa est, quæ plurimam in omni æuo gloriam est consequuta. Fuerint primum *Saxones* exigua ciuitas, in dorso Cimbricæ Chersonesi sita; quem ei locum primus in antiquitate adsignauit Ptolemæus. Seculo deinde tertio mira huius nominis incrementa merito obstupescimus; recteque censemus, non tam gentis mansisse nomen, quam fœderis populorum clarissimi euasisse insigne. Tum enim & deinceps porro, ab Albi ad Rhenum vsque, & vltra eum, omnes maris oras Saxonicum nomen complexum est. Rapuerit etiam idem omnes Cimbricæ Chersonesi & insularum ciuitates in consociationem; cum aliud hisce in finibus tum temporis vix fuerit auditum nomen. Postea Francis in Galliam irrumpentibus omnem intra Rhenum & Albim terrarum tractum in Saxonum concessisse sensim pedetentimque ciuitatem, certum est. Adde denique Romanam Britanniam a Saxonibus captam; & tam illic

vel singularium ante ciuitatum fuere nomina, & deinde fœderum maiorum insignia; vt illa Saxonum,

An. CXX.

Sec. III.

Sec. V. VI.

An. CCCCXLIX.

illic, quam in continenti Germania, illuſtre Saxonum nomen ad noſtra vsque tempora conſeruatum (*l*). *Nomina fœderum.*

Gothorum, II. Perſimile Saxonici adnominis alterum exſtitit GOTHORVM; ſi aut initia videris, aut acceſsiones maximas ipſi deinceps factas. Præter enim Geticas in Sarmatia & Scandinauia ciuitates permodica primum fuit Gothorum gens, ad Viſtulam adſita; a cuius trans Viſtulam expeditione capto Gothorum nomini datam cupiunt occaſionem. Quidquid rei ſit, quod infra a nobis diſputabitur, obſcurum ab initio *Gothorum* cognomen, tantis demum adcretionibus eſt auctum, vt modo ad orientem ſolem, modo ad meridiem, excurreret; territaque demum diu Europa & Aſia, pars variis itineribus in Hiſpaniam tenderet, pars altera in Italiam: quibus in regionibus, binis ſtabilitis regnis, non minus quam ante glorioſum perſtitit. Et, vt reliqua ſtatim adiiciamus, eadem prope fata BVRGVNDIONVM & LONGOBARDORVM vocabula habuiſſe, perquam veri eſt ſimile. Sane vtriusque ciuitatis, cenſente Tacito, mediocres fuere fines viresque; & hæ, vix quam nomine, donec Roma imperaret, Romanis cognitæ. Proſtratis autem Romanis viribus, illæ Burgundionum & Longobardorum cœpere longe eſſe validiores; pluribus probabiliter ciuitatibus ad nominis quondam ſingularis ampliorem ſocietatem pellectis. Tum & *Burgundiones*, prolatatis ante in Germania agris, cum quinti initio ſeculi in Galliam penetrarunt, & ad Rhodanum fluuium regnum celebre erexerunt. *Longobardi* diutius verſati in Germania, trans Danubium in Pannoniam victis Gepidis ſeriori ætate migrarunt; vnde ſexto ſeculo ventum eſt in Italiam: in qua regno inſigni a Longobardis condito, eorum nomen per fata varia non

Burgundionum & Longobardorum:

SEC. III.

AN. CCCCXI.

AN. CCCCXCI.

AN. CCCCVI.

AN. DLXVIII.

(*l*) Occaſione nominum Germaniæ, quæ perſequi placet, plura, copioſe infra exponenda, breuiter hic anteoccupamus. Sed noli hic quærere auctorum teſtimonia, quæ mox ampliſſima accipies.

Nomina fœderum. non minus mansit ad nostram vsque ætatem memorabile, quam alterum in Gallia Burgundionum.

III. Cui nunc antiquiorum nominum classi illa adiudicem BOIOARIORVM & THVRINGORVM vocabula; fere dubito. Sunt, qui vtrumque nomen antiquum insigne vnius alteriusque fuisse contendunt gentis; atque in *Reudingis* Taciti *Thuringos*, in *Boiis Boioarios*, mutata parum aut saltem amplificata voce, quærunt. Cum his sentientes recte vtraque adnomina gentium ordini adscriberemus primo, cui ea debentur, quæ singularium ante ciuitatum, & deinde demum fœderis ergo plurium fuere notæ. Quod tamen infra demonstrabimus, rectius vtrumque nomen in classem secundam referetur, cum & noua prorsus fuerint nomina, & statim ab initiis primis plures videantur ciuitates comprehendisse; & maxime antiquitatis horum nominum adsertores nihil probent vltra, quam quodammodo veri videri simile, Reudingos cum aliis ciuitatibus ad Thuringicum nomen assumendum, Boiorum reliquias ad Boioarium, conspirasse. vel ab ortu statim suo societatem quandam gentium notarunt; vt illa probabiliter Boioariorum & Thuringorum;

Sec. V. VI. Ceterum tam Thuringicum, quam Boioarium nomen, collapsa demum cœpit florere Roma; illud in media prope Germania cis Albim vastas complexum regiones: hoc cis Danubium in Norico conditum, & cum Alemannico nomine, in *Vindeliciam Rhætiamque* translato, solum in causa, vt Cisdanubianæ hæ prouinciæ ab eo tempore in Germania numerarentur.

IV. Modo illud memoratum ALEMANNORVM cognomentum ab ortu vsque suo indubitabilis claræ gentium societatis nota fuit; adeoque sine controuersia a nobis in classe nominum secunda censetur. Tertio illud est primum auditum seculo, cum Sueuicæ trans Danubium gentes acerrima cum Romanis bella gererent, & trans recentem Danubium protentam paulo Romanam ditionem iam feliciter expugnassent. Tum multæ ciuitates, quas vel nomen Germanica certius illa Alemannorum &

Sec. III.

notat

notat lingua, in agros illos Decumates immigrarunt; & ex vtraque re, quod & variæ essent gentes, & quod Sueui essent, nomen & *Alemannorum*, & vulgo *Sueuorum*, inuenere. Clarissimum deinde Alemannicum euasit nomen, partis pluribus victoriis, & quoquouersus prolatatis agris. Cum idem tamen, occupata iamdum Rhætia, & Heluetii agri bona parte, captaque porro prima Germania, suas in Gallia regiones amplificare magis niteretur: intra ipsos conatus sistere a Francis coactum, & ad satis magnas angustias redactum est. An. CCCCXCII.

Nomina fœderum.

Francorum cognomenta.

V. Ea Alemannici nominis ruina alterum FRANCORVM quam maxime illustratum est. Hoc enim paulo post Alemannicum intra Rhenum & Visurgim amnes ortum, plurimasque complexum ciuitates, præter externa bella, quæ cum Romanis administrauit, perpetuo riualitate multa cum Alemannico commissum est; nec ambitiosa tenuit vota, donec superaret Alemannicum, & eius cæde ampliorem sibi fortunam pararet. Sed postea statim omni obsessa Gallia, ipsaque paulo deinde Germania propiori ad clientelam perducta, tantum floruit, vt facile omnia, cum antiquiora, tum recentiora, Germanicarum ciuitatum nomina, quantum attinere videatur ad gloriam, longo post se interuallo possit dici reliquisse. Sec. III.

CAPVT

CAPVT III.
NOMINA GERMANIAE VETERIS POPVLORVM NATIVA SINGVLARIA.

I.

Nondum locus eſt diſcedendi a natiuis Germanisque noſtrorum maiorum compellationibus; ſed ſuperant *ſingularium ciuitatum propria nomina* poſt communia plurium conſideranda. Eorum intuitu nequeo ſatis mirari, quosdam, cum ſatis multa reperirent in antiquitate cognita Germanicarum ciuitatum adnomina, ea ſingularum familiarum domuumque tantum, non integrarum gentium, eſſe nuncupationes ſtatuiſſe. Quaſi foret incredibile, in vaſtis terrarum ſpatiis, in quibus, ſi hodieque principum æſtimes territoria, longe reperiuntur plures gentium adpellationes, quinquaginta plus minus antiquitus habitaſſe ciuitates. Et quaſi non bellis ab ipſis hiſce gentibus adminiſtratis, nec agrorum, quos occupauerint, finibus eæ ſatis fuiſſent Romanis cognitæ. Fuere ſane ciuitates totidem, ſuis legibus *ſuisque non* raro propriis viuentes inſtitutis; vt adeo, cum præſertim in Gallia, in Hiſpania, in ipſa Italia, non pauciora occurrant gentium nomina, quæ tamen, quod norim, nullus familiarum aut ſtirpium loco habuit, illa in noſtris rebus nimia curioſitate minime opus ſit.

Singularia ciuitatum nomina non minus ſunt germana & natiua.

II. Ipſa de reliquo peculiarium ciuitatum nomina, quæ demum acceptis maiorum fœderum inſignibus omnia ſenſim cœpere antiquari, facile colliguntur, ſi potiores Germaniæ regiones leuiter conſiderauerimus. Trans Rhenum ab eius

prope initiis ad vsque exitus coluere antiquitus MARCOMANNI, & clientelæ ab hisce susceptæ, SEDVSII, HARVDES & NARISCI; porro VBII, CATTI, SICAMBRI, BRVCTERI, MARSIque: deinde CHERVSCI, ANGRIVARII, CHAMAVI; proximi oceano BATAVI, FRISII, & CHAVCI. Trans Albim & Salam amnes ANGLORVM, SEMNONVM, HERMVNDVRORVM, LONGOBARDORVM, GOTHORVM, LVGIORVM, QVADORVM; & supra maria SVEONVM, SITONVM, HILLEVIONVM; CIMBRORVM denique & TEVTONORVM in peninsula & ei adiacentibus insulis, sedes nouimus. Et possent horum ceterorumque sincerorum verorumque Germanicarum ciuitatum nominum distincte exponi rationes & origines. Cum autem nostra populorum Germaniæ historia eas omnes accurate sit traditura; præter quod ordinis gratia confusam illorum vocabulorum notionem præbuimus, simulque eorum germanam testati sumus originem, nihil vltra hoc loco ea morabimur.

Nomina ciuitatum singularia.

CAPUT

CAPVT IV.

NOMINA GERMANIAE VETERIS POPVLORVM ROMANIS GRAECISQVE SOLENNIA.

I.

Ab exteris præsertim Græcis & Romanis, data Germanis nomina generalia;

TRansimus ergo expeditis vocabulis reliquis libere ad *ea, quæ exteri*, imprimis cum Græcis Romani, aut generatim omnibus *Germaniæ populis*, aut quibusdam speciatim, *imposuere*. Inter ea sunt *antiquissima Græcorum*; quorum tamen vagæ nimis de Europæ protentioris populis notiones, nomina dedere magis soluta magisque variæ significationis, quam quæ solis nostris maioribus possent tribui. Antiquissimi scilicet Græci HYPERBOREOS vocarunt, omnes trans Danubium Istrumue ad septentriones prospicientes populos. In iis tamen præcipue Germanos numeratos esse, multis constat argumentis: & præ ceteris est memorabile, illos *Gallos Germanosque*, qui quondam diripuere Romam, & quos recte Florus *ab vltimis terrarum oris, & cingente omnia oceano*, deduxit, ab Heraclide Pontico *Hyperboreos* vocatos esse (*m*). Illi deinceps minus vsitato vocabulo

Hyperboreorum;

(*m*) *HYPERBOREOS* proprie auctores adpellarunt eos, qui vltra extremos ad septentrionem Riphæos montes coluerunt: siue in Europa ii, siue etiam in Asia, egerint. Conf. PLINIUS *Lib. IV. Cap. XII. Lib. VI. Cap. XIII.* POMPONIUS *Lib. III. Cap. V.* SOLINUS *Cap. XXI.* DIONYSIUS AFER, & EUSTATHIUS *in Commentario*, STEPHANUS *in Vocabulo* *ὑπερβόρεοι*, & passim alii. In his ipsis Scandinauiæ incolas Germanos antiquitus adnumeratos esse, iam prolata auctorum testimonia, & Scandinauiæ situs declarant. Memorant veteres *insulam Hyperboreorum*, quæ est sane Scandinauia, nec tellus alia. Rem curate exponit OLAUS RUDBECK *Atlantica Cap. IX.* in quo vetus Sueoniæ nomen, *Insula Hyperboreorum*

Scytharum; bulo ſucceſſit alterum SCYTHARVM, quo vocabulo Græci antiquiores rurſus omnes ad occidentem & ſeptentriones ſitas nationes, præcipue autem Germanos, denotarunt. Adhuc Nomina peregrina

illuminatur. Plane cum eo ſentire libet, ſi exceperis adfectata cura collectas Hyperboreorum laudes, & nominis interpretationem; quod *Hyperborei*, quaſi *nobiliſſima gente nati* dicti fuerint: quam, cum ſcilicet ex STRABONE *Lib. I.* diuerſam prorſus ex Græca lingua docti ſimus originem, ægre aliquis probauerit. Præter Scandinauiæ autem habitatores, reliquos Germanos in *Hyperboreis* a vetuſtiſſimis Græcis habitos eſſe, porro probamus. STEPHANUS *in voce* Ὑπερβόρεοι, generatim rem exponit. Πρώταρχος δὲ τὰς Ἄλπεις Ῥιπαῖα ὄρη ἄνω προσαγορευέσθαι, καὶ τοὺς ὑπὸ τὰ Ἄλπεια ὄρη κατοικοῦντας πάντας Ὑπερβορέους ὀνομάζεσθαι. *Protarchus dicit, Alpes Riphaeos montes dictas fuiſſe: omnes vero populos, infra Alpes incolentes, Hyperboreos adpellatos.* APOLLONIUS *in quarto* Ἀργοναυτικῶν ita Iſtrum canit:

- - - Πηγὰς γὰρ ὑπὲρ πνοιῆς Βορέαο
Ῥιπαίοις ἐν ὄρεσσιν ἀπόπροθι μορμύρουσι.

- - - *Fontes enim ſupra ventum Boream*
Riphais in montibus procul murmurant.

Ad hæc ita SCHOLIASTES: Τὸν Ἴστρον φησὶν ἐκ τῶν Ὑπερβορέων καταφέρεσθαι καὶ τῶν Ῥιπαίων. οὕτω δὲ εἶπεν ἀκολουθῶν Αἰσχύλῳ, ὃς ἐν λυομένῳ Προμηθεῖ λέγοντι τοῦτο. *Iſtrum, ait, ex Hyperboreis deferri, & Riphais montibus: hoc autem dixit ſequutus Aeſchylum, idem in Prometheo, qui ſoluitur, adfirmantem.* Idem SCHOLIASTES diuerſo loco ait: Ποσειδώνιος εἶναί φησι τοὺς Ὑπερβορέους· κατοικεῖν δὲ πρὸς τὰς Ἄλπεις τῆς Ἰταλίας. Ἑκαταῖος δὲ μέχρι τοῦ αὐτοῦ χρόνου εἶναί φησι τὸ τῶν Ὑπερβορέων ἔθνος. ἔτι δὲ αὐτῷ βιβλία ἐπιγραφόμενα περὶ τῶν Ὑπερβορέων. POSIDONIUS *adfirmat Hyperboreos eſſe: habitare vero iuxta Alpes, Italiæ montes.* HECATÆUS *vero ad ſuam vsque ætatem durare Hyperboreorum tradit gentem: libroſque compoſuit, quos de Hyperboreis inſcripſit.* Quis non videt, hiſce omnibus in locis Hyperboreorum nomine Germanos intelligi? Quis & prohibet, quo minus HECATÆUM cenſeamus de vetuſtiſſimis Germanis Hyperboreorum nomine ſcripſiſſe? HERACLIDIS PONTICI teſtimonium, quod Hyperborei Romam expugnauerint, PLUTARCHUS habet *in Camilli vita.* Latini poëtæ Græcorum exemplo Germaniam & Sarmatiam non minus Hyperboreorum regiones adpellarunt. Ita de Germania interpretor priora apud VIRGILIUM *Georg. Lib. IV. verſ. 513.*

Solus Hyperboreas glacies, Tanaimque niualem,
Arvaque Riphais nunquam viduata pruinis,
Luſtrabat.

Tanais enim niualis Sarmatiam deſignat, & amant poëtæ vtramque regionem coniungere. MARTIALIS *Lib. IV. Ep. III.* de Domitiano, qui iuuenis in Germanos bellum ſuſceperat, ait;

Sidus Hyperborei ſolitus laſſare Bootæ
Et madidis Heliceη diſſimulare comis.

Nomina peregrina. huc autem magis populis atque regionibus per Græcos exploratis, ad occidentem populi CELTÆ vocati ſunt, ad ſeptentriones vergentes Scythæ. Tum fere communius Celtarum nomine cum Gallis Germani maxime venere; ita tamen, vt Scytharum nondum exoleſceret compellatio, & præſertim Germani, quod pars in occidentem, pars ſe in ſeptentriones declinarent, vno verbo CELTOSCYTHÆ nuncuparentur (*n*). Et his quidem adpellationibus vetuſtiori Celtarum; Celtoſcytharum;

Et idem de eiusdem nomine *Germanici Lib. IX. Epigr. CIV.*

Victor Hyperboreo nomen ab orbe tulit.

Getas Sarmatasque nomine Hyperboreorum notarunt etiam VIRGILIUS *Georg. Lib. III. Verſ. 381.* MARTIALIS *Lib. VII. Epigramm. V. Lib. VIII. Epiſtol. LXXVIII. Lib. IX. Ep. XLVI.*

(*n*) *Hyperboreorum* nomen, vt Germanos deſignet, niſi qui auctores ad exemplum veterum ſcripſerunt, non admodum diu frequentatum eſt. SCHOLIASTES APOLLONII ait: *Μνασέας δέ φησι, τοὺς Ὑπερβορέους νῦν Κελτοὺς λέγεσθαι. Mnaſeas ait, Hyperboreos nunc Celtas dici.* Verbum Κελτοὺς, loco alterius Δελφοὺς, quod plane nullum habet ſenſum, commode CLUUERIUS ſubſtituit. Et *CELTICUM* primum vocabulum omnes ad occidentem Europæ nationes, vt alterum Scythicum eas, quæ contra ſeptentriones coluerunt, complexum eſt. Erat ſiquidem, quod STRABO & apud eum EPHORUS *Lib. I.* DIONYSIUS HALICARN. *Lib. VII.* & plures, teſtantur, antiquiorum mos Græcorum, omnem terrarum orbem quadrifariam diuidere, *Aethiopesque*, & *Indos*, & *Scythas*, & *Celtas*, verſus quatuor cœli plagas collocare. Inde vero Celticum nomen præcipue aliquandiu manſit Germanos: vt eo a Gallis diſtinguerentur. DIO COCCEIANUS *Lib. XXXIX.* ὁ δὲ δὴ Ῥῆνος ἀναδίδωσι μὲν ἐκ τῶν Ἄλπεων τῶν Κελτικῶν ὀλίγον ἔξω τῆς Ῥαιτίας. προχωρῶν δὲ ἐπὶ δυσμῶν ἐν ἀριστερᾷ μὲν τήν τε Γαλατίαν, καὶ τοὺς ἐποικοῦντας αὐτὴν, ἐν δεξιᾷ δὲ τοὺς Κελτοὺς ἀποτέμνεται, καὶ τελευτῶν εἰς τὸν ὠκεανὸν ἐμβάλλει. οὗτος γάρ ὁ ὅρος, ἀφ᾽ οὗγε καὶ ἐς τὸ διάφορον τῶν ἐπικλήσεων ἀφίκοντο, δεῦρο ἀεὶ νομίζεται. ἐπεὶ τόγε πάνυ ἀρχαῖον Κελτοὶ ἑκάτεροι οἱ ἐπ᾽ ἀμφότερα τοῦ ποταμοῦ οἰκοῦντες, ὠνομάζοντο. *Rhenus ex Alpibus Celticis paulo extra Rhætiam oritur: inde verſus occidentem profluens, ad ſiniſtram Galliam eiusque incolas, ad dextram Celtas diuidit; tandemque in oceanum exit. Hic quippe limes in hanc vsque diem earum regionum habetur, ab eo tempore, quo diuerſa nomina adepta ſunt: ſiquidem antiquiſsimis temporibus populi iſti, ad vtramque fluminis ripam colentes, Celtæ adpellati fuere.* Cum DIONE *Celtarum* nomine Germanos a *Gallis*, ſiue Galatis, diuidunt APPIANUS *in Illyricis*, DIOGENES LAERTIUS *in Proœm. Hiſt. Philos.* PLUTARCHUS *in conſolatione ad Apollonium.* Idem & vero PLUTARCHUS contrario vſu *in*

stiori æuo Græci auctores Germaniam describentes vsi sunt. *Nomina peregrina*

II. Romani diu cum Græcis sensere & loquuti sunt, ideoque nostros maiores & *Hyperboreorum*, & *Scytharum*, *Celtoscytharum*que, numero non raro habuerunt. Postea *Celtico* vocabulo inter Græcos vsu recepto ipsi quidem sua lingua illo rarius vsi sunt, ita, vt constet manifesto, ipsos Germanos voluisse nominare. Interim magis ab ipsis GALLORVM compellatio, & ita quidem, frequentata est, vt cum Græci *Celtas* loquerentur, & *Germanos* intelligerent, Romani *Gallos* adpellarent, & itidem *Germanos* cogitatione comprehenderent. Quod addimus, & Græci non raro GALATARVM vocem adhibuerunt, cum sermo esset de Germanis, vt adeo & ipsis commune Gallis Germanisque Gallicum fuerit vocabulum (*o*). Romanos etiam seriori ætate Scytharum adpro-

Gallorum & Galatarum.

Cæsare & Crasso, cum STRABONE *Lib. I. IV. & VII.* & cum POSIDONIO apud ATHENÆUM *Lib. IV.* *Germanos* nouo nomine compellauit, & *Gallis Celtarum* adpellationem tribuit: quod nimirum & Gallos cum Germanis quondam Celticum notauit nomen, ita porro *SCYTHICUM* varii vsus extitit: vt modo latissime, modo minus late, porrigeretur. Ipsos vero *Germanos Scytharum* nomine antiquitus comprehensos esse, docet PLINIUS *Lib IV. Cap. XII.* *Scytharum nomen vsquequaque*, ait, *transit in Sarmatas atque Germanos: nec aliis prisca illa durauit, adpellatio, quam qui extremi gentium harum, ignoti prope ceteris mortalibus, degunt.* Hoc vult; cum antiquitus omnes Scythæ nominarentur, nunc, ortis Germanorum Sarmatarumque nominibus, priscum nomen solos extremos ad septentriones orbis incolas notare. Idem STRABO *Lib. I. & XI.* declarat, antiquitus *Scytharum* nomen, alterumque *Celtoscytharum* Germaniam simul complexam esse. Clarissime PLUTARCHUS *in Mario*; *Cimbros*, ait, *etsi diuersas adpellationes habuerint, communi tamen nomine Celtoscytharum compellatos esse.* δι' ὃ καὶ πολλὰς κατὰ μέρος ἐπικλήσεις ἐχόντων, κοινῇ Κελτοσκύθας τὸν στρατὸν ὠνόμαζον. Valde iuuat in historia diuersas has vocum acceptiones, earumque ætates, probe adnotare; sed hæc quoque hactenus.

(*o*) Vnum hic audiamus DIODORUM SICULUM *Lib. V.* χρήσιμον δ' ἐστὶ διορίσαι τὸ παρὰ πολλοῖς ἀγνοούμενον. Τοὺς γὰρ ὑπὲρ Μασσαλίας κατοικοῦντας ἐν τῇ μεσογείῳ, καὶ τοὺς περὶ τὰς Ἄλπεις, ἔτι δὲ τοὺς ἐπὶ τάδε τῶν Πυρηναίων ὀρῶν, Κελτοὺς ὀνομάζουσι: τοὺς δ' ὑπὸ ταύτης τῆς Κελτικῆς εἰς τὰ πρὸς νότον νεύοντα μέρη, παρά τε τὸν ὠκεανὸν, καὶ τὸ Ἑρκύνιον ὄρος καθιδρυμένους, καὶ πάντας τοὺς ἑξῆς, μέχρι τῆς Σκυθίας, Γαλάτας προσαγορεύουσιν. οἱ δὲ Ῥωμαῖοι πάλιν πάντα

Nomina peregrina. probasse adnomen, cum Germanorum notarent facta, teneri debet. Illud tamen non tam vltro ex vaga videtur ortum Scythici nominis notione; quam inde, quod in Scythia vera, & Scythas inter, plurimi versarentur Germani, adeoque, nomen par vt participarent, dignum Romanis iudicaretur historicis *(p)*.

III. De cetero *Scythicum*, *Celtoscythicum*, *Hyperboreum*que, nomina nullam habent prorsus dubitationem, quin Germanis nostris fuerint communia. Nec *Celticam* compellationem præter impudentem quendam Galliæ scriptorem, qui nec ipse ciuium suorum meruit adprobationem, quisquam nostræ negauit patriæ. Ille tamen nostram pernegans sententiam adeo omnem habet aduersam antiquitatem, totque eruditissimis ingeniis ambitiosæ & temerariæ adsertionis dedit pœnas, vt in eius refutandis argumentis frustra omnino nos — Nomina Celtarum & Gallorum in controuersiam adducta.

ταῦτα τὰ ἔθνη συλλήβδην μιᾷ προσηγορίᾳ περιλαμβάνουσιν, ὀνομάζοντες Γαλάτας ἅπαντας. Nunc, quod a multis ignoratur, definire opera pretium. Qui interiora supra Massiliam tenent, & qui circum Alpes & cis Pyrenaos montes habitant, hos Celtas nominant: qui vero infra hanc ipsam Celticam, partes austrum versus, & ad oceanum Hercyniumque montem sitas, incolunt, omnesque porro ad Scythiam vsque diffusos, Gallos vocitant. At Romani gentes hasce vniuersas vna Gallorum compellatione comprehendunt. Male CLUUERIUS in DIODORUM, quod ita senserit, inuehitur; nec recte, vt demum DIODORUM, quod ipsi videtur, culpa liberet, eius dictionem vrit, secat, violenterque immutat. Probat enim sufficiens auctoritas, verissime esse DIODORUM de Gallorum adpellatione, & Cisrhenanorum Gallorum, & Germanorum Transrhenanorum communi, loquutum. Mox plura testimonia censebuntur. APPIANUS *in Illyricis* Cimbros *Celtas*, addito *quos Cimbros vocant*, adpellauit. At euolue FLORUM *Lib. III. Cap. III.* SALUSTIUM *Bell. Jugurth. in fine.* RUFUM *Breu. Cap. VI* qui omnes *Cimbros* diserte *Gallos*, & *ab extremis Galliæ profugos*, nominarunt. Vides, quos *CELTAS* Græci vocarunt, Romani *GALLOS* adpellarunt, ex vtrorumque mente notatis *GERMANIS*.

(p) Germanos in Sarmatia colentes, Bastarnas, Gothos, Burgundios, DIO CASSIUS, ZOSIMUS, & passim alii, creberrime *Scythas* nuncuparunt: quod infra vide. DIO omnino *Lib. LI.* Βαστάρνας δὲ Σκύθας τε ἀκριβῶς νομίζοντας, *Bastarnæ inter Scythas vere numerantur*, ait.

nos operam collocaremus (*q*). Impendio autem magis est *Gallorum*, & *Galatarum*, vocis acceptio litigiosa & controuersa; cùm Galli hodie omnes, nec satis ex nostris pauci, soli Cisrhenanæ id vocabuli genti tribuant: ast nostratium eruditissimi quiuis quam optimis declarauerint argumentis, non Germanis minus, quam Gallis propriis, Gallicum nomen ex priori esse debitum antiquitate (*r*). Et illos quidem de hac im- *Nomina peregrina.*

(*q*) *CELTICAM* Germanornm compellationem vnus impugnauit BODINUS *in Historiarum Methodo*, in qua, Germanos a Gallis, Gallos a Græcis, se deducere posse, putauit. Abunde eum vero auctorum, quæ protulimus, testimonia confutant. HERODOTUS *Lib. II. & IV. Istrum flumen ex Celtis oriri* dixit. Ὁ Ἴστρος ἀρξάμενος ἐκ Κελτῶν. DIO *Lib. LIII*, Κελτῶν τινες, οὓς δὴ Γερμανοὺς καλοῦμεν. *Celtarum quidam, quos Germanos vocamus.* Mitto alia. CLUUERIUS eum *Lib. I. Cap. III.* copiose examinauit, leuiaque eius argumenta, quæ ideo hic prorsus silentio dissimulamus, explosit.

(*r*) *CELTARUM & GALLORUM* vocabula promiscui Græcis vsus fuere. POLYBIUS, STRABO, APPIANUS, innumeris locis nunc Κελτὰς, nunc Γαλάτας, eandem nationem vocarunt. Et Romani, quos Græci Celtas aut Galatas, ipsi Gallos nuncuparunt. CÆSAR *Bell. Gall. Lib. I. Cap. I. Qui ipsorum*, inquit, *lingua Celtæ, nostra Galli, adpellantur.* Subaudire quidem Cæsar Gallorum linguam ibi videtur: nil prohibet autem, quo minus de Græcis idem dicamus. Mirum vero, cum negare vltra nemo audeat, *Celtas* simul *Germanos* dictos esse; multos tamen temere negare, *Gallorum* nomine simul *Germanos* compellari. Ipse CLUUERIUS *Lib. I. Cap. X.* præfracte id negat, & pernegat; & imo turpissimum iis errorem scribit, qui *Gallorum* nomen *Germanis* simul vindicauerint. Parum vero proficit suis argumentis CLUUERIUS contra clarissimam veritatem, nec facit, vt vereamur eidem opinioni, quam culpat, & ipsi accedere, cum fauere ei omnem cernamus antiquitatem. VOLATERRANUS *Geogr. Lib. III.* ineunte, *Gallos*, ostendit, *atque Germanos vno vocabulo veteres, Græci Celtas, Romani Gallos adpellarunt.* Hunc VOLATERRANUM maxime CLUUERIUS, sed fere nequicquam, impugnat. Apud SCHARDIUM *in Tomo I.* HENR. GLAREANUS, *in Commentariolo vetustæ Germaniæ populorum*, eandem obseruationem eleganțissime commendat; *Res*, inquit, *est annotatu dignissima, quod veteres Romani Gallos omnes & Germanos GALLORUM vocabulo nuncuparent; quemadmodum item & Græci cum Gallis & Germanis CELTARUM adpellationem accommodarent. Hæc res non animaduersa multis errandi caussa fuit.* Post illos neminem puduit turpissimum, quem satis inepte CLUUERIUS vocat, errorem gustare, & verum, quod erroris prætexto nomine ille exploserat, adprobare. Ex bene multis præcipue hic prædicandus est

Nimium pugnax.

impense nobiscum dissentientes causa parum contra veritatem euidentem proficere, paucis interpositis versibus docebimus. Hoc modo hic miramur, quod adeo Germanicæ originis pudeat hodiernos Gallos, vt malint a priscis Gallis suos repetere ortus, quam Germanorum fateri gloriam. Ista nimirum Gallis, vt Gallicum nomen solis Cisrhenanis vindicarent, ita statuendi præcipua causa exstitit; quod adprobato proposito facile ipsis videbatur Gallos suos in Hercynias deducere siluas, vt deinde Germanos, maxime Francos, illorum scilicet ortu Gallorum satos, possent suæ nationis augustiores parentes recipere. Somnia vero pura putaque, & commenta mera, hic iactare Gallos, de Germaniæ originibus alia occasione dicturus, manifeste ostendam. Rectius profecto erant Galli hodie acturi, si vnicuique genti propriam tribuendo laudem, ipsi Germanos in Gallicæ vetustioris gloriæ inuitarent vltro societatem; cum ita sane in eius partem, Germanis quippe magnam partem orti, venirent certius, quam si solos laudauerint Cisrhenanos; a quibus nec est totum ipsorum profectum genus, nec ipsi vellent esse, dummodo amplum discrimen inter humiles quondam seruientium Gallorum, inertissimorumque mancipiorum, animas, inuictamque & infractam Germanorum libertatem & fortitudinem rite expenderint.

IV. *Sed vt* rationibus pugnemus, proque attributo nostris maioribus *GALLICO* nomine propugnemus; quis, quæso, non quam maximam animorum ac virium agnoscit dissimilitudinem, cum Cisrhenanos viderit in antiquitate Gallos, & eos, qui quondam integro orbi terrorem milleque opposuere formidines? Videturne non improbabile, Cisrhenanos illos, qui apud Cæsarem *sæpenumero sese cum Germanis*

Gallorum nomen dignissimis rationibus Germanis adseritur.

Illustris Vir, HENR. COCCEIUS, qui *in Prolegom. ad Jurisprud. publicam* hoc sibi præcipue sumsit, vt, probato Gallorum nomine Germanis debito, nuperorum quorundam Gallorum commenta rueret.

manis congressos prædicarunt, *ne vultum quidem atque aciem oculorum ferre potuisse*, fuisse eosdem, qui trecentos annos ante quoquouersus maximos exercitus in celeberrimas eduxerint expeditiones? Nonne & videretur propria Gallia plene exhausta esse, si ex ea sola tot in Italiam, in Græciam, in Asiam vsque, processissent gentium agmina? (s) Iam vero adde digniores rationes, quæ illos Gallos sui maximam partem, si pauca postulamus, Germanos exstitisse euincent. *Gallos*, Romæ direptores, Italiæque vexatores diserte *ex Hyperboreis* Græci aduenisse testati sunt; eosdemque bene Romanus historicus *ab vltimis terrarum oris, & cingente omnia oceano*, aduocauit. Habemus, qui victorias, ab aliis *Gallis* tributas, *Cimbris* adiudicarunt, haud dubie Germanicis populis; hos Græciam turbasse, templum diripuisse Apollinis, & cetera. Alii *Cimbros Teutonos*que, de quorum Germanica origine adhuc dubitauit nullus, claris verbis *Gallos* vocitarunt. Rursus non raro ad vsque septentriones extremos *Gallia* extenditur; & inde Galli deducuntur, vbi præter nostram Germaniam

Nomina peregrina.

(s) CÆSAR *Bell. Gall. Lib. I Cap. XXXIX.* eas Germanicæ virtutis laudes Gallos prædicasse perhibet. Vis argumenti in eo est; quod Galli eodem adhuc terræ suæ solo & cœlo, quo ante, animati sunt: quod CÆSARIS æuo vix debellari cœperunt, nec adeoque seruitute fracti erant. Quæ cum sint, ægre veterum animorum, quos expeditiones illæ probant, & morum imbellium, quos CÆSAR notat, conuenientia probabitur. Italiæ quidem, seu Cisalpinos, & Gallogræcos Gallos, tanquam insita alienæ terræ, degenerasse; non erat mirum. LIUIUS *Lib XXXVIII. Cap XVII Maioribus*, inquit, *nostris cum haud dubiis Gallis in terra sua genitis res erat Hi iam degeneres sunt; misti & Gallograeci vere, quod appellantur, Sicut in singulis pecudibusque non tantum semina ad seruandam indolem valent, quantum terræ proprietas cœlique, sub quo aluntur, mutat. - - - - Generosius in sua quicquid sede gignitur, insitum alienæ terræ, in id, quo alitur, natura vertente se, degenerat.* At illi Galli, qui manserant in suis sedibus, qui vnquam fortitudinis auitæ defectionem excusabunt? nisi *Cisrhenani Galli*, & qui *trans Rhenum Galli* dicti sunt, perperam hac in causa fuerant commissi, vt adeo Cisrhenanis male necessitas sit imposita res, solo nomine suæ propinquas genti, defendendi. Alterum argumentum vim ex Galliæ accipit dimensione, quæ cum antiquæ Germaniæ magnitudine minime comparari poterat.

am nulla tellus est. Liuius, quos modo *Gallos* vocarat, verbis paucis interpositis statim vocauit *Germanos;* & cum eo plures auctores Germanorum Gallorumque vocabula, quasi idem significantia, habuere. Gallis porro iidem subinde mores, eademque tribuuntur instituta, quæ solorum fere erant Germanorum propria. Gallos denique inter ducum regumque nomina citantur, quæ aperte linguam probant Germanicam; cum tamen proprii Galli ab ea, quod manifesto patet, valde fuerint alieni (*t*). Quis, inquam, tot hisce rationibus col- *Nomina peregrina.*

(*t*) PLUTARCHUS *in Camillo* memorat. *Τοῦ μέντοι πάθους αὐτοῦ, καὶ τῆς ἁλώσεως ἔοικεν ἀμυδρά τις εὐθὺς εἰς τὴν Ἑλλάδα φήμη διελθεῖν. Ἡρακλείδης γὰρ ὁ Ποντικός, οὐ πολὺ τῶν χρόνων ἐκείνων ἀπολειπόμενος, ἐν τῷ περὶ ψυχῆς συγγράμματι, φησὶν ἀπὸ τῆς ἑσπέρας λόγον κατασχεῖν, στρατὸς, ἐξ Ὑπερβορείων ἐλθὼν ἔξωθεν, ᾑρήκοι πόλιν Ἑλληνίδα Ῥώμην, ἐκεῖ που κατῳκημένην περὶ τὴν μεγάλην θάλασσαν.* *Hac tamen captæ Vrbis calamitas obscuro rumore protinus in Græciam perlata est. Ponticus enim Heraclides, affinis his temporibus, in libro de anima, annuntiatum ex occidente tradit, exercitum alienigenarum, ex Hyperboreis progressum, Græcam Vrbem cepisse Romam, illo tractu prope magnum mare sitam.* Hyperborei non sane Galli Cisrhenani commode dici potuerunt; sed Germani vtique fuerunt, vulgo Galli dicti. Eos & FLORUS *Lib I. Cap XIII.* eodem modo describit, vt HERACLIDIS PONTICI Hyperboreos agnoscas. *Hi quondam,* ait, *ab vltimis terrarum oris, & cingente omnia oceano, ingenti agmine profecti.* Gallorum expeditionem in Græciam, Delphicique templi oppugnationem, quam JUSTINUS *Lib. XXIV. Cap. VIII.* memorat; diserte DIODORUS SICULUS *Lib. VI.* & APPIANUS *in Illyriis*, suis Cimbris tribuunt: quos Germanos veros fuisse, adhuc dubitauit nemo. Cimbros Gallos dictos esse, ostendimus ex FLORO *Lib. III. Cap. III.* SALUSTIO *Bell. Jugurth. in fine*, OROSSO *Lib. V. Cap. XVI.* & RUFFO *in Breu. Cap. VI.* Ad Marium occidendum *missus cum gladio seruus publicus, natione Germanus, qui forte ab imperatore eo bello Cimbrico captus erat;* teste VELLEIO *Lib. II. Cap. XIX.* & VALERIO MAXIMO *Lib. II. Cap. X.* At eum *Gallum* vno ore vocant LIUIUS *Epit LXXVII.* A. VICTOR *Vir. Illustr Cap. LXVII.* *Γαλάτην*, APPIANUS *Bell. Ciu. Lib. I. p. 652.* & dubius sententiæ, *Γαλάτης τὸ γένος, ἢ Κίμβρος*, *Gallus natione, aut Cimber*, PLUTARCHUS *in Mario.* Protendisse veteres ad extremos vsque septentriones Galliam, siue Galatiam, ex DIODORO, FLORO, SOLINO, erudite OL. RUDBECK *Atlant. Cap. XVIII.* probauit; & fauet isti eius sententiæ antiquitas. LIUIUS *Lib. V. Cap. XXXIV.* vbi Gallorum expeditionem in Italiam describit, paucis interpositis verbis addit: *Alia subinde manus Germanorum, Elitouio duce, vestigia priorum sequuta, eodem saltu, fauente Belloueso, quum transscendisset Alpes, vbi nunc Brixia ac Verona vrbes*

collectis & ponderatis adeo fuerit historicæ inimicus veritati, vt vltra Gallorum Galatarumque nomina nostris deneget maioribus? Et nos quidem, si modestisſime postulabimus, nostro iam constituemus iure; vt certum sit, Gallico vocabulo, quam plurimum nostros maiores olim esse denotatos, oportere sane in vetustis auctoribus Gallorum Galatarumque sensum nominum toties in dubium trahere, quoties sermonis qualitas non plane declarauerit, gentem, in qua Gallicum nomen postremum perstitit, solam intelligi. *Nomina peregrina.*

Fata Gallorum & Celtarum compellationis.

V. Hoc enimuero de Gallico nomine non debet ignorari, desiisse illud promiscue ad vtramque, & Cisrhenanam & Transrhenanam nationem, nominandam adhiberi, postquam Germanorum nomen cœpisset a Romanis magis frequentari. Tum finibus regionum accuratius exploratis, Cisrhenani prope soli Galli dicti sunt; vt tamen nec prorsus cessarent auctores more loqui vetusto, & insuper promiscuæ nominum vsurpationis, aut ignari, aut negligentes, optimi scriptores non raro erarrent, propriisque tribuerent Gallis, quod rectius Trans-

sunt, considunt. Plurimos tamen Criticos hic *Cenomanorum* substituisse vocabulum, nolumus dissimulare. Adde; *Bastarnas*, indubios Germanos, vocari *Gallos* a POLYBIO *in Excerptis legation. LXII.* a LIUIO *Lib. XL. Cap. LVII. Lib. XLII. Cap. LI.* a PLUTARCHO *in Aemil. Paulo:* Germanos, quos fuisse historia satis testatur, cum Crasso in Parthia militantes, adpellari Γαλάτας ab APPIANO *de Bell. Parth. pag. 241.* De moribus propriis Germanorum, at Gallis tamen ab auctoribus tributis, commodius alibi inquiretur. Nomina Gallicorum Ducum frequentia in POLYBIO & LIUIO habentur; quæ plane sunt Germanica. *Bellouesus Singouesus, Elitouius, Brennus, Belgius, Ariouistus, Britomarus, Virdomarus;* omnes Gallici aut reges, aut duces. Vid. LIUIUS *Lib. V. Cap. XXXIV. XXXV.* POLYBIUS *Lib. II. Cap. XXII. Lib. IV. Cap. XLVI* JUSTINUS *Lib. XXIV. Cap. V. VI.* FLORUS *Lib. II. Cap. IV.* Virdomarum circa affectationem Germanicæ originis vltro ambitiosum fuisse, canit PROPERTIUS *Lib. IV. Eleg. penult. Vers. 41.*

Virdomari genus hic Rheno iactabat ab ipso
Nobilis erectis fundere gesa rotis.

Conf. AUENTINUS *Ann. Boic. L. I. Cap. VII. & IX.* ALTHAMERUS *in Tacitum &* HENRICUS BEBELIUS *in Encomio Veteris Germaniæ Cap. XVIII.* vterque in SCHARDII *Tomo I.* IS. PONTANUS *Hist. Dan. Lib. I. fol. XLII.*

Nomina propria. Transrhenanis fuerat tribuendum. Græci etiam Galatarum deinceps vocabulum solis Cisrhenanis dedere Gallis. Celticum tamen vocabulum inter eos diutius promiscui mansit vsus, vt modo Celtas adpellarent, Germanosque statim postea interpretarentur; vt imo solos prope Germanos intelligerent, cum Celtica vterentur adpellatione.

VI. Illud iam toties laudatum GERMANORVM nomen meretur nunc iustiorem considerationem, quod & cetera prope omnia absorbuit, si ad Romanorum vsum respexeris, vocabula, & maxime exstitit generalis inter exteros nostræ nationis diu nota. Referre autem istud ad eam placuit classem, in qua ab alienigenis acceptas maiorum compellationes collocauimus; quod, alii quidquid opinentur, ipsum inter exteros natum, iisque maxime nouimus vsitatum, nec a nostris, nisi imitamenti causa, gestum aut adprobatum. Galli videlicet fuere Cisrhenani, quibus nuncupationem eam acceptam esse referendam, omnia docent. Rem primum testatur Tacitus, nostræ antiquitatis, si quisquam ex antiquis, scrutator diligentissimus. Fidem deinde eidem vis facit potestasque nominis, nulli magis linguæ, quam Gallicæ, debiti. *Germani* a Gallis nuncupati sunt, quasi *acerrimi bellatores;* quorum, ex ipso Gallorum ore, ne vultum quidem oculorumque aciem ferre ipsi potuere. Cum itaque Transrhenani frequentissimas in Gallicum solum facerent excursiones, metus causa ab inertibus Gallis, & quamprimum viros vidissent, victis, videntur Germani dicti esse; tanquam fugam suis vellent suadere Galli, & voce nuncia, adesse metuendos illos bellatores, omnes ad quærendam salutem excitare. Et tempus hinc patet dati nominis illud fuisse, quo maxime Transrhenani superato Rheno proximas insedere terras; quod fere, antequam Romani Galliarum potirentur, videtur factum esse. Licet enim sero satis hoc nomen Romani acciperent, non id contra nos est, cum potuerit nomen frequentari in Gallia,

Nominis Germanorum historia.

nec eius fama quam tarde percrebuisse Romæ. Ceterum ea compellatione primum Cisrhenanos Germanos fuisse cognitos liquet; vnde demum obtinuit vsus, vt generale fieret integræ nationis cognomentum, & patria GERMANIA deinceps audiret, simulque communi nomine GERMANI ab exteris omnes eadem lingua iisdemque moribus trans Rhenum & trans Danubium iuncti populi adpellitarentur (*u*). *Nomina peregrina.*

VII. Ex-

(*u*) TACITUS *Germ. Cap. II.* vere crucem interpretibus fixit. Non lubet post infinitas aliorum curas rursum operam sumere. Cum LIPSIO, & cum CLUUERIO, reipsa consentientibus, ita eum sumus interpretati, vt putauerimus, datum a Gallis ob metum Transrhenanis Celtis, crebro in Galliam inuadentibus, Germanorum nomen. Ita TACITUS ait, vt vulgares habent codices. *Ceterum Germaniæ vocabulum recens, & nuper auditum: quoniam, qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, nunc Tungri, nunc Germani vocati sunt. Ita nationis nomen, non gentis, eualuisse paulatim: vt omnes primum a victore ob metum, mox a se ipsis inuento nomine, Germani vocarentur.* CLUUERIUS *Lib. II. Cap. XX.* ita restituisse verum TACITI sensum sibi visus est. *Ceterum Germaniæ vocabulum recens, & nuper additum:* (subaudi, veris & antiquis nominibus, quorum modo fecerat mentionem TACITUS:) *quoniam, qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, nunc Tungri, nunc Germani, vocati sint. Ita nationis nomen, non gentis, eualuisse paulatim; vt omnes primum victores a victis ob metum, mox a seipsis inuento nomine vocarentur.* Sed, nihil mutatis verbis, idem tamen sensus poterat accipi: adpellatos nimirum ob metum a Gallis *Germanos* esse, sumta nominis occasione *a victore*, seu *ab victoria.* Nempe nomen *German* cum plurimis interpretamur de *Werre*, seu *gerre*, quæ vox bellum in prisca Gallorum, imo & in Theodisca, lingua notat, & *mann*, quo vocabulo vir compellatur; vt adeo *German* idem sit ac *bellicosus vir.* Reliqua iam clariora sunt. Ex CÆSARE *Bell. Gall. Lib. II. Cap. V.* accipimus, *Condrusos, Eburones, Cæræsos, Pæmanos, qui vno nomine Germani adpellantur:* indeque commode colligimus, primas illos fuisse gentes, quæ *Germanorum* a Gallis acceperunt nomen, & quæ inde, cum trans Rhenum omnes populi communi *Germanorum* nomine notari cœpissent, *Tungrorum* nomen adsumserunt. Aetas accepti nominis est incerta, at diu tamen ante Cæsaris bella, imo & ante Cimbrica bella, statuenda. Haud dubie Germanorum crebri in Galliam transitus, qui in alterum, aut magis in tertium, ante N. C. seculum referuntur, dederunt occasionem nomini, adeoque de eius ætate commode testari possunt. In *Fastis Capitolinis* triumphi a Marcello de Gallis acti mentio Germanos etiam complectitur:

DE. GALLEIS. INSVBRIBVS. ET. GERMAN.

Si Lapis eam tulerit ætatem, quam Marcelli triumphus, centum & viginti circiter annos ante Cimbricam cladem habitus; fatendum vtique erat,

Nomina propria.

VII. Expositis ad hunc modum iustis Germanici nominis rationibus, non silentio debet prætermitti eruditorum de eiusdem nominis origine multa dissensio. Sunt, qui Germanorum vocem latinam esse arbitrantur, adeoque Romanos eius Germanis datæ auctores iudicant. Contra alii nolunt ab exteris impositam adpellationem; sed eam a Germanis ipsis excogitatam, & quasi eximium gloriæ insigne celebratam, contendunt. Priores pro Strabone propugnant, & acceptum a Germanis, datum a Romanis, Germanorum nomen censent, quod *Gallorum Germani fratres* Transrhenani fuissent visi. Semel autem adprobato errore, vt fieri solet, ingenio suo plura alii, vt inuenirent iustiorem vocis originem, indulsere. Aliquibus *germana fides* Germanorum venit in mentem, vt ab ea aliquam nominis peterent originem. Rursus *immanitatem corporum atque animorum Germanicorum* quondam stupori fuisse, nouam id nominis occasionem comminiscendi aliis ansam præbuit. Docti etiam viri in *germinationis* vocabulo inuenisse, quod quærerent, sibi visi sunt: adpellatos videlicet esse Germanos, patriamque vocatam Germaniam quod ea immensum quantum semper germinauerit. Verum quis cernere nequeat, cum harumce inuentionum imaginaria elegantia inanitatem absolutam coniunctam esse? Strabonis Græci ingenium nihil contra grauissimam Cæsaris atque Taciti auctoritatem valet. Ille autem diserte germanitatem Gallorum Germanorumque explodit. Alter plane a victis Gallis nominis accersiit occasionem, adeoque prorsus non Romanos eius auctores habuit. Valeant ergo magis reliqua ingenia, quibus germinationis, & immanitatis, voces

Controuersia de hoc nomine eiusque significatione exponitur & dirimitur.

R 2 pla-

satis cito nomen *Germanorum* fama apud Romanos esse vulgatum. Sed, quicquid est, probatur tamen, antiquius longe Cimbrico bello Germanorum exstitisse vocabulum: licet in Romanis sero satis cœperit celebrari. At, inquis, rectene TACITUS nuper illud auditum, aut additum, dixerit? Recte vero. Nuper enim auditum erat, si ceterarum ab eo paulo ante enarratorum nominum ingens æuum æstimaueris.

Nomina peregrina.

placere potuerunt; cum, si vel fuisset Germanorum Romanis auctoribus adsertum cognomentum, nunquam tamen lepidæ istiusmodi vocabulorum flexioni locum relinquere licuerit (*x*).

Nec a Romanis, nec ab ipsis Germanis hoc esse excogitatum vocabulum, clare probatur.

VIII. Qui ab ipsis Germanis Germanorum adnomen susceptum esse sibi persuaserunt, nullam prope ex antiquitate auctoritatem, nisi dubiam quandam Taciti lectionem, afferunt; non minus interim in variarum nominis originum excogitatione sunt percopiosi. Putant nonnulli, *Germanum* nostra lingua *fortem absolutumque* nominari *virum*. Sunt, qui *Mannum* conditorem gentis, nominis etiam exstitisse originem existimarunt; quasi maiores nostri voluerint impensa sua in eum studia accepta testari adpellatione. Eruditus aliquis vir, ingenii tamen credo magis gratia quam veritatis, *Geram* amniculum Thuringiæ, & ipsum *Thuringorum* nomen, proposuit, vt Germanorum vocabuli primordia doceret,

(*x*) STRABO *Lib. VII.* postquam ostendisset, forma, victu, moribusque, Gallos Germanosque similes esse, addit continuo: *διὸ δίκαιά μοι δοκοῦσι Ῥωμαῖοι τοῦτο αὐτοῖς θέσθαι τοὔνομα, ὡς ἂν γνησίους Γαλάτας φράζειν βουλόμενοι. γνήσιοι γὰρ οἱ Γερμανοὶ κατὰ τὴν Ῥωμαίων διάλεκτον. Itaque recte mihi videntur Romani hoc nomen eis indidisse, cum eos fratres esse Gallorum vellent ostendere; fratres enim Germani sunt in Romana lingua.* Contra STRABONEM autem CÆSAR facit *Bell. Gall. Lib VI. Cap. XXI.* vbi, postquam Gallorum enarrasset mores, *Germani*, inquit, *multum ab hac consuetudine differunt.* Et prorsus STRABONIS sententiæ omnis Germanicorum & Gallicanorum morum ordo est contrarius: quod olim patebit. Inhæsit sententiæ STRABONIS, quasi nota germanitatis fuerit Germanorum nomen, quidam JORDANUS OSNABRUGIUS; sed fabulosissime germanitatem in *Romanis* atque *Germanis* quæsiit. Vtrosque putavit *Troianos* fuisse, inde germanis fratribus Romanos pulsis Gallis ad Rhenum sedes tradidisse, & ex re nomen indidisse. Ex *germana fide* multis germanorum videtur nomen captum. HENR. BEBELIUS *Encom. Vet. Germ. Cap. XI.* ERASMUS ROTERODAMUS *in Hieronymum*: qui inde dictus Germanos ait, *quod si cum reliquis conferas nationibus, minimum fuci, plurimum antiquæ sinceritatis, ac fidei, & rusticanæ veritatis, obtinent.* *Germinationis* incredibilis notam exstitisse Germanorum nomen, placuit PAULO DIACONO *de Gest. Longobard. Lib. I. Cap. I.* REGINONI, BEBELIO, *dicto libro Cap XIX.* AENEÆ SYLVIO *Germ. Cap. II.*

Nomina peregrina.

ceret, & Tacitum, *nunc Tungros, tunc Germanos, vocatos esse eos,* dicentem, *in quibus primum Germanorum nomen cœperit,* explicaret. Hic ratus est *Thuringorum* nomen in illo latere *Tungrorum;* eosdemque antea *Germanorum* esse gauisos compellatione, vt *Geram,* patrium amnem, redderent in Gallia illustriorem (*y*). Frustra tamen hæc omnia prædicari, rursus intelligit, qui modo Taciti verba rite expendit; & magis, qui nominis inter Germanos cognouit fata. Sane nostros maiores se ipsos legimus adpellasse Germanos. Aut vero id imitamenti fecere causa, vt recepto inter exteros nomine ipsi non dubitarent vti; aut Romanos etiam scriptores notum scripsisse nomen, cum ipsi ignotum adhibuissent, est probabile.

(*y*) Ex *Gar* seu *Ger,* quod *fortem, totum, integrum,* sonat, & *mann,* quod *virum* signat, creditur nomen conflatum *Germann.* Ita ALTHAMERUS & VVILLICHIUS, vterque *in Taciti Germ. Cap. II.* constituunt. PHILIPPUS MELANCHTON *in Vocabulis regionum & gentium apud* SCHARDIUM *Tomo I.* vocem *Hermann* memorat, quæ *militem* significat, eamque Germanorum dedisse nomen arbitratur. Ambigit vero de eo, an Germani a Romanis, qui audiuerint Theodisca lingua *Hermann bellatorem* notare, acceperint nomen, vtrum ipsi sibi sumserint? PHILIPPI MELANCHTONIS iuuat opinionem, quod sero *Herimanni,* seu *Arimanni, milites* dicti sunt; & quod hodieque, teste PERINGSKIÖLD *in Annot. ad Vit. Theodorici Ostrogoth. Regis pag. 377. Geruimadur,* siue *German,* Sueco-Gothis *miles,* siue *bellicosus vir,* audit. Si ergo posset monstrari, a Germanis ipsis vocabulum excogitatum esse; vtique rem optime tetigisse communis ille Germaniæ quondam doctor videretur. A *Manno,* quem Tuistonis, Dei terra editi, filium ex antiquissimis maiorum carminibus TACITUS memorauit, Germanorum nomen OLAUS RUDBECK *Atlantica Cap. XIII.* deriuat. Haud procul ab hac extrema opinione Illustris LEIBNIZIUS esse videtur, sed loco Manni *Hermionem,* eius filium, diuinis a Germanis placatum honoribus, Germanorum nominis auctorem fuisse iudicat. *Herminonum, Hermundurorum,* & *Germanorum,* vocabula prorsus eadem, idemque valentia, esse arbitratur. Censet, *Herminonum,* siue *Germanorum,* fortassis partem in Galliam inuasisse, vnde, illustrati nominis fama capti, ceteri cognati populi in societatem eius coiuerint; inde recte ostendisse TACITUM, vnius primum ciuitatis, mox nationis commune nomen, illud Germanorum euasisse: sed suæ falsum esse TACITUM sententiæ, quod a Gallis id nomen Germanis inditum esse putauerit. Coniecturas de *Gera* Thuringiæ amne vide in Celeb. BRUCKNERI *Programmatib. Ann.* CIↃ IↃCCIX. propositas, & a JUNCKERO *in Introd. in Geogr. Med. Aeui in voce Germani, pag. 92.* illustratas.

Certum autem est & exploratum, cum nomen audiretur Germanorum, donec Roma staret, clarosque haberet scriptores; statim illud cœpisse exolescere, cum prostrata Roma suos Germania, aut potius Francia, scriptores accepisset: digno id & cum ceteris idoneo, quo minus Germaniæ adpellationem ab ipsis nostris maioribus excogitatam arbitremur, argumento. *Nomina peregrina.*

Fata & vicissitudines Germaniæ & Germanorum nominis.

IX. Meretur insuper in nominis millies a nobis citati vicissitudinibus obseruari: antequam Germaniæ vocabulum antiquaretur, visum esse illud aliquando ipsam gentem in alienas comitari regiones, vt hæ ipsæ, licet dissitæ longissime, nominarentur GERMANIAE. Sed postquam Francicum in Gallia regnum conditum est, eidemque passim vicina Germania fœderibus & clientelis est adiuncta; *Germaniæ* mox exolescenti vocabulo, patria succeßere aut FRANCIAE ORIENTALIS, aut AVSTRASIAE, & quantum ad gentem pertinet, THEODISCORVM, TEVTISCORVM, seu TEVTONVM, adnomina. Diu deinceps seruatus est ille mos, vt licet ad summum *Germaniæ* surgeret imperium, magis tamen *Franciæ*, quam quopiam alio, gauderet cognomento. Ipsi æuo medio nostri maiores magis videntur FRANCORVM, quam prope *Teutiscorum*, nomine adpellati esse; maxime id peruagatissima apud Eoos populos Francorum ab eo tempore nuncupatione comprobante. Posteriore denique ætate, cum ante sex circiter centum annos ALEMANNIAE & ALEMANNORVM cognomen cœpisset apud exteros vsu recipi, & eo nostra & patria, & nostri parentes, cœpissent insigniri; *GERMANIAE* contra *GERMANORVM*que compellatio ciuitatis quasi iure donata, & ita inter nos vsu adprobata est, vt iam ipse Romanus imperator se *Germaniæ* simul *regem* adpellitet, & omnes latino sermone iam

Sec. IX. X.

Ab An. CIↃIↃVIII.

Nomina peregrina. iam malimus *Germani*, quam *Teutones*, aut *Teutisci*, audire (z).

X. Pri-

(z) Varia Germaniæ nominum successio, quam exhibemus, ex communiori auctorum more, qui quidem certam non habet legem & regulam, capta est. Quod si quis contrarium quorundam scriptorum vsum repererit, non continuo nostram nos fefellisse opinionem putet; cum saltem vterque bona nitamur auctoritate. *GERMANORUM* nomine ipsos Germanos, cum de se loquerentur, antiquitus vsos esse; videntur suadere Ariouisti, Vsipetum, Tencheterorumque, atque Sigambrorum, Cæsaris nuntiis reddita responsa, vna cum Frisiorum principum in Pompeii Theatro exclamatione. Vid CÆSAR *Bell. Gall. Lib. I. Cap. XXXVI. XLIV. Lib. IV. Cap. VII. XVI.* TACITUS *Annalium XIII. Cap. LIV.* Exoleuisse, dicimus, Germanorum vocabulum, aliaque sumta nomina esse, postquam prostrata Roma sola dominaretur Germania. Equidem in Francicis Germanicisque scriptoribus, quod latina lingua vterentur, Germanorum nomen quandoque occurrere, constat; sed patet eo vsos esse, quasi alia latina voce, non quasi, proprio hoc nomine nationem compellari, voluissent indicare. Fecit autem partim *Teutiscium*, seu *Teutonicum*, partim *Francicum* nomen, vt Germanorum alterum exterumque obsolesceret. *TEUTISCII* nominis supra vidimus clara testimonia. *Lex* LONGOBARDICA *Tit. XIV. L. XV. quod nos Teudisca lingua dicimus.* NITHARDUS *Hist. Lib. III. Lodhuuicus Romana, Karolus vero Teudisca lingua iurauerunt:* & ibi multa de Teudisca lingua. FRODOARDUS *Teotiscam* linguam vocat, & Transrhenanis tribuit. *TEUTANICUM* nomen admodum in auctoribus frequens est. OTTO FRISINGENSIS *Chron. Lib. VI. Cap. XI. Arnolfus totam orientalem Franciam, quæ modo Teutonicum regnum vocatur, id est, Boioariam, Sueuiam, Saxoniam, Thuringiam, Frisiam, Lotharingiam, rexit.* IDEM *Lib. VII. Cap. XXXV. Imperatores Teutonici.* Conf. IDEM *Lib. VI. Cap. XVII.* & GODFRIDUS VITERBIENSIS *Chron. Parte XVII.* de Conrado rege: vbi vterque docet, *regnum Teutonicorum partem esse regni Francorum*; ibique plura de Teutonicis, eorumque amplissimo imperio: GOBELINUS PERSONA *Cosmodrom. Aet. VI. Cap. XLII.* ibi post nominatas regiones additum; *& ceteras prouincias Teutoniæ*: GUNTHERUS *in Ligurinis* perpetuo Teutonico vtitur nomine. *FRANCICUM nomen* antiquius Germanico offecit vocabulo. Eo sensu PROCOPIUS *Lib. I. Goth. Rerum* mihi dicere videtur: Ῥῆνος δὲ ἐς τὸν ὠκεανὸν τὰς ἐκβολὰς ποιεῖται, λίμναι τε ἐνταῦθα. οὗ δὴ Γερμανοὶ τὸ παλαιὸν ᾤκηντο, βάρβαρον ἔθνος, οὐ πολλοῦ λόγου τὸ κατ' ἀρχὰς ἄξιον, οἳ νῦν Φράγγοι καλοῦνται. *Rhenus in oceanum effluit, paludesque his in locis haud paucæ: vbi antiquitus Germani, gens barbara, colebant, haud magni ab initio momenti, qui nunc Franci dicuntur.* Et eodem modo ante hunc HIERONYMUS *in Vita Hilar.* dixit: *Inter Saxones & Alemannos gens exstat, non tam lata, quam valida: apud historicos Germania, nunc vero Francia, vocatur.* Germania *AUSTRIA, AUSTRASIA, FRANCIA ORIENTALIS, ORTIUA, AUSTRIFRANCIA, TEUTONICA;* &

Germanorum nomen generale, non

X. Priusquam hinc nostra discedat oratio, non possumus non Germaniæ nominis occasione errores aliquot auctorum

Nomina peregrina.

absolute *FRANCIA*, adpellata est: quarum adpellationum testimonia infra in Francis proferemus. *FRANCORUM* nomen, tum etiam Germanorum, quasi proprium, exstitit. Addidere tamen crebro auctores nomen *Orientalium*, siue *Teutonicorum*, Francorum: vt passim in REGINONE, OTTONE, & Chronicis, videre est. Præsertim ab æuo antiquiori Germanos *Francorum* nomine in oriente notatos esse, docemur a CONSTANTINO PORPHYROGENNETO, Ottonis Magni æquali; qui *Chrobatos* Dalmatiæ incolas, *Francis subiectos esse, dixit*; qui *Chrobatas Albos vltra Turciam*, (id est Vngariam) *proxima Franciæ loca incolere*; itemque, *Magnam Chrobatiam, siue Albam, incursionibus Francorum vexari*; & rursus *Turcis*, siue Vngaris, *ab occidente Francos esse confines*, memorauit. Idem ROBERTUS MONACHUS *de Christianorum principum bello contra Turcas Lib. III.* in Solimanni ad Arabes oratione docet. *Magna nos*, hic inquit, *vexat vesania: nondum vos agnouistis virtutem Francorum, nec experti estis animos eorum. Virtus eorum non est humana, sed cælestis; aut diabolica.* A Germanis autem profligatus Solimannus erat, & ad Arabes profugerat. EGINHARDUS *in Vita Caroli M.* profert Græcum de Francis prouerbium: Τὸν φράγκον φίλον ἔχῃς, γείτονα οὐκ ἔχῃς. *Francum amicum habeas, non vicinum:* istudque vtique de Germanis interpretari conuenit. Vt *ALEMANNIÆ* nomine Germania compellaretur, haud adeo recens inuentum est. Jam diu ante magnum Germaniæ interregnum eius adpellationis occurrunt in scriptoribus indicia; vt quidem eadem Germanici etiam auctores vsi sint, magis tamen exteri; illis iniquum vocabuli vsum quandoque clare declarantibus. Sic OTTO FRISING. *de gestis Frid. I. Lib. I. Cap. VIII. Quare*, inquit, *quidam totam Teutonicam terram ALEMANNIAM dictam putant, omnesque Teutonicos ALEMANNOS vocare solent, cum illa tantum prouincia, id est Sueuia, a Lemanno fluuio vocetur Alemannia, populique eam inhabitantes solummodo vocentur Alemanni.* Quod de Alemanniæ nomine iudicium iisdem plane verbis repetit *Fragmentum Hist.* VRSTISIANUM *ad Ann.* CIↃCXXV. RADEUICUS *de gestis Frid. I. Lib. I. Cap. XVI.* vbi lemma capitis: *quid episcopi Alemanniæ rescripserint*; & sæpe in illo libro nomen *Alemanniæ*, vt *Germaniam* integram notet. MONACHUS PADUANUS *apud* VRSTISIUM perpetuo vtitur illa adpellatione a capite trium librorum ad calcem. Sic & *Magnum Chronicum* BELGICUM; *Gallici scriptores apud* PITHOEUM, & ita fere omnes Itali. Galli constanter hodie Germaniam nominant *Allemagne*, & Germanos *Allemans*, siue *Alemans*. Vid. *Historia de Landgraf. Thuringiæ Cap. VI.* vbi auctor Italis latiorem Alemanniæ nominis vsum adscribit, & ipse semper ipsorum more loquitur. *Germanorum* te *reges* aliquot imperatores in diplomatis nominasse, quidam probant. Certe tamen eius tituli ante Maximilianum I. non constans, aut præscriptus lege, aut in Germanica lingua expressus, vsus exstitit. Hic vero

Nimias peregrinas. ctorum notare, qui angustos nimis isti nomini fines statuere, intraque vnius tantum aut alterius Germanici populi terminos istud concludere sunt conati. Quidam *Germanos* esse cupiunt dictos solos *Alemannos*; & sunt, qui solos *Francos* eo nomine adpellatos cupiunt: vt saltem ex vtrorumque opinione Germaniæ nomen Albis Salaque prorsus finierit. Vtrique locis quorundam scriptorum, quæ ancipitis sunt interpretationis, nixi ingens suæ obseruationi statuunt pretium: vtrique & vero turpiter falluntur, & omnem habent historiam contrariam. Quis nescit, Germaniam ab optimis auctoribus in Sarmatas vsque & septentriones extremos protendi? Cur Tacitus, Germaniæ parans historiam, trans Albim populos descripsisset? in Scandinauiam processisset? si non ibi fuerant Germani. Adde Lygios, Semnones, Marcomannos, Quados, non minus, quam Cattos, Cheruscos, Frisios, nomine Germanorum adpellatos. Adiice triumphales de Germania deuicta numos, cum tamen vnus alterque imperator non nisi cum Quadis Sueuisque Transalbinis bellum administrauerit. Eadem de reliquo fere ratio est alius cuiusdam opinationis, quæ, si prorsus nostra regio antiquitus Teutiscia, aut Teutonia, est adpellata, eius angustiores, quam Germaniæ, limites constituit; Germaniæ nimirum Vistulam fluuium, Teutoniæ Albim, finem tribuit. Enimuero superiori loco, Teutisciam in Sarmatiam & in Pontum usque Euxinum fuisse extentam antiquissimo quibusdam videri æuo, ostendimus. His bona ita sentiendi extitit ratio, licet valida non

aliquot ciuitatum singulare esse;

nec tamen, quam Teutoniæ nomen, si quod fuit, latius patere, declaratur.

mandauit, præscriptis verbis, vt ceteris nominibus adderetur, *in Germanien, Kunigen*, *Germaniæ regi.* Vid. formula mandati ad senatum Eslingensem d. VIII. Febr. ciↄ iↄ viii. apud Clar. Dattium *Rer. Germ. Lib. III. Cap. VII. pag 569.*

non ſatis, quæ valeat ſententiam tueri. Noſtrum autem opinatorem Teutoniam nimis coarctantem, tantum abeſt, vt illa defendat probabilis ratio, vt potius conſtet, per ingentem demum errorem ſententiæ leuiſſimæ titulum aduerſus veritatem ab eo prætendi (*a*). *Nomina peregrina.*

XI. In-

(*a*) HADR. JUNIUS *Batau. Cap. IX.* modo ad Albim Germaniæ nomen pertigiſſe iudicat. *FRANCOS* eſſe ſolos *Germanos* dictos, aliqui coniiciunt ex PROCOPII & HIERONYMI locis antea citatis; ſed eorum verum ſenſum iam expoſuimus. Eadem interpretatio debetur AGATHIÆ verbis *Lib. I.* vbi inquit: Πρόσοικοι τῆς Ἰταλίας, καὶ ἀγχιτέρμονες τὸ γένος τῶν Φράγγων. εἶεν δ᾽ ἂν οὗτοι οἱ πάλαι ὀνομαζόμενοι Γερμανοί. δῆλον δέ. ἀμφὶ Ῥῆνον γὰρ πολαμὸν οἰκοῦσι. *Sunt Franci Italis accolæ, & contermini. Sunt autem hi, qui olim dicebantur Germani, quod quidem ſatis conſtat; nam circa Rhenum amnem incolunt.* Addidit JUNIUS verba ex STRABONE *Lib. VII.* Γνωρίζονται οἱ Γερμανοὶ ἀπὸ τῶν ἐκβολῶν τοῦ Ῥήνου, λαβόντες τὴν ἀρχὴν μέχρι τοῦ Ἄλβιος, & ita explicauit ea; *Notum eſt & manifeſtum, Germanos a Rheni oſtio initium capere Albi fluuio tenus.* Cum autem integram STRABONIS dictionem reſpexeris, corruit JUNII argumentum. STRABO dicit: Τῶν δὲ Γερμανῶν οἱ μὲν προσάρκτιοι παρήκουσι τῷ ὠκεανῷ. γνωρίζονται δὲ ἀπὸ τῶν ἐκβολῶν τοῦ Ῥήνου, λαβόντες τὴν ἀρχὴν μέχρι τοῦ Ἄλβιος. τούτων δ᾽ εἰσὶ γνωριμώτατοι Σούγαμβροί τε καὶ Κίμβροι· τὰ δὲ πέραν τοῦ Ἄλβιος, τὰ πρὸς τῷ ὠκεανῷ παντάπασιν ἄγνωστα ἡμῖν ἐστιν. *Germanorum, qui ſunt ſeptentrionales, propter littus oceani porriguntur: ac noti ſunt ab oſtiis Rheni ad Albim vsque; notiſſimique in his Sugambri & Cimbri. quæ autem trans Albim ad oceanum ſunt loca, nobis prorſus ſunt ignota.* Et addit ſtatim poſtea: Τὸ δὲ νότιον μέρος τῆς Γερμανίας, τὸ πέραν τοῦ Ἄλβιος, τὸ μὲν συνεχὲς ἀκμὴν ὑπὸ τῶν Συήβων κατέχεται. εἶτ᾽ εὐθὺς ἡ τῶν Γετῶν συνάπτει γῆ. *Partem autem Germaniæ meridionalem, quæ eſt trans Albim, continuo Sueui tenent. poſt hos ſtatim contermina eſt Getarum regio.* En contrariam prorſus STRABONIS mentem iſti ſententiæ, quam ex JUNII opinione probare debebat. *ALEMANNOS Germanos* ſolos fuiſſe, ſuaſit quibusdam VOPISCI *Proculus in Variis Vitis Cap. XIII. Alemannos, qui tunc adhuc Germani dicebantur, non ſine gloria ſplendore contriuit:* & AETHICUS Coſmogr. in deſcriptione Europæ, vbi; *Rhætia habet ab Africo, Alpes Penninas; ab occaſu, Galliam Belgicam; a Circio, fontem Danubii, & Germaniam.* Quam leuia ſint, quæ ex his dictis auctorum, quæ nec omnino difficilem admittunt interpretationem, petantur argumenta; nemo non agnoſcit: & facile ſui ipſius hac in cauſa veritas vindex eſt. De errore, per quem *Gothici Orbis auctor* in *Teutoniæ Germaniæque* definitione ſatis grauiter lapſus eſt, non rurſus dicere iam vacat.

Nomina peregrina. XI. Inter nomina ab exteris data Germanis nouissime illud consemus BARBARORVM, quod praesertim a Romanis positum Germanis ex vetustis monumentis accipimus. Et docuimus alio loco consuetudinem & rationem, qua inducti Graeci Romanique nationes ab ipsorum lingua cultuque alienas habuerint pro Barbaris. Hoc obseruare iuuat loco, nullam aeque gentem communius & constantius Romano aeuo *Barbarorum* vocabulo, quam Germanicam notatam esse. Nempe & hoc e re videbatur Romana esse, vt, quemadmodum terram Germanicam Romae essent detestati, ita etiam barbaricam notam ipsi populo inurerent; ne sane turpitudo a Romanis Germanicis bellis contracta grauior videretur, aut magis vulgi aures animosque offenderet. Videris ita in numis *barbarae mulieris imaginem* impressam, vt *Germaniae* foret *nota*, indomitamque belluina ferocia regionem repraesentaret. Memorabile vero praesertim est, idem nomen, quod causa ignominiae a Romanis impositum Germanis fuerat, hos honoris quasi nomine accepisse, & credo, vt in Romanam ambitionem, a se fractam postremum & conculcatam, insultarent, ipsos gessisse, itaque se perlibenter nominasse. Legere licet leges Ostrogothorum, Burgundionumque, in quibus *Barbaros* semper repereris distinctos a *Romanis*, inferiorique loco hos posteriores, Barbarorum quippe tum seruos, positos. Est ceterum credibile, nostros maiores, dum suam migrarent patriam, cum Germanorum nomine alterum etiam Barbarorum in nouas intulisse sedes. Sane, quod neminem ante me vidisse existimarim, dignior nulla dabitur ratio, cur hodieque littora Africana, vastas complexa regiones, vocentur *BARBARA* & *BARBARIA*; quam

Nomine Barbarorum Germani maxime notati sunt.

Ipsi Germani barbarorum nomine delectati sunt.

Vnde Africae littora Barbariae nomen hodieque gerant?

Singularis obseruatio. quam quod immigrauerint quondam Vandali, Germanica gens: ex cuius sedibus primum terra cognomen traxerit, & licet variatis perſæpe incolis ad noſtram tamen vsque ætatem conſeruauerit (*b*). *Nomina peregrina.* An. CCCCXXVII.

XII. Bar-

(*b*) Solennis Germanorum adpellatio, vt *BARBARI* audirent, iam ſupra declarata eſt. In veteribus panegyricis perpetuum hoc nomen Germanorum eſt. Vid. MAMERTINI *Panegyr. Maximiano Cap. V.* EIVSDEM *Genethl. Maxim. Cap. XVIII.* EVMENII *Paneg. Conſtantio Cap. IX.* EIVSDEM *Paneg. Conſtantino Cap. XII.* Rurſus *BARBARIA* vocatur Germania ab EVMENIO *pro reſtaur. ſcholis Cap. XVIII.* a CLAVDIANO *in Rufinum Lib. II. Verſ. 78.* & *modo deuicta barbaries* a VALERIO MAXIMO *Lib. V. Cap. V. n. III.* Præfert Hadriani aliquis numus, quem in limine libri delineatum dedimus, *BARBARAE MVLIERIS* ſpeciem, qualem Druſo adparuiſſe in Germania, & vltra victorem tendere prohibuiſſe, ſcripſit DIO *Lib. LV.* & SVETONIVS *in Vita Claudii Cap. I.* Addita numo inſcriptio, GERMANIA, notat, barbaræ illius mulieris imagine repræſentari Germaniam. Conſtat vero, inuſtam barbariei notam Germanos tantummodo irriſiſſe, ſemetque ipſos, cum ingenti victorum miſerorumque Romanorum probro atque conuicio, *BARBAROS* adpellitaſſe. Rem crebræ noſtrorum maiorum leges loquuntur. *Edictum* THEODERICI regis ita præfatur: *Præſentia iuſſimus edicta pendere, vt - - - - quæ Barbari Romanique ſequi debeant ſuper expreſſis articulis, edictis præſentibus euidenter cognoſcant. Cap. XXXI.* dicitur: *Barbaris, quos certum eſt reipublicæ militare, quomodo voluerint & potuerint, faciendi damus licentiam teſtamenti, ſiue domi, ſiue in caſtris, fuerint conſtituti.* Conf. *Cap. XXXIV. XLIII. XLIV.* & *Epilogus*, vbi inter alia; *quæ omnium Barbarorum ſiue Romanorum debet ſeruare deuotio.* *Lex* BVRGVNDIONVM perpetuo nomina Burgundionum & Barbarorum permiſcet, & mutat; nunc dicens, *tam Burgundio, quam Romanus*, rurſus tunc, *tam Barbarus, quam Romanus*: ſemper Romano nomine loco inferiore poſito. Vid. *Præfatio & Tituli VIII. XVII. XXII. XLIV. LV. LXI.* vbi ſemper *tam Barbarus, quam Romanus*: atque *Tit. LX.* vbi verus Burgundionum mos teſtandi *Barbarica conſuetudo* nuncupatur, & Romanæ conſuetudini opponitur. *Lex* VESIGOTHORVM communiter dicit, *ſiue Gothus, ſiue Romanus.* Vid. *Lib. X. Tit. I. Cap. VIII. IX.* *Lex* LONGOBARDICA *Lib. I. Tit. XXV. Cap. LXXI.* & ita paſſim, ait, *Longobardus aut Romanus.* *Lex* SALICA *Francorum tit. XXV.* & pluries, *Francum* & *Romanum* coniungit, & illo præſertim titulo Franci necem duplo æſtimat prope ma-

Nouius pagina.

XII. Barbarorum nominis occaſione adhuc pauca de nominibus dicimus, quibus ſingulatim gentes aut ciuitates quasdam Germanicas Romani Græcique inſigniiſſe cognoſcuntur. Et vt *Barbarorum* adpellationem teneamus, ſcitu dignum eſt, inprimis *Francos* illud ſubiiſſe nomen, eoque a Romanis, quod omnium Germanorum prope eſſent fortiſſimi, eſſe notatos. Præterea in hanc ſingularium vocabulorum claſſem referre licet commutata ſubinde propria gentium cognomenta. Ita *Cimbros* paſſim a Græcis CIMMERIOS nuncupatos eſſe conſtat; eaque litterarum variatio multæ errationi locum dedit. Sæpe SCYTHAS Græci Romanique nominarunt, nec tamen quam *Baſtarnas Gothos*ue in Scythia agentes putarunt. Romani paſſim SVEVORVM vocabulo vſi ſunt, nec tamen de ipſis Sueuis, ſed de *Alemannis*, loquuti; qui quidem, quod alibi monuimus, conſociatione Sueuorum videntur eſſe orti (*c*).

Nomina peculiarium Germanicarum ciuitatum vſu Romano adprobata.

ioris, quam Romani. *Vandalos* præſertim etiam *Barbaros* vocatos eſſe, infra docebimus. Inde coniectura noſtra non ſaltem veri non oppido ſimilis trahitur. Aliunde quidem JUL. CÆSAR SCALIGER *Exerc. LI.* & *in* THEOPHRASTUM *de Plantis*, *Barbariæ* nomen deriuat. Poſteriore loco ex priore ſententia ita explicate diſſerit: *Solum in Africa ſubeſt ſolum, qua aruum eſt. Sola nempe ora maritima fertilis: cetera vaſta eſt. Vnde & Barbaria. Quia Bar eorum lingua deſertum ſignificat: more Ebræo Barbar, valde deſertum.* Licet vero his conſideratis, non muto ſententiam. Cur enim hodie maritima ora, quæ fertilis vtique eſt & copioſa, *Barbaria* dicitur, ſi *Barbaria* nomen eſt ſolitudinum? Sane, quod regiones fertiliſſimæ illud nomen acceperunt, hodieque gerunt, digno id eſſe videtur argumento, non niſi ab habitatoribus Vandalis, qui præcipue Barbari ſunt dicti, prouinciam traxiſſe cognomentum.

(*c*) *Franci* præcipue *Barbari* a Romanis dicti. Vid. EUMENII *Panegyr. Conſtantio Cap. IX. XXI.* & ita reliqui panegyrici, & hiſtorici; quorum paſſim occurrent teſtimonia. Monſtrat etiam HADR. VALESIUS *Lib. VI. Rer. Fr. pag. 289.* ipſos ſimul *Francos* honoris ſe cauſa *Barbaros* adpellaſſe, eoque ſe nomine a populis ſuæ ditionis diſtinxiſſe. *Cimbros Cimmerios* a Græcis vocatos eſſe, memorant STRABO *Lib. I. & VII.* & PLUTARCHUS *in Vita Marii. Scytharum* nomen *Baſtarnis Gothis*que a ZOSIMO, & aliis,

Quod demum *Vbii* transducti cis Rhenum AGRIPPINENSES conditoris sui nomine fuerint vocati; præcipue memorari debet, cum aliud nullum Romani nominis Germanicæ impositi ciuitati exemplum superet. Sunt etiam *Sigambri* ex suis trans Rhenum excisi sedibus. Cum tamen cis Rhenum agere cœpissent, non Romano, sed nouo barbaro, vocabulo *Gugernorum* videntur notati esse: idemque reliquis Cisrhenanis ciuitatibus a Romanis victis accidit, vt aut sua seruarent patria, aut noua adsumerent, adnomina, non Romanæ clientelæ, instar Vbiorum, notam ostenderent (*d*). *Nomina peregrina.*

communiter tribui, iam supra vidimus. *Alemanni* crebro *Sueui* dicti. AUSONIUS *Epigramm. III. & IV.*

Cæde, fuga, flammis, stratos periisse Sueuos.

& de Danubio:

Qua gelidum fontem mediis effundo Sueuis.

& idem in *Precat. Consulari Edyll. VIII. vers. 29.*

Hostibus edomitis, qua Francia mixta Sueuis
Certat ad obsequium, Latiis vt militet armis.

Transimus CLAUDIANUM, & alios, maxime poëtas, qui eo nomine compellarunt Alemannos.

(*d*) AGRIPPINENSES *Vbii* dicti, & integra quidem natio, non colonia tantum, quod infra ex TACITI *Germ. Cap. XXVIII.* declarabitur. Et manifesta iam res est ex TACITO *Histor. Lib. IV. Cap. XXVIII.* *Acta*, inquit, *vtrobique prædæ. Infestius in Vbiis, quod gens Germanicæ originis, eiurata patria, Romanorum nomine Agrippinenses vocarentur.* Sigambri, Cattique transducti, & ipsi, nomen mutarunt; sed sumere licuit Barbarum, non Romanum est inditum: quod fauoris aut amicitiæ Romanæ fuisset indicium.

LIBER

LIBER IV.

DE PRISCIS POPVLIS GERMANIAE OCCIDENTALIS.

CAPVT I.

CONSVLTATIO VARIA DE COMMODA HISTORIAE POPVLORVM VETERIS GERMANIAE DISTRIBVTIONE: ADDITA DISQVISITIONE DE PLINIANIS POPVLORVM CLASSIBVS.

I.

POPVLORVM ANTIQVAE NOSTRAE GERMANIAE HISTORIA, pars illa nostræ consignandæ geographiæ præcipua, nunc inde orditur, vbi ceterorum, quorum notitia ante videbatur capienda, consideratio terminatur. Equidem, quam sim sequuturus viam, in ipso statim limine hæreo, & solicite commodum tractationis modum circumspicio. Habeo prope scriptores omnes, qui veriti, vt peccarent soluta scriptione liberius- *De Germaniæ Populorum historiæ methodo deliberatur.*

beriusque fluente, maluere litteras legere, & hisce positis populorum quæuis nomina in totidem referre classes. Non quippe iudicarunt posse certas singulis ciuitatibus adsignari sedes, nedum earum describi cunctas migrationes & vicissitudines: vnde commentari de vocabulis singulis magis visum, quam historiam quandam populorum connexam & ordinatam persequi. Esse etiam profecto, non nego, quod dubitent metuantque, cum, si quod, intricatum sit maxime negotium, distinctum Germaniæ ciuitatum sectari ordinem; quod & dissentiant inter se plurimum antiqui auctores, & sæpe recentiorum opiniones fere minus quam philosophorum sibi constent familiæ. Quidquid tamen obstet, meæ non conuenit scriptioni interrupta narratio; conuenit planus sermo, itaque historiam exponens, vt philosophica volunt explicari præcepta. Nemo philosophiam promiscuas philosophorum accipiendo doctrinas vnquam adsequetur: & quis, quæso, historicam sibi parabit cognitionem, per vaga membra historicum moliturus corpus? Post itaque habitis difficultatibus res connexas plana & connexa persequi oratione, nec indicem nominum edere, sed historiam scribere, mihi etiam esto constitutum (a).

Methodus litterarum ordinem sequendi reprobatur.

Methodus historiæ populorum.

II. Sed illa licet capta sententia rursus me addubitare non diffiteor, quo potius modo decretam dirigam ordinemque tractationem: & an sim acturus cum Plinio, eiusque contueri velim quinque ciuitatum classes? vtrum vero solius patrii soli rationes notarumque naturalium sim sequuturus vestigia? Cum Plinio facere, videbatur æquum, quum ipso teste Tacito vetustis nostrorum maiorum carminibus illa generalia gentium nomina fuerint comprobata. Videbatur

De Pliniana methodo deliberatur;

Lib. IV.

(a) HADRIANUS VALESIUS *in Galliarum notitia*, MENSO ALTINGIUS *in Germaniæ Inferioris notitia*, & qui alii, maluerunt lexicon contexere: nec commodis plurimis caret institutum.

Methodus historiæ populorum. batur per etiam commodum, ordinem eligere ab optimo traditum auctore, cum præsertim nostrum negotium impensam ordinis requirat curam. At obstat vero non neganda Plinii negligentia, qua leuiori pede ille suam transiliat descriptionem, quam vt liceat eum sequi: vnde & ipsam diuisionem inexpletam, obscuram, nec minus confusam, exstare, quis non intelligit? Et magis obstat, illas gentium classes antiquissimi tantum fuisse vsus, non tulisse eam ætatem, in qua consideranda præcipue nos laboramus. Si sane æuo Taciti Germanicæ gentes in totidem adhuc genera fuissent distinctæ; credemusne accuratum historicum, res præsertim Germaniæ descripturum, eorum nullam fuisse habituram rationem? cum maxime nouerit nomina, nec natiua, propriaque, & generalia ignorauerit. Verum deprecere fortassis Plinianæ diuisionis neglectum, quod addito sexto populorum genere, Marcomannis inquam, multum lucis historiæ sex populorum æui medii posse videatur accedere. Nec autem hoc quidquam momenti habet, nec morari nos vlla debet ratione; cum lux sane sit futura leuissima, ne erraticam dixerim, minimaque occurrat vix, ac ne vix quidem, antiquiorum & æui medii populorum classium conuenientia. Adde hoc, non licere in historia fingere, vt fiat illa luculentior, aut ad probandas quasdam adsertiones adcommodatior. Cito autem antiquatis illis ciuitatum Germanicarum primis classibus diuersa aliaque successere populorum fœdera, quæ nec sextum seruant numerum, nec quidquam cum vetusta illa diuisione habent commercii. Stat & ergo altera sententia, partitione Plinii missa facta, ipsum patrium contueri solum, &, quam tractationem alius grauissimi Romani scriptoris, licet paulo diuersus, vsus commendat, Germanicas gentes ad fluuios, saltusque, montesque, sitas, quam fieri possit maxime accurate cogitateque definire.

At & ista indictis eius næuis.

& declinata commendatione, recusatur.

Nostra methodus proponitur.

Illa tamen Pliniana distributio breuiter examinatur.

Pliniana classes.

III. Priusquam tamen ipsum auspicemur negotium, exsequi quod iam ante sumus polliciti, erit dignum, & PLINIANAM DISTRIBVTIONEM, quam licet persequi nolimus, tentare paulisper & exquirere. Futura scilicet erat valde supina negligentia, antiquissimorum nominum primarumque Germaniæ nationum classium ordinem atque comprehensionem velle prorsus ignorare, vbi in ceteris populorum rationibus, & in eorum succedentibus fœderibus præsertim cognoscendis animus est laborare. Quantum igitur iusta illorum nominum complexio probe euoluta generatim indicat, non ea est solius Germanici soli, populorumque in eo habitantium, partitio; sed gentium in vniuersum omnium, quæ ortu sanguineque, lingua & moribus, sunt Germanicæ, & extra omnino proprios Germaniæ limites in diuersis sitæ prouinciis, in certas partes certaque genera diuisio. Habet istud illa vetustissima nationum distributio præcipuum, vt magis respiciat fines vniuersi populi, quam regionis; cum pleraque cetera, quæ deinceps innotuere, ciuitatum fœdera atque nomina ab initiis intra Germaniæ proprios perstiterint limites, nec quam sero cum ipsis migrantibus gentibus eos migrauerint. Et egregie profecto hac in causa vetus partitio naturam atque indolem, qualem mente licet concipere, primarum terræ occupationum imitata est. Non sunt ita definiti regionum atque prouinciarum limites, vt omnes gentium cognationes iisdem constiterint terminis: sed vt demum consensu pactisque distributæ fuerint terræ, non paucæ tamen passim cognatæ ciuitates sunt commoratæ in viciniis, nec istæ ab alienigenis populis quam lingua moribusque separatæ. Has autem singulas, quantum ad Germaniam priscam, illam Germanicarum ciuitatum recensionem minime prætermisisse, sed sedulo eas cum reliquis in sua retulisse genera, iam mox fiet manifestum.

Antiquior Germaniæ populorum partitio non regionis, sed nationis fines respicit.

IV. Ger-

Plinianæ classes.

IV. Germanorum vniuerſe genera fuere quinque, quod Plinius vnus iſtius diuiſionis ſcriptor ex maiorum adſeuerat haud dubie memoriis: VINDELI, INGAEVONES, ISTAEVONES, HERMIONES, & quinta pars PEVCINI. Et priora vocabula ipſe etiam memorauit Tacitus, eorumque ortum & principia ex priſcis noſtrorum maiorum expoſuit carminibus. Siluit contra *Peucinos;* eorumque loco inter generalia nomina, *Marſorum, Gambriuiorum, Sueuorum*que, alia, percenſuit *(b)*. Nempe quæ adparentis optimorum auctorum diſſenſionis vera exiſtit cauſa, ex priſcis cantionibus originis conditorumque Germanicæ nationis ordinem explicaturus Tacitus ſatis habuit, quæ vera & antiqua nomina ab illis manauerint, demonſtrare; non claſſes curauit ciuitatum, earumque vocabula, quæ quippe eius æuo prope antiquari cœperant. Idem proinde prorſus prætermiſit Peucinorum, ſeu Baſtarnarum, nomen, cum non niſi ad propriæ Germaniæ populos, nec ad alia eorum, quam antiquiſſima, & a gentis conditoribus accepta, nomina, animum tum attenderet. E contrario Plinius, diſſimulatis nominum initiis, quot inde ciuitatum genera illis inſignita vocabulis ſuperſint, indicare tantum conſtituit. Eo igitur animo *Marſos Gambriuios*que ille tacuit, quod, licet nomina vetuſta, exiguas tantummodo id temporis notarent ciuitates: *Sueuos* etiam in Hermionibus numerauit, capacitate illius nominis procul dubio

Conciliatio Plinii & Taciti, ratione illius partitionis.

(b) PLINIUS *Lib. IV. Cap. XIV. Germanorum genera quinque: Vindeli; quorum pars Burgundiones, Varrini, Carini, Guttones. Alterum genus Ingæuones; quorum pars Cimbri, Teutones, ac Cauchorum gentes. Proximi autem Rheno Iſtæuones, quorum pars Cimbri mediterranei. Hermiones, quorum Sueui, Hermunduri, Chatti, Cherusci. Quinta pars Peucini, Baſtarnæ, ſupra dictis contermini Dacis.* TACITUS *Germ. Cap. II. Celebrant carminibus antiquis, quod vnum apud illos memoriæ & annalium genus eſt, Tuiſtonem Deum terra editum, & filium Mannum, originem gentis conditoresque. Manno tres filios adſignant, e quorum nominibus proximi oceano Ingæuones, medii Hermiones, ceteri Iſtæuones, vocentur. Quidam autem, licentia vetuſtatis, plureis Deo ortos, pluresque gentis adpellationes, Marſos, Gambriuios, Sueuos, Vandalios, adfirmant: eaque vera, & antiqua nomina.*

dubio non quam antiquatis priscis ciuitatum vocabulis cognita atque explorata. *Peucinos* vero consulto & cogitato ceteris Germanorum generibus adiecit; quod minime finibus regionis Germaniæ metiretur populos, sed potius, quod ipsis maioribus placuisse putem, ex indole animoque de iis iudicaret gentibus, quæ iure suo in genera Germanorum forent aduocandæ. Quod statim addimus, licet genera nationum esse quinque Tacitus silentio dissimulauerit, trium tamen memoratorum sedibus determinandis optime cum Plinio ipsi conuenit: magno id cognitæ Tacito & probatæ istius veteris populorum Germaniæ partitionis argumento. *Pliniana classis.*

Vindelorum genus gentes ad Codanum sinum complexum est. V. Speciatim nunc ex Plinii distributione Germanorum quinque classes consideraturi primos examinamus VINDELOS, quos VANDALIOS Tacitus, diuersisque modis flexis litteris aliter atque aliter auctores varii adpellant; si quas ciuitates diuersis cognitas nominibus antiquitus illorum genus sit complexum. Et ipse quidem Plinius partem eorum ait exstitisse *BVRGVNDIONES*, *VARRINOS*, *CARINOS* atque *GVTTONES*, populos trans Albim Viadrumque regionibus satis longe dissitis partim ad littora Codani sinus, partim etiam colentes in interioribus. Quo tamen minus Plinium existimemus omnes adpellasse ciuitates ad Vindelos referendas; ipse facit, nunquam omnes gentes quodam complexas genere, sed modo vnam alteramque ciuitatem nominans. Præter etiam, quod minus cum veritate videtur congruens, inter Vindelos ciuitates quasdam diuersis sitas locis esse quondam numeratas, nec ad eosdem alias gentes cum istis ciuitatibus & inter eas permiste habitantes relatas esse; ipsa etiam suadent bonorum auctorum testimonia, supplere a Plinio ommissa, vetustisque Vandaliis suos restituere populos. Erunt itaque hoc loco censendi *LEMOVII*, quos quidam *HERVLOS* interpretantur, *RVGII*, atque *SIDINI*, Gothones Carinosque septentriones versus

præ-

Plinius castig. prætexentes. Porro cum Varinis recte ſex reliquæ fœderatæque ciuitates, *ANGLI*, *EVDOSES*, *CAVIONES*, *SVARDONES*, *NVITHONES*, atque *REVDINGI*, in Vindelorum claſſem aduocabuntur. Et poſtremum *LONGOBARDOS* præcipue ex Vindelorum genere fuiſſe conſtat: quippe & qui non rarius apud Paulum Diaconum Vinilorum, quam proprio Longobardorum, citantur nomine (*c*).

 Cete-

(c) In PLINIO vulgares codices vocem *Vindelici* habuerunt. Alii ſubſtituerunt *VINDILI*, *Vandeli*, *Vandili*. CLUUERIUS caſtigauit vocabulum, & loco *Vindelici Vindeli*, quod omnia exemplaria litteram E monſtraſſent, legendum iudicauit. TACITO *Vandalii* ſunt. *Vandalos* dixerunt CAPITOLINUS *in Antonino Philos. Cap. XVII.* VOPISCUS *in Probo Cap. XVIII.* MAMERTINUS *Genethl. Maximiani Cap. XVII.* EUTROPIUS *Lib. VIII. Cap. VI.* OROSIUS *Lib. VII. Cap. XV.* Βάνδιλοι nominantur a ZOSIMO, PROCOPIO, SUIDA, & pluribus. *Wandalos* JORNANDES & PAULUS DIACONUS, plurimis locis adpellant. *Winilorum* nomen PAULUS DIACONUS *Lib. I. Cap. II. & VIII.* habet. *Vandulos* ITINERARIA *Tabula* nuncupat. De populis, quos in Vindelis PLINIUS ipſe retulit, dubium ſuperat nullum. Priori autem æuo ceteras etiam gentes, Codanum adcolentes ſinum, in Vindelis fuiſſe adnumeratas, id ſuadet; quod improbabile eſt, ex vtroque latere maris vnum alterumque populum Vandalicum fuiſſe, medios ab eo alienos genere: quod & JORNANDES *de Reb. Get.* diſerte in omni maris ora ſuos repoſuit Vandalos; quod denique nunquam PLINIUS, quod manifeſto liquet, omnes vnius generis populos commemorauit. De *Longobardis* minor eſt controuerſia. Sæpe PAULUS DIACONUS *Lib. I. Longobardos* oſtendit *Winilos* eſſe; qui VVinili certe non niſi ſono nominis a VVandalis ſiue PLINII Vindelis, diſcrepant. Et enim Sclaui etiam harum poſtea regionum incolæ, teſte HELMOLDO *Lib. I. Cap. II.* antiquiorum nominum certo indicio, modo VVandali, modo VVinuli, ſunt adpellati. PAULUS ait *Cap. II. Winilorum, hoc eſt, Longobardorum gens, quæ poſtea in Italia feliciter regnauit. Cap. VIII. IX. Certum,* inquit, *eſt, Longobardos ab intacta ferro barbæ longitudine, cum primitus Winili dicti fuerint, ita poſtmodum adpellatos. Cap. X. Winili ergo, qui & Longobardi.* Quod vero inter VVinilos & VVandalos ſuos PAULUS grauiſſima interceſſiſſe bella memoret; nihil id mirum, cum norimus libidinem omnia armis gerendi non iura propinquitatis in antiqua Germania conſueuiſſe reſpicere. In multum etiam errorem per illius ſeculi, in quo vixit, obſcuritatem, PAULUM conſtat inductum eſſe; vt nempe ex Scandinauia proceſſiſſe VVinilos exiſtimaret, vtque fortaſſis ipſe varias nominum flexiones, earumque rationes ignorans, diuerſas VVinilos VVandalosque gentes fuiſſe, crederet: quæ omnia nunc quidem rectius a nobis perſpecta ſunt. Ceteris, Vindelorum generi adſcriptis, populis addimus *Aſtingos* atque *Silin-*

Vindelorum nominis fata.

Pliniana classes.

Ceterum monuimus superiori loco, Vandalorum generali nomine confestim antiquato ciuitates eo comprehensas propriis adpellationibus deinceps venisse, partemque in æui succedentis illustribus fœderibus sua demum posuisse nomina. Hoc adhuc meretur repeti atque vrgeri, cum Gothi, qui olim Gothones videntur dicti fuisse, cum Rugii, Herulique, Burgundiones, & Longobardi, celebres egerint propriis suis cogniti nominibus expeditiones; in *Vandalis*, qui eodem tempore restituto cognomento in Gallias, Hispaniasque, & in Africam denique, commigrarunt, dubio procul eas fuisse gentes, quæ inglorias nuncupationes recepto antiquiori vocabulo eo tempore deseruerant. Fuere proinde *Cauionum*, *Nuithonum*, *Suardonum*, & *Eudosum*, partes tunc inter Vandalos. Ne enim omnes hasce ciuitates in solis adnumerem Vandalis, facit, quod partem valido Saxonico, partem Thuringico, fœderi accessisse arbitrer. Extremum *Vindelorum*, seu *Vandalorum*, nomen *Venedis* Sarmatis vsu communi est impositum: non quasi isto fuissent hi orti genere, sed quod partim Vindelorum antiquas ad omnem Transalbinæ Germaniæ oram sedes Venedi colerent; partim Vindelorum Venedorumque propinqua nomina, ab aliis studio, a diuersis errore, commisceri crebro consuescerent (*d*).

Ann. CCCCVI. CCCCXXVII.

VI. Al-

gos, quos in Sarmatia nouimus cum Gothis versatos esse, vbi in Germania egerint, non scimus. *Astingos* memorat JORNANDES *de Reb. Get. pag. 97. & 102. Solingos* ISIDORUS *Chron. Gothorum Era CCCCLIV. & in historia Wandalorum;* & vterque ibi eorum Vandalicum genus probat. Quod DIO *Lib. LV.* de Albi fluuio dicit, ῥεῖ ἐκ τῶν Οὐανδαλικῶν ὀρῶν, *fluit ex Vandalicis montibus*; multum id curæ eruditis dedit, cum difficiliter sibi persuaderent, ad Boiohœmicos vsque montes Vandalicum pertigisse nomen. Postquam autem CLUUERIUS ostendit, ex XIPHILINO hæc improbe DIONI esse adiecta; cum ille sua ætate potuerit Vandalicos montes commode adpellare, quod Slaui, qui & communiter Vandali dicti sunt, Boiohœmum incolerent; qui autem populorum status prorsus DIONIS æuo diuersus fuerat: iam quidem illos Vandalicos apud DIONEM montes eruditorum vltra moratur nemo.

(*d*) Antiquiorum generum, quæ PLINIUS TACITUSque habent, cito exoleuit memoria. Gentes, *Vindelorum*

Plinianæ classes.

Ingæuonum genus maritimas ciuitates, inprimis Scandinauiam, comprehendit.

VI. Alterum Germanorum genus, Plinio ſcribente, fuere INGAEVONES; quorum pars *CIMBRI, TEVTONI & CAVCHORVM* gentes. Cum Plinio conuenit hic plene Tacito, idemque ſuos Ingæuones proximos facit oceano. Conſtat vero, non Cauchos tantum, non Cimbros, non Teutonos ſolum, in Ingæuonibus antiquitus numeratas eſſe; ſed & *FOSOS* Taciti ad eos recte referri, & *CIMBRICAS CIVITATES*, quarum ex Ptolemæo infra fiet mentio. Quin imo, ipſo iudice Plinio, omnis *SCANDINAVIA* atque *FINNINGIA* priſcis adiudicabitur Ingæuonibus. Primam nimirum Plinius Germaniæ gentem *Ingæuones* adpellat, *a quibus clarior inde aperiatur fama;* qui inſulas, quibus Codanus ſit refertus ſinus, quarumque clariſſima ſit Scandinauia, nec minor opinione Finningia, occupent: vbique ſit Seuo mons immenſus, nec Ryphæis iugis minor, immanem ad Cimbrorum vsque promontorium ſinum efficiens. Quæ omnia teſtantur, priſcis Ingæuonum ſedibus omne ſeptentrionale Germaniæ latus quondam impletum fuiſſe. De ipſo Ingæuonum nomine explicando vana exſtitit eruditorum contentio: namque non a ſitu aut ſedibus indicandis, ſed ab heroe

complexæ nomine, diuerſis vocabulis diſtinctæ ſunt. Longobardi aſt diutius VVinilorum adpellationem ſeruarunt; & fortaſſis alteram VVandalorum minores quædam in illo tractu ciuitates: quas ideo facilius coniecturis adſequimur, quoniam pleræque inſigniores gentes ſingularia iam haberent nomina. Per quas inde viciſſitudines nomen Vandalicum durauerit, vt modo in Sarmatia, modo in Pannonia, antequam excurreret in Gallias, reſediſſe legatur; nemo id aptius eſt docere. Hiſtoria, quantum licebit, illas olim migrationes ex bonis auctoribus illuſtrabit. *Venedos* poſtea, quod in Vandalia vetuſtiſſima conſediſſent, *Vandalos* dictos eſſe, vulgo notum eſt. Probe autem oportet diſtinguere *priſcos Vandalos* PLINII TACITIque; *poſteriores Vandalos*, quos ſeculum tertium, quartum, quintumque vidit; & *extremos Vandalos*, qui diuerſiſſimi a prioribus fuerunt generis; cum ſemel admiſſa confuſione non nequeant plurimæ difficultates noſtræ intelligentiæ obſtrepere. Errauit, illa non obſeruata neceſſaria diſtinctione, valde grauiter ALB. CRANZIUS *in Vandalia*, quam inluminatam ſatis ceteroquin egregie dedit; ſemperque in eo libro veterum Vandalorum, & extremorum Vandalorum, qui Slaui proprie erant, confudit hiſtorias.

heroe quodam prisco, nomen acceptum esse, ex antiquis ma- *Pliniana* iorum nostrorum cantionibus dudum Tacitus testatus est. *classes.* Breuem de reliquo istud nomen cum ceteris Hermionum atque Istæuonum, non secus ab illustribus ciuitatum conditoribus adsumtis, vocabulis tulisse ætatem, confestimque Romano æuo exoleuisse, superius iamdum ostendi (*e*).

VII. Pro-

(*e*) *INGAEUONUM* nomen PLINIO, TACITO, SOLINO, omnibus idem est: nisi quod quædam vulgaria exemplaria Ingæonum, simplici B scriptum, agnoscant vocabulum. A PLINIO & TACITO, diserte omnis septentrionalis Germania Ingæuonibus tribuitur. TACITUS ait; *Proximi oceano Ingæuones:* & *Germ. Cap. XXXVII. Eundem Germaniæ sinum proximi oceano Cimbri tenent:* & *Cap. XXXV. Hactenus in occidentem Germaniam nouimus. In septentrionem ingenti flexu redit. Ac primo statim Chaucorum gens.* Quæ probe considerata prorsus PLINII sententiam de populis genere Ingæuonum comprehensis firmant. Et clare omnem Scandinauiam Ingæuonum nomini adsignat idem PLINIUS *Lib. IV. Cap. XIII. Incipit inde,* (ab enumeratis ab eo supra Sarmatiam & Germaniam in glaciali oceano insulis) *clarior aperiri fama ab gente Ingæuonum, quæ est prima inde Germaniæ. Seuo mons ibi immensus, nec Riphæis iugis minor, immanem ad Cimbrorum usque promontorium efficit sinum, qui Codanus vocatur, refertus insulis: quarum clarissima Scandinauia est, incompertæ magnitudinis, portionem tantum eius, quod sit notum, Hillevionum gente D incolente pagis, quæ alterum orbem terrarum eam adpellat. Nec est minor opinione Finningia.* Item SOLINUS post PLINIUM dicit *Cap. XXIII. Mons Seuo ipse ingens, nec Riphæis minor collibus, initium Germaniæ facit. hinc Ingæuones tenent; a quibus primis post Scythas nomen Germanicum consurgit.* POMPONIUS non Ingæuonum habet nomen, sed, quod *Lib. III. Cap. III.* post descriptum Codanum sinum addit; *In eo sunt Cimbri & Teutoni: vltra vltimi Germaniæ Hermiones:* ibi aut putauerim, loco *Hermionum* voluisse *Ingæuones* vocare, vt his adeo Scandinauiam tribuerit; aut *Hillevuiones* substituendos esse, vt ergo, tres præcipuos Ingæuonum populos coniungendo, non videatur POMPONIUS genus vniuersum Ingæuonum ignorasse. AETHICUS *Cosmographus Ingeonicos* habet, qui vtique sunt *Ingæuones.* Apud PTOLEMÆUM *Lib. II. Cap. XI* sunt Ἰγγρίωνες, μεταξύ τε τοῦ Ῥήνου καὶ τῶν Ἀβνοβαίων ὀρέων, *Ingriones inter Rhenum & Aunobeos montes.* Quin dicere voluerit Ἰγγαίωνες, *Ingæones,* vix dubium est. Quod autem ad Abnobam montem eos a maritima transtulerit ora, æque parum curari debet, quam quod Fennos in mediam posuit Sarmatiam, cum constet, longe vltra eam in Finningia illos coluisse. Ipsum *Ingæuonum,* simul ac reliqua nomina, eruditi non pauci ex lingua nostra interpretari conati sunt. BEATUS RHENANUS manuult *Vigeuones* legere; quasi dictos a *Wik* & *Wonen*, quorum hoc *habitare*, illud *sinum* significat: quia sinus adcole-

Plinius classis. VII. Proximi Rheno ISTAEVONES ex Plinii ordine iam succedunt; eorumque partem idem auctor *SICAMBROS*, quicquid diuersi regerant & opponant critici, constituit. Dum ast idem vnam tantum ciuitatem, Sicambros inquam, nominat, statimque cum Tacito Hermionibus mediterraneos attribuit populos; quis dubitet asserere, cum Sicambris omnes cis transque Rhenum Germanicas gentes inter Istæuones recte collocari? Id Tacitus cupit, qui, cum proximos oceano Ingæuones, medios Herminones, vocasset, diserte ceteros adpellat Istæuones: qui vero ceteri in occasum solis, nisi accolæ vtriusque Rheni ripæ, futuri erant? Quod vero Transrhenanis Germaniæ populis Cisrhenanos simul addimus, & vtrosque inter Istæuones nominamus, digna nobis causa & Plinii est consensus, qui ad Scaldim vsque fluuium Germanicas adcolere gentes testatur; & ipsa veteris huius partitionis indoles rem adprobat, cum quippe ea non regionis fines respiciat, sed nationis: vt adeo par sit Cisrhenanos Germanos in Istæuonum referre numero, cum in Sarma- Istæuonum generi Cis & Transrhenani Germani adsignantur.

tia

bant. GOROPIVS præfert vocem *Ingæuones*; sed misere ait in banc formam esse contortam ex voce *Hingezeßoners*, quod significet *iuxta mare colentes*. *Istæuonum* loco vterque *Vistæuones* reponunt: vt inde interpretarentur *Westßoners*; quod significat, *versus occidentem habitantes*. *Hermiones* dicit alter, Germanis adpellatos esse *Hertßoners*, seu *Hernßoners*, quia in medio coluerint, in *her*, seu *herd*, quæ vox *terram* notes: & alter, esse nominatos *Hermitßoners*, quasi omnino *medium Germaniæ incolentes*. *Wandalos* cupiunt dictos esse ab *ambulare*, quod Germanis *Wandelen* est. Et ita quidem de nominibus illis vetustissimis argute inquirere nonnulli eruditi, sed fere frustra, voluerunt. Quo magis antiquissimæ memoriæ, quam PLINIVS TACITVSque commemorarunt, habemus fidem, & illa prisca vocabula heroibus Germaniæ vetustissimis, qui vnam alteramque aut condiderunt, aut rexerunt, nationem, accepta referimus: cum saltem idonea non sit ratio, ab illis carminibus recedendi, nec, quæ ampliorem mereantur fidem, facile proferri queant. Vid. tamen ALTHAMERVS, VVILLICHIVS, MELANCHTON, BEBELIVS, & alii *in Tomo I. collectionis* SCHARDIANÆ, quibus omnibus placuit Germanicam illorum nominum aut parem, aut parum diuersam originem comminisci.

tia Germanos ſingulari omnino Peucinorum genere cernamus comprehenſos. Fuere idcirco in Iſtæuonum priſca claſſe cis Rhenum *TRIBOCCI, NEMETES, VANGIONES, CAERESI, SEGNI, CONDRVSI, PAEMANI, EBVRONES, ADVATICI, MENAPII*, atque *BATAVI.* Trans Rhenum, quas ſedes Cæſaris circiter æuum Germanicæ habuerunt ciuitates, hic *MARCOMANNOS, HARVDES, SEDVSIOS*, nominatim, cum *VBIIS, SICAMBRIS, MARSIS, TVBANTIBVS, DVLGIBINIS, AMSIVARIIS, CHAMAVIS, BRVCTERIS*, atque *FRISIIS.* Et hi populi, quosue alios tranſeundo prætermiſi, in Iſtæuonum antiquitus habiti ſunt numero (*f*). *Pliniana claſſis.*

VIII. Me-

(*f*) Vulgaria PLINII exemplaria habent: *Proximi autem Rheno Iſtæuones, quorum pars Cimbri mediterranei: Hermiones, quorum Sueui, Hermunduri, Chatti, Cheruſci.* Miſere corruptum auctoris ſenſum, orationisque contextum, nemo non agnoſcit; & iam multi medelam parare conati ſunt. Omnes diſtinguendum viderunt inter *Cimbri* & *mediterranei*: nam & Hermiones *medios* dixit TACITVS. Quid vero *Cimbri* in *ISTÆVONIBVS?* Quibusdam *Aduatici* in mentem venerunt, *Cimbrorum* ſatu vtique ortus populus; eos autem PLINIVS *Bethaſias* nuncupauit; & poterant certo ſenſu *Cimbri mediterranei* vocari. Quod autem videatur PLINIVS illuſtriorem voluiſſe Iſtæuonum partem nominare, adprobo demum CLVVERIVM & diſtinguentem, & loco *Cimbrorum Sicambros* reponentem. Ita & lego cum illo: *Proximi Rheno Iſtæuones, quorum pars Sicambri. mediterranei Hermiones, quorum Sueui, Hermunduri, Chatti, Cheruſci.* Ad rationes, quibus moti tot in Iſtæuonibus ſolis populos numeramus, nihil addendum eſt. Apud STRABONEM *Lib. I.* ex PYTHEA occurrit nomen Ὠστίαιοι, quos STEPHANVS, rurſus etiam laudato PYTHEA, Ὠστίωνες, *Oſtiones*, adpellat; addito ἔθνος παρὰ τῷ δυτικῷ ὠκεανῷ, *gens ad occiduum oceanum.* Quin illi *Oſtiæi* & *Oſtiones*, noſtri *Iſtæuones*, a vetuſtis memorati ſint Græcis, parum aliquis dubitet; cum maxime eos ad occiduum locauerint oceanum. Ceterum hic eruditiſſimus aliquis vir ratione Iſtæuonum plane diuerſum ſentit. Putat eſſe dictos *Iſtæuones*, quaſi *Eſteuones, qui ad orientem colant:* maleque adeo a PLINIO proximos Rheno conſtitutos eſſe. Exiſtimat Hermiones complecti cis Albim omnes gentes, Iſtæuones ceteros populos trans Albim omnes: vnde recte TACITVS dixerit *ceteri Iſtæuones vocantur.* Illud moliri eruditum ſententiæ nouæ auctorem conſtat, vt Hermionum commodius partem poſſet cis Rhenum ducere, vt inde Germanorum nomen cœperit, parta ingenti fama, cum omnibus Teutiſcis communicari. Adiuuabo ſententiam, cum antiquius quinque fuiſſent Germanorum claſſes, for-

Plinius classes. VIII. Mediterraneos HERMIONES Plinii, quartum Germanorum genus, medios HERMINONES, interiecta littera, Tacitus adpellauit. Quærendis ciuitatibus, quæ illo fuerint simul notatæ nomine, non iam amplius valde nobis laborandum erit. Quotquot supersunt populi in Germaniæ medio, ad septentriones a Vandalis atque Ingæuonibus, ad occasum clausi ab Istæuonibus, & orientem versus a Peucinis continuati; hi omnes sine dubio ad Hermiones a nobis referendi sunt. Plinius nominat *SVEVOS, HERMVNDVROS, CATTOS,* & *CHERVSCOS:* Sueuorum nomine reliquos *SEMNONES, QVADOS, MARSINGOS, BVRIOS, OSOS, LYGIOS*que, intelligi, patet facili coniectationi. Cur sed Hermunduros singulatim Plinius adpellarit, cum & iidem communi Sueuorum aliquando nomine venerint, difficiliter dixeris. Putem tamen fuisse *Herminonum* præcipuos *Hermunduros*, nominum fortassis id præter alia suadente conuenientia, ideoque eos præ ceteris Sueuis nominatim citare Plinio nostro placuisse (*g*). *Inter Hermiones fuere mediterranei; præcipuique ceterorum Hermunduri.*

IX. Quinta pars PEVCINI, qui & BASTARNAE, *contermini Dacis*, a Plinio extremum memorantur. Eos Tacitus in Germanis quidem in suo numerat libro, non tamen, quod Plinius agit, singulare Germanorum eos genus constituit: nisi, quod medios suos Herminones faciat, respexisse eum velimus ad Peucinos, a quibus si continuantur Hermino- *Peucinorum genus & Bastarnicas ciuitates.*

tassis TACITI æuo, obscuratis Vandalorum, Peucinorumque, generibus, tribus modo classibus omnes populos fuisse comprehensos; vt septentrionalem Germaniam *Ingæuones*, occidentalem *Hermiones*, &, separante vtrumque genus Albi, orientis Germaniam *Istæuones*, tenuerint, hique ipsi simul tum Vandalos atque Peucinos sint complexi. Ingeniosam profiteor esse & acutam sententiam; sed, quo minus ad eam accedamus, veterum, quam nefas putamus, auctoritate non leuiter prohibemur.

(*g*) PLINIVS dicto loco ex CLVVERIANA emendatione ait; *mediterranei HERMIONES; quorum Sueui, Hermunduri, Chatti, Cherusci.* TACITVS simpliciter dicit; *medii Herminones.* Hermionum in POMPONIO vox, modo est explosa, vnde ad eam attendere non vltra licet.

minones, vere hos medios dixeris. Quot Baſtarnicæ ciuitates in Sarmatia egerint, alio loco declarabitur. Exiſtimem vero, non eas tantum in Peucinorum cenſeri genere, ſed ipſas etiam *GETICAS GENTES;* quas cum Baſtarnis in Sarmatia perſtitiſſe, cum ceteri Germani mouerent in patentiorem Germaniam, partem etiam in Sarmatiam ex Germania antiquiſſimo æuo reuertiſſe, ſupra oſtendimus. Sentiendi ita habeo cauſam, quod partitio illa antiqua non Germaniam, ſed Germanos curet, quales Getas Dacosque fuiſſe copioſe infra probabitur. Quantumuis itaque Plinius ignorauerit, Germanos Getas eſſe, ab ipſis tamen noſtris maioribus, quibus illa eſt accepta referenda diuiſio, idonea in claſſe eos locatos eſſe, quis neget? Adcommodatum autem magis genus, cui Getæ acceſſerint, Baſtarnico, non ego reperio: cum & contermini Getis Dacisque Peucini fuerint, & hi ipſi ſeriori ætate cum Gothis, quod demum Getæ ſuſcepere cum aliis gentibus nomen, adeo verſati, vt omnino ſuo poſito nomine ſub Gothico extremum egiſſe credantur. *AESTIOS* non ego minus Peucinorum claſſi hoc nomine adſignarem, quod egere in Sarmatia haud procul a Baſtarnicis ciuitatibus. Quod tamen antiquam Tacitus teſtatur famam, aliunde eos aduceniſſe, & olim prope egiſſe Rhenum, malim Iſtæuonibus, quod & nomen ſuadet, eos relinquere; cum ſcilicet migratio vnius alteriusque Germanici populi minime potuerit ipſius mutare genus, aut inuertere familiam (*b*).

Pliniana claſſes.

& Geticas etiam habuit.

Aeſtii colonia Iſtæuonum creduntur eſſe.

X. Ex-

(*b*) Dubie omnino TACITVS *Germ. Cap. XLVI. PEVCINOS* in Germanis refert. *Peucinorum, Venedorumque & Fennorum*, inquit, *nationes Germanis an Sarmatis adſcribam, dubito: quamquam Peucini, quos quidam Baſtarnas vocant, ſermone, cultu, ſede, ac domiciliis, vt Germani agunt. ſordes omnium ac torpor. procerum connubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur.* Quod tamen Herminones ſuos medios dixit, vix ambigo, ad nouum Germanorum genus, quod ad orientem coluerit, eum reſpexiſſe, nam, Iſtæuones proxime Rhenum coluiſſe, ex PLINIO accepimus. De Baſtarnis vero ipſis infra pluribus dicetur.

Plinianæ classes.

Rursus incommoda Plinianæ distributionis ostenduntur.

X. Expeditis examinatisque Germaniæ populorum generibus a Plinio commemoratis, cernere est nunc facilius, cur Plinianam illam distributionem, licet magno a nobis habendam pretio, in ciuitatum Germaniæ historia modo a nobis consignanda sequi detrectauerimus. Nempe suppleuimus quidem a Plinio prætermissa, & ratione duce, & bonorum aliorum auctorum indicio. Multa tamen solis adhuc niti coniecturis, nec certum audere promittere, me vel adparet rem silentio dissimulaturo. Est etiam ordo valde impeditus, & præruptus, indignusque adeo, quem quispiam imitetur, res sane Germaniæ priscæ curate cogitateque expositurus. Quod vero præsertim conuenit ad animum reuocare, minime par esse partitionem ciuitatum confestim abolitam sequi, quilibet iudicat. Post Tacitum vix vnus illius meminit priscæ diuisionis, argumento plene eam tum exoleuisse. Et primum quidem singularia ciuitatum nomina sola audita sunt. Deinde noua generalia nomina fœderum maiorum successere insignia. Quanto hic est satius contueri Germaniæ gentes, vt decreuimus, ad montes, ad fluuios, ad saltus, sitas; istudque singularum dare historiæ, vt norimus, quæ antiquiora, quæ deinde, quæ postrema fata habuerint, quibusque modo nunc, modo tunc, fœderibus atque societatibus accesserint? Nos sane vltra nihil morabimur, sed continuo nos ad nostrum hoc accingemus negotium.

Cito vetus partitio populorum obsoleuit.

Nostræ methodi noua commendatio.

Iusta distributio totius nostræ de populis Germaniæ commentationis.

XI. Bipartito istud negotium a nobis distribuendum ea cupiunt, quæ superiori loco de finium regionis & nationis differentia docuimus. Primum proinde eas oportebit spectare *ciuitates, quæ in ipsa quondam inter se coluerunt Germania.* Qua expedita materia migrare fines dignum erit, eosque contueri *Germanos, qui extra limites regionis ab omni æuo in peregrino habitarunt solo.* Rursus vero in considerandis prioribus certæ nobis iam regiones erunt definiendæ, per quas iusto ordine maiorum nostrorum visamus sedes: promiscue enim

 &con-

& confuse quælibet tentare, & vage nostram discurrere commentationem, parum profuerit. Et Tacitus quidem, vt eius exquiramus consilium, ad orientem ab occidente ita perlustrauit Germanicas terras, vt cum a septentrionibus semel in meridiem adscenderit, continuo ad septentriones flexa via iterum descenderit; eoque modo quinquies confecto, ita vt dicam, itinere omnis Germaniæ historiam plene absoluerit. Nos eandem prope sequuturi viam, itinerum tamen contrahemus numerum, inuersoque ordine primum a meridie in septentriones descendemus, vt in parte altera possimus in meridiem opportunius adscendere. Cum de cetero Taciti exemplum obeuntis primum solis postea que orientis partes lustrare suaserit, res ipsa docet, bifariam eo modo Germaniæ regionem a nobis diuidendam fore. Prior itaque nobis *occidentalis pars* consideranda erit, quam Rhenus, Danubius, Sala, Albis, atque Oceanus, vndecunque finiunt. *Pars* altera, *quæ adspicit orientem*, cuiusque priori succedet contemplatio, Albi & Vistula, Sala Sarmaticisque montibus, Oceano & Danubio, clausa erit. Ad hanc partem alteram consideratione Scandinauiæ magna fiet accessio. Ad istam enim peninsulam ex Cismarina Sueuia statim pergemus: cum & maxime sit æquum Transmarinam Sueuiam statim coniungere cum altera; insuperque eorum, quæ de Scandinauia poterunt dici, paucitas singularem excludat tractationem. *Historia populorum distributio.*

CAPVT

CAPVT II.

OCCIDENTALIS GERMANIAE AVSTRALIS PARTIS VARII POPVLI.

I.

IGitur vbi Germaniæ nomen a *Danubii atque Rheni confiniis* quondam incepit aperiri, antiquissimi primum *In angulo Germaniæ ad Rhenum & Danubium primi coluerunt Heluetii.*

HELVETII

vsque ad Mœnum fluuium septentriones versus, & Hercynios vsque saltus ad orientem coluerunt. Gallicam fuisse gentem, passim auctores testantur, & olim Rhenum transgressam hunc Germaniæ angulum occupasse. Id factum, cum essent Gallorum res validiores, Tacitus arbitratur, & antiquæ Gallorum gloriæ summum auctorum Iulium testem citat. Opinionem communem sectaturi ex Liuio poteramus transgressioni Heluetiorum tempus omnino idoneum designare. Quod enim Tarquinio Prisco Romæ imperante maximas Gallos in Italiam & propiorem Germaniam fecisse expeditiones ille scribit; veri non esse absimile poterat videri, eodem tempore Heluetios transiisse in Germaniam (*i*). Si quas

An. V. C. CLXIII. Ante C. N. DLXXXVIII.

(*i*) *HELVETIORVM* sedes trans Rhenum, earumque fines, exponit TACITVS *Germ. Cap. XXVIII. Validiores,* inquit, *olim Gallorum res fuisse, summus auctorum diuus* IVLIVS *tradit:* (Tradit id *Bell. Gall. Lib. VI. Cap. XXIV.* vbi eum consulere licet) *eoque credibile est, etiam Gallos in Germaniam transgressos. Quantulum enim amnis obstabat, quo minus, vt quæque gens eualuerat, occuparet permutaretque sedes, promiscuas adhuc, & nulla regnorum potentia diuisas? Igitur inter Hercyniam siluam, Rhenumque & Moenum amnes, Heluetii, vlteriora Boii, Gallica vtraque gens, tenuere.* Idem de Transrhenanis eorum sedibus DIO CASSIVS *Lib. XXXVIII.*

Germani occident. lis parte ſtralis.

de quorum aduentu in Germaniam & genere inquiritur.

quas tunc Germanicas expulere gentes, aut vacuas ab habitatoribus deſertasque reperere terras, id eſt omne ignotum & inexploratum. Imo vero, quantumuis illa a nobis enarrata vulgaris ſententia multos repererit patronos, & prope conſenſione vniuerſorum fuerit adprobata, nondum & hoc eſt exploratum, an ei plene fuerit habenda fides. Heluetiorum antiqui mores, quales Cæſar deſcribit, magis Germanis, quam Gallis conuenire exiſtimari poſſunt. Quis fidem fecerit, dubiam Gallorum vocis acceptionem non impoſuiſſe auctoribus. Potuere antiquitus, cum & Germani Galli vocarentur, Heluetii Gallorum nomine eſſe citati. Protinus ſumtum argumentum, & transgreſſio in Germaniam ſtabilita, cuius ſemel vulgata fama veri demum naturam induit. Quantum etiam ad Gallorum pertinet migrationem, monuimus iam alibi, maximam eam partem, vel ipſis teſtantibus Romanis Græcisque ſcriptoribus Transrhenanis deberi Gallis. Potuere tunc

teſtatur, poſtquam a Cæſare ſuperatos prœlio Heluetios memorauit: οἱ δὲ, οὐκ ἐθελήσαντες τὰ ὅπλα παραδοῦναι, πρὸς τὸν Ῥῆνον, ὡς καὶ ἐς τὴν ἀρχαίαν σφῶν γῆν ἐπανελθεῖν δυνάμενοι, ὥρμησαν. *Quidam arma tradere abnuentes, ad Rhenum verſus perrexerunt; reuertiſſe poſſe in antiquas ſuas ſedes rati.* Occaſio tranſitus & tempus videtur ex LIVIO *Lib. V. Cap. XXXIII. ſeqq.* liquere: ſi ſaltem omnino, quod CÆSAR, TACITVS, STRABO, vno ore dicunt, ex Gallia in Germaniam conceſſerunt, & veri Galli fuerunt. Vid. AVENTINVS *Ann. B. Lib. I. Cap. VI.* CONR. PEVTINGERVS apud CRVSIVM *Ann. Parte I. Lib. II. Cap. V.* & Illuſtris COCCEIVS *I. P. Prolegom.* §. 16. qui pro Germanica Heluetiorum origine contra communem opininonem egregie propugnant. Egregiis finibus Heluetios fuiſſe contentos, iam TACITVS docuit. Ad *occaſum* Rhenus; ad *ſeptentriones* Moenus; ad *orientem* Hercynia fuit ſilua: qua procul dubio Boiohœmici montes ſaltusque ſignantur a TACITO, qui continuo addit, vlteriora Boios tenuiſſe, qui vtique *incinctos Hercynia ſilua campos* ea ætate incoluere, ſcribente VELLEIO *Lib. II. Cap. CVIII.* Ad *auſtrum* Danubio recenti Heluetii prætexti ſunt: licet TACITVS, quod valde deſerta illa tunc ad Danubium eſſet regio, non Danubium in finibus Heluetiorum numerauerit. Hodie ille antiquiſſimæ Heluetiæ tractus continet, *Sueuiam Transdanubianam* totam, *Franconiæ* eximiam partem cis Moenum amnem ſitam; *Palatinatum ſuperiorem* totum; & *Baioariæ* exiguam partem: porro ad Rhenum *inferioris Palatinatus* portionem; *Darmſtadinum territorium;* & pauca *Moguntini territorii*, cis Moenum poſita.

Heluetii.

tunc Germani ab extremis terrarum oris in hunc Germaniæ ſeceſſiſſe angulum; quos, cum Galli paſſim adpellarentur, ceteri Galli Cisrhenani ſibi vindicarunt, & tranſitionem antiquam ſunt commenti. Imo parti demus alteri, linguam euiciſſe Heluetiorum, quibus hac in cauſa addiderimus Boios, Gallicum genus. Nondum ſane erit euictum, vtramque gentem in Germaniam demum eſſe transgreſſam; ſed, vt Germanos multos in vaſta cernemus Sarmatia perſtitiſſe, cum ceteræ eorum cognationes Viſtulam traieciſſent; ita Galli potuere inter Germanos antiquitus habitaſſe, vt tamen Rhenum nec eundo, nec redeundo, ſuperauerint.

Abitus Heluetiorum & eius cauſa atque tempus.

II. Quicquid eſt, nihil placet ſtabilire, ſed aliis permittere, vt rationum contendant pondera, vtrumque Germanis velint antiquos Heluetios adſerere, an eos Gallis relinquere, ipſi iudicent. Sane perquam diu habitatis hiſce regionibus conſtat, eos demum tranſiiſſe Rhenum, & proximis terris *Rhenum inter, Iuramque montem, & lacum Lemanum, Rhodanumque amnem*, inſediſſe. Quando id ſit factum, quæue fuerit aut primæ huius, aut ſi mauis ſecundæ, transgreſſionis

Ant. C. N. Sec. II. circiter.

cauſa? ſcriptorum memorauit nemo. Certe tamen, rem licet ſilentibus auctoribus, iam ante Cimbrorum aduentum in Gallias ibi Heluetios egiſſe, vel inde patet, quod vnus alterque eorum pagus in propinqui belli contra Romanos in Galliis adminiſtrati ſocietatem venerit. Probatur etiam Arioiuiſti Gallica expeditione, iam ante Cæſaris Gallica bella diuerſam nationem in his noſtris terrarum habitaſſe ſpatiis. Niſi enim his in locis Ariouiſtus cum ſuis reſediſſet, vix Sequanos putarim eius fuiſſe imploraturos auxilium. De cauſa tranſitionis non magis hiſtoria habet dicere, vtrum expulſi Heluetii Rhenum migrauerint, an ſpe lautiores in Gallia impetrandi ſedes ſolum verterint? Prius placeret affirmare, ſi Gallicum Heluetiorum genus probatum foret. Tum enim veriſimile futurum erat, Gallicam gentem a Germanis bello

Germani occidentalis pars australis.

petitam, armisque de sedibus priscis depulsam esse. Si Germani erunt Heluetii, alteram stabilierim causam. Semper enim Germani lautiorum regionum fuere auidi, & præsertim propinquæ inhiarunt Galliæ. Suadet etiam Heluetiorum apud Dionem consilium reuertendi in priscam terram, non vi armisque fuisse eos profligatos; tunc enim reuersioni locus relictus non foret: sed sponte potius sua occupasse cis Rhenum commodiores agros. Postquam abiere ex Germania Heluetii, eorum nullum mansit in his partibus vestigium, nisi *Heluetiorum deserta*, quæ ad septentrionale Abnobæ montis latus quæsieris, Ptolemæo celebrata, reputaueris (*k*).

III. Ea-

(*k*) Nouas Heluetiorum sedes infra in Belgica cernemus. In Cimbrico bello fuisse trium Heluetiorum pagorum, *Ambronum, Tigurinorum, Tugenorum*que, validissimas manus, discimus ex CAESARE *Lib. I. Cap. XII.* STRABONE *Lib. IV. & VII.* FLORO *Lib. III. Cap. III.* & aliis auctoribus. Sed fuisse iam tum, quum se Cimbris adiungerent, in Gallico Heluetios solo, id suadet; quod demum ad Cimbros in Galliam excurrentes accessere, & quod, tribus eorum pagis fusis, vix videatur satis animi aut virium reliquis, ad nouam expeditionem mox suscipiendam, superfuisse. Quod de Germanorum perpetua libidine nouas occupandi sedes dicimus, ex Cerialis ad Treueros & Lingonas est oratione apud TACITUM *Histor. Lib. IV. Cap. LXXIII. An vos, inquit, cariores Ciuili, Batauisque, & Transrhenanis gentibus, creditis, quam maioribus eorum patres auique vestri fuerunt? Eadem semper causa Germanis transscendendi in Gallias, libido, atque auaritia, & mutandæ sedis amor: vt, relictis paludibus & solitudinibus suis, fecundissimum hoc solum, vosque ipsos, possiderent. Ceterum libertas & speciosa nomina prætexuntur. nec quisquam alienum seruitium, & dominationem, sibi concupiuit, vt non eadem ista vocabula vsurparet. Heluetiorum deserti* vnus meminit PTOLEMAEUS, & illud circa Nicri Danubiique fontes constituit, ἡ τῶν Ἐλουητίων ἔρημος, μέχρι τῶν εἰρημένων Ἀλπίων ὀρῶν. *Heluetiorum desertum vsque ad dicta Alpium iuga.* Alpes hic designari, quæ a Danubii & Nicri fontibus in orientem versus, iuxta læuam Danubii ripam porrectæ, etiam nunc vulgo dicuntur incolis *die Alben*; iam supra id declarauimus, cum de Germaniæ montibus ageremus. A septentrionibus ergo harum Alpium fuere PTOLEMAEI *deserta Heluetiorum*: nam a septentrionibus PTOLEMAEUS illo loco ad meridiem adscendens primum ad deserta illa, mox ad Alpes, venit. Et errant proinde, qui Martianas siluas, vulgo *den Schwartzwald*, quæ diuersum in latus porriguntur, & male deserta vocatæ forent, de illis PTOLEMAEI solitudinibus interpretantur.

Heluetii.

Qui secundi post Heluetios in eisdem terris habitarint, curate vestigatur.

III. Eadem vero regionum, quas supra definiuimus, spatia statim post discessum Heluetiorum *GERMANOS* occupasse constat. Tanta quippe Germanorum erat vbertas generisque fœcunditas, vt nunquam vasta sufficeret iis continendis patria, nedum in patria tam latos agros incultos diu desertosque reliquissent. Ex his deinde partibus Ariouistum, Germanorum regem, a Sequanis inuitatum Rhenum transgressum esse, multaque suorum millia transduxisse, Cæsar memorat. Et populum eius iamdudum ante Transrhenanam tenuisse prouinciam, quam ipse nouam cis Rhenum quæreret, perquam simul est probabile. Quinam vero iste Germanicus populus, cui Ariouistus præfuit, quem procul dubio alii ante illum reges gubernarunt, quique in Heluetiorum successit locum, fuerit; non parum quidem est opinabile, vt tamen verum rationibus probe subductis quodammodo liceat prospicere. In Ariouisti copiis primi *Harudes*, deinde *Marcomanni*, postea *Tribocci*, *Vangiones*, *Nemetes*, continuo *Sedusii*, postremo *Sueui*, quo Cæsari nomine Catti veniunt, memorantur. Non Cattorum Ariouistum fuisse regem, & populi instituta, & pagorum, quibus Nasua & Cimberius fratres præfuere, ad Rhenum iter, declarant; &, quod res exstitit, auxilia fuisse Sueuorum copias euincunt. Tribocci, Vangiones, Nemetes, iam egere ante Ariouistum cis Rhenum, quo rursus probatur auxiliorum tantum eos fuisse loco, & minime iis Ariouistum imperasse. Reliqui itaque manent Harudes, Marcomanni, Sedusii, quorum regem fuisse Ariouistum, fiet veri admodum simile. Ipse primum Ariouistus Marcomannos & Sedusios videtur transduxisse Rhenum, & orsus esse cum ipsis bellum contra Aeduos. Harudum deinde millia hominum XXIV. ad eum aduentasse, quibus & ipsis, vt ceteris, locum ac sedes parauerit; argumento est idoneo, cum prioribus hosce Ariouisti imperium agnouisse. Adde cognitos Marcomannorum, Harudumque mores suadere, vt ipso-

An. V.C. DCLXXX. Ante C. N. LXXI.

ipſorum potiſſimum Ariouiſtus rex fuerit. Non æque vicinæ Germanicæ ciuitates regii patientes fuere nominis, ac Marcomanni; quibus poſt Ariouiſtum Maroboduus, poſt hunc alii reges, imperarunt. Quodſi autem ſatis eſt probatum, fuiſſe Ariouiſtum illarum regem gentium; cum ſane, quod oſtendimus, ſit neceſſe, eum aduerſam hanc Rheni ripam, de qua inquirimus, non procul a Sequanis cum ſuis coluiſſe: ſimul tum erit veriſimillimum, non alias Germanicas ciuitates deſertos ab Heluetiis agros occupaſſe & habitaſſe, quam aliquoties laudatos

Germaniæ occidentalis pars australis.

MARCOMANNOS, HARVDES atque SEDVSIOS. (l).

Marcomanni, Harudes, Sedusii, noui regionis incolæ;

IV. Primum de nomine *MARCOMANNORVM* non hic inepta fit coniectura, ex pluribus gentibus, præſertim Sueuis Transalbinis, coloniam delectam quondam ad hunc Germaniæ limitem defendendum, poſtquam diſceſſiſſent inde Heluetii, conceſſiſſe; ex eoque animo ſumtum deinceps cognomentum. Arbitrer etiam idem adnomen de propriis Marcomannorum in hiſce agris tacite teſtari ſedibus. Cui limiti muniendo deſtinati fuere milites; vere nimirum omnes Germani milites fuere: ii ſane Rhenum inſederint & Danubium, vtrumque Galliæ Rhætiisque prætextum limitem. Ad Nicrum vsque porrectam Marcomannnorum fuiſſe ſtationem, non aliunde coniicitur, quam quod inter tres ciuitates, quæ priſcas Heluetiorum ad Moenum vsque regiones occupauerant, Marcomannica fuerat validiſſima. Super Nicrum ad Moenum vsque *SEDVSIOS* quæſierim, quod fuere inter copias primum ab Ariouiſto transductas: propioris id Rheno patriæ argumento. Quod demum extremi *HARVDES* aduen-

tripartito videntur regionem diuiſam habuiſſe.

(l) Vide CAESAREM *Bell. Gall. Lib. I. Cap. XXXVI.* ex quo de tempore transitionis Ariouiſti in Galliam coniectura capitur. Conf. *Cap. XXXI. XXXVII. XLIV. & LI.* Triboccos, Nemetes, atque Vangiones, iam ante Ariouiſtum in Gallico egiſſe ſolo, infra oſtendetur.

Marcomanni, Harudes, Sedusii.

uentarunt in Galliam, proprius ad Hercynios montes eorum ſtatuerim regionem; rationibus ductus non quidem manifeſto certis, at probabilibus tamen. Quo ſed magis abſtineo a deſignandis ſingularum ciuitatum peculiaribus finibus; qui noui, quantum ſolis iſtiusmodi coniecturis in antiquis rebus ſit tribuendum (*m*).

V. Vt vero parum conſtat, vbi terrarum ante egerint illæ gentes, & an fortaſſis, quod ſuſpicatus ſum, delectæ fuerint ad vacuos inſidendos agros coloniæ; ita certius de earum expeditionibus reliquis ſcitur, auctorum nempe teſtimoniis comprobatis. Primum in Galliam cum Ariouiſto rege eas

Eorum expeditiones, cum Ario-

tran-

(*m*) Interpretari placet *MARCOMANNORVM* nomen de *cuſtodia limitum*; vt ſint dicti *Marcomanni*, *Marck-männer*, quaſi *cuſtodes*, *defenſores*, atque *propugnatores*, *Germaniæ finium*. Fortaſſis ſi Heluetii ſunt a Germanis expulſi, is ipſe exercitus Germanorum, qui illos debellauit, muniendis terminis reiictus eſt. Validiorem Marcomannos ceteris populum fuiſſe, & nomen ſuadet, & maxime, quod Maroboduus, reliquorum populorum ſuppreſſis nominibus, Marcomannorum tantum rex vocatur, iſtosque cum pluribus, ἄλλους τε πλείους, in Boiohoemum tranſtuliſſe dicitur. vid. STRABO *Lib VII*. VELLEIVS *Lib. II. Cap. CVIII*. TACITVS *Germ. Cap. XLII*. Nec obſtat, quod CAESAR *Lib. I. Cap. LI.* in aciei diſpoſitæ deſcriptione primos Harudes, & altero loco Marcomannos nominauit: ducum enim variæ ſolent rationes eſſe, cur alias atque alias copias collocent in principiis. Sedium tota hæc, quam dedimus, deſignatio coniecturalis eſt; at non improbabilis. CLVVERIVS vero *Germ. Ant. Lib III. Cap. III.* accurate diſpertire iſtis populis regiones, ſed fidenter nimis, conatur. *MARCOMANNIS* tribuit Danubium ad *auſtrum*; Rhenum ad *occidentem*; Nicrum ad *ſeptentriones*; Cocharumque amnem, qui Nicro miſcetur, & Brentium amnem, qui in Danubium excurrit, ad *ortum*. Habuerint adeo *Wurtenbergicum ducatum* totum; *Rhenani Palatinatus* partem inter Rhenum & Nicrum; *Briſgauiam*, & *Sueuiæ ducatus* partem inter fontem Danubii, & amnem Brentium. *SEDVSIIS* adſignat ab *occidente* Rhenum; a *meridie* Nicrum ad Cochari confluentem; ab *ortu* Redonitium & Aeſchium amnes; & a *ſeptentrionibus* Moenum ad Redonitium amnem confluentem: quibus finibus hodieque *Palatinatus Rheni*, & *Franconiæ*, partes ſternuntur. *HARVDES* poſt Marcomannos & Seduſios ad Nariſcorum vsque regionem ponit. Confinium autem Harudum & Nariſcorum a fontibus Moeni ad oppidum Ingolſtadi ducta linea a CLVVERIO conſtituitur: vt Harudes adeo olim complexi ſint *Franconiæ*, ac *Palatinatus ſuperioris*, partes, cum *Norimbergenſi agro*, & *Sueviæ* quadam portione.

uifto in Galliam,

Germaniæ occidentalis pars auſtralis.

AN. V. C. IↃCLXXX. Ante C.N. LXXI.

AN. V.C. IↃCXCV. Ant. C.N. LVI.

AN. V. C. IↃCCXXXIIX. Ant. C N. XIII.

& duce Maroboduo in Boiohoemum; vbi Seduſiorum Harudumque

tranſiuiſſe, ex Cæſare docuimus. Cum & in Gallia ad C & XX millium numerum cum rege agerent, non iam prope mirum, profligatos a Cæſare Heluetios de priſcis ſedibus trans Rhenum repetendis aliquando conſultaſſe: cum tanto enim virorum numero transductæ familiæ facile deſertam prope ab incolis regionem reddidere. Redierunt autem pars ciuitatum magna ad agros ſuos, cum rex Ariouiſtus adminiſtratum cum Cæſare bellum male geſſiſſet. An ſuæ tum calamitati diu ſuperfuerit Ariouiſtus, aut ex accepto, quod Cæſar ſuadere videtur, vulnere mox perierit? coniecturalis eſt quæſtio; & magis alterum, quod quæritur: an Ariouiſto alius rex ignotus ſucceſſerit, vtrum eius gentes libere ad vsque Marobodui dominatum egerint? Maraboduus certe ex Auguſti aula redux inter ſuos occupauit principatum; idemque deinde, cum propinqua terrerent Romanorum, Rhætias Noricumque petentium, arma, in interiora refugere e re ſua exiſtimans, nouas eis perſuaſit ſedes. Incincti Hercyniæ ſiluæ campi a Maroboduo ſunt delecti, e quibus pelleret Boios, & in quos excitam ſedibus ſuis gentem ſuam transferret. Tum occupata Boiohoemo, id regioni iam cum illis temporibus nomen fuit, obliterata ſunt Seduſiorum Harudumque nomina, Marcomannorum ſola gloria illuſtrata. (*n*) De reliquo noſtra

(*n*) Expeditionis Marcomannicæ in Gallias hiſtoria habetur in CAESARE *B. G. Lib. I. Cap. XXXI.* ſeqq. in PLVTARCHI *Vita Caeſ.* in DIONE *Lib. XXXVIII.* qui vero Cæſaris victoriam non admodum extollit laudibus; & in FLORO *Lib. III. Cap. X.* Ariouiſti fugam trans Rhenum CAESAR *Cap. LIII.* memorat: *Ariouiſtus nauiculam deligatam ad ripam nactus ea profugit.* Sed *Lib. V. Cap XXIX magno eſſe*, ait, *Germanis dolorem Ariouiſti mortem, & ſuperiores noſtras victorias.* Plures putant ergo, paulo poſt in Germania Ariouiſtum, ſiue ex vulnere, ſiue ex moerore, obiiſſe. Quidam legunt *fortem*: ſed vulgarem probo lectionem. Credimusne enim, ſi vixiſſet vltra, adeo omnem deſpondiſſe animum Ariouiſtum, vt nunquam vlciſci veteres iniurias eſſet conatus? Poſt Ariouiſtum præter Maroboduum rex alius omnino ignotus eſt. Hunc & eius in Boiohoemum expeditionem optime VELLEIVS & STRABO deſcribunt. Ille *Lib. II. Cap. CVIII. Nihil*, inquit, *erat iam in Germania, quod vinci poſſet præter gentem Marcomannorum; quæ Maroboduo duce excita ſedibus ſuis, atque in interiora refugiens, incinctos Her-*

Marcomanni, Harudes, Sedusii, nostra iterum regio, quam adhuc spectamus, a suis noue deserta habitatoribus primis patuit occupantibus. nomina audiri desierunt.

Tertii regionis habitatores Galli; VI. Dubiæ tum possessionis hoc solum MIXTVM HOMINVM GENVS, ex Gallis levissimum quemque, & inopia audacem, inuasisse scribit Tacitus. Quid Germanos, præter intutam vicinitatem, deterruerit, quo minus in vacuam atque caducam possessionem ipsi inuolauerint? video nihil: nec iudico, vtrum Tacitus Gallorum generali nomine Germanos etiam designauerit? Mea est opinatio, fortassis

cinia silua campos incolebat. - - - *Marobodum genere nobilis, corpore prævalens, animo ferox, natione magis, quam ratione, barbarus, non tumultuarium, neque fortuitum, neque mobilem, sed ex voluntate parentium constantem, inter suos occupauit principatum, & certum imperium vimque regiam complexus animo, statuit, auocata procul a Romanis gente sua, eo progredi, vbi, cum propter potentiora arma refugisset, sua faceret potentissima. Occupatis igitur, quos prædiximus, locis, finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus iuris sui fecit.* STRABO *Lib. VII.* postquam nominasset Βοΐαιμον; *Boiohoemum* vocat VELLEIUS *Cap. CIX.* addito: *id regioni, quam incolebat Maroboduus, nomen, est, hæc addit;* εἰς ὃν ἐκεῖνος τόπον, ἄλλους τε μετανέστησε πλείους, καὶ δὴ τοὺς ὁμοεθνεῖς ἑαυτῷ Μαρκομάννους. ἐπέστη γὰρ τοῖς πράγμασιν, οὗτος ἐξ ἰδιώτου, μετὰ τὴν ἐκ Ῥώμης ἐπάνοδον. νέος γὰρ ἦν ἐνθάδε, καὶ εὐεργετεῖτο ὑπὸ τοῦ Σεβαστοῦ. ἐπανελθὼν δὲ ἐδυνάστευσε, καὶ κατεκτήσατο, πρὸς οἷς εἶπον, Λουγίους, τὸ μέγα ἔθνος, καὶ Ζούμους, καὶ Γούτωνας, καὶ Μουγίλωνας καὶ Σιδίνους, καὶ τῶν Σουήβων αὐτῶν μέγα ἔθνος Σέμνωνας. *In quam regionem tum alios complures ille transtulit, tum populares suos Marcomannos, occupauit namque dominationem priuatus, postquam Roma rediisset: vbi iuuenis vixerat, & beneficiis ab Augusto affectus fuerat. Reuersus autem regnauit; subiecitque sibi, præter iam dictos, Lugiorum magnam gentem, Zumos, Gutonas, Mugilones, Sidinos, & ex ipsis Sueuis magnum populum Semnones.* Tempus, quo Marcomannos Maroboduus duxit in Boiohoemum, ex VELLEIO coniicimus, qui propter potentiora Maroboduum arma refugisse dicit; vnde est opinio, cum Rhæti Noricique vincerentur, Maraboduum vicina metuisse arma. Quidam in Morauia ante Marcomannos constitisse, quam in Boiohoemum concesserint, arbitrati sunt. His vero integra est CAESARIS, atque VELLEII, contraria historia. Quomodo Marcomanni ex Morauia in Gallias ducti? qui Maroboduus procul a Romanis suam gentem auocauit, si in Boiohoemum eam duxit, propinquiorem tunc Romanis prouinciam, quam erat Morauia. Ergo ab Rheno, quod Rhætia vinci cœpisset, in Boiohoemum abiit, vbi procul a Romanis, nam nondum Noricum Romanis tum parebat, sua fecit arma, quod ait VELLEIVS, potentissima.

inter quos cum aliis maxime videntur Boii exsules fuisse.

Germania occidentalis pars australis.

tassis *Boios* exsules, & egenos, adeoque audaces inopia, concessisse cum aliis in eorum agros, a quibus suis ipsi fuere expulsi. Nemo nimirum nouit, quo abierit valida natio: & ab imperio, non a sedibus, eam esse depulsam, qui Marcomannorum ceterarumque ciuitatum considerauit magnitudinem, crediderit nemo. Interim nec dissenserim, si qui ***Rauracos***, ***Sequanos***, ***Heluetios***que, trans Rhenum migrasse, incultos occupatum agros, statuerint; quæ saltem gentes illi fuerint alii, cum quibus Boios vacuam videri insedisse regionem, modo monui. Boios non esse nominatos, vt hoc adiiciam dictis, non id valde meam conuellit coniecturam. Cum enim aliquo eos profugisse sit necesse, nec id indictum ab auctoribus inueniamus, quid mirum videtur, hoc eos loco transmissos esse silentio? cum fortassis eorum tantummodo pars hanc fugæ viam elegerit, nec soli, sed cum Gallis aliis, quorum non minus nomina Tacitus siluit, venisse existimentur in illam possessionem (*o*).

VII. Ce-

(*o*) Dicit TACITVS *Germ. Cap. XXIX. Non numerauerim inter Germaniæ populos, quanquam trans Rhenum Danubiumque consederint, eos, qui Decumates agros exercent. Leuissimus quisque Gallorum, & inopia audax, dubiæ possessionis solum occupauere. Mox limite aucto, promotisque præsidiis, sinus imperii & pars prouinciæ habentur. Vltra hos Catti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant.* Primum ex his probe consideratis patet, Heluetiorum sedes, quas Marcomanni deinceps insedere, hic *GALLIS* tribui: vt frustra adeo RHENANVS, aliique sint interpretes soliciti, vbi hanc Gallorum regionem, & an ad inferiorem Rhenum, Frisiorumque paludes, verum alio in tractu, eum constituerint? Clare dicit TACITVS: vltra hos Gallos Cattos agere: diserte vocat sinum imperii; & Danubium Rhenumque coniungit; vt nemo non sensum TACITI facile agnouerit. Posse illos Gallos recte a TACITO trans Rhenum Danubiumque simul poni, Geographiæ perito, quicquid LIPSIVS contra senserit, nulli est dubium; cum saltem TACITVM in Italia historiam scribentem respexerit. Quid sit, *decumates agros exercere?* commode ad TACITVM LIPSIVS exposuit; vt modo ea eius opinio mutetur, qua censuit, milites ex his agris decumas soluisse; cum non milites, sed Galli, dubii soli possessores, promotis præsidiis ad soluendas decumas fuerint adstricti. Eosdem Gallos STRABONEM *Lib. VII.* intelligere certum videtur, dum dicit: *Προσάρκτια μὲν οὖν ἐστι τῷ Ἴστρῳ τὰ πέραν τοῦ Ῥήνου καὶ τῆς Κελτικῆς. ταῦτα δ' ἐστὶ τά τε Γαλατικὰ ἔθνη, καὶ τὰ Γερμανικὰ μέχρι Βασταρ-*

Mixtum hominum genus, VII. Cetera terras hasce Romanorum dominatio, quam Marcomanni reformidauerant, paulo post eorum abitum oppressisse videtur. Qui nempe vagi conuenæ, mixtæque gentes, inopes præterea & calamitosæ, sustinendæ Romanæ vi, cui Galliæ cesserant, Rhætiæ, Noricumque, propinquæ prouinciæ, exstitisse pares? quin potius ipsos se dedidisse Romanis, eorumque in fide & clientela maiorem sperasse securitatem, existimarim. Actum tum Romani imperii limitem, Tacitus gloriatur; promotisque præsidiis sinum imperii & partem prouinciæ hanc regionem esse habitam: ipsos & incolas decumates agros exercuisse. Si quando tum maxime, quasi in prouincia, vrbes & castella a Romanis esse condita adseuerauerim. Postquam enim Alemannicum hic surrexit nomen, nunquam tanti fuere Romanorum victoriæ, vt libere in hostico versari, arcesque exstruere, potuerint. Demus ita, reparatas deinde aliquoties veteres esse munitiones, saltem primum eas positas non alio, quam hoc, tempore firmiter contenderim. Non ante vero aut ab Heluetiis, aut a Marcomannis, iustas vrbes esse locatas, qui vnquam veterum Germanorum morem ex auctoribus accepit, ipse colliget (*p*.)

Tunc regio pars prouinciæ facta est, & plurimis vrbibus atque castellis frequentata.

IIX. Vrbium arciumue earum, quas boni auctores memorarunt, pars situm habent parum controuersum, nominaque antiqua quædam hodieque illis locis sitæ vrbes imitantur; pars finibus parum designatis positæ, admodum eruditorum inge-

Controuersa positio vrbium atque arcium quarum.

rum. *Ab Istro septentriones spectant, quæ sita sunt vltra Rhenum & Galliam; Et sunt Gallicæ gentes, ac Germanicæ, ad Bastarnas vsque.* Quod de Boiis disseruimus, totum opinabile est. VELSERVS *in Rebus Boic. Lib. II. fol. LXI.* Boios de regno deiectos, non regione depulsos, esse, arbitratus est: sed minime eruditis sententiam probauit.

(*p*) Ex TACITO hæc iam omnia clara sunt. Vrbes a Romanis eo æuo, cum hæc regio pars haberetur prouinciæ, locatas esse, parum quispiam dubitauerit. Heluetiis quidem CAESAR *Lib. I. Cap. V.* adsignat oppida duodecim: sed non constat, trans etiam Rhenum quasdam ab iis conditas esse vrbes; imo, si condidissent aliquas vrbes, *Marcomannorum consuetudo tectum non subeundi*, secundum CAESAREM *B. G. Lib. I. Cap. XXXVI.* haud dubie excidium oppidorum attulisset.

rundam Romanarum. ingenia exercuerunt. Ex his *Lupodunum* est Ausonii, quod vir quidam eruditus quam plurimis argumentis Nicri prope confluentis dextræ ripæ vindicare conatus, raram doctorum adprobationem & adsensum meruit: cum omnia doceant manifesto, non procul ab Argentaria vrbe, propeque Danubii fontes, antiquum fuisse situm Lupodunum. Est ex iisdem *Traiani castellum*, eius adpellatum nomine; quod in solo Alemannico, aut tum potius adhuc Gallico, Traianum condidisse, dudumque deiectum & vastatum Iulianum deinceps tumultuario studio reparasse, memoriæ prodidit Ammianus. Et plurimi quidem negant istud castellum in hoc solo quærendum esse, atque in Tauno monte super vestigia præsidii Drusiani & Germaniciani esse positum, contendunt; vt prorsus tamen sint frustra, & ditioni, ripæ sinistræ Moeni adsitæ, illud omnino relinquere cogantur, licet nemo vltra verum istius arcis situm valeat ostendere (q). Porro est positionis non minus *Germaniæ occidentalis parti australi.*

(q) FREHERVS *in Palatinis Orig.* & in eo *libro*, quem priuatim *de Lupoduno* conscripsit, nomen hoc de *Ladenburg* oppido interpretatus est, multisque argumentis, sed quæ omnia CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. III. Cap. IV.* copiose confutauit, suam probare sententiam est conatus. Fauet autem CLVVERIO ipse AVSONIVS *Mosella Vers.* 423.

Hostibus exactis Nicrum super & Lupodunum,
Et fontem Latiis ignotum annalibus Histri:

& illius tuetur opinionem, qua contra FREHERVM *Lupodunum* monstrat in vico arceque *Lupff*, VII millibus passuum ab fonte Danubii versus occidentem dissita. Quid enim attinnit, victorias Gratiani de Alemannis ad Argentuariam, & trans Rhenum circa Nicri Danubiique fontes, partas narrando, Lupodunum nominasse, C circiter millibus passuum ab Argentuaria, totidemque ab fonte Danubii, dissitum; si saltem Ladeburgum esto verum Lupodunum? Non vero ea expeditione, ad quam respexit AVSONIVS, Gratianum ad inferiorem Nicrum, nedum ad confluentem eum cum Rheno, accessisse, clare testatur AMMIANVS *Lib. XXXI. Cap. X.* vbi illam describit expeditionem & victoriam. Quæ difficultates omnes abeunt, si *Lupff* castrum, cui & nomen *Lupoduni* elegantius quam Ladenburg vrbi conuenit, Lupodunum AVSONII interpretamur. De *Traiani castello*, a *Juliano* reparato, lis est CLVVERIO *Cap. VII.* cum aliis eruditis viris. CLVVERIVS idem castellum a Druso positum, a Germanico instauratum, rursumque a Traiano restitutum, & ab Juliano reparatum, existimat; quærendumque esse in Tauno monte. Vid. TACITVS *Ann. I. Cap. LVI. Ann. XII. Cap. XXVIII.* Sed

[illegible] minus dubiæ *Valentiniani castellum*, quod magno ille impensoque labore contra Nicri fluminis rapiditatem olim defendit: nec, & hoc loco plurima silentio dissimulante Ammiano, quidquam proficiunt, qui ad confluentes Rheni atque Nicri istud munimentum quæsiere; cum magis diuersæ Nicri ripæ dicta ab Ammiano conueniant, quam confluentibus. Denique quasdam notas arcium a Romanis in nostris, quos spectamus, agris quondam exstructarum passim adparere, nemo diffitebitur, cui exempla cognita sunt. Attamen & in iis confestim definet quæuis industria, cum frustra sit longa sepulta obliuione, & quorum nulla vsquam exstat memoria, protrahere ad lucem & declarare (*r*).

ex AMMIANO, qui Traiani castellum a Juliano reparatum ostendit, errationem CLVVERII cum alii ostenderunt, tum præsertim CELLARIVS, insigne Fridericianæ nostræ quondam decus, declarauit *Geogr. Ant. Tomo I. Lib. II. Cap. V. pag. 475.* AMMIANVS *Lib. XVII. Cap. I.* tradit; *post Argentoratensem pugnam* Julianum *Magontiacum petisse, ac flumine pontibus constratis transmisso, occupasse terras hostiles, & noctu nauigiis modicis & velocibus octingentos imposuisse milites, qui sursum versum decurso egressi, quidquid inuenire potuerint, ferro violarent. Hanc rem perculisse animos Germanorum, vt trans Moenum nomine fluuium, ad opitulandum suis necessitudinibus amolarent. Emensa æstimatione decimi lapidis, cum prope siluam venissent squalore tenebrarum horrendam, obstructu semitis obiecto robore & ilicibus incisis; gradi cauti retro constituerunt. Et dum nullus obsisteret, munimentum, quod in Alemannorum solo conditum Traianus suo nomine voluit adpellari, dudum violentius oppugnatum, tumultuario studio reparatum est.* Quibus rite expensis nemo potest, quin contra CLVVERIVM sentiat, & in sinistra ripa Moeni castellum Traiani quærat. Putamus & enim, transmissurum fuisse illud AMMIANVM silentium, si idem iam olim Drusus & Germanicus condidissent castellum?

(*r*) *Valentiniani castellum* describit AMMIANVS *Lib. XXVIII. Cap. II. Cum reputaret* (Valentinianus) *munimentum celsum & tutum, quod ipse a primis fundarat auspiciis, præterlabente Nicro nomine fluuio, paulatim subuerti posse vndarum pulsu immani, meatum ipsum aliorsum vertere cogitauit: & quasi is artificibus, peritis aquariæ rei, copiosaque militis manu, arduum est opus adgressus. Per multos enim dies compaginatæ formæ e roboribus, coniectæque in alueum, fixis refixisque aliquotiens prope ingentibus stilis, fluctibus erectis confundebantur, auulsæque vi gurgitis interrumpebantur. Vicit tamen Imperatoris vehementior cura, & morigeri militis labor, mento tenus dum operaretur, sæpe demersi: tandemque, non sine quorundam discrimine, castra præsidiaria, inquietudine vrgentis amnis*

Vrbes atque castella certioris situs; ad Rhenum;

Germaniæ occidentalis pars australis.

IX. Quæ vero loca communiter eruditi confirmant interpretando, quorsum singula pertineant, maximam partem ad Rhenum Danubium atque Nicrum fluuios inueniuntur. Ad Rhenum *Budoris* villa apud Ptolemæum est; eiusque nominis reliquiæ in quodam oppido hodieque spectantur. *Mons Brisiacus* legitur apud Antoninum, & vetus munimentum haud dubie clarissimæ vrbi, quæ iam est, diuersaque proximis abhinc bellis fata vidit, adnomen initiaque dedit. Ex Imperii etiam Notitia, quæ *Brisigauos milites* memorat, videtur liquere, propinquam vrbi ditionem iam olim apud Romanos *Brisigauia* nomine notatam esse. *Vtunta* supra Brisiacum montem locus nominatus fuerit, cum Antonini iter secundo flumine Vtuntis Brisiacum montem ducat. *Sanctio* Ammiani oppidum ex aduerso Rauricorum agri exstitit; indeque in præsenti oppido similis nominis, & situm, & vocabulum, veteris Sanctionis facile agnoueris (s). Danubii, Nicrique, flumi-

exemta, nunc valida sunt. Multi hoc castellum de oppido *Manheim*, quod est ad Rheni Nicrique confluentes, interpretati sunt. Cum vero AMMIANVS sileat confluentes Rhenum & Nicrum, quod vtique facturus non videbatur, si prope eos conditum fuisset castrum; quod & nihil sit in AMMIANO, quod non æque aliis Nicri ripis conuenire possit: saltem idoneis argumentis illa auctorum opinio destituitur. FREHERVS *in Palat orig.* plura Romanarum arcium vestigia in illa, quam Nicer abluit, regione curiosa admodum opera inuestigauit: eis autem percensendis operam collocare nolumus.

(s) *Budorgis* apud PTOLEMAEVM *Lib. II. Cap. XI.* ex CLVVERII interpretatione est *Buriach*, in *Badensi* territorio, haud procul Durlaco. MENSO ALTINGIVS *in* PTOLEMAEI *tabulæ expositione*, monstrat *Budorgim* ex PTOLEMAEI numeris trans Viadum locari, & claro Silesiæ oppido, *Oppeln* haud male conuenire: prorsus adeo hic a CLVVERII alienus sententia, vt fere in omni vrbium a PTOLEMAEO indicatarum reliqua positione. *Mons Brisiacus* bis in *Itineribus* ANTONINI nominatur;

Rauracis	*Visontione*
Artalbino XVIIII.	*Velatuduro XXII.*
Vruncis XXII.	*Gramata. XIX.*
Monte Brisiaco XXIIII.	*Larga. XXV.*
Helueto XXVIII	*Vtirentis XVIII.*
Argentorato. XXIX.	*Monte Blusiaco XXIV.*
	Helueto XX.
	Argentorato XXX.

Hodie, quod nemo dubitat, est oppidum, apud dextram Rheni ripam monti rotundo impositum, vulgari vocabulo *Brisach*. In NOTITIA *Imperii, de auxiliis Palatinis LXV. Magistri peditum præsentalis per Occidentem*, occurrunt *Brisigaui seniores*, & *Brisigaui iuniores*. PANCIROLLVS ait,

[illegible] fluminum itinera primum olim *Lentium* illuſtrauit, a quo Lentienſes, Alemannorum ille celebris pagus, adpellati fuere; & cuius hodieque ſitum & vocabulum vicus quidam in Danubii ripa haud longe ab eius ortu oſtendit. *Samulocœnin* Tabula, & *Alcimœnin* eodem terrarum tractu Ptolemæus, citauit; ignarumque eſt, vtrum vocabulum magis minusque correctum ſit. Ipſe locus celebris nunc oppidi, quod vulgo *Vlma* vocatur, ſitui ex iudicio eruditorum conuenit. *Flauias aras* inter Brigobannam & Samulocœnin medias Tabula, itemque inter Alcimœnin & fontes Danubii medio loco Ptolemæus, conſtituit; cui poſitioni ex coniecturis doctorum *Auracum* Sueuiæ oppidum creditur reſpondere. Ad Nicrum denique *Solicinium*, prope quem locum inſigni Valentinianus contra Alemannos victoria eſt potitus, repereris: etenim cum ſitu caſtrenſe iter ab Ammiano deſcriptum, & cum nomine

ad Danubium;

ad Nicrum;

Briſigauos eſſe Germaniæ populos inter Heluetios & Sueuos, quorum metropolis eſt Friburgum: idque recte de poſtera ætate. Non videtur tamen improbabile, antiquo iam æuo regioni, in qua Mons Briſiacus eſt, *Briſigaviæ* nomen fuiſſe; vt inde militum Briſigauorum nomen ſit acceptum; niſi iis copiis nomen id inditum, quæ in præſidio Montis Briſiaci fuerunt, non quæ ex Briſigauia fuerunt oriundæ. *Vruncæ*, hodie vicus *Zunzen*, inter Baſileam & Briſacum medio fere itinere, putantur eſſe; nominique vici vetus vocabulum, quod ex *Vruncis*, & *Vtirentis*, recte CLVVERIVS integritati reſtituit, reſpondet, & rem præcipue itinerum probant numeri. *Sanctio* eſt apud AMMIANVM *Lib. XXI. Cap. III Didicit* (Julianus) *Alamannos a pago Vadomarii exorſos: vnde nihil poſt ictum fœdus ſperabatur incommodum, vaſtare confines Rætiis tractus: nihilque ſinere intentatum manus prædatorias fuſius diſcurrentes. Quodne diſſimulatum rediuiuas bellorum materias excitaret; Libinonem quendam Comitem cum Celtis & Petulantibus miſit hiemantibus ſecum, negotium, ut poſcebat ratio, correcturum. Qui cum mature prope oppidum Sanctionem veniſſet, longe viſus a barbaris, qui iam certamina meditantes ſeſe per valles abdiderant.* Eſſe oppidum *Seckingen*, in dextra ripa Rheni ex aduerſa Raurici agri ſitum, inde eruditi conſtituunt; quod doceat AMMIANVS, Vadomarii regnum contra Rauracos fuiſſe ſitum, & quod conſueuerint plerumque Romani apud Auguſtam Rauracorum Rhenum tranſire.

mine nomen oppidi ad Nicrum, adprime putatur conuenire (*t*).

Germani. occidentalis pars australis.

Romanæ ditionis & vrbium modo considerata- rum fata.

X. Præterea vrbes atque castella, quæ spectauimus, donec Romani sinus imperii & prouinciæ pars hæc tellus haberetur, satis frequentata esse existimauerim. Quam autem primum euersa hic Romana dominatione ad Germanicam ciuitatem regio rediisset, dirutas esse munitiones, desertas ab incolis, aut omnino vastatas, vrbes ex Germanorum ingenio facile collegerim. Vsi interim sunt Romani nominibus, locaque designarunt, & quoties fortuna ferret, arces reædificando, renouandoque veteres colonias, & deducendo nouas, priscam tentarunt prouinciæ formam. Quam ast leue breueque gaudium Romani fuerit populi, perque barbaros, quod Romanis formidolosissimum nomen exstitit, continuo illicoque interclusum, alio loco vetus nostri populi historia exponet. Nos indicatam modo quartam vicissitudinem atque mutationem, quam inter Rhenum recentemque Danubium intersita habuit regio, iam persequi properamus.

Quartam regionis

XI. Excidit igitur Roma nondum bis centum annorum pos-

(*t*) *Lentium* vetus CLVVERIVS interpretatur de vico *Leitz*, in ripa Danubii infra oppidum *Friding* sito. Pagus Alemannorum *Lentiensis* valde AMMIANO celebratus est; sed eum infra vide. Ἀλκιμοεννὶς, *Alcimoennis* apud PTOLEMAEVM, a CLVVERIO accipitur pro *Samulocoeni* in tabula; cuius hæ rationes;

Vindomissa
Tanedone VIII.
Juliomago XIIII.
Brigobanne XI.
Aris Flauis XII.
Samulocoenis XIIII.
Grinarione XXII.
Clarenna XII.

Vlmam notari vtroque nomine plerique contendunt. Contra ALTINOTIVS, ad PTOLEMAEI tabulam, incidere ostendit PTOLEMAEI numeros in locum *Altmul*, pone quem fluuius cognominis misceatur Danubio. *Aras* autem *Flauias*, quæ a PTOLEMAEO Βωμοὶ Φλαούιοι nuncupantur, idem declarat, adprime *Vlmæ* vrbis situi conuenire: & sic æque commode itinerum conspirare rationes. CLVVERIO *Aurach* placet de Flauiis aris interpretari. *Solicinium* bis memorat AMMIANVS *Lib XXVII. Cap. X.* & *Lib. XXX. Cap VII.* Quibus perspectis AMMIANI locis decreuit CLVVERIVS, oppidum ad Nicrum amnem *Sultz*, fortassis olim *Sultzen* dictum, vetus omnino referre Solicinium.

Alemanni. possessione, quam habuerat, prouinciæ. Tempus amissæ ditionis, quantumuis silentibus scriptoribus, illud designarim, quo Marco Antonino imperante, pauloque ante, Germanicæ trans Danubium gentes ad Romani imperii communem oppugnationem conspirauerant. Tum maxime vastata hæc, quam vsque huc obtinuerant Romani, prouincia; tum dirutæ vrbes & excisæ, quas in finibus exstruxerant: tum denique credo Romanæ clientelæ aut vi armisque expulsæ, aut ad victores Germanos metu traductæ sunt. Populos nouos horum agrorum colonos varii generis, præcipue tamen Sueuici, exstitisse coniicio. Cum enim omnes Germanicæ ciuitates, & eas inter Sueuicæ potissimum gentes, commune administrassent bellum, adeoque communibus armis prouinciam occupassent; Sueuis quidem videntur potiores cessisse agri, vt tamen nec reliquis nationibus occupationis potuerint inuideri præmia. Ex hoc promiscuo varioque nouorum incolarum genere adsumtum iudico & acceptum nomen nouum

An. CLXVI.

Vicissitudinem magna Germ. gentium; conspiratio Antoninæo æuo dedit.

Alemanni noui incolæ.

ALEMANNORVM;

quod paulo post eam ætatem auditum, plurimisque gloriæ insignibus confestim deinde præ omnibus prioribus huius regionis habitatoribus illustratum est (*u*).

XII. Plu-

(*u*) Vt a Sueuica coniuratione contra Romanos, initia amissæ Romanorum trans Rhenum, recentemque Danubium, possessionis, nouique conditi Alemannici fœderis, capiamus, suadent IVL. CAPITOLINVS, EVTROPIVS, & PAVLVS OROSIVS. Prior *in Vita Antonini Cap. XXII. Gentes omnes*, inquit, *ab Illyrici limite vsque Galliam conspirauerant, vt Marcomanni, Narisci, Hermunduri, & Quadi, Sueui, Sarmatæ, Latringes, & Buri: hi aliique cum Victoualis, Sosibes, Sicobotes, Rhoxolani, Bastarnæ, Alani, Peucini, Costoboci.* EVTROPIVS *Lib VIII. Cap. VI.* de Antonino ait: *Bellum Marcomannicum confecit: quod cum his Quadi, Vandali, Sarmatæ, Sueui, atque omnis barbaria commouerat.* OROSIVS *Lib. VII. Cap XV. Cum insurrexissent gentes immanitate barbara, multitudine innumerabiles, hoc est, Marcomanni, Quadi, Vandali, Sarmatæ, Sueui, atque omnis pene Germania.*

Inuestigatio nominis eorum; XII. Plurima sunt, quæ de illis Alemannis hoc loco merentur accuratius inquiri; nomen inquam, genus, ætas, fines, pagique. Adpellati sunt *ALEMANNI* a diuersis auctoribus *Allemanni*, *Alamanni*, *Alemani*, & *Alambani*; quolibet diuerse Germanicam haud dubie vocem ad latinæ græcæque linguæ formam flectente. A *Lemano* eos *lacu* nominatos esse, quibusdam, sed minus apte commodeque, cum primo tempore minime regionem, in qua ille est lacus, coluerint, visum est. Non magis vero rem tetigere, qui *Lemannum* seu *Almonam*, fluuium, qui in eorum finibus intrauit Danubium, interpretati sunt cognomentum dedisse Alemannis. Magis enim cum historia conuenit Asinii Quadrati, quam Agathias memorat, interpretatio, ortum esse vocabulum, quod *conuenæ ex variis ciuitatibus* fuerint *Alemanni*; quam vt mereantur aliorum audiri coniectationes. Vocari eosdem Alemannos modo *Germanos*, modo *Sueuos*; id genus eorum originemque testatur. Quippe, quod supra testati sumus, ex Germanis conuenæ Alemanni fuere, adeoque vere Germani; qui clientelis Romanorum Gallicis oppressis tutam sibi prouinciæ pararunt possessionem. Errant proinde, multumque veræ eius temporis historiæ neglectione labuntur, qui in Gallicis nostræ regionis colonis ipsos passim quæsiere Alemannos. Mirum & est, quam hi se torqueant, quidue in bonis moliantur auctoribus, cum Sueuorum nuncupationem Alemannis cessisse repererint: quam alii menda suspicentur librariorum; alii præiudicatam auctorum incusent opinionem, cetera. Melius nos Sueuicam habemus adpellationem, Sueuicæ contra Romanos conspirationis probe gnari; nec ignari, eam demum veram propriamque Alemannicæ ciuitatis, Rhe-

Germaniæ occidentalis pars australis.

itemque generis;

Licet enim Antoninus pluries vicerit Marcomannos, & socias gentes, ab eo tamen æuo trans Rhenum Romana non vltra potuit consistere dominatio: sed Germanis cessit victoribus, quæ adhuc prouinciæ pars habita erat. Paulo etiam post semper Germani coluisse ad recentem leguntur Danubium: donec omnino Alemannicum iisdem in regionibus consurgeret nomen.

Alemanni. Rhenum inter recentemque ortæ Danubium, esse originem (*x*).

XIII. De-

(*x*) Plurimum reperetis *ALEMANNORVM* nomen. *Alamannos* vocant EVTROPIVS, AMMIANVS, VICTOR, semper fere. Græcis sunt Ἀλαμανοὶ, &, qua voce DIO vtitur, Ἀλαμβανοί. A *Lemano lacu* male Alemannorum nomen a quibusdam deriuatur. Vid. LAMBECIVS *Biblioth. Cæs. Lib. II. Cap. VI.* Nequeo hoc loco silentio præterire ingentem, qui in *Introductionem ad medium æuum* irrepsit, errorem, per quem *auctor pag. 155.* probabile esse, vt lacus *Lemanus* ab *Alemannis* demum nomen acceperit, arbitratus est; suæque adeo certus sententiæ, notauit CELLARIVM, quod in *Galliæ tabula* nomen lacui addiderit, cum istud soli medio æuo fuerit cognitum. Euoluisset modo CAESAREM *Bell. Gall. Lib. I. Cap. II.* vbi is, *Vndique*, ait, *loci natura Heluetii continentur; vna ex parte flumine Rheno latissimo atque altissimo, qui agrum Heluetium a Germanis diuidit; altera ex parte monte Iura altissimo, qui est inter Sequanos & Heluetios; tertia*, LACV LEMANO, *& flumine Rhodano, qui prouinciam nostram ab Heluetiis diuidit.* Et sane facile ab iniquo abstinuisset iudicio; contra quod modeste defendere beatum meum, & post fata venerandum, præceptorem CELLARIVM hoc loco visum est. De fluuio *Almona* supra dictum est. IS. PONTANVS *Orig. Franc. Lib. II. Cap. II.* non improbabile sibi videri ait, ab illo flumine natum Alemannorum nomen esse. Probamus ASINIVM QVADRATVM, ad quem AGATHIAS *Lib. I. Hist.* prouocauit. Οἱ δὲ Ἀλαμανοὶ, εἴγε χρὴ Ἀσινίῳ Κουαδράτῳ ἕπεσθαι, ἀνδρὶ Ἰταλιώτῃ, καὶ τὰ Γερμανικὰ ἐς τὸ ἀκριβὲς ἀναγραψαμένῳ, ξυνήλυδές εἰσιν ἄνθρωποι, καὶ μιγάδες. καὶ τοῦτο δύναται αὐτοῖς ἡ ἐπωνυμία. *Alemanni autem, si Asinium Quadratum sequi licet, hominem Italum, & qui res Germanicas accurate conscripsit, conuenæ sunt, & miscellanei homines: quod & adpellatio eorum lingua indicat.* Nempe *All* omnem significat, & *Mann* hominem: vnde vocabulum factum *die Allmänner*, siue *die Allemannen*, quasi dicas *multitudinem hominum vndique collectam.* CLVVERIVS *Cap. IV.* eosdem *Gallos*, quos ante vidimus, pro *Alemannis* accipit; ideoque TACITI descriptionem; *leuissimus quisque Gallorum, & inopia audax, dubiæ possessionis solum occupauere:* commode ait in ASINII quadrare nominis Alemannorum expositionem. Summum illum nostræ veteris geographiæ auctorem passim plures sequuti sunt, sed cum duce per non leuem lapsi sunt errorem. Nititur eo CLVVERIVS argumento, quod Germanos ab Alemannis distinxerint veteres scriptores. FL. VOPISCVS *in Probo Cap. XII. Testes Germani & Alemanni, longe a Rheni submoti littoribus.* EVSTATHIVS in DIONYSIVM ALEX. ait; Τοὺς Γερμανοὺς, οἷς οἱ Ἀλαμανοὶ πρόσχωροι, λευκὰ λέγει φῦλα. *Germanos, quibus Alamani sunt contermini, candidas ait esse gentes.* STEPHANVS *in Geogr. Lexico:* Ἀλαμανοὶ, ἔθνος Γερμανοῖς πρόσχωρον. *Alemanni gens est Germanis finitima.* Sed, quam præcipuum, quod mox videbimus, argu-

XIII. Detegemus autem commode fontem erroris, [*Germaniæ occidentalis pars australis.*] quo inducti quidam cum Gallis nostros Alemannos commiscuerunt, dum porro iam in certam horum inquiremus [nec non veræ ætatis;] ætatem. Scilicet sunt nonnulli arbitrati, Asinium Quadratum,

mentum eius prorsus est vitiosum, tam hoc, quod ex istis auctorum testimoniis petiit, leue est & infirmum. VOPISCVS ita dicit: *Testes Franci inuiis strati paludibus; testes Germani & Alemanni, longe a Rheni submoti littoribus.* Num ergo & *Franci* non sunt *Germani*, quia distincti ab eis Germani nominantur? Sed adde, eundem VOPISCVM, vbi Alemannicas clades *Cap. XIII. XIV. XV.* memorat, semper Germanos eos, & prouinciam ipsam vocare *Germaniam.* Adde solennem esse panegyricorum veterum formulam, vt a *Germanis Francos* distinguant, & ab iisdem *Alemannos:* quod vtrumque nomen iam foret magis illustratum, quam vt modo communi adpellatione, quæ complectebatur minores gentes, comprehenderetur. Nunc vero vnum atque alterum audi testimonium scriptorum, qui diserte *Alemannos Germanos* vocarunt. DIO *Lib LXXVIII.* in Caracallæ rebus gestis ait: Ἐπολέμησε καὶ πρὸς τοὺς Κέννους Κελτικὸν ἔθνος. *Bellum etiam gessit aduersum Cennos, Celticam gentem.* Cennos vocari DIONI, qui VICTORI, eiusdem victoriæ scriptori, sunt Alemanni, nemo dubitat; cum maxime excerpta DIONIS, ab HENR. VALESIO edita, diserte in eiusdem expeditionis Caracallæ descriptione, γυναῖκες τῶν Ἀλαμβανῶν, *mulieres Alambanorum,* & earum virtutem, memorent: sed nec vltra quispiam de eo ambigit, Κελτικὸν ἔθνος, pro *Germanica gente* a DIONE accipi. VOPISCVS *in Proculo* dicit: *Alemannos, qui tunc adhuc Germani dicebantur, non sine gloria splendore contriuit.* Nempe postea proprio nomine dicti Alemanni, cum mereri videretur nomen, vt eximerentur communi Germanorum nomine. MAMERTINVS *Paneg. Maximiani Cap. IX. Ingressus est, inquit, nuper illam, quæ Rætis est obiecta, Germaniam.* At quæ erat illis obiecta regio, nisi Alemannia? Horum similia plura præsto sunt testimonia; sed non iis causa indiget. *SVEVOS* passim *Alemannos* dictos esse, accepimus iam olim ex AVSONIO *Epigr. III. IV. & Edyll. VIII. Vers. 29.* cui poeta alius CLAVDIANVS, persæpe Sueuorum vocabulo, vt Alemannos notaret, vsus, consentit. PAVLVS DIACONVS *Lib. III. Cap. XVIII. de gestis Longob. Iste,* ait, *ex Suauorum,* hoc est, *Alemannorum, gente oriundus.* Et idem *Lib. II. Cap. XV.* dixerat: *Inter hanc* (Liguriam) *& Suauiam, hoc est, Alemannorum patriam, quæ versus septentrionem est posita, duæ prouinciæ, id est, Rhætia prima & secunda, inter Alpes consistunt.* Ex sequentis æui scriptoribus plurima liceret testimonia colligere, si iis videretur opus esse. CLVVERIVS *Germ. Ant. L. III. Cap. IV. & XXVIII.* errorem auctorum poëticamque licentiam, hic incusat: sed prorsus cum reliquis interpretibus frustra est. Quanto sed commodius nos illos auctores explicamus, quibus Sueuica Alemannorum origo clarissime modo perspecta est.

Alemanni. tum, veræ nominis Alemannorum notationis interpretem, adhuc ante Strabonem floruisse, a quo quippe in diuerso fuerit laudatus argumento. Hæc si ætas Asinii fuerit, sane nomen Alemannorum in ipsum Augusti incideret seculum: qui enim potuisset Asinius res scribens Germanorum futura quarundam ciuitatum nomina diuinare? Quodsi vero Augusti iamdum æuo Alemannorum in nostra regione nomen est auditum, fieri profecto non potuerit, quin mixtum illud hominum genus, quod statim post Marcomannos in eam immigrauit, Alemannorum cognomentum acceperit. Gallos fuisse illos conuenas, Tacitus memorauit; adeoque optimis rationibus Gallicum Alemannorum esse probatum genus, illi felices obscurarum rerum coniectores rati sibique gratulati sunt. Quam sed hi inique suas vno ictu prostratas argumentationes laturi sint; vno tamen impetu quæuis corruunt, cum veram Asinii ætatem indicauerimus, & cum ea nostram conciliauerimus historiam. Vixit vtique noster Asinius Phi- *vbi de ætate Asinii Quadrati inquiritur.*
lipporum imperatorum æuo, aut paulo postea; namque milliaria Romanæ vrbis fata sua complexus esse historia, a Suida Stephanoque dicitur: non ante autem millesimum Roma ætatis impleuit annum, quam cum Philippi imperarent. Strabonis etiam Asinium *Pollionis* adnomen gessisse, ex aliorum auctorum constat testimoniis, & illum latina in historiis vsum esse lingua; cum noster *Quadratus* adpellatus fuerit, & præterea græce historiam scripserit. Euolue nunc vetera monumenta, rerumque Germanicarum expende ordinem, & habetis iustam Alemannorum ætatem, quam supra memorauimus. Perspicies ad vsque Antoninos trans
An. CLXVII. Danubium nostrum Romanorum valuisse dominationem; tunc validissima Germanicarum gentium conspiratione primum eam esse impulsam, mox deiectam, fractamque: eaque facta post paulo surrexisse Alemannorum nomen, pri-

moque bello Caracallæ imperatoris ætate esse illustratum (*y*). *Germaniæ occidentalis pars australis.*

Fines Alemannorum primi; XIV. De finibus Alemannicæ ciuitatis meretur adhuc sciri, eam primitus Marcomannorum Heluetiorumque instar *Rheno Danubioque* recenti, & *Moeno* conclusam fuisse. Qua quidem adspexit eorum regio ad orientem, iuuat obseruare, & ante iam monendum fuisset, non ad Hercynios vsque montes *An. CCXV.*

(*y*) Clvverivs *Lib. III. Cap. IV.* ingens illud suæ sententiæ addidit firmamentum, Alemannorum nomen Augusti ætati esse æquale, quippe ab Asinio, quem Strabo laudet, memoratum & explicatum; adeoque frustra esse & errare, qui præter Gallicos conuenas, a Tacito descriptos, alios in Alemannico quærant nomine. Joh. Is. Pontanvs acerbius, quam virum eruditum modestiamque professum decuit, illam Clvverii hallucinationem castigauit, quo nomine ipse notandus est: sed & laudandus, quod verum optime nobis hac in causa restituit. Quem nempe Strabo *Lib. IV.* laudat, Rhenum & bina eius ostia descripsisse ante se, Asinivs, is vtique est; non autem Pollio, cuius item Svetonivs *in Cæs. Cap. XXX.* mentionem facit, sed Qvadratvs, æui Alexandri Seueri, aut potius Philippi Arabis, scriptor: quem Svidas & Stephanvs Byzantivs, voce Ἄνθεον, Romanam memorant historiam scripsisse; ille *χιλιετηρίδα*, hic Ῥωμαϊκὴν *χιλιάδα*, eius historiam nuncupatam & inscriptam esse, addens. Euersoq; iam præcipuo Clvverii argumento nostra stat integra & certa sententia. Antonini æuo, eiectis illis Gallis conuenis, Romanorumque clientibus, Sueuicæ Germanicæque gentes insederunt illam ad Rhenum recentemque Danubium prouinciam; & fortassis iam ea ætate nomen Alemannorum aut ipsi sumserunt, aut acceperunt. Id autem non est illustratum, quam Caracallæ ætate, qui simulata Alemannica victoria Alemannici sumsit nomen. A. Victor *Cæs. Cap. XXI. Alemannos*, inquit, *gentem populosam, ex equo mirifice pugnantem, prope Moenum amnem deuicit.* Ael. Spartianvs *in Caracalla Cap. X. Alemannici nomen adscripsit, nam Alemannorum gentem deuicerat.* Integriore fide Dio Cassivs *Lib. LXXVII.* rem exponit. Ἐπολέμησε καὶ πρός τινας Κέννους, Κελτικὸν ἔθνος. & mox post eorum fortitudinem enarratam, ὧν μέν τοι ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὸ τῆς νίκης ὄνομα πολλῶν χρημάτων ἀποδόμενοι συνεχώρησαν αὐτῷ ἐς τὴν Γερμανίαν ἀποσωθῆναι. *Bellum quoque gessit* (Antoninus Caracalla) *aduersus quosdam Cennos, gentem Celticam.* - - - - *Quin etiam, victoria nomine grandi pecunia ei vendito, permiserunt,* (modo memorati Cenni) *vt saluus in Germaniam* (Cisrhenanam quam semper Dio Germaniam vocat) *sese reciperet.* En prima Alemannorum in antiquitate memoria.

Alemanni. tes eam pertigisse, sed *Hermundurorum* esse terminatam *confinio*. Statim postquam Harudes cum Marcomannis in Boiohoemum concessissent, immigrasse Hermunduros in desertos ab illis agros nouimus. Nec ergo Gallicani conuenæ, nisi ad recentem Danubium, Rhenumque, & Mœnum, coluerunt, & eo vsque Romani imperii actus limes est: nec noui regionis coloni, nostri Alemanni, cognatæ genti, Hermunduris, suas inuiderunt sedes, sed Romanam, quæ quantaque erat, prouinciam sat habuerunt occupasse. Et hoc debet sciri, hanc Romanam, posteaque Alemannicam, ditionem ab austri partibus, vbi Danubii fons a Rheno distat, *ad Acronium vsque lacum* & intersitos montes, qui Vindeliciam diuiserunt, excurrisse. Istis vero primo tempore finibus disterminata ALEMANNIA, siue ALAMANNIA, vtrumque vocabulum apud auctores & in numis legitur; paulo deinceps miris se modis explicuit & dilatata est. Namque contra septentriones, circiter Alexandri imperatoris posteriores; æuum, oppressis, aut in societatem acceptis, Mattiacis, bonaque Cattorum agri parte occupata, *ad Loganam* vsque

An. CCXXXV. amnem porrigi cœpit: vt tamen in ortum vergens superior Mœni pars, vt ante, Alemannos a Cattis, posteaque a Burgundionibus, separaret.

Sec. IV. & V. Ad meridiem Rhætiæ maxima portione, dum labaret Romanum imperium, infessa, nec dum Alemanni partis opibus fuere contenti; sed transito Rheno in finibus Galliæ, quam incursionibus persæpe vastauerant, Heluetium agrum, Jura monte a Sequanis Rauracisque diuisum, armis magnam partem occupauerunt, & in eam demum regionem *Alemanniæ* transtulerunt nomen. Eo rerum statu, cum maiora tentarent incrementa, & maxime

An. CCCCXCIX. Primæ cis Rhenum inhiarent Germaniæ, male cum Francis administrato bello, oppressi sunt; & nouissime, antiquis sedibus parteque nouarum relictis, in solis Rhætico Heluetio- nouissimi.

que agris Francicum iugum aliquandiu tolerare coacti (z).

Germaniae occidentalis pars australis.

XV. Ra-

(z) De finibus & regionum, quæ hodie habentur, nominibus, satis iam dictum est. *Orientis* limes ab eo est diuersus, quem quondam Heluetii, & Marcomanni cum Harudibus, habuerunt, quique ad Hercyniam vsque filuam, teste TACITO *Germ. Cap. XXVIII.* pertinuit. Quippe, iterum teste TACITO *Cap XLI.* eius iam æuo Hermunduri ad Danubium vsque pertigerunt, iisque *solis Germanorum non in ripa commercium, sed penitus, atque in splendidissima Rhætiæ prouincia colonia:* vnde de eorum situ liquet, quem minime Alemanni turbasse vnquam videntur. CLVVERIVS *Cap XXVIII.* commodas sequutus coniecturas, Redonitio & Aeschio amnibus, dein linea ad oppidum *Königsprun*, ac denique Brentio, qui in Danubium euoluitur, ab Alemannis Hermunduros diuidit: quem, si libet, sequi licet, cum saltem contra orientem non longe magis Alemanni coluisse videantur. *Australis* limes certe Danubius, quod nemo dubitat, exstitit: sed, qua oritur Danubius, res dubio non caret, quousque Alemanni & ante eos Galli conuenæ, Marcomannique, coluerint, vbique inter Rhenum & Danubium Rhætia cœperit ad austrum explicari. PTOLEMAEVS *Lib II. Cap XII.* in Rhætiæ situ finit Rhætiam τῇ μεταξὺ τῶν κεφαλῶν τοῦτε Ῥήνε, καὶ τοῦ Δανούβιε ποταμοῦ, *linnea, quæ est inter capita Rheni atque Danubii.* Hoc cum nequeat admitti, sed errorem PTOLEMAEI, harum terrarum fere ignari, indicet: ex CAESARE vera sententia stabilienda est. Finiti sunt, inquam, Marcomanni, deinde Galli, primique Alemanni, linea a Danubii capite ad Acronium lacum ducta. CAESAR *Bell. Gall. Lib I. Cap. I.* de Belgis loquutus ait: *Proximi sunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt, quibus cum continenter bellum gerunt. qua de causa Heluetii quoque reliquos Gallos virtute præcedunt; quod fere quotidia nis prœliis cum Germanis contendunt, quum aut suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt.* Et postea *Cap XXVIII.* debellatis Heluetiis, inque suas sedes redire iussis, *Noluit,* inquit, *eum locum, vnde Heluetii discesserant, vacare, ne propter bonitatem agrorum Germani, qui trans Rhenum incolunt, e suis finibus in Heluetiorum fines transirent.* Patet inde finitimos Heluetio agro Germanos fuisse, quod esse non potuit, nisi ab Acronio lacu ad Arolam Rhenumque confluentem, cis quem continuo Rauraci habitarunt: vnde ergo nostra stat firma sententia, ad Acronium vsque lacum a Danubii capite imputatam viam disterminasse Rhætiam atque Alemanniam. Nomen regionis *Alemanniæ*, & *Alamanniæ*, crebro occurrit. In nummis Constantinorum, & aliis, quos in historia olim cernemus, inscriptio frequens: ALEMANNIA DEVICTA. EVMENIVS *Paneg. Constantio Cap. X. proculcatam Alamanniam*; & MAMERTINVS *Paneg. Iuliano Cap. VI. Alamanniam rebellantem* memorat. Trans Moenum Alexandri æuo Alemanniam prolatam esse testatur HERODIANVS *Lib. VI. Cap. VII. IX. & Lib. VII. Cap. I. & II.* in expedi-

Alemanni. XV. Ratio pagorum veteris, quæ trans Rhenum & trans Danubium, Romano more loquor, exstitit, Alemanniæ explicatu est perdifficilis. Memorant auctores, vt ceteram Germaniam, ita Alemanniam præsertim, fuisse in pagos diuisam: non memorant nomina eorum, aut ordinem, nisi vage & promiscue. Occurrit nomen *IVTHVNGORVM*, qui & *VITHVNGI* sunt, incolarum pagi ad Danubium siti. Memorantur *LENTIENSES* Alemanni, non minus vicini Danubio. *BVCINOBANTIVM* Alemannicus pagus contra Moguntiacum est positus. Regum etiam nominibus adpellatos diuersos pagos licet reperire. Fuit *PAGVS* quidam *SVOMARII* regis, qui Rheni ripis vlterioribus adhæsisse

Pagorum Alemanniæ veteris inquisitio.

tionibus Alexandri Seueri & Maximini in Germaniam contra Alemannos susceptis: vbi Magontiaco eductæ copiæ, Rheno transmisso, trans Moenum agros depopulati sunt. Eandem viam multi deinceps imperatores sequuti sunt, Julianus præsertim, & Valentinianus; teste AMMIANO *Lib. XVII. Cap. I.* ibi, *flumine, pontibus constratis transmisso, occupauere terras hostiles*; mox, *Qua res Germanorum* (erant modo ante Alemanni vocati) *perculit animos, atque desertis insidiis, quas per ardua loca & salebrosa struxerint nostris, trans Mœnum nomine fluuium ad opitulandum suis necessitudinibus auolarunt.* Conf. IDEM *Lib. XVIII. Cap. II. Lib. XXVIII. Cap. V. Lib. XXIX. Cap. IV. Rhætia* iam cœpit a tertio seculo ab Alemannis infideri; & eo ex tempore perpetuis incursionibus vexata est, donec plene possideretur. FL. VOPISCVS *in Aureliano Cap. XXXV. Vindelicos obsidione barbarica liberauit. Cap. XLI. Ille Vindelicis iugum barbarica seruitutis amouit.* OROSIVS *Lib. VII. Cap. XXII.* MAMERTINVS *Genethl. Maximiano Cap. V.* EVMENIVS *Paneg. Constantio Cap. III.* AMMIANVS *Lib. XV. Cap. IV. Lib. XXXI. Cap. X.* In *Germaniam primam* Alemannos, & in *Heluetiam*, plene demum post crebros irritos conatus perrupisse; testes prodeant SIDONIVS APOLLINARIS *in Paneg. Auito socero* dicto;

Francus Germanum primum Belgamque secundum
Sternebat: Rhenumque ferox Alemanne bibebas
Romanis ripis, & vtroque superbus in agro
Vel ciuis, vel victor, eras.

ISIDORVS *Orig. Lib. IX. Populi habitantes iuxta Lemanum fluuium Alemanni vocantur.* Hic autem ISIDORVS aut Lemanum lacum, aut Limagum amnem cum Arola confluentem, respexit. Plura testimonia alius dabit locus. Grauissima Alemannorum clades describitur a GREGORIO TVRON. *Lib. II. Cap. XXX. XXXI.* & in plerisque eius temporis chronicis.

ſiſſe dicitur. Per *HORTARII REGNA* Iuliani miles pacatum feciſſe iter ad infeſtorum regum terras ſcribitur. *VADOMARII* porro *PAGVS* contra Rauricos poſitus alicubi nominatur: ceterum de pagorum iuſto numero & reliquis rationibus verbum amplius nullum (*a*).

Germaniæ occidentalis pars auſtralis.

Nouiſſima noſtræ regionis incolatus mutatio.

XVI. Paucis adhuc noſtræ regionis, primum *Heluetica*, deinde *Marcomannica*, continuo maximam partem *Gallicana* & *Romana*, atque poſtremum ratione eadem *Alemannica*, nouiſſi-

(*a*) *JVTHVNGI*, *Alamannorum pars, Italicis conterminans tractibus, - - - - Ratias turbulente vaſtabant, adeo, vt etiam oppidorum tentarent obſidia prater ſolitum.* AMMIANVS *Lib. XVII. Cap. VI.* VALESII Edit. *Juthungi* etiam nominantur apud AMBROSIVM *Epiſt. XXVII.* IDATIVM *in Chron.* & DEXIPPVM *in Excerptis de Legation. pr.* & *p. 10.* & *11.* SVIDAS *in* ἰουθοῦγγοι ad Danubium eos, ex veteris auctoris teſtimonio, locauit. *Tabula* PEVTINGERIANA cum Marcomannis eos iungit, & Quadis. *Vithungi* adpellantur in A. VICTORE *Caſ. Cap. XXXIII.* *Vti - - - Alamannorum Vithungi Italiam; Francorum gentes direpta Gallia Hiſpaniam, poſſiderent.* Sunt etiam *Vithungi* dicti apud SIDONIVM *Paneg. VII. Auito verſ. 233.* & in EVMENII *Paneg. Conſtantio. Cap. X.* Sed SIRMONDVS, vetuſtis fretus libris, SIDONIO *Juthungos* reſtituit, & EVMENIO eosdem reddendos cenſuit. *LENTIENSES Alemannicos pagos*, deſcripſit rurſus AMMIANVS *Lib. XV. Cap. IV.* & *Lib. XXXI. Cap. X.* vbi, *Lentienſis Alemannicus populus, tractibus Rhatiarum confinis:* ibique multa de Lentienſibus. Porro *BVCINOBANTIVM* memoria eſt in AMMIANO *Lib. XXIX. Cap. IV.* *Bucinobantibus, qua contra Moguntiacum gens eſt Alemanna, Regem Fraomarium* (Valentinianus) *ordinauit: quem paulo poſt ea, quoniam recens excurſus eundem penitus vaſtauerat pagum, in Britannos translatum poteſtate Tribuni Alamannorum praefecerat numero, multitudine viribusque ea tempeſtate florenti.* Laudantur etiam *Bucinobantes* in NOTITIA *Imperii Orientis, ſub diſpoſ. V. Ill. Magiſtri militum praſentalis, in Palatinis auxiliis XVII.* Vid. PANCIROLLI *Comm. Cap. XLVI.* SVOMARIVM Regem Alemannorum frequenter laudat AMMIANVS. Eius pagi meminit *Lib. XVIII. Cap. II. Eius pagi Rheni ripis vlterioribus adharebant.* Et eodem capite alii pagi memorantur. *Per Hortarii regna tranſibat intacta. Vbi vero terras infeſtorum etiam tum tetigit regum.* Et iterum ibidem, *Rex quoque Vadomarius venit, cuius erat domicilium contra Rauracos.* Iterum AMMIANVS *Lib. XVI. Cap. XII. Gundomadi populum, Vadomariique plebem,* nominat: & *Lib. XVII. Cap. X. Hortarii,* inquit, *nomine petendus erat regis alterius pagus.* In varios ergo multosque pagos Alemanniam Transrhenanam æuo veteri fuiſſe diuiſam, ſatis conſtat.

Alemanni. uiſſimam, quam ante indicauimus, viciſſitudinem & conuerſionem ſpectamus; cum maxime poſt hanc & nomen eius vnum in noſtram ætatem perdurauerit, & vlla vix vltra facta fuerit poſtremi incolatus mutatio. Alemannos, monuimus,
Sec. IV. & V. inter cetera gloriæ bellicæ incrementa ad occaſum præſertim, & in meridiem, armis ſibi aperuiſſe viam, & militares duxiſſe colonias: a quibus Rhætiæ primum impletæ ſunt, mox & Heluetii agri magna pars inſeſſa eſt. His patratis expeditionibus maxima terrarum ſpatia *ALEMANNIAE* nomen tenuit; Loganam amnem contra ſeptentriones contingens, Sueuiam ad orientem, Rhenum, Iuramque montem, & Lemanum lacum, ad occidentem, & Alpes denique in Auſtri partibus. Illa *SVEVIA* contermina Alemanniæ prouincia, Hermundurorum exſtitit patria, ab Albis Salæque confluentibus inter vtraque fluenta late in Danubium vsque protenta. *Alemannia* de reliquo aliquamdiu ſuam ſeruauit illibatam, minimeque Burgundionum armata tranſitione in Gallias imminutam, magnitudinem; omnibus profecto Germanicis ciuitatibus longe antecellens, ſoliusque Franciæ æmula.

Finium Alemanniæ poſterioris hiſtoria curatius exponitur.

An. CCCCXCIX. Cum autem fortunam in Francico bello experta eſſet aduerſam, multum confeſtim de eius amplitudine imminui cœpit. Perdita eſt libertas, coanguſtata prouincia, partim Francicis colonis in inferiores ad Nicrum, Mœnum, Loganamque, terras, partim pluribus Sueuis Hermunduris in ſuperiores ad Rhenum recentemque Danubium regiones, permittentibus Francis, immigrantibus. Vt demum illæ Francicæ coloniæ non ſatis definienda ætate inferiori Alemanniæ priſcæ parti *FRANCIAE*, ſeu *FRANCONIAE*, gentile dederunt nomen; ita etiam Sueuia, quam ante definiuimus, ſenſim declinare cœpit ad occaſum, & Alemanniam in meridiem deprimere. Tandem cis & trans recentem Rhenum ſubſtitit vetus olimque clariſſimum nomen *ALEMANNIAE*. Eius autem vera propriaque ſedes, licet, quod exiſtimem, non

Alemanniæ antiqua primaque regio partim Francis, partim Sueuis Hermunduris cedit;

& mox maximam partem nomen Sueuiæ induit.

Germaniæ occidentalis pars australis.

plane exterminatis Alemannis, ſed iis cum Sueuis tantum permiſtis, mutata & variata veteri adpellatione, nomen communius accepit SVEVIAE: quod ante diu ſæpeque vago & promiſcuo auctorum vſu geſſerat, nunc ſuo ſibi iure plene vindicans. Vltima hæc Sueuia, nam miras *Sueuici* nominis viciſſitudines & ſupra indicauimus, & infra pluribus perſequemur, nusquam cis Rhenum ſtetit; verum relicta, vt diximus, Alemanniæ portione Francis, Nicro ad ſeptentriones, Boioariorum confinio ad orientem, trans Danubium concluſa eſt. Cis deinceps Danubium Sueuia, vt ante Alemannia, explicata, omnem porro Rheni & Brigantini lacus vlteriorem occupauit ripam, donec in Lici amnis ſinuata ortus, eius conſtanti alueo & confluentibus a Boioaria diuideretur (*b*).

XVII.

(*b*) *ALEMANNIAE* ampliſſimi fines, quos habuit ante internecinam cladem, ex dictis ſatis probati ſunt. Romanorum poſterior *SVEVIA*, quam Alemannia contigit ad orientem, cum ab aliis notatur auctoribus, tum præcipue a JORNANDE *de Rebus Get. p. 138. Ed. Lindenbr. Danubium congelatum Theodomir, Gothorum rex, cernens, pedeſtrem ducit exercitum; emensoque Danubio Sueuis improuiſus a tergo adparuit. Nam regio illa Sueuorum ab oriente Baioarios habet, ab occidente Francos, a meridie Burgundiones, a ſeptentrione Thuringos.* Poſt cladem multis finibus Alemanniam mulctatam eſſe, noua præſertim Francia ad Moenum, & ad Nicrum, amnes ſtabilita; infra in noſtris mediæ Germaniæ deſcribendæ conatibus docebimus. Sueuia autem tum magis cum Alemannia miſceri cœpit; ſic, vt tamen obſeruauerim, Alemanniæ nomen cis Rhenum fere ſolum obtinuiſſe; trans Rhenum, vna cum altero Sueuiæ, quod vero exſtitit communius. Sed iam ante etiam, medio prope ſeculo quinto, Sueuos Hermunduros, & Alemannos, arcto fœdere coniunctos egiſſe, & iam tum promiſcue habitare cœpiſſe; didici ex JORNANDE, qui de rebus, Leonis Glyceriique imperatorum ætate, geſtis diſſerens, modo prolatis verbis addidit: *Quibus Sueuis tunc iuncti Alemanni etiam aderant, ipſique Alpes Rhæticas omnino regentes; vnde nonnulla fluenta Danubio influunt, nimio cum ſono vergentia. Hic ergo taliter munito loco Theodemir rex hiemis tempore Gothorum ductauit exercitum; & tam Sueuorum gentem, quam etiam Alemannorum, vtrasque ad inuicem fœderatas, deuicit, vaſtauit, & pene ſubegit.* Et eodem modo VVALAFRIDVS STRABVS, Abbas Augienſis, Ludouici Pii Imperatoris æqualis, *in Vita S. Galli prologo*, de antiquiore ſtatu Alemanniæ atque Sueuiæ loquitur: *Igitur, quia miſti Alemannis Sueui partem Rhætiæ inter Alpes & Hiſtrum, partemque Galliæ circa Ararim*, (ſic Arolam frequenter eius æui auctores vocarunt) *obſederunt; ab incolis nomen patriæ deriuemus, & Alemanniam*

Alemanni. XVII. Noſtra intereſt continuo addere hiſtoriam publici ſtatus populorum, quorum fata variasque ſucceſſiones in locis ad Rhenum, ad Mœnum, atque ad recentem Danubium, hactenus vidimus. Namque & ducimus conſultum, iucundiorum rerum conſideratione macram alioqui minusque gratam geographiam quandoque temperare; & pernecesſarium iudicamus, ante ſingularium ciuitatum proprium ſtatum atque præcipuos mores exponere, quam ad enarranda totius veteris Germaniæ generalia inſtituta nos olim, quod decreuimus, conuertamus. Ad primos proinde noſtri ſoli habitatores, *HELVETIOS*, ſcire attinet, impenſiſſimo eos libertatis amore fuiſſe affectos, vt hac in cauſa ipſis maxime cum Germanis conuenerit. Non ipſis vnquam videtur regis nomen placuiſſe, ſed fuere magiſtratus ex plebe haud dubie ſimul & nobilitate delecti: totam hanc regiminis rationem *ORGETORIGIS* hiſtoria apud Cæſarem comprobante. Fortitudo eorum atque animi magnitudo Cæſare teſte non exſtitit minor illa *MARCOMANNORVM*, qui ſecundi his in terris coluerunt. Cum his ſæpenumero Heluetios congreſſos, non ſolum in ſuis, ſed etiam in illorum finibus, plerumque ſuperaſſe, digno gloriæ bellicæ eſt argumento (*c*). Illi tamen Marcomanni fuere, quos reliqui Galli in-

Status publicus

Heluetiorum, a regia poteſtate abhorrentium;

& Marcomannorum,

vel Sueuiam nominemus. Res equidem oppido ſemper obſcura videtur, per quas demum viciſſitudines *Sueuia* cum *Alemannia* plene permiſta, & quaſi confuſa, fuerit. At videtur ſane paulo expeditior, cum ex JORNANDIS mente Sueuos cum Alemannis conſtituimus iam ante Alemannorum ruinam promiſcuas in Rhætia occupasſe ſedes; vt adeo pateat ratio, cur Alemannorum clades Sueuos etiam non leuiter adflixerit. Infra argumentum accipies magis illuminatum.

(*c*) *Orgetorigis* hiſtoriam habes integram CAESAR *Bell.Gall. Lib. I. Cap. II. III. IV.* ibi, *Ea res*, (quod ſuæ ciuitatis imperium Orgetorix obtinere conaretur) *vt eſt Heluetiis per indicium enuntiata, moribus ſuis Orgetorigem ex vinculis cauſam dicere coëgerunt. damnatum poenam ſequi oportebat, vt igni cremaretur.* Tantum erat Heluetiis defendendæ libertatis ſtudium! In eodem *Cap. IV. magiſtratuum* mentio fit, vnde popularis regiminis fides eſt. Fortitudinis Heluetiorum prædicationem CAESAR *Cap. I.* & magis in oratione ad milites *Cap. XL.* perſequitur.

Germaniæ occidentalis pars australis.

genti magnitudine corporum, incredibili virtute, atque exercitatione in armis, esse prædicarunt, sæpeque sese cum illis congressos ne vultum quidem atque aciem oculorum ferre potuisse. Marcomannis ceterum fœderatisque ciuitatibus reges fuisse, eosque maiori præditos imperandi iure, satis liquet. An autem hæredibus regnum obtigerit, aut magis ex virtute animique magnitudine sumserint reges suos Marcomanni? haud facile coniecerim. Sane ex præcipua nobilitate sumtos esse reges, *MAROBODVI* aliorumque docent exempla. Mos viuendi idem durissimus, laborum patientia incredibilis, belligerandi denique eadem ratio fuit Marcomannorum, quæ reliquarum Germaniæ gentium: *(d)* vnde de singulis partibus generatim alio opere exponendis non visum est hic sigillatim commentari.

regiam potestatem suspicientium.

XIIX. Qui

Hos, ibi inquit, *esse Germanos, quibus cum sæpenumero Heluetii congressi, non solum in suis, sed etiam in illorum finibus, plerumque superassent.*

(*d*) CAESAR *Bell. Gall. Lib. I. Cap. XXXIX. Dum paucos dies ad Vesontionem, rei frumentariæ, commeatusque, causa, moratur,* (Cæsar) *ex percunctatione nostrorum, vocibusque Gallorum ac mercatorum, qui ingenti magnitudine corporum Germanos, incredibili virtute atque exercitatione in armis esse prædicabant, sæpenumero sese cum iis congressos ne vultum quidem atque aciem oculorum ferre potuisse; tantus subito timor omnem exercitum occupauit, vt non mediocriter omnium mentes animosque perturbaret.* Reges Marcomannorum fuerunt. *Ariouistus* apud CAESAREM *Lib. I. Cap. XXXI. Rex Germanorum* simpliciter dicitur. TACITVS *Germ. Cap. XLII Marcomannis Quadisque*, ait, *vsque ad nostram memoriam reges manserunt ex gente ipsorum, nobile Marobodui & Tudri genus.* Summa illorum regum auctoritas, & successio filiorum in parentum locum, cum videtur ex TACITI illo loco, tum maxime ex VELLEIO *Lib. II. Cap. CVIII.* probari: *Maroboduus*, inquit, *non tumultuarium, neque fortuitum, neque mobilem, sed ex voluntate parentium constantem, inter suos occupauit principatum & certum imperium.* Si voluntas *parentium* & *subditorum* hic eadem est, sane plenum in Marcomannis regnum cernimus: si, quod CHARISIO teste CICERO frequenter fecit, *parentium* voluntatem nominat, quam alii *parentum* voluntatem potius dixissent, nouum habemus argumentum, regiæ domus maximam obseruantiam inter Marcomannos fuisse. Asperitatem cultus & fortitudinem gentis cum superiora docent, tum & id, quod Ariouistus rex gloriatur, CAESARIque denunciat, *Cap. XXXVI. Quum vellet, congrederetur: intellecturum, quid inuicti Germani, exercitatissimi in armis, qui intra annos XIV. tectum non subiissent, virtute possent.*

Alemanni. XIIX. Qui *GALLORVM*, quos decumates agros in deſerta a Marcomannis regione exercuiſſe docuimus, publicus fuerit ſtatus, facillimæ patet coniecturæ. In Romanorum non clientela ſolum, ſed & obſequio fuere; eorumque omnino tributa paſſi ſunt. Non hic eſt dubium, Gallorum Rhætorumque inſtar hos noſtros Gallos Romanis eſſe vſos legibus & magiſtratibus. Sed cum iidem, ſcribente Tacito, pars tantum prouinciæ fuerint habiti, coniecturalis eſt quæſtio; an Rhæticæ adiuncti prouinciæ Rhætiarum alterutri præſidi paruerint? vtrum in Gallis numerati ad vnam alteramque Galliarum prouinciam fuerint relati? Rhætiæ videbatur noſtros Gallos vicinitas prouinciæ adſerere, & quod promotis præſidiis ferantur in imperii conceſſiſſe ſinum; qui nusquam magis intelligitur, quam vbi cum Rhætia eſſet regio continens. Poterant & vero inter Gallos haberi reliquos noſtri, quod & eodem eſſent genere orti, & niſi modico fluento non a Gallia ſepararentur. Noſtrum de re obſcura iudicium maneto ſuſpenſum, & cuique integrum, quemue velit præſidem noſtræ regionis rectorem ſtatuere (*e*).

Gallorum in transrhenana prouincia ſtatus.

Cuius prouinciæ pars fuerint? an Rhæticæ, vtrum Gallicanæ?

XIX. *ALEMANNICA* ciuitas, de ea vt iam dicamus, florens opibus & bellica gloria inſignis, non habuit initio ſatisque dein diu Germanicam gentem, cum qua æquari non potuiſſet; plurimas habuit, quibus cunctis laudibus longe antecelleret. Tum ergo Alemannorum exercitatio in armis incredibilis laudata reperitur; iuncta hæc cum ſumma fortitudine, parique cum animi, tum corporis, robore atque magnitudine, ſimul atque cum prudenti reipublicæ cura, & laudabi-

Alemannicæ ciuitatis laudes.

(*e*) TACITVS *de Germ. Cap. XXIX. Non numerauerim*, inquit, *inter Germaniæ populos, quanquam trans Rhenum Danubiumque conſederint, eos, qui decumates agros exercent. Leuiſſimus quisque Gallorum, inopia audax, dubiæ poſſeſſionis ſolum occupauerunt. Mox limite aucto, promotisque præſidiis, ſinus imperii, & pars prouinciæ, habentur.* Dubia licet adhuc res videatur, Rhætiarum tamen præſidis iuriſdictione putem hanc prouinciæ trans Danubium partem fuiſſe contentam.

dabilium virtutum impenſo ſtudio. Rei eorum publicæ hæc tum forma exſtitit; vt haberent *reges* ſeu duces plures, qui vni alteriue pago imperarent. His regibus in bello ſumma tributa eſſe poteſtas videtur, vt tamen pacis tempore nihil de populi libertate regiæ dignitas imminueret. In regum dignationem filios ſucceſſiſſe, conſtat: an id more populi conſtanti, vtrum propter magna parentum merita? non definierim. Proximi regibus dignitatis eminenti gradu fuere, quos *regales* Ammianus adpellauit; regiæ ſtirpis haud dubie principes. Cetera optimatum magna ſeries præcipue *comites* complexa eſt, quos communi Germanorum more Reges ex nobilitate delegerunt. Porro licet plures Alemannorum, omnesque ſuo iure libertateque plena vtentes, pagi eſſent, idem tamen omnium fuit aduerſus Romanos animus, vt libertatem ſuam contra eos non tantum ſtrenue defenderent, ſed & vlciſcerentur iniurias atque fortiter perſequerentur. Cum tamen non tam Romanos odiſſent, quam metuendam eorum ambitionem deteſtarentur, non ſunt veriti, quoties nullum patriæ immineret periculum, ipſis militare Romanis, & ſub eorum ſignis fortitudinis præclara ſpecimina edere (*f*).

Germania occidentalis pars auſtralis.

Status regius,

& optimatum.

Alemanni Romanis ſæpe militarunt.

XX. Quem

(*f*) Laudum Alemannicæ gentis plenos eſſe auctores, iam ſatis conſtitit. Dio *Lib. LXXVII.* animoſitatem Alemannorum cum Caracalla pugnantium, & *Excerpta illius ab* Henr. Valesio *edita*, mulierum Alemannicarum virtutem & fortitudinem celebrant. Ἐπολέμησε καὶ πρός τινας Κέννους, Κελτικὸν ἔθνος· οὓς λέγεται μετὰ τοσούτου θυμοῦ προσπεσεῖν τοῖς Ῥωμαίοις, ὥστε καὶ τὰ βέλη, οἷς ὑπὸ τῶν Ὀσροηνῶν ἐτιτρώσκοντο, τοῖς στόμασιν ἐκ τῶν σαρκῶν ἀποσπᾶν, ἵνα μὴ τὰς χεῖρας ἀπὸ τῶν σφαγῶν αὐτῶν ἀποδιατρίβωσιν. *Bellum quoque geſſit aduerſus quosdam Cennos, gentem Celticam, quos ferunt tanta ira incitatos in Romanos irruiſſe, vt tela, quibus ab Osroënis vulnerati erant, dentibus euellerent e corporibus, ne interea manus a cædendis Romanis auerterent.* Ὅτι τῶν Χάττων αἱ γυναῖκες καὶ τῶν Ἀλαμβανῶν, οὐ μὴν ὅσαι γε καὶ ἑάλωσαν, δουλοπρεπές τι ὑπέμειναν. Ἀλλὰ πυθομένου τοῦ Ἀντωνίνου πότερόν ποτε πραθῆναι, ἢ φονευθῆναι, βούλονται, τοῦτ' εἵλοντο. Ἔπειτα ἀπεμπωληθεῖσαι πᾶσαι μὲν αὐταὶ ἑαυτὰς, εἰσὶ δὲ αἳ καὶ τὰ παιδία ἀπέκτειναν. *At Cattorum & Alemannorum vxores, & ſi quæ aliæ captæ fuerunt, nihil ſeruile pati ſuſtinuerunt, ſed interrogatæ ab Antonino,* (Caracalla) *num venundari, quam*

Alemanni. XX. Quem vero vidimus publicæ rei Alemannicæ antiquiorem ſtatum, non parum eum immutatum & denique conuerſum vidit ſerior ætas. Gens inter omnes vna excellens putum eſt proſtrata & fracta, cum maxime appeteret principatum, & eminere præcipue cuperet. More reliquarum ciuitatum vnum regem videntur Alemanni extremo tempore elegiſſe, vt eius conſilio forent ad res magnas gerendas aptiores. Et ſane læta initia, captis Rhætiis, Heluetiiſque inſeſſis agris, quæuis optima videbantur polliceri. Aſt longe omnia ſecius; An. cccccxcix. cæſo Alemannorum rege in prœlio, victo profligatoque omni exercitu. Tum continuatis Francicis victoriis adeo oppreſſa eſt atque attenuata Alemannorum vetus gloria, vt inertes ſtultique vocati fuerint, qui ante fortes ſapienteſque dicti ſunt: hac infamia & turpitudine ipſorum ſequente calamitoſam ſeruitutem.

Conuerſio ſtatus Alemannorum publici.

Vnus rex.

Ampliata potentia exitium accelerauit,

& populi vniuerſi ſeruitutem attraxit.

occidi, mallent, hoc praoptarunt; poſtea vero ſub corona vendita cum fuiſſent, non modo omnes ſibi manus attulerunt, ſed quadam etiam filios iugularunt. Equeſtris eorum militia laudatur a VICTORE *Caſ. Cap. XXI. Alemanni, ſine fine vel modo rem Romanam irrequietis motibus confundentes,* vocantur ab AMMIANO *Lib. XXVIII. Cap. V.* addito; *Immanis enim natio, iam inde ab incunabulis primis varietate caſuum imminuta, ita ſapius adoleſcit, vt fuiſſe longis ſeculis aſtimetur intacta.* Reges plures Alemannorum fuerant ſimul. Vno ordine VII. diuerſos horum regum nominat AMMIANVS *Lib. XVI. Cap XII.* Filii videntur in parentum locum ſucceſſiſſe. AMMIANVS *Lib. XXVII. Cap X. Vithicabium regem, Vadomarii filium,* memorat; & *Lib. XIV. Cap. X. Gundomadum & Vadomarium fratres, Alamannorum reges. Regales* ſæpe meminit AMMIANVS. *Libro XVI. Cap. XII.* omnis fere ordo principum Alemanniæ oſtenditur, vnde meretur narratio hæc tota exſcribi: *Ductabat autem populos omnes pugnaces & ſauos Chnodomarius & Serapio, poteſtate excelſiores ante alios reges. - - - - - - Hos ſequebantur poteſtate proximi reges, numero quinque, regaleſque decem, & optimatum ſeries magna, armatorumque millia triginta & quinque, ex variis nationibus, partim mercede, partim pacto viciſſitudinis reddenda, quaſita.* Regalium, ſiue regiæ ſtirpis principum, porro idem AMMIANVS mentionem facit *Lib. XVII. Cap. XIII. Lib. XVIII. Cap. II.* Ibi, *Hortarius rex nobis antea faderatus, - - - Reges omnes, & Regales, & Regulos, ad conuiuium corrogatos, retinuit. Lib. XXVII. Cap. X.* Romanis militaſſe Alemannos, teſtis AMMIANVS *Lib. XXIX. Cap. IV.* Eſt in NOTITIA *Dignit. Imp. Orientis, ſub diſpoſitione viri ſpectab. Ducis Thebaidos, Cohors nona Alamannorum Burgoſeueri,* id eſt, ex PANCIROLLI interpretatione, *in vico Seueri, qui ab eo principe nomen habet.*

uitutem. Desiere enim libertatis quondam amantissimi Alemanni suis viuere iuribus, & Francicis cœpere legibus & magistratibus vti. Accepere regis regumque nomine *ducem*, Alemanniæ præfectum, qui belli pacisque quæuis negotia administrauit. Ipsa multitudo desuefacta ab armis agros exercere decumates, vt ante Gallica plebs, coacta est. De reliquo eadem prope regiminis formula, si duram seruitutem Alemannis initio impositam exceperis, nouissimæ *Sueuiæ*, quæ extremæ Alemanniæ, ex priscis suis excitæ sedibus, & extra Germaniæ limitem constitutæ, demum obtigit. Sueui dubio procul Alemannos cum Francis belligerantes adiuuerant; vnde & ipsi videntur ruina Alemannorum quodammodo tacti, & aduersarum rerum ex parte socii facti esse. Certe dux Francicus Sueuiæ etiam, plerumque vero cum Alemannia coniunctæ, & promiscue cognominatæ, datus est, eiusque imperio integra prouincia parere iussa est (*g*).

Germania occidentalis pars australis.

Formula nouissimæ Sueuiæ.

(*g*) EVGIPPIVS *in Vita S. Seuerini Cap. XIX. Gibaldum*, siue *Gibuldum*, Regem Alemannorum, Seuerino amicum memorat; eumque plures putant illum fuisse vnum regem, quem Alemanni, maiora iam conati, sibi summa cum potestate præfecerint. Additur ab EVGIPPIO, tunc Alemannos dominatos esse cis Rhenum in Argentoratensi tractu, & in Rhætia inter Licum & Brigantinum lacum. AVENTINVS *Ann. Boi. Lib. III. Cap. I. num. VI. Alaricum* regem Alemannorum, sed sine teste, nominat, vt fere alterum Boiorum regem *Adalgerionem*. Cladis acceptæ annus a Chronologis disputatur; nos communem sumus sequuti sententiam. Post cladem pars populi se in Theodorici Ostrogothorum regis clientelam recepit, & pro ea parte ipse rex Clodouæum deprecatus est, & exstat eius epistola apud CASSIODORVM *Lib. II. Ep. XLI.* qua etiam rogat Clodouæum, vt moderate victoria vtatur. Huius partis clientelam post XL. annos a Vitige rege esse remissam, docuit AGATHIAS. Conf. HADR. VALESIVS *Rer. Franc. Lib. VI. ad A. CCCCXCVI. & Lib. VIII. ad Ann.* IↃ XXXV. Maior Alemannorum pars statim in Francorum concessit potestatem, & in formam stipendiariæ prouinciæ est redacta. Eius formulam infra in æui medii initiis illustratis dabimus.

CAPUT

CAPVT III.

OCCIDENTALIS GERMANIAE PARTIS MEDIAE HISTORIA.

I.

VLtra fines omnium harum gentium, quarum memoria eſt explicata, ab antiquiſſimo æuo

CATTI, qui & CHATTI vocantur,

contra ſeptentriones initium ſedis *a Mœno amne & Hercynii ſaltus partibus* inchoarunt. De potentiſſimi populi nomine primum conſtat, eadem prope, quam mox definiemus, regione iſtud perſtitiſſe quam diutiſſime; & demum priori tantum abiecta littera, nam qui *Chatti*, &, quod putatur, *Chaſſi*, fuere adpellati, nunc *Haſſi* nominantur, per mille diſcrimina in noſtrum duraſſe æuum. Cauſam miræ nominis & nationis in inconſtanti, atque, ita vt dixerim, in volatica ſemperque volubili, veteri Germania conſtantiæ atque perpetuitatis indaganti, occurrit animo, laudes Sueuorum Cæſarianas expendere, ſi quam ille idoneam rationem ſuppeditauerint. *Sueuorum gens*, Cæſar ait, *eſt longe maxima & bellicoſiſſima Germanorum omnium. Ii centum pagos habere dicuntur: ex quibus quotannis ſingula millia armatorum, bellandi cauſa, ſuis ex finibus educunt. reliqui domi manent, pro ſe atque illis colunt. Hi rurſus inuicem anno poſt in armis ſunt: illi domi remanent. Sic neque agricultura, neque ratio, neque vſus belli intermittitur.* En cauſa, cur Cattorum gens, ſuis contenta ſedibus, quippe probe cultis, adeoque diligentia culturaque melioribus, non cum reliquis Germanicis ciuitatibus prorſus patrium

Vltra Heluetios Marcomannos, Gallos atque Alemannos, poſt Mœnum Catti coluerunt: de quorum nomine inquiritur.

Germaniæ occidentalis pars media.

migrauerit ſolum, ſed eductis coloniis veteres tamen maluerit penates colere atque cuſtodire (*b*).

Cæſaris Sueui ſunt noſtri Catti.

II. Sed Cæſaris Sueuos, inquies, cum noſtris Cattis confers & confundis; quid iſtud rei eſt? Nempe pertinet ad Cattorum nomen porro ſcire, illud Cæſari fuiſſe ignoratum, Cattosque ab eo, & aliis auctoribus, qui Cæſarem ſunt imitati, SVEVOS nominatos eſſe. Rem probat integra Sueuicæ regionis deſcriptio, ita facta a Cæſare, vt non niſi Cattorum ager poſſit intelligi. Idem iter Cæſaris per Vbiorum fines, miſſi ab Vbiis exploratores in Sueuos, delectus a Sueuis pugnæ locus, denique Sueuorum & Cheruſcorum confinium, Baceni ſilua, natiui inſtar muri, diſtinctum, cetera varia, clariſſime oſtendunt. An autem Cæſaris æuo Sueuorum generale nomen ad ipſos Cattos pertinuerit, & demum deinceps voca-

(*b*) TACITVS *Germ. Cap. XXX. & Ann. I. Cap. LV.* ſemper *CATTOS* vocauit. PLINIO *Lib. IV. Cap. XIV. Chatti* ſunt; STRABONI *Lib VII.* χάττοι. ſic & DIONI *Lib. LIV.* PTOLEMAEO *Lib. II. Cap. XI.* χάττοι. *Chaſſorum* nomen inde videtur probari poſſe, quod *Chattuarii* ſæpe etiam *Chaſſuarii*, adpellentur; vnde ſimilis vocis Chattorum flexio non improbabili coniectura conſtituitur. *Catti* tamen vulgariter nominantur. Vid. MARTIALIS *Lib. VII. Ep. XXIX. Lib. IX. Epigr. XXXVI.* JVL. CAPITOLINVS *in Antonino Phil. Cap. VIII.* EVTROPIVS *Lib. VII. Cap. XV. Catthos* nuncupat addita duplicatæ litteræ T. adſpiratione JVVENALIS *Sat. IV. Verſ. 147.* Nomen *Haſſorum*, quod hodie inſigni genti damus, non valde alienum a priſcis eſt vocabulis. AIMOINVS Francicarum rerum ſcriptor vocauit *Aſſos*; VVITTECHINDVS, Corbeienſis monachus, *Haſſiganos*; ADAMVS BREMENSIS *Haſſones*: vnde demum noſtra nata adpellatio. Illuſtris LEIBNIZIVS *Tom. Rer. Brunsvic. fol. X. not. i.* exiſtimat, *Cattorum* nomen acceptum eſſe a felibus; durare in inferiori Saxonia vocem *Cadden*, quæ *ſecare* notet; adeoque videri Cattos inde nominatos, quod acerrime pro ſuis iuribus contra omnes propugnare, paſſimque obuiam inimicam vim lacerare, & concerpere, conſueuerint. Generalis poſitio Cattorum habetur in TACITO *Cap. XXX. Germ Vltra hos* (nempe Gallos, de quibus dixerat, in quorum deinceps locum Sueuici populi, Alemanni dicti, ſucceſſerant) *Catti initium ſedis ab Hercynio ſaltu inchoant, non ita effuſis ac paluſtribus locis, vt ceteræ ciuitates, in quas Germania pateſcit. durant ſiquidem colles, paulatimque rareſcunt: & Cattos ſuos ſaltus Hercynius proſequitur ſimul atque deponit.* Laudes Sueuorum, quarum partem exſcripſimus, habet CAESAR *Bell. Gall. Lib. IV. Cap. I. & II.*

Catti. vocabulum Cattorum fuerit vsu receptum; vtrum negligentia Cæsaris errorem genuerit, eodemque errore & alii auctores post Cæsarem capti fuerint, vt Cattos perperam Sueuos adpellauerint? non id hic multis disputabo, licet prius longe mihi videatur verisimilius (*i*). Ipsius Cattorum nominis

Bb 2

(*i*) Ipse CAESAR, qui primus *SVEVORVM* nomine *Cattos* compellauit, satis declarat, eos intelligi. *Lib. I. Cap. XXXVII. & LIV.* Sueuorum ad Rhenum pagi, Ariouisto profecti auxilio, post huius cladem reuersuri in patriam, maxime ab Vbiis adfliguntur. *Lib. IV. Cap. I. II.* ita describuntur Sueui, vt propinqui Rheno, solis Vbiis interpositis, fuerint, necesse sit: quod nisi in Cattos non quadrat. *Cap. III. Hos*, inquit, de Vbiis ante loquutus, *quum Sueui, multis sæpe bellis experti, propter amplitudinem grauitatemque ciuitatis, finibus expellere non potuissent, tamen vectigales sibi fecerunt, ac multo humiliores infirmioresque redegerunt. Cap. XIIX.* & *XIX.* Ponte transmisso Cæsar in Sigambros contendit, mox in fines Vbiorum reuersus, in Sueuos ire cogitauit. *Lib. VI. Cap. IX.* rursus Cæsar *aditus viasque in Sueuos perquirit. Cap. X. Vbiis imperat,* - - - - *vt crebros exploratores in Sueuos mittant.* - - - - *Illi imperata faciunt; &, paucis diebus intermissis, referunt: Sueuos omnes, posteaquam certiores nuntii de exercitu Romanorum venerant, cum omnibus suis sociorumque copiis, quas coëgissent, penitus ad extremos fines sese recepisse. siluam esse ibi infinita magnitudinis, qua adpellatur Bacenis: hanc longe introrsus pertinere, & pro natiuo muro obiectam, Cheruscos a Sueuis, Sueuosque a Cheruscis, iniuriis incursionibusque prohibere: ad eius initium silua Sueuos aduentum Romanorum exspectare constituisse.* Nemo iam, qui Cheruscorum, Vbiorumque, & Sigambrorum, sedes nouit, dubitabit amplius, solos Cattos Cæsarem vbique respexisse. Fortassis tamen, quæ de Sueuis Transalbinis acceperat fama, perperam *Lib. IV. Cap. I. & II.* solis Sueuis suis, qui Catti erant, attribuit. STRABO *Lib. IV.* auctoritate Cæsaris haud dubie motus, quod demum a Cattis Vbii expulsi essent, & horum ab ipsis sedes occupatæ, ad ipsum Rhenum & vltra monstrat Sueuos suos. Πάσης δ' ὑπέρκειται τῆς ποταμίας ταύτης οἱ Σούηβοι προσαγορευόμενοι Γερμανοὶ καὶ δυνάμει καὶ πλήθει διαφέροντες τῶν ἄλλων. ὑφ' ὧν οἱ Οὔβιοι ἐξελαυνόμενοι κατέφυγον εἰς τὴν ἐντὸς τοῦ Ῥήνου νυνί. *Super totam hanc Rheni ripam incolunt Sueui, Germanica natio, reliquis multitudine ac potentia superiores: a quibus Vbii pulsi cis Rhenum confugerunt.* Cattorum transitum & stragem cis Rhenum ita DIO *Lib. LI.* sub Augusto Cæsare memorat. Γάιος δὲ Καρρίνας τοὺς Σουήβους τὸν Ῥῆνον ἐπὶ πολέμῳ διαβάντας ἀπεώσατο. *C. Carina Sueuos, magno numero Rhenum transgressos, profligauerat.* Cattos præsertim cum Cheruscis atque Sigambris Drusus adflixit; & Cattos cum Sigambris Tiberius in Gallicum solum transtulit. Sed FLORVS *Lib. IV. Cap. XII.* de Druso ait; *Inde validissimas nationes Cheruscos, Sueuosque, & Sicambros, pariter adgressus est:* & SVETONIVS *Vita Augusti Cap. XXI. Germanos vltra Albim submouit. ex quibus Sueuos & Sicambros, dedenteis se, traduxit in Galli-*

minis notationem difficillime conieceris; vt scilicet sunt plurimæ Germanicarum ciuitatum adpellationes, quarum caussa & occasio prorsus latet obscuritate inuoluta temporis.

Germania occidentalis pars media.

III. Post nomen finium historia meretur accurate exponi. Constantes Romanorum æuo Cattorum termini contra septentriones atque ad orientem fuisse videntur; ceteros ad occidentem & meridiem non raro mutatos esse, nouimus. *Ad septentrionem* Bacenin siluam, pro natiuo muro obiectam, prætexuisse Cattos, eosque a Cheruscis iniuriis incursionibusque prohibuisse, Cæsar testis est: & eadem Taciti est sententia, dum Cheruscos in latere Cattorum nimiam ac marcentem diu pacem illacessitos nutriisse, scripsit. Stabilis is Cattorum permansit limes, donec validum Francorum fœdus, cui & Catti & Cherusci accessere, fœderatarum ciuitatum fines paulatim confunderet. Quod enim aliquando a Cattis Cherusci vincerentur & prope opprimerentur, non id, credo, regionis fines, sed imperium tantum, ampliauit. *Eoas* regionis partes Sala fluuius præfluxit, isque Cattos Hermundurosque separauit. Vtramque autem nationem flumen gignendo sale fœcundum vi traxisse, argumento est, non citima amnis ripa Cattos contentos vlteriorem etiam tentasse; sane enim salinæ, de quibus tum acriter est certatum, in Hermundurorum fuere partibus. Quæ bellum sequuta est Cattorum clades, an fines regionis coangu-

Catticæ regionis fines,

ad septentrionem;

ad orientem;

am, atque in proximis Rheno agris collocauit. Eiusdem Drusi expeditionem contra Cattos ita canit PEDO ALBINOVANVS *in Consolatione ad Liuiam:*

Ille genus Sueuos acre, indomitosque Sicambros
Contudit, inque fugam barbara terga dedit.

Et ad Bacenin siluam respicere, Cattosque intelligere, videtur SENECA *Medea Vers. 713.*

Lucis Sueui nobiles Hercyniis.

Catti itaque fuere, quos CAESAR, & post eum plures, Sueuos adpellare consuerunt. Conf. CLVVERIVS *Germ. Ant Lib. III. Cap. V.* qui primus verum sensum auctoribus hac in caussa restituit.

Catti. anguſtauerit? non ſatis decerno, nec ſilentibus auctoribus auſim adſerere (*k*). In *auſtri* partibus primo quoque tempore Mœnum amnem Cattos ab Heluetiis, a Marcomannis & Seduſiis, a Gallis deinde conuenis, & poſtremum ab Alemannis, diſterminaſſe, certum eſt. Hercynium iſtic ſaltum ſimul Tacitus adpellat, a quo ſedis initium Catti inchoauerint; qui Cattos deinde, ſane contra ſeptentriones, proſequutus fuerit; quique eos extremum, vbi, ſcilicet nouo nomine notus, Cheruſcos a Cattis incurſionibus prohibuit, depoſuerit. Sed vt ſolam meridiem porro ſpectemus, Probi imperatoris ætate bonam Cattici ad Mœnum agri partem a BVRGVNDIONIBVS eſſe inſeſſam, adeoque hic limites regionis paulum

ad meridiem;

An. CCLXXVII.

(*k*) *Bacenis* ſilua limes Cattorum teſte CAESARE *Lib. VI. Cap. X.* vbi ex relatione exploratorum ſcribit; *ſiluam ibi eſſe infinitæ magnitudinis, quæ adpellatur Bacenis: hanc longe introrſus pertinere, & pro natiuo muro obiectam, Cheruſcos a Sueuis, Sueuosque a Cheruſcis, iniuriis incurſionibusque prohibere.* TACITVS *Germ. Cap. XXXVI. In latere Chaucorum Cattorumque Cheruſci nimiam ac marcentem diu pacem illaceſſiti nutrierunt.* Intelligit Cattorum aquilonare latus, & Chaucorum auſtrale. Addit de Cheruſcorum clade: *idque iocundius, quam tutius fuit; quia inter impotentes & validos falſo quieſcas: vbi manu agitur, modeſtia ac probitas nomina ſuperioris ſunt. Ita qui olim boni æquique Cheruſci, nunc inertes ac ſtulti vocantur: Cattis victoribus fortuna in ſapientiam ceſſit.* CLVVERIVS, pro ea, qua pollet in limitibus Germaniæ populorum antiquis definiendis, auctoritate, a Sala Albique confluentibus ad oppidum *Ballenſtede* lineam ducit; inde ſiluam iugumque, quod hodie *der Hartz* vocatur, ad vsque oppidum *Wildemann*, conſtituit: vnde noua linea, ad Ambram Viſurgimque confluentem ducta, integrum aquilonare Cattorum latus claudit. Ad *orientem* Cattorum fines Sala diſcluſit. TACITVS *Ann. XIII. Cap. LVII. Eadem*, inquit, *æſtate inter Hermunduros Cattosque certatum magno prælio, dum flumen gignendo ſale fecundum, & conterminum, vi trahunt.* Hoc autem flumen omnes vno ore interpretes Salam interpretantur: & conterminum fuiſſe vtrique genti, ſatis id teſtatur, inter vtramque nationem medium fluxiſſe. Poſt cauſas, nempe libidinem cuncta armis agendi, & religionem inſitam, adiicit TACITVS: *Sed bellum Hermunduris proſperum, Cattis exitioſius fuit, quia victores diuerſam aciem Marti ac Mercurio ſacrauere, quo voto equi, viri, cuncta victa, occidioni dantur.* CLVVERIVS a Moeno heic Radiacum flumen, indeque lineam ad Salam, & oppidum ei oppoſitum *Salefeld*, inde ipſum Salam ad Albim confluentem, Cattis ab oriente tribuit limites.

Germania occidentalis pars media.

coarctatos, Ammianus docet. Haud dubie permittentibus Cattis has temporarias ſedes Burgundiones, in Gallias inuaſuri, occuparunt. Cum enim grauia Burgundionum cum Alemannis bella memorentur, nihil de Cattis prorſus legitur. Meminit etiam Ammianus *terminalium lapidum*, qui Alemannorum & Burgundionum confinia diſtinxerint: finium, quibus Burgundionum agri & Cattici fuerint ſeparati, nulla memoria; quod, puto, hoſpites & amici beneuolentiam alienam noluiſſe videantur in ius vertere. Poſt Burgundionum diſceſſum priſcum Cattorum agri limitem eſſe reſtitutum, & vt ante, ita deinceps, Mœno amne Cattos ad meridiem fuiſſe diſcluſos, arbitror. Aeuo tamen ſeriori coloniis Francicis ad comprimendos Alemannos, vt opinor, adlegatis aucta regione, pars Cattici agri, vt ſemper Catti Francos inter relati ſunt, nomine *FRANCONIAE*, qua Mœno abluitur, cœpit inſigniri; pars eius orientalis, vt vero minime *Haſſorum pagi* compellatio ſileretur, magna *THVRINGIAE* acceſſio exſtitit (*l*).

IV. Quæ

(*l*) Moenum Heluetiis adſignat limitem TACITVS *Germ. Cap. XXVIII.* Mox *Cap. XXIX.* eos, qui decumates agros exerceant, in illorum locum ponit. Et tum *Cap. XXX. Vltra hos*, inquit, *Catti initium ſedis ab Hercynio ſaltu inchoant, non ita effuſis ac paluſtribus locis, vt cetera ciuitates, in quas Germania pateſcit. durant ſiquidem colles, paulatimque rareſcunt; & Cattos ſuos ſaltus Hercynius proſequitur, ſimul atque deponit.* Nempe, quod mox clarum fiet, infra Heluetios & Gallos vnos nouit TACITVS Cattos ad Cheruſcos, & ad Vſipios atque Tencteros: nec Vbiis, nec Sigambris, iam traductis, nec etiam Mattiacis, quia Catti & ipſi erant, memoratis. Heic ergo vbique ſiluæ Hercyniæ partes: *der Speſſard* ad Moenum, vnde initium ſedis Catticæ imputari poterat; *der Weſter-Wald*, longo cum Rheno tractu procurrens; *der Thüringer-Wald*, ad ortum Cattos proſequens ſaltus; & demum *der Hartz*, Cattos ſuos proxime deponens. CLVVERIVS a meridie Cattis tribuit Moenum, a Salæ minoris, quod flumen inter Francofurtum & Magontiacum Moeno miſceatur, (quo quidem ſitu nullum ego Salam in tabulis reperio, ſed bene Salam, longe ſuperius cum Moeno confluentem;) confluentibus, ad Redonitium amnem cum Moeno confluentem. In auſtrali hac Cattorum regione Burgundiones conſedere, quod infra in Burgundionibus docebitur. Nouas ſedes, & bella cum Alemannis, oſtendit AMMIANVS *Lib. XVIII. Cap. II.* vbi mentio fit regionis, *cui Capellatii, vel*

Catti. IV. Quæ eſt reliqua regionis ***ad occidentem*** facies plures, quam ceterarum aliqua, mutationes ſubiit. Cæſaris primum æuo Cattorum ager ad Rhenum vſque parua ſui parte pertinuerit. Non enim eorum pagi, quos ad ripam Rheni aduerſam conſediſſe, illi quondam Treuiri Cæſari nuntiarunt, per alius populi terram feciſſe expeditionem videntur. Eodem autem tempore certiorem Rheni ripam poſt Mœnum confluentem ad confluentem Loganam & pene ad Segum amnes Vbii tenuere; iidemque cum ſuccedentibus ad Lupiam Sigambris omne Cattorum occidentale clauſerunt latus. Traductis Vbiis in Rheni citeriorem ripam, ipſi ſtatim Catti deſertos ab iis agros obſediſſe creduntur. Auditum deinde aliquandiu eorum his in finibus nomen eſt, ipſeque Tacitus, cum de Germania commentarium exararet, vltra Gallos, ſuos decumates agros exercentes, ſtatim Cattos initium ſedis inchoaſſe, memorat; nihil Mattiacos, aut quos afferunt quidam, & defendere conantur, Iuhones, quorum tamen nouerat nomina, hic moratus: id firmo argumento, communi adhuc Cattorum adpellatione colonias illas eſſe vſas. Sed mox, ***Mattiacorum***, atque, ſi cum aliis cupis, ***Iubonum*** ſingularibus nominibus frequentatis, Cattica regio ad antiquos rediit limites; parte Vbiorum agri a Mattiacis, proximeque ab Alemannis, parte a Iuhonibus, quod quidam cenſent, occupata. Sigambrorum non minus ex vlteriori Rheni ripa exciſorum ſedes *ad occidentem.*

Palas, nomen eſt, ubi terminales lapides Alamannorum & Burgundionum confinia diſtinguebant. Lib. XXVIII. Cap. V. ibi, ***quod ſalinarum finiumque cauſa Alamannis ſæpe iurgabant.*** (Burgundiones.) Reſpicitur vero hic ad æuum, quo Alemanni longe vltra Moenum ſuam ditionem protulerant. Burgundiones demum in Alemannorum agros tranſiuerunt, & proxime in Galliam: reſtitutis Catticæ regioni priſcis finibus. MAMERTINVS ***Genethl. Maximiano Cap. XVII. Burgundiones Alamannorum agros occupauere, ſed ſua quoque clade quæſitos. Alamanni terras amiſere, ſed repetunt.*** Conf. OROSIVS *Lib. VII. Cap. XXXII.* &, de ſedibus in Gallia occupatis, CASSIODORVS *in Faſtis*, & PROSPER *in Chronicis, ad An. CCCCVI. & CCCCXIII.* Franconiæ & Thuringiæ initia & fines vide in noſtra mediæ Germaniæ commentatione.

ſedes Vſipiis atque Tencteris ceſſere: qui ideoque cum Dulgibinis, & ex parte cum Marſis, reliquum occiduum Cattorum latus prætexuere. Cum *FRANCIAE* nomen haſce terras occupaſſet, Bructeri in finibus Mattiacorum, & Chasſuarii vltra Vſipios, coluiſſe memorantur. Poſtremum Francia in Galliam translata, eadem regionum ſpatia *SAXONIAE* nomine eſſe notata, infra declarabimus: qua ideoque vtrumque Cattorum & ad occidentem, & contra ſeptentriones, limitem nouiſſime obtentum fuiſſe patet (*m*).

Germaniæ occidentalis pars media.

Vetuſtatis in proprio Cattorum agro monumenta.

V. Ceterum habet Cattorum ager, quem ita definiuimus, vt, minutis transmiſſis diſtinctionibus, modo grandiores probatioresque oſtenderimus terminos; quæ oſtentent canæ vetuſtatis quædam monumenta. Ptolemæus Germaniæ vrbem *Mattiacum* nominat, & per veri eſt ſimile, eandem eſſe, quam Tacitus gentis Cattorum caput, *Mattium*, adpellauit. *Marpurgum* Haſſiæ oppidum, hodieque nobile, vetus illud Mattium referre, & volunt eruditi, nec abhorret a vero eorum ſententia. Eſt & aliud vetus monumentum, ſicubi reperiri poteſt, *Cattorum caſtellum*, quod Druſum exſtruxiſſe Florus memorauit. Hic equidem Viſurgim amnem caſtello muni-

(*m*) CAESARIS æuo Catticam regionem paruo ſui ſpatio ad Rhenum excurriſſe, videtur ſuadere ſummus ille ſcriptor *Lib. I. Cap. XXXVII. & LIV.* Fortaſſis ex Treuerorum aduerſo ad Rhenum pertigerint; quia hi Cæſari nunciarunt, C pagos Sueuorum ad ripam Rheni conſediſſe, & Rhenum tranſire conari. Contra Vbios, Sigambrosque, & mox, his transductis, contra Mattiacos, Juhones, atque ceteras gentes, CLVVERIVS Cattos Ambra finit ad vicum vsque *Dale*: hinc porro montium iugo, quod iuxta oppida *Pirmont, Blomberg, Horen, Oldenbeke, Kleinenberg*, verſus oppidum *Brilon* procurrit; inde linea ad fontem vsque Adranæ; hinc demum noua linea ad ſupra dictum Salæ Moenique confluentem. Transmiſſis ſilentio Vbiis, Sigambrisque, imo & nouis Catticarum coloniarum nominibus, ſolos Cattos TACITVM ad Rhenum nouiſſe, ipſe monſtrat *Cap. XXXII. Germ. Proximi Cattis certum iam alueum Rheni, quique terminus eſſe ſufficiat, Vſipii ac Tencteri colunt.* Bructerorum nouas ab occiduo Cattorum latere infra cernemus. Ceterum complectuntur proprii Cattorum agri *Thuringiam*, qualis hodie eſt, & *Haſſiam* fere totam; omnem *Grubenhagenſem ducatum*; *epiſcopatus Paderbornenſis* dimidiam partem, Viſurgi adfixam; *abbatiam Fuldenſem*; *Franconiæ*, *Coburgienſisque ducatus*, portiones,

Catti. munitum ſcripſit. Cum tamen Fuldæ amnis vtrique ripæ inſigne hodieque adiacens oppidum, *Caſſel*, vetus *Caſtelli* imitetur nomen; non ſunt veriti plerique, idem illud caſtellum veterem interpretari Romanorum arcem, & Flori nominis errorem, cum Viſurgin Fuldæ loco nominaret, ſuſpicari. An *Cattimelibocum* quæ arx inſigni ditioni nomen dedit, vetus ſit Cattorum opus, quod cum eorum nomine arcis adpellatio adprime conueniat? non eam ego decidam litem, licet probabilitatem rei ſatis perſpiciam. Quicquid eſt, non in propriis Cattorum, ſed potius Mattiacorum finibus, arx ſita, rectius his conditoribus vindicatur (*n*). *Palas*, ſeu *Capellatium*,

(*n*) In contextu noſtræ commentationis decreuimus certiora modo, aut maxime probabilia, dare: coniecturas liberiores ſemper notæ cum auctoritate certorum coniungent. Conueniet autem non notas haſce negligere, quia poſt ipſam demum commentationem elaboratæ multa, quæ obſcuriora videri poterant, commode illuſtrant & explicant. PTOLEMAEVS *Lib. II. Cap. XI.* habet vrbem Ματτιακόν, *Mattiacum.* TACITVS *Ann. I. Cap. LVI.* *Germanicus - - - expeditum exercitum in Cattos rapit. - - - Sed Cattis adeo improuiſus aduenit, vt, quod imbecillum ætate ac ſexu, ſtatim captum aut trucidatum ſit: iuuentus flumen Adranam nando tramiſerat. - - - Cæſar incenſo Mattio, id genti caput, aperta populatus, vertit ad Rhenum.* Ex conſideratis expeditionis Germanici rationibus, & PTOLEMAEI numeris, *Mattiacum* PTOLEMAEI & TACITI *Mattium* de *Marpurg*, vrbe, plures cum CLVVERIO *Cap. V. & VII.* interpretati ſunt. De *Mattio*, quin *Marpurgo*, quaſi *Matpurg* dicto, initia dederit, vix dubium eſt. At *Mattiacum* PTOLEMAEI ex eius numeris magis eſſe *Alt-Wetter*, Haſſiæ ſuperioris quondam oppidum, iam ſolo æquatum, reſuſcitato tamen in vicinia nomine; contendit & monſtrauit MENSO ALTINGIVS *in Tabulæ Ptolem. expoſitione.* De *Caſtello* in Cattis, quod merito *Caſſel* eſſe dicimus, ita FLORVS *Lib. IV. Cap. XII.* loquitur. *Victor Druſus - - - in tutelam prouinciarum præſidia atque cuſtodias vbique diſpoſuit; per Moſam flumen; per Albim; per Viſurgim. Nam per Rheni quidem ripam, quinquaginta amplius caſtella, direxit.* DIO *Lib. LIV.* ait, condidiſſe Druſum, præter caſtellum ad Luppiæ & Aliſonis confluentes, ἕτερον ἐν χάττοις παρ' αὐτῷ τῷ Ῥήνῳ, *aliud in Chattis apud ipſum Rhenum.* Hoc vero DIONIS Caſtellum potius fuit id, quod in monte Tauno Druſus, & in eius veſtigiis iterum Germanicus, conſtruxit; teſte TACITO *Ann. I. Cap. LVI.* & *Lib.*

Regio Palas, an Cattorum, vtrum Burgundionum? *latium*, aut si mauis *Palatium*, regio, cuius meminit Ammianus, certe in nostrorum Cattorum finibus quærenda erit: licet dubitent omnes Cattis nomen hoc adserere, malintque Burgundionum agros ista venisse nuncupatione. Sane vero, vt vnum hoc moneam, quod plane errant, qui Rheni, quem vocant, *Palatinatum*, in veteri Capellatio peruestigant; id maiori cum ratione statuunt, qui Cattis commune illud forum atque iudicium, quod nomen regionis indicare videtur, adiudicant: cum & Ammianus nihil omnino memoret, quod magis Burgundionibus, quam Cattis, ditionem adsignet; & præterea tantum a Tacito Cattorum solertia atque disciplinæ cura, quantum ab Ammiano iustitia Burgundionum prædicetur (*o*). *Germania occidentalis pars media.*

Historia Cattorum nationis; VI. Gentis historiam explicare pergimus, vna oratione complexuri, quæ promiscue modo memorauimus. Primum Cattos, sed adhuc Sueuico notas nomine, Ariouisti bellum aperuit. Ille cum Cæsare bellans Sueuorum accersiit auxilia, quæ, licet ad Rhenum aduentassent, fugato tamen Ariouisto, nulla re memorabili patrata, domum redierunt. **An. V. C. IϽCXCV. Ant. C. N. LVI.**

Postea

XII. Cap. XXVIII. quam idem nostrum, quod FLORVS meminit. *Cattimelibocum* a Cattis conditum & adpellatum esse, opinio est PONTANI *Lib. I. Orig. Franc. Cap. IX.*

(*o*) AMMIANVS *Lib. XVIII. Cap. II.* regionem nominat, *cui Capellatii, vel Palas, nomen est, vbi terminales lapides Alamannorum & Burgundionum confinia distinguebant.* Erat in Cattis regio, quod tota descriptio AMMIANI satis ostendit. Palas haud dubie vetus Germanorum *Palanz*, seu *Paltz*, vocabulum refert, & regionem notauit, in quo præcipuum esset forum aut palatium. Sane OTFRIDVS *in Euangelio Palatium* vertit *Palinza*; & *Pilati Prætorium, Palinzhus*: vnde nominis notatio satis adparere videtur. CLVVERII etiam sententia *Cap. XXXVI.* probabilis est, qua putat loco *Capellatii* scribendum esse *Palatii*; vt *Palatii* latinum, & *Palas* germanicum, vocabulum recte sibi inuicem responderent. TACITVS *Germ. Cap. XXX.* tantum Cattorum laudat solertiam & rationem, vt non videatur improbabile, proprium quoddam iudiciarium forum in suis ipsos finibus habuisse. Si tamen omnino Burgundionibus dederis illam in Cattis regionem; quod videantur cum Cattis Burgundiones pacem & concordiam coluisse: saltem & sic poterant Catti in communis palatii societatem facile admitti.

Catti. Postea bis a Cæsare, vt Vbios obsidione liberaret, Cattos ar-
An. V.C. mis petitos legimus. Nequidquam tamen his territis, Vbios
DCXCVIII. tandem vectigales factos esse, ipse testatur Cæsar. Succe-
& IↃCC. dente ætate continuis bellis modo a Cattis Romani, modo
Ant. C.N. ab his Catti, petiti sunt, multaque inuicem damna: nec fere
LIII. & LI. acriorem Cattis, atque animosiorem, hostem Roma experta
est. Bis Catti cum vicinis ciuitatibus Cheruscis atque Her-
An. munduris bellum administrasse leguntur: illorum victores;
LVIII. ab his victi, grauique affecti clade. Francica deinceps socie-
Sec. tate illustrata, Catti, qui isti accesserant fœderi, præ reliquis
III. bellica clari gloria exstitere: vnde, cum minus potentium
ciuitatum passim exspirare inciperent nomina, semper tamen
Cattorum superauit memoria. Cum Francis plurimi Catti
Sec. in Gallias haud dubie inuaserunt, ibique demum nomine
V. posito incertas occuparunt regiones. Qui reliqui in patria
fuere, nunquam Francorum deseruere amicitiam, sed bellantibus ipsis tutam semper in Saxoniam & Thuringiam præstitere viam. Licet itaque pars Cattici agri nouæ accesserit in Germania *Franciæ*, pars ad *Thuringiam* spectauerit: hanc quidem a Thuringis armis occupatam non negauerim; illam vero portionem non captam putem, sed sponte sociis Francis attributam, quod reliqui Catti colendis tuendisque maioribus agris non sufficerent. Nihilo tamen minus celebris in omne æuum *HASSORVM PAGVS* perstitit; is, quod existimem, a Franconiæ duce administratus (*p*).

(*p*) De Catticis auxiliis Ariouisto submissis vid. CAESAR *Bell. Gall. Lib. I. Cap. XXXVII. LIV.* Bis in Sueuos Cæsar exercitum suum rapere conatus; vtraque vice metu, quod ipse vix dissimulare potest, recedere nulla re acta coactus. CAESAR *Lib. IV. Cap. XVI. XIX. Lib. VI. Cap. IX. X. XXIX.* PLVTARCHVS *in Cæsare.* SVETONIVS *Cæs. Cap. XXV.* & ambitiose Cæsaris victorias extollens FLORVS *Lib. III. Cap. X.* LVCANVS *Lib. II. Vers. 568.* ex Pompeii ore verius Cæsaris expeditiones canit;

Multisne rebellis
Gallia iam lustris, ætasque impensa labori,
Dant animos? Rheni gelidis quod fugit ab vndis,

eiusque iurium publicorum; VII. Publici Cattorum status rationes parum ostendunt, quod communia Germaniæ iura, alio loco declaranda, exsuperet. Cum omnis in arma gentis animus fuerit, vere militari more regimen constitutum fuisse legitur. Duces bello paceque Cattis, quantum certe liquet, præfuere. Qui enim, quod Tacitus laudat, multum rationis & solertiæ in ducibus & præfectis eligendis adhibuerunt, næ hisce non bello magis, quam pace voluerint parere; cum maxime apud eos ipsa Germaniæ occidentalis pars media.

Oceanumque vocans incerti stagna profundi
Territa quæsitis ostendit terga Britannis?

Drusi victorias a Cattis reportatas FLORVS *Lib. IV. Cap. XII.* DIO *Lib. LIV.* & plures auctores memorant. Et Tiberius cum Cattis bellauit, & maxime Cæsar Germanicus: quarum expeditionum testes olim habebis in historia laudatos. Bellum cum Hermunduris memorat TACITVS *Ann. XIII. Cap. LVII.* & eius belli tempus satis est exploratum. Belli cum Cheruscis meminit idem TACITVS *Germ. Cap. XXXVI.* sed vt prorsus fere ignoretur, quando illud bellum a Cattis contra Cheruscos fuerit administratum. Scripsit quidem TACITVS librum de Germania, Vlpio Traiano II. Cos. quod ipse ait *Cap. XXXVII.* adeoque Ann. XCVIII. Credibile autem magis est, diu iam ante cladem Cheruscorum accidisse, cum non, quasi de nouare, TACITVS de ea loquatur. In Francis fuisse Cattos, testatur vetus IVVENALIS SCHOLIASTES *ad Sat. IV. Vers. 147.* & SVLPICIVS ALEXANDER *apud* GREGORIVM TVRONENSEM *Lib. II. Hist. Franc. Cap. IX.* vbi quos modo Francos generatim dixerat, distinguit, & Bructeros, Ampsiuarios, Chattos, singulatim nominat. De *Hassorum pago* POETAE *Ann. Car. M. ad An.* IↃCCLXXIV. *Vers. 134.*

Saxones sibi contiguos inuadere fines
Ausi, Francorum pagum, qui dicitur Hassi,
Prædantur, flammisque simul populantur & armis.

Charta traditionis An. IↃCCCL. regnante Ludouico, rege Francorum Orientalium, in ANTIQVIT. FVLD. *Lib. I. apud* PISTORIVM *pag. 486.* vocat *prouinciam, quam Hassi inhabitant. Hassingorum prouincia* in *Antiquitatibus monasterii Hamerslebiensis apud* MEIBOMIVM *in not. ad Wittechindum*; *Hassegun pagus* a DITMARO *Lib. VII. Chron. Edit. Leibnit. pag. 417. Hassiæ pagus* in HENRICI *imperatoris diplomate apud* JOH. FERRARIVM *in Comm. ad L. ius nostrum. 7. D. de Reg. iuris* adpellatur. Pagus iste Hassorum vnus ex maximis fuit, minoresque plures comprehendit, quod notitia æui medii declarat. Plurimum ergo errant ANDR. ALTHAMERVS *in* TACITVM *Germ. Cap. XXX.* & FRANC. IRENICVS *Lib. IX. Cap. X. Cattorum progeniem in vniuersum desiisse, nomenque cum gente exstinctum esse,* opinati. Semper quippe iisdem prope in sedibus, & parum mutato nomine, nobilissimæ nationis portio perdurauit.

Catti. ipsa omnino pax non nisi adparatibus belli absolueretur. Non itaque memini, me Cattorum regis factam alicubi mentionem reperisse. Bello namque adsuetæ gentes plus visæ sunt in plurium virtute & experientia, quam in vnius aut genere, aut ambitione, reponere. Quoties postularet casus & necessitas, duces & præpositos conuenisse, & in commune consuluisse, est probabile: vt plebs tamen non imperium eorum agnosceret, sed prudentiam atque prouidam patriæ curam suspiceret. Cum vero potens florensque natio ciuitatibus quibusdam imperauerit, non eæ consiliorum factæ participes, sed tantum in vsum decretorum bellorum fuere sepositæ. Hæc sola victarum gentium erga dominos fuere officia, quæ eo præstitere atque auxere alacriores, quo certiorem suam haberent libertatem, exemtæque oneribus & collationibus, communi modo libertati & saluti seruirent (q).

IIX. Ipsa Cattorum indole, quod integra docet historia, & quod honoris ergo paulo persequi latius animus est, nihil repereris inter antiquæ Germaniæ gentes animosius atque fortius. militaris itidem disciplinæ & gloriæ;

(q). TACITVS *Germ. Cap. XXX. Multum, vt inter Germanos rationis ac solertiæ:* (Cattis fuit) *præponere electos, audire præpositos.* Sub imperio suo quasdam nationes habuisse Cattos testatur CAESAR *Lib. VI Cap. X. Paucis post diebus fit ab Vbiis certior,* (Cæsar) *Suenos omnes in vnum locum copias cogere; atque iis nationibus, quæ sub eorum sunt imperio, denunciare, vt auxilia peditatus equitatusque mittant.* Fortassis autem æuo Cæsaris potentiores fuere Catti, quam postea. Sane STRABO & PTOLEMAEVS inde videntur Cattos, at male tamen, in minores Germaniæ populos retulisse, quod eam amplitudinem, quam Cæsar prædicauit, non vltra in solis Cattis spectarent. Habuerunt tamen & deinde *Chattuarios*, quod videtur, in imperio; & fortassis etiam *Mattiacos:* laudibus, quas Suenis Cæsar scribit, semper Cattorum propriis; at forte aucta a Cæsare ex vaga fama, Sueuorumque nominis ignorata maxima complexione, singularis populi magnitudine. Consilia Cattos publica habuisse iterum docet CAESAR *Lib. IV. Cap. XIX. Suenos,* accipit ab Vbiis, *postquam per exploratores pontem fieri comperissent, more suo consilio habito, nuncios in omnes partes dimisisse, vti de oppidis demigrarent, liberos, vxores, suaque omnia, in siluas deponerent: atque omnes, qui arma ferre possent, vnum in locum conuenirent.* Hic oppida Cattorum a Cæsare memorantur? quæ vero recte villæ, vicique, priuatæque domus, illo vetustiorum rerum statu, dicta forent.

tius. Quod aliis Germanorum populis esset vsurpatum, sed rara & priuata aliquorum audentia; apud Cattos vertit in consensum, vt quilibet, cum primum adoleuerit, crinem barbamque submiserit, nec nisi cæso hoste exuerit votiuum obligatumque virtuti oris habitum. Super sanguinem & spolia, memorante Tacito, reuelarunt frontem, seque tum demum pretia nascendi retulisse, dignosque patria ac parentibus tulerunt. Ignauis & imbellibus, non nisi virtute tollendus, mansit squalor. Fortissimus quisque ferreum insuper annulum, id genti velut vinculum ignominiosum exstitit, gestare consueuit, donec se cæde hostis absoluerit. Plurimis Cattorum hic etiam ipse mos placuit atque habitus. Tumque isti insignes & hostibus simul suisque monstrati canuerunt. Omnium penes hos fortissimos senes initia fuere pugnarum; hæc prima semper fuit acies, visu noua, hostibusque horribilis. Nam ne illi quidem heroës in pace vultu mitiore mansueuere. Nulli horum domus, aut ager, aut quicquam curæ fuit. Prout ad quemque venere, optati gratique hospites summo fauore excepti altique sunt. Sic prodigi durarunt alienarum opum, suæque ipsi contemtores vitæ; donec exsanguis senectus tam duræ virtuti impares fecisset. In vniuersum plurimum inter Cattos rationis ac solertiæ adparuit. Præponere electos, audire præpositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia virtutem inter certa numerare; quodque rarissimum, nec nisi ratione disciplinæ concessum, plus in duce, quam in exercitu reponere: singula militaris Cattorum virtutis decora fuere. Omne apud eos in pedite fuit robur, quem super arma ferramentis quoque & copiis coonerarunt. Non tamen minus equestri claruerunt laude; nunquam vsi ephippiis: equestria etiam prælia sæpe vertentes, pedibusque committentes arma. Alios sane Germanos

Germaniæ occidentalis pars media.

Catti. manos ad prælia tantum iſſe dixeris: Catti ad bellum iuerunt certa ratione vbiuis adminiſtrandum *(r)*.

IX. Centum pagos habuiſſe eos, de ſua ætate Cæſar, iam ſupra eius laudato teſtimonio, memorauit. Ex his ſingula millia armatorum quotannis bellandi cauſa ex finibus eduxere: reliqui manſere domi, pro ſe atque illis coluere. Hi rurſus inuicem anno poſt in armis fuere, illi domi remanſere: vt adeo neque agricultura, neque ratio, neque vſus belli vnquam fuerit intermiſſus. An firmatis Germanicarum ciuitatum ſedibus parem ſeruauerint Catti morem, vtrum ad neceſſariorum bellorum tantummodo vſum illum quotannis delectum militem ſepoſuerint? non ſatis id exploratum eſt: licet cognitum ſatis, nunquam prope Cattos a bellis, aut cum Romanis, aut cum aliis Germanis, gerendis vacaſſe. Interim prior illa & antiquior conſuetudo, non modo occaſio, ſed etiam cauſa, crebrarum ablegatarum exſtiterit coloniarum. Sane Cæſaris iamdum ætate inter vtrumque Rheni alueum coluerunt *BATAVI*, nobilis Cattorum gens. Cum Batauis *CANINEFATES* habitantes, & ipſi Cattorum colonia fuere. Prope Cattos ad occaſum ducti in Vbiorum agrum coloni a gentis capite Mattio *MATTIACORVM* acceperunt cognomentum. Perhibent etiam *IVHONES*, quos vltra Mattiacos ad Rhenum egiſſe multi, quam recte, alibi diſpiciemus, contendunt, Cattorum eſſe ſatu ortos: & quos

nec non ſingulatium inſtitutorum.

(r) Laudes Cattorum ex TACITO habemus, verbis fere auctoris ſeruatis, ſed paulum quandoque faciliori ſenſui redditis. Præpoſuimus autem *Cap. XXXI.* & poſtpoſuimus *Cap. XXX.* quæ cum contextu noſtræ commentationis licet contendere. Non vti Cattos ephippiis CAESAR *Lib. IV. Cap. II.* ait. *Equeſtribus præliis ſæpe ex equis deſiliunt, ac pedibus præliantur; equosque eodem remanere veſtigio aſſuefaciunt; ad quos ſe celeriter, quum vſus eſt, recipiunt, neque eorum moribus turpius quidquam, aut inertius habetur, quam ephippiis vti. Itaque ad quemuis numerum ephippiatorum equitum quamuis pauci adire audeant.* Adde antiquis Sueuorum laudibus, quæ continuo addit CAESAR. *Vinum ad ſe omnino importari non ſinunt, quod ea re ad laborem ferendum remolleſcere homines atque effoeminari arbitrantur*; quod & inſtitutum paulo infra in contextu memoratur.

Germania occidentalis pars media.

quos alios liceret populos claris natalibus hiſce adſerere. Super reliqua inſtituta, vinum Cattos ad ſe omnino importari non ſiuiſſe, Cæſar itidem teſtatur; nec mercatoribus eos patefeciſſe aditum, quam vt, quæ bello ceperint, iis venderent: ceterum nullam non reliquorum Germanorum laudem meruiſſe (*s*).

Ad Cattorum latus occiduum ſucceſſere Vbii;

X. Ad partem Cattorum occiduam antiquiori æuo ſucceſſere

VBII;

quorum fines explicantur;

ampla ciuitas atque florens, quam Cæſar, propugnator eorum ac pene patronus, adpellitat. Fines iſti ſuæ regionis in Cattos vſque ad *orientem* habuere protentos: & eſt probabile, fontes Adranæ & Loganæ amnium in Cattorum Vbiorumque fuiſſe confinio. Ad *Mœnum* pertigiſſe, eiusque dextram coluiſſe ripam, vnde minor amnis Sala Mœno confluit, auctores cupiunt. Rei maxime inde petitur argumentum, quod Mattiaci, qui omnes Vbiorum inſedere agros, Mœno a Gallis atque Alemannis, donicum a poſtremis prolatarentur agri contra ſeptentrionem, diſterminati fuere. A Salæ autem confluente ſedis initium inchoaſſe Cattos; hoc præcipue probat, quod Burgundiones, quibus, bene Cattis cupientibus, ſuperiorum agrorum facta erat copia, crebro cum Alemannis de Salinis certauerint; quas quidem niſi ad illud fluentum minime in locis hiſce quæſieris. *Rhenum* a Belgica, & a Treuiris, atque Eburonibus, Vbios ſeparaſſe, in nulla ſitum

(*s*) Verba CAESARIS ſunt *Lib. IV. Cap. I. & II.* Aut vero pagos diuerſos imparesque intellexit CAESAR, cum *Lib. I. Cap. XXXVII.* Treuiros nunciaſſe ait, *pagos centum Sueuorum ad ripam Rheni conſediſſe:* aut prorſus vaga Sueuorum notitia, cum Cattos reſpiceret, ſed iis multa, quæ vaſto Sueuico nomini conueuere, tribueret, eum in errorem induxit. De coloniis Cattorum, *Batauis, Mattiacis, & Caninefatibus*, ſatis conſtat, ex TACITO *Cap. XXIX. Germ. & Hiſt. Lib. IV. Cap. XV.* IVHONES ex TACITO *Ann. XIII. Cap. LVII.* CLVVERIVS *Cap. VIII.* dedit: ſed proficere parum eius argumenta, mox patebit. Contra magis idoneis rationibus infra *Taxandros* Cattis adſeremus.

Vbii. situm est controuersia. Eam sane Cæsar affert causam, quod paulo reliquis Germanis forent humaniores, quod Rhenum vbique attingant, multique ad eos mercatores ventitent, & ipsi propter propinquitatem Gallicis sint moribus adsuefacti. Treuirorum etiam atque Eburonum confinium, & pons Cæsaris, qui ex Treuiris Vbiorum adiunxit regionem, & populi testatur in aduersam Rheni inferioris ripam, quæ omnino Eburonum vetus exstitit sedes, succedens transgressio (*t*). Ad *septentriones* Sigambrorum Vbios fuisse confines, prima Cæsaris in Germaniam Transrhenanam expeditio comprobat. Cum enim in Vbiorum finibus aduentasset, ad vtramque partem pontis firmo relicto præsidio, protinus in fines Sigambrorum contendit: qui, cum Catti ad orientem, aliæque in austri partibus gentes, colerent, non alibi, quam versus aquilonem Vbios potuere prætexere. Qui vero inter Sigambros & Vbios verus fuerit terminus? id magis dubium est atque opinabile. Volunt quidam vltra Segum Vbiorum

(*t*) *VBIOS* laudat CAESAR *Cap. III. Lib IV.* CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. III. Cap. VI.* ab *oriente* Vbios, linea ab Adranæ fonte ad Salæ Moenique confluentem, a Cattis; ab *austro* amne Moeno ad Salam confluentem, ab *Heluetiis, posteaque* a Marcomannis, & Sedusiis; ab *occidente*, Rheno, a Treueris, Condrusis, atque Eburonibus; & a *septentrionibus*, linea a fonte Adranæ ad Rheni ripam, Coloniæ Agrippinensi aduersam, a Sigambris, disterminauit. His regionibus hodie sterni nouimus *Wetteraniam, & siluam occiduam, Wester-Wald* vulgo dictam, cum portione *Hassiæ*, qua oppida *Marburg* & *Giessen*. Ad orientem Cattos continuasse Vbios, ex expeditionibus binis, quas CAESAR trans Rhenum fecit, & quas *Lib. IV. Cap. XVI. XIX. & Lib. VI. Cap. IX. & X.* ipse descripsit, discimus. Heluetios, indeque Gallos, ad Moenum vsque protulit TACITVS *Germ. Cap. XXVIII. XXIX.* & vltra eos statim Cattos posuit: vnde Vbios, in quorum locum Catti colonias duxerunt, non minus ad Moenum pertinuisse, est probabile. Rhenum adcoluisse Vbios, ex CAESARE *Bell. Gall. Lib. IV. Cap. III.* certissimum est. Vtraque etiam vice quum Cæsar in Germaniam transiret, in Vbios primum contendit. Altera vice ex Treuiris paulum supra eum locum, quo antea exercitum transduxerat, facere pontem instituit, quod dicit *Lib. VI. Cap. IX.* vnde forsitan prima vice ex Eburonibus transgressus fuerit. Vtrumque autem confinia Vbiorum clare docet.

rum sedes fuisse protentas; & quasi linea, ab aduersa Coloniæ Agrippinensi Rheni ripa ad Adranæ amnis ducta fontem, eos a Sigambris diuisos fuisse: de ea positione non alio persuasi argumento, quam quod in finitimam citeriorem ripam Vbii transducti esse dicantur, iste vero regionis positus non nisi terrarum tractui, quem Segus alluit amnis, conueniat. Ipse magis existimem, non nimium supra Loganam amnem Vbios contra septentrionem coluisse, Segumque amnem solas Sigambrorum ambiisse sedes: quæ & gens posterior nomen omnino dedisse flumini, aut accepisse ab eo, censetur. Potuere namque Romanorum auspiciis Vbii in Eburonum Menapiorumque porrectiores regiones immitti, licet ipsi in Transrhenana Germania non eo vsque habuerint suas extentas sedes (*u*).

Germaniæ occidentalis pars media.

& historia exponitur; XI. Cum Cattis Vbios æternas gessisse inimicitias, Cæsaris nos testimonia docent. Ariouisto a Cæsare superato, data hac occasione vlciscendi iniurias, Sueuica auxilia graui strage ab Vbiis sunt affecta. Adeo vero deinde a Sueuis, siue Cattis, Vbii sunt afflicti, vt nequidquam Cæsare, qui bis transiuit Rhenum, prohibente fierent demum vectigales, multoque, quam ante, humiliores. Fecere hæc Cattorum odia, vt primi Transrhenanorum, Vbii, Cæsaris populique Romani expeterent fœdus atque defensionem. Ast parum adiuti Romanorum amicitia, ad patriam, libertatemque, a vi gentium, Romanæ maiestatis incuriosarum, defendendam; cum tandem totius internecio atque excidium ciuitatis immineret, beneficio Augusti a M. Vipsanio Agrippa, tum consule Romano, in citeriorem Rheni ripam transducti, &, quod Tacitus

An. V. C. ɔɔCXCV. Ant. C. N. LVI.

An. V. C. ɔɔCCXVI. Ant. C. N. XXXV.

(*u*) Vbiorum ad septentriones Sigambros confines exstitisse, probatur argumento ex CAESARE *Lib. IV. Cap. XVIII.* petito. Qui vltra Loganam ad Segum & vltra producunt Vbios, infirmo nituntur argumento, quod in aduersam prorsus Rheni ripam fuerint transducti. Nos nomine amnis Segi nitimur, & quod Sigambri videantur amplioribus omnino, quam Vbii, regionibus insedisse.

citus ait, experimento fidei ſuper ipſam Rheni ripam collocati ſunt, vt arcerent, non, vt cuſtodirentur. In Gallia agentes, aucti Agrippinæ inſigni colonia, *AGRIPPINENSES*, conditoris ſui nomine, libentius vocati ſunt. Sed nondum ſubtracti Transrhenanorum hoſtium incurſionibus, omnibus prope Germanicis bellis miſere vexati atque vaſtati ſunt; cum maxime Germani homines, in Romanorum, eiurata quodammodo origine ſua, agentes clientela, a ceteris libertatis amantiſſimis Germanis magis, quam Romani, haberentur deteſtabiles, minusque, quam oppreſſi victique Galli, vlla digni miſeratione. Cum ceteris Gallis extremum Vbios in Francorum conceſſiſſe ditionem, infra pluribus declarabitur (*x*).

 XII.

(*x*) CAESAR *Bell. Gall. Lib. IV. Cap. III. XVI. XIX.* inimicitias Cattorum aduerſus Vbios narrat. De auxiliis Sueuicis ab Vbiis adflictis vid. *Lib. I. Cap. LIV.* Iam Cæſaris æuo Vbios tandem vectigales factos eſſe, ac multo humiliores, infirmioresque redactos eſſe, conſtat ex *Cap. III. Libri IV.* Poſt Cæſaris abitum fere oppreſſi, à M. Vipſanio Agrippa in citeriorem ripam ſunt traducti. Annum notat DIO CASSIVS *Lib. XLVIII.* de Agrippa dicens: τοὺς Γαλάτας αὐτὸν τοὺς νεωτερίσαντας προσπολεμήμενον, ὅτι περ καὶ τὸν Ῥῆνον δεύτερος δὴ τῶν Ῥωμαίων ἐπὶ πολέμῳ διέβη, μετεπέμψατο. - - - - ὑπάτευε δὲ μετὰ Λουκίου Γάλλου. *Contra Gallos quoque rebellantes* (Agrippam) *bellum gerentem, cuius cauſa ſecundus Romanorum Rhenum tranſiuit, quum is conſul eſſet cum L. Gallo, euocauit* Octauianus; ſcilicet ad claſſem fabricandam, & naualem militem aduerſus Sextum Pompeium, Pompeii Magni filium, exercendum. Hac expeditione Vbii traducti ſunt; non altera breuiori, quæ nullum illuſtre habuit monimentum, ſcribente DIONE *Lib. LIV.* Ipſam transductionem memorat STRABO *Lib. IV.* Πέραν δὲ ᾤκουν Οὔβιοι κατὰ τοῦτον τὸν τόπον, οὓς μετήγαγεν Ἀγρίππας ἑκόντας εἰς τὴν ἐντὸς τοῦ Ῥήνου. - - - Πάσης δ' ὑπέρκεινται τῆς ποταμίας ταύτης οἱ Σουῆβοι προσαγορευόμενοι Γερμανοί, καὶ δυνάμει, καὶ πλήθει, διαφέροντες τῶν ἄλλων· ὑφ' ὧν οἱ ἐξελαυνόμενοι κατέφευγον εἰς τὴν ἐντὸς τοῦ Ῥήνου νυνί. *Trans amnem vero incolebant Vbii, iuxta hanc regionem: quos Agrippa haud inuitos transduxit in citeriorem Rheni ripam.* Et mox addit. *Omnem hanc ripam* (ad vlteriorem a citeriori transiuerat) *accolunt Sueui, Germanica natio, virtute atque multitudine reliquis ſuperiores; a quibus pulſi,* (ſed qui? niſi quos modo Vbios transductos ab Agrippa dixerat) *in interiorem Rheni regionem nunc confugerunt.* TACITVS *Germ. Cap. XXVIII. Vbii quidem*, inquit, *quanquam Romana colonia eſſe meruerint, ac libentius Agrippinenſes, conditoris ſui nomine vocentur, origine erubeſcunt; transgreſſi olim, & experimento fidei ſuper ipſam Rheni ripam collocati, vt arcerent, non vt cuſtodi-*

addita publici eorum ſtatus recenſione.

Germaniae occidentalis pars media.

XII. Quantum ex Cæſare perſpicimus, non Vbiis more Germanicarum ciuitatum duces aut reges imperarunt. Non tantus enim eorum ad arma ardor & animus, vt electos præponere, præpoſitos audire, valde e ſua re duxerint. Potius cum crebro cum Gallis commercio valde Gallicis moribus eſſent adſuefacti, Gallorum exemplo videntur ſenatum ex multitudine electum habuiſſe, qui ciuitatis ſalutem procuraret. Sane, cum cis Rhenum colerent, Tencterorum legati mandata apud concilium Agrippinenſium, non apud duces quoſdam, edidere. Qui vero amicitiæ cauſa in Romanam traducti ſunt ripam, non videntur priſca ſua deſeruiſſe iura, & in nouam veniſſe conſuetudinem. De aliis Vbiorum inſtitutis parum conſtat. Cum tamen eos ceteris Germanis humaniores Cæſar vocauerit, facile eſt intelligere, non tantam eis libertatis curam fuiſſe, non illud duræ virtutis, quod reliqui Germani, præſertim Catti, oſtenderunt ſtudium. Profecto libertatem ab Vbiis peſſundatam clare Tencteri eis per legatos exprobrarunt, &, vt ſeruitutis obliti patrium reſumerent cultum, hortati ſunt. Voluptates autem iidem Tencteri ſuaſere abrumpere, cum iis Romani plus aduerſus ſubiectos, quam armis, valeant: id rurſus idoneo argumento, deſerta dura patrum virtute facile Vbios Romanorum deliciis fractos effœminatosque eſſe (y).

XIII. Vbiis

rentur. Et IDEM *Ann. XII. Cap. XXVII.* poſt coloniæ ductæ hiſtoriam, *Ac forte,* ait, *acciderat, vt eam gentem, Rheno transgreſſam, auus Agrippa in fidem acciperet.* Frequentem Vbiorum vaſtationem in hiſtoria cernemus. In Ciuilis motibus, *actæ vtrobique prædæ, infeſtius in Vbiis, quod gens Germanicæ originis, eiurata patria, Romanorum nomine Agrippinenſes vocarentur;* ſcribente TACITO *Hiſt. Lib. IV. Cap. XXVIII.* & mox a Ciuili & Claſſico, vbi propius ad Vbios ipſi acceſſiſſent, dubitatum, an coloniam Agrippinenſem diripiendam exercitibus ſuis permitterent. TACITVS *Hiſt. Lib. IV. Cap. LXIII.*

(y) CAESAR *Lib. IV. Cap. III. Vbii,* inquit, *quorum ciuitas ampla atque florens, vt eſt captus Germanorum, & paulo, qui ſunt eiuſdem generis, etiam ceteris humaniores; propterea, quod Rhenum attingunt, multique ad eos mercatores ventitant, & ipſi propter propinquitatem Gallicis ſunt moribus aſſuefacti.* IDEM *Cap. XI. principem ac*

Mattiaci. XIII. Vbiis ex regione, quam paulo ante definiuimus, eiectis per Cattos, excitis a Romanis, eadem, quam memorauimus, Augusti ætate, Catti non paucas submisere colonias, iisque omnem Vbiorum agrum impleuere. Monui, aliquandiu communi Cattorum nomine nouos agrorum colonos fuisse cognitos, vt trans Rhenum adeo statim Cattorum ditio occurreret. Aetate autem incerta, vix tamen ante, quod multis doceri potest rationibus, quam Vbiorum demigratio haberet annos circiter sexaginta, singulare demum Catticæ coloniæ nomen

Desertos ab Vbiis agros postmodum Catticæ coloniæ insedere;

An. XXV.

MATTIACORVM

istis trans Rhenum finibus auditum, valdeque confestim illustratum est. Nomen hoc haud dubie caput totius Cattorum gentis, quod alicubi Tacitus adpellat, *Mattium*, Mattiacis dederit. Quidam turpi errore lapsi prope Batauos Mattiacos quæsiere, quod, cum de Batauis Tacitus egisset, statim de Mattiacis loqui perrexerit. Aliis ergo placuit insulas Mosæ Scaldisque fluminum ostiis obiacentes Mattiacis assignare: quibus & diuersi loca ad Fleuum lacum trans Rhenum posse censuerunt tribui. Falli vtrosque docent omnia. Non Tacitus cum Batauis coniungit Mattiacos, quam quod eodem sint orti genere, eandem Romanorum amicitiam colant, eodem a Romanis habeantur honore. Diserte vero iis sedem finesque in ripa trans Rhenum adiudicat, aitque, cetera esse similes Batauis, nisi quod ipso adhuc terræ suæ solo & cœlo acrius animentur. Quis porro aut in insulis, aut ad Fleuum lacum, argenti venas indagauerit? quas tamen in Mattiaco agro Curtium Rufum inuenisse, Tacitus testatur. Adde aquas Mattiacas, quæ profecto non alii genti, nisi Mattiacis, nomen refe-

quibus demum Mattiacorum nomen singulare obtigit.

Falsæ quorundam de Mattiacis opiniones.

An. XLVII.

senatum Vbiorum nominat. *Concilium Agrippinensium*, apud quod Tencterorum legati mandata ediderunt, vocat TACITVS *Hist. Lib. IV. Cap.* *XLIV.* Et cetera, quæ de imbellibus moribus Vbiis a Transrhenanis exprobratis diximus, in eo capite habes.

Germaniae occidentalis pars media.

referent acceptum, quarumque positio in nullam vocari potest controuersiam, manifesto refellere & coarguere reliquorum errationem, verasque Mattiacorum indicare in Rheni ripa desertaque ab Vbiis regione sedes. Quod proinde inique vocatum est in dubium, ad eandem Cattorum partem, qua ante Vbii, mox nostri successere Mattiaci (z).

De finibus Mattiacorum regionis.

XIV. In finibus eorum designandis non iam multum laborandum erit, cum insedisse Mattiacos Vbiorum agros sit compertum. Ripa Rheni a Treuiris, Mœno, a Gallis vectigalibus, & hisce expulsis ab Alemannis; incertis terminis, nam per lineas incerta definire spatia fere audax esse facinus iudico,

(z) Solus *CATTOS* in relictis Vbiorum agris nouit STRABO *Lib. IV.* omnem vlteriorem Rheni ripam accolere Sueuos perhibens; vt modo eius verba memorauimus. DIO CASSIVS *Lib. LIV.* ait Drusum, Q. Tuberone, F. Maximo, Coss. id est, annis XXVI. postquam in Gallias essent Vbii transducti, castellum exstruxisse, *ἐν τοῖς Χάττοις παρ' αὐτῷ τῷ Ῥήνῳ*; *in Chattis apud ipsum Rhenum.* TACITVS *Ann. I. Cap. LVI.* in Germanici expeditione, Druso Cæsare, C. Norbano, Coss id est, XXXIX. anno post Vbiorum emigrationem, Matticum, vnde Mattiaci denominati, vniuersorum Cattorum facit caput. STRABONIS testimonium, ad quod prouocauimus, in annum LV. ab Vbiorum emigratione, & consulatum Jun. Silani & C. Norbani, incidit. Ad id vsque tempus *MATTIACI* ignorati sunt. Quando deinceps illustrati sint, ignotum est; nisi quod inter LV. annum & LXXXIII. post Vbiorum transgressionem, quo primus TACITVS *Ann. XI. Cap. XX.* Mattiacorum meminit, Claudio Cæsare IV. L. Vitellio Coss. nomen eorum fuerit cognitum. In libro *de Germ. Cap. XXIX.* rursus Mattiaci memorantur; sed vt tamen, prisco more vsus, Cattorum nomen generale statim post Moenum ostenderit TACITVS. Mentio ipsa Mattiacorum *in libro de Germania*, & *in Annalibus*, diserte eorum sedes declarat, & errores contradicentium refellit. Priore loco ait: *Est in eodem* (quo Bataui) *obsequio & Mattiacorum gens. Protulit enim magnitudo populi Romani vltra Rhenum, vltraque veteres terminos, imperii reuerentiam. Ita sede finibusque in sua ripa, mente animoque nobiscum agunt; cetera similes Batauis, nisi quod ipso adhuc terræ suæ solo & cælo acrius animantur.* In annalibus ait, postquam Corbulonem insignia triumphi ex Germanica expeditione meruisse memorasset; *Nec multo post Curtius Rufus eundem honorem adipiscitur, qui in agro Mattiaco recluserat specus quærendis venis argenti.* Explicationem vtriusque testimonii ipsa commentatio persequitur. Conf. CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. III. Cap. VII.*

Mattiaci. iudico, à Cattis, ſeparati ſunt. Ab auſtri partibus auctis Alemannorum rebus fines Mattiacorum turbatos coarctatosque eſſe, ſæpicule dictum eſt. Tum vero ad Loganam amnem Alemannorum prolata ditione, *Bucinobantes*, Alemannorum pagus, potiores Mattiacorum ſedes habitarunt. Quo tum Mattiaci conceſſerint; aut potius qui iam ante eorum ad ſeptentrionem fuerit terminus? non parum dubium inexploratumque inuenio. Sunt, qui ad Loganæ confluentem Mattiacorum ſtatuunt finem, indeque linea ad Adranæ directa fontem ceteros eorum agros circumſcribunt. Hi ea moti cauſa non integram Vbiorum regionem Mattiacis reliquere, quod IVHONES, iam aliquoties memoratam, ſed maxime tamen dubiam atque incertam ciuitatem, aquilonari eius parte donare vellent. Ipſe, qui certa ductus ratione Vbiorum ditionem paulo vltra Loganam contra ſeptentriones produxi, non vereor eosdem fines Mattiacis ſolis dare, quibus, vt ante a Sigambris Vbii, ſic ipſi a Tencteris fuerint diuiſi. Minime enim, ſi demum poſt alios eruditiſſimos viros ſententiam dixerim, *Iubonum* ciuitatem, alioquin inauditam, ex Tacito poſſe probari, iudico; cum & optimi codices *Vbiorum* habeant aut indicent nomen, & ipſa Taciti verba clariſſime oſtendant, nullam aliam, quam Vbiorum ciuitatem, ſi vel prorſus nomen expunctum foret, intelligi. Excidentibus itaque, quicquid ad aliorum opinionem aliquoties eos nominauerimus, Iuhonibus, Mattiacisque non multum vltra Loganam locatis, tum, credo, cum Alemanni agris Mœnum inter atque Loganam potirentur, Mattiacos refugiſſe in interiora ad conſanguineos ſuos Cattos, aut dextram Loganæ amnis ripam aliquandiu coluiſſe, donec in Francico fœdere infirmior ciuitas nomen poneret. Si & cupis, oppreſſam ab Alemannis, non de ſedibus depulſam, Mattiacorum gentem dixerim. Fortaſſis coacti ſunt in Alemannorum clientela nouum aſſumere cognomentum. Quis imo prohibet, quo minus eos pute-

Iuhones Taciti ipſi fuere Vbii; nulla ſingularis ciuitas.

putemus extremum ab Alemannis in societatem receptos esse, & instar singularis pagi, nomine Bucinobantium cognitos, in priscis egisse regionibus? Quam quis gustauerit, in coniecturali quæstione opinionem libere amplectatur (*a*).

Germania occidentalis pars media.

Monumenta antiquitatis in agro Mattiacorum.

XV. Monumenta quædam antiquitatis, quæ in Mattiaco agro occurrunt, tum ostendimus, cum Cattorum viseremus regionem. Est ex iis *Mattium*, quod totius quidem gentis Cattorum caput Tacitus adpellat; sic tamen, vt communi vsus nomine non singulari ciuitati illud demat. Si sane Mattiacorum regio ad Adranæ amnis fontem pertinuit, Mattium Loganæ adsitum ripæ propria eorum arx aut vrbs fuit: quod & nomen Mattiacorum suadet, dubio procul ab vrbe aut præcipua villa acceptum. Spectat etiam ad Mattiacos positio *Catti-*

(*a*) Si solum nomen *Mattii*, *Mattiacorumque fontium*, superaret, vix esset, quod dubitaremus de sedibus Mattiacorum: quas vero adprime TACITVS dictis locis demonstrauit. Confinium Rheni porro ostendit TACITVS *Hist. Lib IV. Cap. XXXVII.* vbi *Magontiaci obsessores, mixtus ex Cattis, Vsipiis, Mattiacis, exercitus:* cum quibus & Treueros magnis inuicem cladibus certasse, & Treuerorum hoc confinium declarat. Moenum & Cattos TACITVS *Germ. Cap. XXX.* probat. *JVHONES* ex TACITO *Ann. XII. Cap. LVII.* CLVVERIVS *Cap. VIII.* copiose adsertum iuit; vt paucis vero, magna licet opera, persuaserit. TACITVS ait; *ciuitas Jubonum socia nobis malo improuiso adflicta est. nam ignes terra editi, villas, arua, vicos, passim corripiebant, ferebanturq; in ipsa condita nuper colonia moenia, neq; exstingui poterant, non si imbres caderent, non si fluuialibus aquis, aut quo alio humore, niterentur: donec inopia remedii, & ira cladis, agrestes quidam eminus saxa iacere, dein residentibus flammis propius suggressi, ictu fustium aliisque verberibus, vt feras, absterrebant: postremo tegmina corpori direpta iniiciunt, quanto magis profana & vsu polluta, tanto magis oppressura ignes.* Optimi codices *ciuitas Vibonum* agnoscunt, vnde facilis ad veram lectionem, *ciuitas Vbiorum*, via est. Cum hac Vbiorum ciuitate toti narrationi TACITI probe conuenit. Si Transrhenanam ciuitatem vbiubi sitam, Juhones dixeris, vix difficili cura TACITVS explicatur. Videantur, quæ erudite disputat contra CLVVERIVM & alios, qui Juhones omnino in Frisios retulerunt, MENSO ALTINGIVS *Notit. Germ. Infer. in voce Juhones fol. LXXXIII.* Postquam occupassent Alemanni Mattiacorum agros, dubium, quo hi concesserint? Præter alia existimo, plurimos Mattiacos in Romanorum abiisse militiam; vnde, cum quasi excisum esset ex sedibus nomen, adhuc tamen diu in Romanis militibus memoratum est.

Mattiaci. *Cattimeliboci* arcis, quæ fortaſſis ſuper veſtigia celebris cuiusdam Cattorum villæ eſt poſita, antiquorumque incolarum, Cattorum, memoriam nomine ſeruauit. Meminiſſe vero præterea porro oportet *Mattiacorum* calidorum *fontium*, quos Plinius nominat, & *Mattiacarum aquarum*, quarum mentio fit ab Ammiano. Eſſe eos fontes, iſtasque calidas aquas, thermas hodieque celebres, non procul a Rheni Mœnique confluentibus contra ſeptentrionem ſitas, quilibet ex Ammiani deſcriptione agnoſcit, eoque certius de veris Mattiacorum ſedibus iudicat. *Taunus* etiam mons, de quo alibi ſententiam diximus, in Mattiacorum finibus exſtitit. Aduerſam eum Rheni ripam prope Moguntiacum attingere, eruditorum hodie dubitat nemo: eorumque paſſim exoleuit opinatio, qui omni ratione deſtituti cis Rhenum in Gallico ſolo millibus paſſuum a Moguntiaco eum quondam quæſiere. Nec hodie de eo dubitatur, ſitum *caſtelli Druſiani*, poſtmodumque a filio Germanico reſtituti, optime illi regioni, cui nos Taunum montem vindicamus, reſpondere. Qui vero illud, alio iamdum loco a nobis nominatum, Traiani caſtellum, quod ſitum in Alemannorum ſolo, a Iuliano reſtitutum, Ammianus ſcribit; eidem Tauno monti imponunt, terque Druſianum caſtellum contendunt reſtauratum, iſti minime ſuam tuentur cauſam. Certe enim a dextra Mœni ripa Druſus & Germanicus belligerarunt, iſtamque viam & transitum munitionibus firmare conſultum duxerunt. Traianus autem & Iulianus, diſerte rem explicante Ammiano, in ſiniſtra Mœni parte, quam proprium Alemannorum ſolum complexum eſt, geſſerunt bella; alterque in ea regione, finibus licet incertis, caſtellum primus condidit, ſuoque nomine adpellauit, alter illud dirutum atque vaſtatum reparauit, nouisque auxit præſidiis (*b*).

Caſtella Druſi & Germanici eodem loco quærenda ſunt; non itidem Traiani & Iuliani munimenta.

XVI.

(*b*) *Mattium* TACITVS *Ann. I. Cap. LVI. celebrat. De Mattiacis fontibus* PLINIVS *Lib. XXXI. Cap. II. Sunt & Mattiaci in Germania fontes*

Mattiacorum res gestæ & fata.

XVI. In rebus Mattiacorum illud maxime eſt memorabile, gentem ſatu Cattorum, hoſtium præcipue Romanis infenſorum, ortam, quaſi ſoli quoddam ſubeſſet contagium, non proprio fuiſſe nomine cognitam, quin iamdum mente animoque, quæ eſt Taciti elegans dictio, cum Romanis egerit. Eſt credibile, Cattorum coloniam, donec cum Cattis reliquis hoſtili eſſent in Romanos animo, communi *Cattorum* veniſſe adpellatione: quamprimum autem Vbiorum exemplo Romanorum obſequium elegiſſent, ab ipſis Cattis oppugnatam, a Romanis protectam, adeoque, vt ab inimica ciuitate diſtinguerentur, nouo *Mattiacorum* vocabulo a Romanis notatam eſſe. Non tamen, ſi omnino Romani dederunt adpellationem, ea hi effecere, vt Mattiaci conſtanter Romanam colerent dominationem. Videtur potius ſimulata amicitia traxiſſe intolerabile ſeruitutis iugum: quod vel inde probauerim, quod, velut in prouincia, in Mattiaco agro præſidia Romani locata habuere, & omnino venas metallorum, quaſi in proprio ſolo, ſcrutati ſunt. Iugum autem a Mattiacis paulisper toleratum, facile animum iis dederit, coniungendi cum Cattis atque Batauis, conſanguineis gentibus, cauſam

Germaniæ occidentalis pars media.

An. XLVII.

calidi trans Rhenum, quorum hauſtus triduo feruet: circa marginem vero pumicem faciunt aquæ. Et de iisdem AMMIANVS *Lib. XXIX. Cap. IV. Valentinianus,* inquit, *tacite, quantum conceſſit facultas, ne qui conſerendo officeret ponti, iunxit nauibus Rhenum. Et antegreſſus contra Mattiacas aquas primus Seuerus;* & quæ ſequuntur. paulo poſt autem de ſitu: *In Macriani locum Bucinobantibus,* (in quos modo fecerat expeditionem) *quæ contra Mogontiacum gens eſt Alemanna, regem Fraomarium ordinauit.* Sunt hodie *Wysbadenſes* calidi fontes; per hos enim recte iter agebatur Mattium, & commode ad eos Seuerus præmiſſus a Valentiniano, hoſtem his in oris aggreſſuro. Quam ii errauerint, qui iſtas aquas in Selandia, aut Hollandia, aut ad Iſalam amnem, quæſierunt, oppido facile perſpicitur. Sed errat etiam P. SCRIVERIVS *not ad H. Grotium de antiq. reip. Batau. Cap. II.* qui in Marchionatu Badenſi eas exiſtimauit ſcaturire: ideo notatur a JOH. IS. PONTANO *Lib. I. hiſt. Geldriæ. Bucinobantes,* Alemannicum pagum, dictos fuiſſe *die Wisbader,* ipſarum aquarum vocabulo; vnde Romano demum ore adpellati Bucinobantes; probabile videtur CLVVERIO *Cap. VII.* De Tauno & caſtellis abunde olim dictum.

Mattiaci. sam suam, libertatemque a Romanorum violentia strenue defendendi. Saltem acerrime deinde Romanos a Mattiacis oppugnatos esse, historia belli a Ciuili Batauo cum Romanis administrati satis docet. An. LXX. Dubium etiam non est, fortiter exin Mattiacos cum Cattis egisse, nec vltra Romanorum blanditiis esse delinitos. Quæ sed causa fuerit occupatæ ab Alemannis Mattiacæ inter Mœnum & Loganam regionis? non id satis coniicio. An. CCXXXV. Si cum Romanis mente adhuc animoque, vt olim, Mattiaci egissent, facilis erat coniectura, pulsos oppressosue esse ab Alemannis, qua Romanorum socios. Iam nisi fortassis ipsi posito nomine in Alemannorum venere societatem, nullam oppressionis reperio causam, nisi quod, vbi manu agitur, cuncta permittit ambitio, modestia & probitas, quod bene Tacitus dicit, nomina superioris habentur. Postquam Alemannis Mattiaci agri possessio cessit, mirum, quid sit de nomine gentis factum. Nulla eius vltra apud auctores mentio occurrit, nisi quod *Mattiacas aquas*, quod memorauimus ante, Marcellinus nominauerit. Afferunt & quidem præsidiariorum *militum Mattiacorum* nomen, quod in Imperii Notitia scriptum legitur. Si tamen recte iudico, non istud testatur nomen reliquam fuisse in Germania Mattiacorum gentem, sed reliquam fuisse præsidii quondam in agro Mattiaco habiti, aut etiam militum quondam ex Mattiacis conscriptorum, memoriam. Siue itaque cum Cattis Mattiaci in Francico fœdere, siue in Alemannica societate, postremum egerint; id omne, nisi oppido nimis indulgebimus coniecturis, silentio est transmittendum. Quantum & iam vellem publici Mattiacorum status rationes & historiam adiungere, pari prohibeor rerum ignorantia. De publico Mattiacorum statu. Veri est simile, Cattorum more Mattiacis duces præfuisse: cum non minus promti nec inexercitati ad arma fuerint (c). De reliquis, si

(c) In obsequio Romanorum fuisse Mattiacorum gentem testis TACITVS *Germ. Cap. XXIX.* Curtii Rufi conatus in Mattiaco agro TACITVS *Ann. XI.*

quæ fuere, ſingularibus ciuitatis inſtitutis, omnino nego me habere, quod liqueat.

Germaniæ occidentalis pars media;

XVII. Peruenimus ad regiones, inferiori adiacentes Rheno, & medias, Bructeros, Chaucos, Cheruſcos, Cattosque inter, terras tenentes; quarum deſcriptio, quod plurimas minorum ciuitatum migrationes & viciſſitudines hæc tellus vidit, præ reliquis impedita eſt, & prope, ſi ſaltem minutas ſedium diſtinctiones inueſtigare cuperemus, inextricabilis. Primi ad latus Cattorum occiduum, poſt Vbiorum Mattiacorumque agros, ſucceſſere

Infra Vbios ad Cattorum latus Sigambri coluere;

SIGAMBRI;

qui variata littera à diuerſis ſcriptoribus *Sicambri*, *Sugambri*, *Sygambri* & *Sucambri*, nuncupantur: quorumque nomen haud dubie à *Sego*, ſeu *Sigo*, amne manauit, aut ſaltem ordine mutato cum amniculo communicatum eſt. Certum Sigambrorum finem *Rhenum* nouimus, quo ab Eburonibus & Menapiis fuere diuiſi. Certe etiam *ad ortum* Sigambros Catti prætexuere; & Cæſaris, & Druſi, expeditionibus rem ſatis pro-

quorum fines examinantur.

Cap. XX. memorat. In Ciuilis bello contra Romanos fortiter Mattiaci egere; TACITVS *Hiſt. Lib. IV. Cap. XXXVII.* Nomen gentis periit, poſtquam Alemanni hiſce trans Rhenum Moenumque agris inſederunt. Sed in Germania periit, non in Romanæ militiæ ordinibus. NOTITIA *Imperii orientis ſub diſpoſitione V. Ill. Magiſtri militum præſentalis in legionibus Palatinis,* habet *Mattiarios iuniores*, & *in auxiliis Palatinis Mattiacos ſeniores:* & *ſub nouo Magiſtro militum in præſenti*, ſunt *Mattiarii ſeniores*, & *Mattiaci iuniores.* Vid. GVIDI PANCIROLLI *Comm. Cap. XXXIX. XL. XLV. & XLVI.* vbi & Mattiaci, qui ſint, oſtenditur, & Mattiarii Mattiacorum generi vindicantur; prolato etiam AMMIANI *Lib XXXI. Cap. XIII.* teſtimonio de Mattiariis. Eodem modo in NOTITIA *dignit. Imp. Occid.* ſunt *ſub diſpoſitione V. Ill. Magiſtri peditum præſentalis in auxiliis Palatinis* cum Batauis ſenioribus *Mattiaci ſeniores*, & mox *in Legionibus Comitatenſibus Mattiaci iuniores.* Vid. PANCIROLLVS *Comm. P. II. Cap. XXI.* Licet ergo in Germania non Mattiaci vltra auditi fuerint, non prorſus tamen gens periit, ſed magnam credo partem Romanis militauit. Potuit & tamen diutius durare nomen in Notitiis Romanorum, quam ipſa gens: cum conſueuerint legiones, auxiliaque, ſeruare primum cognomentum, licet ſubinde mutatis militibus.

Sigambri. probantibus. Qui fuerit vero verus Catticæ & Sigambricæ regionis limes, parum id cerno esse exploratum; nisi quod Luppiæ & Alisonis amnium, nec non Adranæ fluuii, fontes fuisse & Cattorum, & Sigambrorum, confines, sit probabile. *Ad meridiem* pariter scimus, Vbiis Sigambros fuisse finitimos: statim enim in horum agrum Cæsar ex Vbiorum terra inuasit. Aeque autem, ac de reliquis finibus, sic de australi auctores disputant limite, quo is vsque fuerit extendendus. Aliqui vltra Segum amnem Vbios producunt, vt Eburonibus aduersam Rheni ripam eos coluisse ostendant. Quam ast hæc ratio parum proficiat, monuimus, cum de Vbiorum finibus inquireremus. Potius itaque censuimus, & moti Cæsaris expeditione, qui, cum ex Treuiris Rhenum transgressus esset, statim in Sigambros mouit; & argumento a nomine Sigambrorum petito, inducti: haud nimium vltra Loganam Vbiorum sedes occupasse terrarum spatium. Vnde nostra quidem sententia incerti etiam termini inter Loganam & Segum Sigambros ab Vbiis diuiserint. *Septentriones* contra Luppia amne a Bructeris Sigambri ex superiore fluuii parte separati sunt. Quod vero Tencteri atque Vsipii, quos sedes Sigambrorum occupasse constat, vltra confluentem Luppiam ad diuortia vsque Rheni habitarunt; simul inde interpretes coniiciunt, eandem Rheni ripam, donec ingens scinderetur fluuius, Sigambros coluisse. Non ausim vero ego designare iustum Luppiæ amnis limitem, a quo ortum versus Bructeri, ad occasum Rhenumque vlteriora Sigambri, tenuerint. An, quod aliquis arbitratur, in nouos agros vltra Luppiam Sigambri tum demum concesserint, cum Vbii superiores eorum inter Loganam Segumque occupassent ditiones? non ego iudico: cum præsertim nihil ego legerim, quod expulsioni Sigambrorum fidem faciat. Hoc ex Boioculi ad Romanos oratione certum est, inferiorem Sigambrorum ad Rhenum sedem ante CHAMAVOS & TVBANTES habuisse;

quam istis demum in interiora incertis fatis compulsis eadem loca Sigambri occupauerint (*d*).

Germania occidentalis pars media.

XVIII.

(*d*) *SICAMBROS* vocat CAESAR *Bell. Gall. Lib. IV. Cap. XVI. XVIII. Lib. VI. Cap. XXXV.* Habent tamen multi codices vocem *Sigambrorum*. Sed SVETONIVS *Augusti Vita Cap. XXI.* FLORVS *Lib. IV. Cap. XII.* HORATIVS *Lib. IV. Od. II. & XIV.* MARTIALIS *Spectac. Epigr. III.* SIDONIVS APOLLINARIS *Lib. IV. Ep. I.* & CLAVDIANVS passim constanter *Sicambros* adpellant. *Sugambrorum* nomen occurrit in PLVTARCHI *Vita Caesaris* & STRABONE *Lib IV. & VII.* ibi Σούγαμβροι; in APPIANO *de Reb. Gall.* vbi Σύκαμβροι in TACITO *Ann. II. Cap. XXVI. Lib. IV. Cap. XLVII. Lib. XII. Cap. XXXIX.* vbi semper *Sugambri*. *Sigambrorum* vocem, quam nos maxime probamus, cum quidam CAESARIS codices, tum PTOLEMAEVS *Lib. II. Cap. XI.* & DIO *Lib. XXXIX. & LIV.* vbi Σύγαμβροι, *Sygambri*, elegerunt. Situm Sigambrorum ad *Rhenum* discimus ex CAESARE *Lib. IV. Cap. XVI. Pars equitatus Vsipetum & Tenchterorum - - - - post fugam suorum se trans Rhenum in fines Sigambrorum receperat, seque cum iis coniunxerat. Lib. VI. Cap. XXXV, Cogunt equitum II. millia Sigambri, qui sunt proximi Rheno, a quibus receptos ex fuga Tenchteros atque Vsipetes, supra docuimus. Transeuntes Rhenum nauibus ratibusque - - - primos Eburonum fines adeunt.* PTOLEMAEVS etiam, antiquum statum respiciens, ait: Κατέχουσι δὲ τῆς Γερμανίας τὰ μὲν παρὰ τὸν Ῥῆνον ποταμὸν, ἀρχομένοις ἀπ᾽ ἄρκτων, οἱ δὲ Βούκτεροι οἱ μικροὶ, καὶ οἱ Σύγαμβροι. *Habitant autem Germaniam a septentrionibus, ut hinc ordiar iuxta Rhenum, Bructeri minores & Sigambri.* Et TACITVS *Germ. Cap. XXXII. Proximi*, ait, *Cattis certum iam alueo Rhenum, quique terminus esse sufficiat, Vsipii ac Tencteri colunt.* Hos autem in Sigambrorum excisorum sedes venisse, infra ostendetur. Mitto expeditionum memoriam, quae satis occiduum terminum probat. *Cattorum* confinium declarant CAESAR *Lib. IV. Cap. XIX.* DIO *Lib. LIV.* in Drusi expeditionibus, vbi Sigambrorum bellum cum Cattis, quod soli finitimorum auxilia negauerant, memoratur: & TACITVS *Germ. in Cap. XXXII.* modo laudato. *Australis* limes supra ex CAESARE *Lib. IV. Cap. XVIII.* monstratus est. *Aquilonarem* limitem male STRABO oceanum ponit *Lib. VII.* Πρὸς δὲ τῷ Ὠκεανῷ Σύγαμβροι. *ad oceanum sunt Sugambri.* Nempe Menapios ad oceanum vsque produxerat, & dignum ratus, propinquos Sigambros eo proferre. Rectius PTOLEMAEVS Βουκτέρους infra Sigambros ad Rhenum ponit. Quod vero Vsipii atque Tencteri ad vsque Rheni diuortia fere coluerunt, inde & opinio de sedibus Sigambrorum. DIO *Lib. LIV.* ait de Druso. Καὶ τοὺς Κελτοὺς τηρήσας τὸν Ῥῆνον διαβαίνοντας, ἀνέκοψε· καὶ μετὰ τοῦτο ἔς τε τὴν τῶν Οὐσιπετῶν κατὰ αὐτὴν τὴν Βαταούων νῆσον διέβη, καὶ ἐπὶ τὴν Συγαμβρίδα ἐκεῖθεν ἐπιπαρελθὼν, συχνὰ ἐπόρθησεν. *Inde Germanis intentus, quando Rhenum transirent, eos repulit. atque ipse postea in Vsipetarum regionem, iuxta insulam Batauorum, atque inde in Sigambrorum terram transgressus, magnam agri partem vastauit.* Quae vero Vsipetis datae erant sedes,

Sigambri.

Memorabilia in Sigambris.

XVIII. In deſignatis Sigambrorum agris auſtrali portioni *Rheticonem* inprimis montem adſignauerim. Montium eſſe iugum, quod a ſiniſtra Segi ripa Rheno obiacet, & a ſeptem editioribus locis nomen accepit, eruditorum ſtatuunt plerique. *Segodunum* oppidum Ptolemæus memorat, ſed vt ad initium Abnobæ montis illud locet. Si ſane villam eius nominis Germani habuere, non vererer eam Sigambris dare, &, quod nomen indicare videtur, ad Segum amnem eam quærere: ne enim Ptolemæi metuatur auctoritas, plurimi iſtius in Germanicis rebus errores dudum effecere. *Luppiam*, aliud oppidum, idem Ptolemæus nominat. Aut vero errore lapſus Ptolemæus amnis nomen & vrbis permiſcuit; aut veteris villæ, quæ omnino Sigambrorum eſto, veſtigia vrbs hodieque celebris, *Lippia*, ad cognominem amnem ſita, denotat. *Aliſo*, caſtellum Romanorum contra Sigambros a Druſo ad Luppiæ & Aliſonis confluentes poſitum, recte etiam in Sigambris memoratur. Contenderunt olim auctores vehementer inter ſe, quis hodie locus poſitioni veteris Aliſonis conueniat? Vt tamen minime ſuam cauſam tuentur, qui aut ad Rhenum, aut ad Amiſiam, illud caſtellum admouerunt; ita tot argumentis firmiſſimis illud propriæ ſuæ ſedi illuſtriſſimus quondam patriæ hiſtoriæ indagator, Princeps Fur-

Sigambrorum ante fuerant, horumque beneficio illis conceſſæ. Eorundem prope Rhenum, diuortiis proximum, agrorum mutatos ſubinde eſſe habitatores, accipis a CAESARE *Lib. IV. Cap. IV.* & a TACITO *Ann. XIII. Cap. LV.* CLVVERIVS ad ortum & contra ſeptentriones his finibus a finitimis ciuitatibus diſtinguit Sigambros. A Rheni primo diuortio, ad fontem vsque Bercolæ amnis, inde ad flumen Luppiam, qua *Lunen* oppidum eſt, lineam ducit, & mox ipſum Luppiam conſtituit; quibus finibus a Marſis atque Bructeris fuerint Sigambri diuiſi. Mox a Luppiæ capite ad fontem Adranæ, per iugum montium, quod ibi ſternitur, nouam lineam ducit, qua Cattos a Sigambris diſterminet. Quem contra Vbios limitem conſtituerit, ante oſtenſum eſt. Habet is regionis tractus, qui a CLVVERIO definitus eſt, *Weſtfaliæ* magnam partem, inter Luppiam & Haſſiæ fines porrectam; *Bergenſis ducatus* dimidiam partem; *comitatum Marchienſem* totum; & *Cliuiæ* Transrhenanam portionem.

Furstenbergius, vindicauit, vt fuperfit vltra nemo, qui vel ad ea audeat hifcere. Quæ denique, fcribente Velleio, in mediis Germaniæ finibus ad caput Luppiæ fluminis *biberna* digrediens Tiberius quondam locauerat; eorundem iam propria pofitio fatis illuftrata, cum ad prifcos Sigambrorum pertineant fines, eorumque ætati præfertim conueniant, meretur vtique, quæ cum reliquis hoc loco percenfeatur (*e*). *Germaniæ occidentalis pars media.*

XIX. Si-

(*e*) *Rheticonis* montis pofitionem alibi illuftrauimus. *Segodinum* & *Luppiam* CLVVERIVS interpretatur de *Siegen* & *Lippe*, feu *Lippftadt*, oppidis ad cognomines amnes fitis: Segodunum vero Juhonibus tribuit, ex caufis, quas vidimus. MENSONI ALTINGIO *in Tab. Ptolem. expofitione* diuerfa prorfus ftat fententia, isque, climatibus PTOLEMAEI commode examinatis, vtrumque locum trans Albim refert; & Segodunum haud procul Praga, proxime oppidum *Czaslau*, primarium cognominis circuli oppidum, recte quæri contendit. *Luppiam*, fingulari nota a PTOLEMAEO adfectum locum, in regionem incidere, in qua *Bernebitz*, fiue villa, fiue vrbs, eft. MENSONI, peritiffimo veteris geographiæ viro, femper fidem haberem, nifi moueret dubitationem, Aegyptium hominem Germaniæ tantam profiteri notitiam, vt omnino villas, vrbesque, certæ diftantiæ vindicauerit. Sed non noftrum hic agitur argumentum. De *Alifone* caftello iam fupra ex DIONE *Lib. LIV.* VELLEIO *Lib. II. Cap. CXX.* & TACITO *Ann. II. Cap. VII.* difputatum eft. Vincit eorum fententia, qui arbitrantur caftellum, Alifonis nomine notatum, cum certe a VELLEIO, tum etiam a TACITO, notari. Vbi quæri debeat id caftellum? grauis lis eruditorum exftitit. Alii putarunt, effe Alifonem *Yfelburg*, ad *Ifalam* flumen, quod & Alifonem, fiue Elifonem, Dionis flumen interpretantur. Quidam Vefaliam, *Wefel*, ad Luppiæ Rhenique confluentes, pro Alifone acceperunt. Nonnullis vicus *Alsbem* placuit, IV. circiter M. P. ab oppido *Paderborn* verfus meridiem. Clare autem DIO rem tradit; *cum non auderent hoftes propius adire, fed eminus tantum rem agerent, rurfus Drufum, iis contemtis, caftellum contra eos ad Luppiæ & Elifonis confluentes, aliudque in Chattis, ad ipfum Rhenum, exftruxiffe.* ὥςε τὸν Δροῦσον ἀντικαταφρονήσαντα αὐτῶν ἐκεῖτε, ᾗ ὅτε Λυπίας καὶ ὁ Ἐλίσων συμμίγνυνται, φρούριόν σφισιν ἐπιτειχίσαι καὶ ἕτερον ἐν Χάττοις παρ' αὐτῷ τῷ Ῥήνῳ. En clariffime locus caftelli demonftratus; vbi hodie *Elfen* vicus eft, ad quem Alifo flumen, hodie *Alme* dictum, mifcetur Luppiæ. Jam CLVVERIVS verum hunc fitum Elifonis adferuit; nouo autem monumento illum Illuftriffimus FVRSTENBERGIVS fuperiore feculo illuftrauit; quod, cum defint antiquæ notæ monumenta, libet refpicere.

ALISO. ROMANVS
MEMORIAE. SACRVM
SI. QVIS. ALISONEM. VESTIGAS
FORTE. SICAMBRIS
IMPOSITVM. DRVSI. GRANDE
NERONIS. OPVS

Sigambri. XIX. Sigambros in iis Romani numerarunt nationibus, quæ fortitudinem insignemque animi magnitudinem præcipue ostenderint. Non minis armisue Cæsaris territi intrepide Romanam ambitionem verbis coarguerunt; mox & armis iniurias suas crebro vlti sunt. Cum tamen propiores Romanis essent, primi demum Germanorum fortunæ iniuria Romanis succubuere armis. Nec iudicauit Tiberius, eorum victor, posse vnquam, licet victos, peneque fractos, Sigambros teneri in obsequio, donec in solo suo agerent. Inde transductis reliquis populi in Galliam, exscidit quodammodo eorum nomen ex Transrhenana Germania; nec omnino passus est, vt suo in Gallia vterentur gentili adnomine, sed quod videtur, coëgit eos, posita prisca adpellatione, nouam *GVGERNORVM* induere. Quod deinde tamen *SIGAMBRORVM* nomen non raro auditum est, ipseque Strabo,

An. V. C. DCCXCVIII. Ant. C. N. LIII.

Sigambrorum gloria bellica,

An. V. C. DCCXLV. Ant. C. N. VI.

& res aduersæ.

QVO. STETERVNT. AQVILAE. POPVLIS. QVO. ROMA SVBACTIS
JVRA. DEDIT. SIGNIS. PERNICIOSA SVIS
HVC. PROPERA. PAGO. VICINO NOMEN. ET. AMNI
HAERET. ADHVC. PRISCIS. NOBILE. TEMPORIBVS
LONGA. DIES. FOSSAS LATE. COMPLEVIT. ET. HOSTIS
MOENIA. VICTRICI. DIRVIT ALTA. MANV
FAMA. SVPERSTES. ERIT. SCRIPTORIBVS. AVCTA. LATINIS
DONEC. ALISONIS. LVPPIA CRESCET. AQVIS

Ptolemaevs duo habet loca in Germania, quorum nomina non abludunt a castelli Alisonis nomine. Prior, siue vrbs, siue villa, ab eo vocatur Ἄλεισος; alter locus, paulo deinde positus, Ἄλεισον, *Alisum* ad Rhenum Ptolemaevs posuit, vbi Amisera cum Rheno confluit: & locum Menso Altingvs de *Aalsum* vico, qui ad eos confluentes nomen integrum hodie seruat, commode interpretatur. *Alisus* autem a Mensone ad Viadri ostium orientale, vbi oppidum *Camin* est, collocatur. Non negat Clvverivs Ptolemaevm Rheno dedisse Alisum suum; non veretur tamen erroris eum arguere, & istud Alisum castello Alisoni vindicare; cum quippe constet, quam parum in designandis locis fuerit accuratus Ptolemaevs. *Hiberna Tiberii*, ad caput Luppiæ fluminis posita, ex Velleio *Lib. II. Cap. CV.* supra considerata sunt. Fontes Luppiæ hodie oppidum *Lipspring* illustrat, in eo situ, quo quondam locata fuere hiberna.

Nominis Sigambrorum continuati rationes.

Germaniae occidentalis pars media.

Strabo, reliquos quosdam Sigambros in priscis suis sedibus factos esse, putauit: aut id clementiæ Tiberii, a ceteris dissimulatæ auctoribus, testimonium perhibet; aut Vsipios Tencterosque veteri Sigambrorum nomine nonnunquam venisse, quod & colerent Sigambrorum agros, eandemque bellicam virtutem sectarentur, comprobat. Quia sane Sigambri in Francico memorantur fœdere, posterius videtur statuendum esse; cum ceteroqui exiguæ populi portionis, si quæ omnino cum Vsipiis egisset, memoria dudum diuturnitate omnibus excidisset (*f*).

XX. Rei

(*f*) Quam fortiter minas CAESARIS Sigambri contemserint, vide apud ipsum *Lib. IV. Cap. XVI. Responderunt;* CAESAR ait, cum dedi postulasset sibi Tenchteros Vsiperasque, qui ad eos confugerant, *Populi Romani imperium Rhenum finire; si se inuito Germanos in Galliam transire non aequum existimaret: cur sui quidquam esse imperii aut potestatis trans Rhenum postularet.* Mox frustra Cæsar in Sigambros trans Rhenum mouit. Etiam post alteram transitionem in Germaniam, statim Sigambrorum II. millia equitum in Galliam inuasere, & ipsam Atuatacam, Romanaque castra, fortiter oppugnarunt; teste rursus CAESARE *Lib. VI. Cap. XXXV. sequ.* Lolliana clades, quæ Augustum exciuit ex vrbe, An. V. C. ɪɔccxxxvɪɪ. ante C. N. XIV. magnam partem Sigambris accepta referenda erat. DIO CASSIVS *Lib. LIV.* VELLEIVS *Lib. II. Cap. XCVII.* SVETONIVS *Vita Aug. Cap. XXIII.* Nec postea fidem seruarunt, sed duce MELONE rursus inuaserunt in Belgicam; STRABO *Lib. VII.* Quantum cum Sigambris Druso belli fuerit? vid. FLORVS *Lib. IV. Cap. XII.* & DIO *Lib. LIV.* Ob summam itaque gentis peruicaciam a Tiberio ex suis excisi sunt Sigambri sedibus, & in Galliam translati. SVETONIVS *Augusto Cap. XXI. Tiberio Cap. IX.* EVTROPIVS *Lib. VII. Cap. V.* TACITVS *Ann. XII. Cap. XXXIX.* ex Ostorii ore; *Vt quondam,* inquit, *Sugambri excisi, & in Gallias traiecti forent, ita Silurum nomen penitus extinguendum.* STRABO *Lib. VII.* sine nomine Sigambrorum ait: Τάυτης δὲ τὰ μὲν εἰς τὴν Κελτικὴν μετήγαγον Ῥωμαῖοι. - - - - Λοιποὶ δ' εἰσὶν ὀλίγοι καὶ τῶν Συγάμβρων μέρος. *Huius partis* (ad inferiorem Rhenum) *populos Romani partim in Galliam traduxerunt. - - - - Sed & Sigambrorum exigua restat portio.* Hic lis est, an ergo Sigambrorum pars trans Rhenum manserit? Sane in triumpho Germanici ductus Δευδόριξ Βαιτορίτος τοῦ Μέλωνος ἀδελφοῦ υἱὸς Σύγαμβρος. *Deudorix Baetoriti filius, qui frater erat Melonis, Sicamber.* STRABO *Lib. VII.* Sub Domitiano MARTIALIS *Spectac. Carm. III.* canit;

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

Et Honorii principatu CLAVDIANVS *IV. Consul. Hon. vers. 445.*

Sigambri. XX. Rei eorum publicæ notitia eo latet magis, quo citius sunt oppressi, & industriæ atque solertiæ auctorum, qui nostras scripserunt res, subitis subtracti fatis. Vnus eorum princeps *Deudorix* a Germanico Cæsare triumphatus est; eoque ipso, cum fortassis pereunte populo ad alias se fuga receperat gentes, sui memoriam posteris reliquit. An is princeps ex eorum fuerit genere, qui Tacito scribente, iura per pagos vicosque reddidere; vtrum bellicus dux principis nomine fuerit insignitus? vtrumque est penitus inexploratum. Ipse putem, Vbiorum exemplo principes & senatum rerum in pace summam administrasse. Cum enim Cæsar missis ad Sigambros nuntiis postulasset, eos qui ipsi Galliæque bellum intulissent, Tencteri hi atque Vsipetes fuere, quorum pars ad Sigambros profugerat, vt ipsi dederent; non dux aut rex aliquis loco populi respondit, quod Ariouistum aut Marobodum fecisse legimus, sed consilio haud dubie habito principes responderunt: probabili id, iudico, argumento, non penes vnum, sed plures, reipublicæ fuisse curam. Bello autem ducem præfuisse nationi, cum id in vniuersum omnibus Germanis fuerit solitum & vsurpatum, non ego quidem bellicosis Sigambris negauerim (*g*).

Sigambrorum status publicus.

An. XVII.

 XXI. Addi

Ante ducem nostrum flauam sparsere Sicambri
Cæsariem."

SIDONIVS APOLLINARIS *Lib. IV. Ep. I. Paludicolas Sicambros* vocat. Et in Francico fœdere feram ad ætatem clarum Sigambrorum nomen exstitit. Quid opinari liceat, damus in ipso commentationis contextu. Quando vero TACITVS *Ann. IV. Cap. XLVII. Sugambra cohortis, quam Romanus promtam ad pericula, nec minus cantuum & armorum tumultu trucem haud procul instruxerat*, meminit; quando & alii, inprimis LAZIVS *de Rep. Romana Lib. VI. Cap. XIII. legionem Sicambrorum* sub Valentiniano in Istri limite præsidium agitasse, ex monumento quodam reperto, testantur: parum id rei est, cum nominum, quæ dudum exolenerant, reliquam tamen in Romana militia memoriam non simplici vice deprehendamus.

(*g*) Sigambri Augusti auspiciis oppressi. HORATIVS *Lib. IV. Od. II.* canit;

Concines maiore poëta plectro
Cæsarem, quandoque trahet feroces,
Per sacrum cliuum, merita decorus
Fronde, Sicambros.

Et *Oda XIV. v. 51.* ad Augustum;

Successere in locum Sigambrorum Vsipii & Tencteri.

Germania occidentalis pars media.

XXI. Addi statim debet horum descriptæ historiæ memoria populorum, qui & primum in fines a Sigambris recepti sunt, & deinceps, excisis illis ex Transrhenana Germania, in locum eorum successere. Sunt

VSIPII & TENCTERI,

quos constantius auctores nominarunt; ante a Cæsare, &, qui eum sequuti sunt, scriptoribus, *Vsipetes* & *Tenchteri*, a diuersis *Tanchteri, Tincteri, Nusipii* & *Vsippi*, nescio an vitiatis, aut tantum ratione quadam idonea variatis, litteris adpellati. Istos, cum antea Cheruscos inter & Sigambros coluissent, ad extremum Catti agris expulerunt; vnde cum multis locis Germaniæ per triennium vagati essent, ad Rhenum demum & in Sigambros peruenerant. Obtinebant tunc *Menapii*, Cisrhenana natio, vtramque Rheni ripam, & nescio, an beneficio Sigambrorum, an vi sua, agros, ædificia, vicosque, trans Rhenum habebant. Horum Menapiorum agris trans Rhenum, rursus, credo, Sigambris permittentibus, occupatis statim flumen cum omnibus suis transierant, oppressisque Menapiis in finibus Eburonum atque Condrusorum ad Rhenum latius vagati erant. Eo rerum statu celeritate & dolo a Cæsare Vsipetarum Tenchterorumque capita CCCCXXX. millia neci data; pauci ex equitatu, qui frumentandi, prædandique causa Mosam transierant, neque prælio interfuerant, post suorum cædem se trans Rhenum in fines Sigambrorum rursus receperant, seque cum iis coniunxerant. Et tum quidem paucitas reliquorum prohibuit, quo minus valde curarentur; cum maxime cum Sigambris se coniunxissent. Iam vero Augusti ætate exiguus numerus in tantam excreuerat multitudinem, vt cum Sigambris & ipsi maxi-

Occasio acceptæ nouæ regionis; bellum Cattorum & bellum Cæsaris, vtrumque calamitosum.

An. V. C. ID CCCVIII. Ant. C. N. LIII.

Te cæde gaudentes Sicambri
Compositis venerantur armis.

DEVDORIX, Sicamber, memoratur a STRABONE Lib. VII. Vim nostri argumenti, quo formam regiminis adsequi conamur, suppeditat CAESAR Lib. IV. Cap. XVI.

Vsipii & Tencteri.
An. V. C. DCCCCXVII. Ant. C. N. XIV.

Separati harum ciuitatum fines cum Sigambris.

maximum contra Romanos bellum, quod ipsum omnino Augustum vrbe exciuit, molirentur (*b*). Drusi deinde expeditiones in Germaniam manifesto probarunt, separatos fines Tencterorum atque Vsipiorum fuisse; etiam tum, cum adhuc Sigambri in suo solo agerent. Vsipii in dextra Luppiæ amnis ripa egere; illius enim fluuii ripis ponte iunctis Drusus in Sigambros inuasit. Tencteri videntur ad occasum Sigambros finiisse, & Rheno a Menapiis separati fuisse. Vtrum & Tencteri cum Vsipiis in dextra Luppiæ coluerint;

 & an

(*b*) *VSIPETES* & *TENCHTEROS* vocat CAESAR *Lib. IV. Cap. IV. seq.* & FLORVS *Lib. IV. Cap. XII.* Οὐσιπίτας καὶ Τεγκτήρους, *Vsipetas* & *Tenchteros*, PLVTARCHVS *in Cæsare*, DIO *Lib. LIV.* Συπίτας καὶ Τεγχαρέους, *Sipetes* & *Tanchareos*, APPIANVS *in Bell. Gall.* STRABO *Lib. VII.* Νουσίπους habet; PTOLEMAEVS *Lib. II. Cap. XI.* diuersis licet locis, Τεγγήρους καὶ Οὐσιπίους. Et quædam quidem posteriorum vocabulorum manifesto videntur vitiosa esse, vt facile ausim in APPIANO Οὐσιπίτας καὶ Ταγχθήρους, in STRABONE Οὐσιπίους, in PTOLEMAEO Τεγκτήρους καὶ Οὐσιπίους, legere: fortassis & tamen diuersæ nominum pronuntiationi non parum tribuendum erit. Hoc obseruatur, cum a Cæsare, & qui eius sunt sequuti commentarios, *Vsipetes* & *Tenchteri* nuncuparentur; qua & forma ipse adhuc TACITVS *Ann. I. Cap. LI.* vsus est: mox nouam nominum placuisse formam, vt constanter adpellarentur *VSIPII* ac *TENCTERI.* Sic TACITVS *Ann. XIII. Cap. LV. LVI. Hist. Lib. IV. Cap. XXXVII. Germ. Cap. XXXII. & Agricolæ Vita Cap. XXVIII. XXXII.* semper *Vsipios* & *Tencteros* nominat: quo & STRABONIS Νουσίπων vocabulum, & PTOLEMAEI nomina respiciunt. MARTIALIS *Lib. VI. Epigr. LX.* Vsipiorum leuium meminit;

Sic leue flauorum valeat genus Vsipiorum:

memor defectionis eorum a Romanis, quam TACITVS *Agric. Cap. XXVIII. & XXXII.* memorat. Apud AETHICVM *Cosmographum* sunt *Vsippi*: nescio, an satis fine mendo. Occasio nominis, eiusque notatio, frustra hodie peruestigatur. Historiam expulsionis eorum, cum ante incertam regionem prope Cattos coluissent; (quam CLVVERIVS coniicit Amisiam ac Visurgim inter, circa oppida *Minden* & *Offenbrügge*, inter Sigambrorum Cheruscorumque fines quærendam esse) aduentus ad Rhenum, transitionis in Galliam, cladis acceptæ, & reliquorum fugæ ad Sigambros, copiose persequitur CAESAR *Bell. Gall. Lib. IV. Cap. IV. usque XV.* Meminere etiam eius rei PLVTARCHVS *in Cæsare* & SVETONIVS *in Cæs.* qui ambo autem non dissimulant, summa iniuria istud Cæsarem gessisse bellum. Vid. APPIANVS *Bell. Gall.* & FLORVS *Lib. III. Cap. X.* & plura olim in nostra historia. Lollianæ cladis in Sigambris fecimus mentionem.

Germaniae occidentalis pars media.

& denique post Sigambros in Galliam transductos.

AN. V. C. IↃCCXLV. Ant. C. N. VI.

& an Vſipii omne terrarum ad Rheni vsque diuortia ſpatium impleuerint? non ego diiudico. Cum ad extremum a Tiberio Sigambri in Gallico ſolo, vt inter fortia Romanorum præſidia cuſtodirentur, locati eſſent; Vſipiis atque Tencteris totius Sigambricæ regionis tuta ceſſit poſſeſſio. Dubium non eſt, Romanorum fauori illos latiores debuiſſe ſedes. Ante enim a Druſo ſubacti fuere, poſt amici habiti, & amicitiæ ergo, cum transduci cum Sigambris potuiſſent, in patrio relicti ſolo. Quos olim Sigambricæ regioni fines dedimus, eos omnes Vſipii atque Tencteri occuparunt. Tencteri tamen a Sego ad Roram amnem, & interiora ad Luppiam & Aliſonis confluentes vsque, præcipue coluiſſe videntur: Rheno enim gens diſcreta vocantur, vbi de Vbiis Tacito ſermo eſt. Vſipii vtramque Luppiæ ripam & Rhenum ad eius diuortia fortaſſis tenuerunt: nam Batauorum inſulæ proximos fuiſſe, Dio ſcribit; & certum iam alueo Rhenum, quique terminus eſſe ſufficiat, cum Tencteris coluiſſe, Tacitus teſtatur. Tencteri porro, vt ante Sigambri, Cattorum occiduum latus clauſerunt. Iidem vero Bructeris fuere finitimi: cum poſt Tiberii ætatem ita Bructerorum augeretur ciuitas, vt agrorum ſuorum fines ad Luppiæ vsque dextram proferret ripam; vt exiſtimo, Marſis, qui iuxta Tencteros iis locis occurrerant, in Bructerorum ciuitatem tunc imputatis (*i*).

XXII. Præ-

(*i*) Cum mixti Vſipii Tencterique cum Sigambris colerent, dubia prorſus eſt diſtinctiu ſedium: vt adeo nolim etiam CLVVERIVM *Cap. X.* exſcribere, qui audet ductis huc illuc lineis tres inuicem gentes ſeparare. In dextra vero Luppiæ coluiſſe Vſipios certum eſt ex DIONE *Lib. LIV.* Druſi expeditiones deſcribente. Primum, ait, Germanos in Galliam excurrentes repreſſit, καὶ μετὰ τοῦτο ἔς τε τὴν τῶν Οὐσιπετῶν κατὰ αὐτὴν τὴν τῶν Βατάουων νῆσον διέβη. καὶ ἐπὶ τὴν Συγαμβρίδα ἐκεῖθεν ἐπιπαρελθὼν, συχνὰ ἐπόρθησεν. *& ipſe poſtea in Vſipetarum fines, ſecundum inſulam Batauorum, atque inde in Sigambrorum agros transgreſſus magnam agri partem vaſtauit.* Max clarius cauſam exponit: Ἅμα δὲ τῷ ἦρι πρὸς τὸν πόλεμον αὖθις ὥρμησε, καὶ τόν τε Ῥῆνον ἐπεραιώθη, καὶ τοὺς Οὐσιπέτας κατεστρέψατο. τόν τε Λυπίαν ἔζευξε καὶ ἐς τὴν τῶν Συγάμβρων ἐνέβαλε. *Initio veris rurſus ad bellum profectus, Rhenum tranſiit, Vſipetas ſubiugauit; Lupiaque ripis ponte iunctis in Sigam-*

Vſipii & Tencteri.

Mutationes finium regionis Vſipiorum & Tencterorum.

XXII. Præterea de Vſipiorum Tencterorumque noua regione, eiusque viciſſitudinibus, accipiendum eſt; ſeriori ætate, & inferiores Vſipiorum, & Tencterorum ſuperiores, ſedes diuerſis gentium migrationibus coanguſtatas eſſe. Cum imperare cœpiſſet Traianus, pulſos Bructeros ac penitus exciſos vicinarum conſenſu nationum eſſe, Romæ nuntiatum eſt; ſimulque Chamauos & Angriuarios in eos immigraſſe agros, quos iuxta Tencteros ante Bructeri tenuiſſent. CHAMAVOS tunc ſuperiorem ad Luppiam regionem inſediſſe conſtat; vnde, quod hic ſciri debet, adeo demum ditionem ſuam prolatarunt, vt omnino Vſipios dextra Lup-

An. XCVIII.

bros irrupit. Hac in Vſipetas expeditione hos in clientelam & amicitiam ſuſceptos eſſe, clare idem Dio ſtatim poſt ea, quæ protulimus, dicit; adeoque eorum regionem τὴν φιλίαν, *amicam regionem*, ad quam Druſus regreſſus eſt, vocauit. Tencteros ſuperiorem Sigambrorum regionem habuiſſe TACITVS *Hiſt. Lib IV Cap. LXIV.* ſuadet; vbi *Tencteri, Rheno diſcreta gens, miſſis legatis, mandata apud concilium Agrippinenſium edi iubent.* Vſipiorum ſitus, iuxta Batauorum inſulam, ex DIONE probatus eſt. TACITVS quidem *Germ. Cap. XXXII. Proximi*, inquit, *Cattis certum iam alueo Rhenum, quique terminus eſſe ſufficiat. Vſipii ac Tencteri colunt*; & mox *Cap. XXXIII. Juxta Tencteros Bructeri olim occurrebant*: vt videatur primos Vſipios, & ad inferiores Rheni partes Tencteros, locaſſe. Ipſe vero & *Hiſt. Lib. IV. Cap. LXIV.* Tencteros in aduerſa coloniæ Agrippinenſi ripa monſtrauit: & *Ann. I. Cap. LI.* cædem Marſorum deſcribens, *Exciuit*, inquit, *ea cædes Bructeros, Tubantes, Vſipetes*; tres propinquas trans Luppiam gentes conitingens; & *Ann. XIII. Cap. LVI.* in Anſibariorum hiſtoria commode & Vſipiorum & Tencterorum ſedes deſignat, vt dubium non ſuperet, infra Tencteros Vſipios coluiſſe; ad quos & Tubantes Anſibariorum gens retro conceſſit, cum Auitus in agrum Tencterum tranſiiſſet, excidium minitans, niſi cauſam ſuam diſſociarent. De Cattorum latere, & Bructerorum, iam prolata auctorum teſtimonia docent. Regiones ergo *TENCTERIS* ex Sigambrorum ditione demum obtigere; *Marchienſis comitatus* pars, læuæ Roræ amnis ripæ adfixa: *Montenſis ducatus* maxima pars: ex *comitatu Lippienſi*, ipſum oppidum *Lippe*: ex *epiſcopatu Paderbornenſi*, quædam; eaque *Weſtfaliæ* pars, quæ inter *Lippienſem, Marchienſem, & Waldecenſem, comitatus, epiſcopatumque Paderbornenſem*, ſtrata eſt. *VSIPII* inſedere *Monaſterienſis agri* portionem, Transrhenanam *Cliuiam* totam, *Comitatum Relinkhauſen*, & proximam *Marchienſis comitatus* partem, qua oppida *Dortmund, Bockum, Eſſen.* Hæc iudice CLVVERIO *Germ. Ant. Lib. III. Cap. X.*

Luppiæ amnis ripa excluderent. Interim BRVCTERI, incertis vagati locis, nam excisi ex priscis sedibus non prorsus cæsi sunt, post longum temporis intervallum ad Rhenum rursus auditi sunt: non habeo compertum; an statim post fatalem pugnam a Tencteris, priscæ beneuolentiæ Sigambrorum memoribus, in fines fuerint recepti, aut diuersa periclitati fata tardius ad Rhenum peruenerint? Certe nouis eorum ad Rhenum inter Mattiacos & Tencteros sedibus vtrorumque regio admodum coarctata est. Mattiaci, aut potius tum temporis Alemanni, soli Mattiacorum possessores, relinquere sunt coacti omnem trans Loganam ditionem. Tencteri perdidere ad Segi vtramque ripam agros, & vix aduersam Coloniæ Agrippinensi Rheni ripam seruarunt. Media regio Bructeris cessit. Sic fuit, cum *FRANCIAE* nomen turbare cœpisset singularium harumce ciuitatum fines. Cui ingenti regionum conuersioni proxime successit altera, quæ in Galliam translata Francia rursus totum hunc celeberrimum tractum affecit, eique *SAXONIAE* in æuum serius duraturum obduxit nomen (*k*). *Germaniæ occidentalis pars media.*

XXIII. Re-

(*k*) Bructerorum cladem, sediumque inde magnam mutationem, memorat TACITVS *Germ. Cap. XXXIII. Juxta Tencteros Bructeri*, inquit, *olim occurrebant: nunc Chamauos & Angriuarios immigrasse narratur, pulsis Bructeris ac penitus excisis.* Angriuariis inferiores Bructerorum agros occupantibus, Chamauis superiores cesserunt, omnesque trans Luppiam amnem terræ. Ita *Tabula* PEVTINGERIANA proxime Rhenum verba habet CHAMAVI QVI ET FRANCI. AMMIANVS *Lib. XVII. Cap. VIII. & IX.* & EVNAPIVS *in Excerptis legationum cum* SVLPICIO ALEXANDRO *apud* GREGORIVM TVRON. *Lib. II. Cap. IX.* omnes item Chamauorum pagum proximum Rheno faciunt trans Luppiam. Et AVSONIVS *in Mosella*, cum Rhenum adloquitur, statim Chamauos appellat *Vers.* 434.

Accedent vires, quas Francia, quasque Camaues,
Germanique tremant; tunc verus habebere limes.

Bructeros trans Loganam partem Vbiorum quondam, & Tencterorum, agri post cladem insedisse, certum est. Quando eum, & quo pacto, insederint? incertum. Habuerunt tum in finibus Hercyniæ partem, quæ vocatur *der Wester-Wald.* Inde CLAVDIANVS *IV. Consul. Honorii Vers.* 450. canit;

- - - - - - Venit accola siluæ
Bructerus Hercyniæ.

Easdem sedes SVLPITIVS ALEXANDER dicto loco probat. *Collecto ex-*

Vsipii & Tencteri. — Reliqua eorum facta & fata.

XXIII. Restat parum, quod Tencterorum Vsipiorumque historia memorari postulet; cum scilicet habuerimus necesse, potiora vtriusque ciuitatis fata ante persequi, quam regionis occupatæ describeremus fines. Sciri tamen debet, non constanter Romanam Vsipios Tencterosque coluisse amicitiam; cui certe latiores regiones debuerant. Iam in An. XV. Germanici bellis in hostium numero leguntur Vsipii; nec vltra, quod Druso licuit, per terras eorum tutus in Germaniam accessus Romanis exercitibus patuit. Omni inde capta An. LXX. occasione Romana res ab his ciuitatibus oppugnata est: quod ex Ciuilis Bataui bellis, aliisque motibus, satis accipimus. An. CCCVIII. CCCIX. Maxime Constantinus Magnus grauissimum in hac regione bellum administrauit, quod tamen fortiter nostri, qui iam *FRANCORVM* generali nomine cogniti erant, sustinuerunt. Docet nos fide dignum monumentum in antiquo Tencterorum agro quondam repertum; *Diuitense munimentum*, in aduuersa ab Agrippinensi colonia ripa, ab imperatore Constantino pro militibus in Galliarum tutelam collocandis esse erectum. Cui lapidi cum vicus cognominis dicto loco, simulque Notitia Imperii, quæ *Diuitenses* milites nominat, respondeat; nihil video, quod possit nostræ ditioni Romanorum illud opus eripere. Cum Francis deinde magnam partem Tencterorum atque Vsipiorum migrasse patrium solum, est probabile; licet certum quidpiam definiri nequeat. Dudum tum exoleuerat vtriusque gentis vocabulum: vnde, quod generatim de Francis accipimus, difficillime de singularibus ciuitatibus potest statui. Et quidem in Saxoniæ nomen

Diuitense munimentum in Tencterorum agro.

go, inquit, *exercitu transgressus Rhenum*, (Arbogastes Agrippina, quo rigente maxime hieme petierat,) *Bricteros ripæ proximos, pagum etiam, quem Chamaui incolunt, depopulatus est.* Nempe exolescente demum nomine Tencterorum & Vsipiorum, soli demum Bructeri & Chamaui in ripa Rheni, vbi Vbii & Sigambri, mox Mattiaci & Tencteri cum Vsipiis, coluerant, sedes, saltem nomina, habuisse videntur.

men poſtea omnem hanc regionem nouimus conceſſiſſe. Semper tamen ignarum nobis eſt, quænam gens ſua ſponte Saxonico acceſſerit fœderi, aut quæ fuerit armis expugnata & debellata (*l*).

Germaniæ occidentalis pars media.

Reipublicæ inter eos administratio;

XXIV. Vſipiorum Tencterorumque *principes & maiores natu* Cæſar in hiſtoriis nominat. Et cognitus eſt Germanorum veterum mos colendi atque præcipue ſenium obſeruandi. Quippe gentes amantiores libertatis, ſemper magis atque lubentius canitiem, quam aut natalium ſplendorem, aut partum inſignibus factis honorem, ſuſpexere. Attamen non aliud æque exemplum exſtat, rei moderatores publicæ natu maiores præſertim fuiſſe; ſi exceperis hoc, quod de Vſipiis atque Tencteris Cæſar prodidit memoriæ, exemplum. An præter principes, Vbiorum exemplo, elegerint ſenatum; an vnum pluresue duces habuerint multitudini præfectos? fruſtra id omne quæritur, cum taceant auctores omnes. Hoc licet

(*l*) In hoſtibus Germanici Cæſaris Vſipetes, apud TACITVM *Ann. I. Cap. LI.* in copiis Ciuilis, & Vſipii, & Tencteri, apud EVMDEM *Hiſtor. Lib. IV. Cap. XXI. XXXVII.* & ſic porro. Bella conſtantini M. in Vſipiorum & Tencterorum agris, quorum iam tamen nomina exoleſcere cœperant, Bructerorum, Chamauorumque, ad Rhenum ſedibus illuſtraris, laudibus perſequuntur EVMENII & NAZARII *Panegyrici Conſtantino* dicti. De *Ponte Agrippinenſi* vid. EVMENII *Paneg. Conſtantino Cap. XIII.* *Diuitenſe munimentum*, in proprio Tencterorum ſolo poſitum, illuſtrat vetus lapis, cuius hæc inſcriptio:

VIRTVTE. DN. CONSTANTINI
MAX. PII. FEL. INVICT. AVG
SVPPRESSIS. DOMITISQVE.
FRANCIS
IN. EORVM. TERRIS.
MIL. CAST. DIVITENSIVM. SVB
PRAESENTIA. PRINCIPIS
SVI
DEVOTI. NVMINI. MAIESTATIQVE. EIVS
DVODEVIGINTI· H. V. F.

Fit *Diuitenſium militum* mentio in NOTITIA *Imp. Or. ſub diſpoſitione V. Ill. Magiſtri militum per Thraciam*, nomine *Diuitenſes Gallicani*: ſed PANCIROLLVS *Comm. Cap. LIV.* a *Deueto*, mediterraneo Siciliæ oppido, adpellatos eſſe putat; quod mihi quidem non probatur, cum magis putem, a *Diuitenſi* noſtro caſtro eos nomen accepiſſe. Conf. AMMIANVS *Lib. XXVI Cap. VI. & Lib. XXVII. Cap. I.* vbi *Diuitenſium* ita fit mentio, vt noſtra opinio non parum ſtabiliatur.

Vsipii & Tencteri. licet ex ætate postera obseruare, vt nostris ciuitatibus non magis, quam Sigambris, aut Mattiacis, aut Vbiis, aut omnino Cattis, ab vno rege placuerit regi; ita potius eas videri omnia iura reliquisse soli populo: non enim porro principibus nominatis, solum reperimus populum, qui res omnes administrauerit, laudatum ab auctoribus. De cetero, Tacito vtriusque gentis laudes persequente, super solitum & commune bellorum decus equestris disciplinæ arte Vsipii Tencterique præcelluere. Nec maior fuit apud Cattos peditum laus, quam Tencteris equitum. Sic instituerunt inter eos maiores; posteri imitati sunt. Hi ipsis lusus fuere infantium; hæc iuuenum æmulatio: perseuerarunt senes. Quot & memorabile prorsus exstitit, inter familiam, & penates, & iura successionum, equi traditi sunt: excepit eos filius, non vt cetera maximus natu, sed prout ferox bello & melior (*m*). itemque eorum singularia instituta & laudes.

XXV. Quos vidimus hactenus Sigambros, eorumque successores Tencteros atque Vsipios, fuisse Bructerorum contra septentriones multimodis confines, aliquoties docuimus: quæ iam causa generatim indicta postulat accuratiorem declarationem. Coluerunt Rhenum Sigambri, & post eos Vsipii, quousque vno ingens is fluuius procurrit alueo. Superiore tamen sui parte Luppia amnis, qui inferior totus Sigambro- Varii Bructerorum & Marsorum fines fuere.

(*m*) Principes & maiores natu Vsipetum & Tenchtorum ad Cæsarem veniunt. CAESAR *Lib. IV. Cap. XIII.* Apud TACITVM *Hist. Lib. IV. Cap. LXIV. LXV.* non principes aut magistratus Tencterorum, sed populus, Tencteri, edidisse mandata ad Agrippinenses feruntur. Laudes vtriusque ciuitatis reliquas ita TACITVS *Germ. Cap XXXII.* persequitur. *Tencteri super solitum bellorum decus, equestris disciplinæ arte præcellunt. Nec maior apud Cattos peditum laus, quam Tencteris equitum. Sic instituere maiores, posteri imitantur. Hi lusus infantium, hæc iuuenum æmulatio, perseuerant senes. inter familiam & penates, & iura successionum, equi traduntur. excipit filius, non, vt cetera, maximus natu, sed prout ferox bello & melior.* Quia modo ante vtramque gentem coniunxerat, & semper coniunctæ fuerunt ciuitates, adhæc CAESAR *Bell. Gall. Lib. IV. Cap. XII.* vtriusque populi equestrem militiam simul laudat; non inde veremur, licet solos Tencteros TACITVS postremum nominauerit, laudes istas de Vsipiis vna interpretari.

brorum, & ſatis deinde diu fœderatorum fuit ciuitatum, Sigambros, poſteaque Tencteros contra aquilonem prætexuit. Occurſarunt hic atque illic Bructeri, vt tamen non raro Marſi nominentur, iterumque illi Bructeri; donec valida gens e ſuis pulſa ſedibus alio neceſſe haberet commigrare. Vt diſſimiles inter ſe, quæ videntur, auctorum opiniones conciliari poſſint, curabimus.

Germania occidentalis pars media.

XXVI.

MARSI,

Marſi primum ad Rhenum coluerunt;

magna quondam atque potens natio, cuius rei eſt indicium eorum nomen a Tacito in vetuſtioribus atque celebrioribus, pluriumque ciuitatum communibus, relatum vocabulis; habitarunt ad Druſi circiter ætatem ad Rhenum, iam abacto vno alueo, tenuiorem. Sedibus his priſcis, a Strabone quidem indicatis, a nullo autem auctore circumſcriptis, recte adſignatur regio, quæ a primo Rheni diuortio inter Iſalam & Rhenum ad Batavodurum quondam porrecta eſt. Donec enim vno conſtaret Rhenus alueo, Sigambros & Vſipios coluiſſe oſtendimus; & Friſii vsque ad oceanum Rheno prætexti ſunt, ambieruntque immenſos inſuper, quod Tacitus memorat, lacus: vnde certum eſt, non alias Marſorum exſtitiſſe terras, niſi quas definiuimus. BRVCTERI tunc trans Iſalam Marſos clauſerunt; iidemque illi ſuperiorem Luppiam, eiusque fontes, Sigambrorumque adeo confinium, tunc contigere (*n*). Druſo poſtea inferiorem Germaniam bello pre-

(*n*) TACITVS *Germ. Cap. II.* inter vera & antiqua nomina Germaniæ *MARSOS* memorat. Situm priorem STRABO indicat *Lib. VII.* Ἔστι δὲ τὰ μὲν πρῶτα μέρη τῆς χώρας ταύτης τὰ πρὸς τῷ Ῥήνῳ, μέχρι τῶν ἐκβολῶν, ἀπὸ τῆς πηγῆς ἀρξαμένοις. σχεδὸν δέ τοι καὶ τοῦτό ἐστι τὸ ἑσπέριον τῆς χώρας πλάτος, ἡ ποταμία πᾶσα. Ταύτης δὲ τὰ μὲν εἰς Κελτικὴν μετήγαγον Ῥωμαῖοι. τὰ δ᾽ ἔφθη μεταναστάντα εἰς τὴν ἐν βάθει χώραν, καθάπερ Μαρσοί. *Prima Germaniæ regio eſt ad Rhenum, a fontibus eius vsque ad oſtia. atque omnis hic fluminis tractus latus eſt Germaniæ occiduum. Huius ripæ populos quosdam Romani in Galliam traduxerunt: quidam in interioia refugerunt, vt Mar-*

Mof. premente magna accidit vtroque in latere aquilonari regio- mox pars
num commutatio. Marſorum pars potior, Druſum metu- eorum ad Luppiam
An. V. C. ens, ſe in Bructerorum dederunt clientelam, &, his nouas ad conceſſit,
IↃCCXLI. An. C. N. Luppiam eiusque fontes ſedes tribuentibus, in interiora refu-
X. gerunt. Pars quidem Marſorum in priſcis adhæſere locis.
Hi tamen, cum Druſus foſſa ducta Rhenum nouo alueo feciſ-
ſet auctiorem, Druſiana foſſa hac ſeparati, & MARSACI, pars Marſatiorum
ſeu *Marſatii*, & *Marſaques*, immutata paulum priſca compel- accepto
latione, adpellati ſunt. Deſertos reliquos a Marſis ad Rhe- nomine
num agros Bructeri obſederunt; vnde, cum iam Sigambris durarunt ad Rhe-
contermini ad Luppiam Marſi facti eſſent, vice mutata ad num.
Rheni primum diuortium Sigambros Bructeri excepere (*o*).

ſi. Adſignatio finium a primo diuortio Rheni ad Batauodurum debetur CLVVERIO *Cap. IX.* nec incommodis is hac in cauſa coniecturis vſus eſt: Bructerorum tunc trans Iſalam demum ſedem fuiſſe poſitam, ex eodem STRABONE liquet. Qui enim poſt fugam Marſorum ſtatim Rhenum occuparunt, ceteris ſane regionibus occupatis, non niſi a dextro latere antiquiores Marſos claudere potuerunt.

(*o*) Se Bructerorum dediſſe *Marſos* clientelæ, inde patet, quod & agros ad Rhenum Bructeri ſtatim occuparunt, & ipſi ad Luppiam Marſi non raro in Bructerorum imputati ſunt ciuitatem; vt eſt apud TACITVM *Ann. I. Cap LX. Ductum inde agmen ad vltimos Bructerorum: quantumque Amiſiam & Luppiam amnes inter, vaſtatum; haud procul Teutoburgienſi ſaltu, in quo reliquiæ Vari legionumque inſepultæ dicebantur.* Hic vltimos Bructerorum vtique de Marſis interpretari, ob ea quæ ſequuntur, conuenit. Nomen *Marſorum* ad Rhenum reliquum, ſuadet, quaſdam Marſos priſcas tenuiſſe ſedes. TACITVS *Hiſt. Lib. IV. Cap. LVI. Cl. Labeo*, inquit, *furtim magis, quam bello, Caninefates Marſacosque incurſabat.* PLINIVS *Lib IV. Cap XV, In Rheno ipſo prope C. M. P. in longitudinem, nobiliſſima Batauorum inſula, & Caninefatum, & aliæ Friſiorum, Cauchorum, Friſiabonum, Sturiorum, Marſatiorum, quæ ſternuntur inter Helium ac Fleuum.* Vetus Marmoris inſcriptio *Marſaquos* adpellat. Coluiſſe extremos Friſiorum fines, & a Bructeris, qui ceteros Marſorum ad Rhenum agros occupauerant, Druſiana foſſa fuiſſe ſeparatos, bonæ ſuadent coniecturæ. Regionem inde eis CLVVERIVS adſcribit, quæ *Velauia* hodie, vulgo *Veluwe*, dicitur, & *Geldriæ* pars eſt. Fortaſſis autem, vt *Marſi* Bructerorum, ſic *Marſaci* Friſiorum, clientes fuerunt; vnde infra MENSO ALTINGIVS merebitur audiri, qui Marſacos Friſiorum fuiſſe aliquem pagum opinatur. Ceterum eſſe eandem gentem *Marſos* & *Marſacos*; cum ſuadent propinqua nomina, tum ſedes, quas ad Rhenum, inſtar priorum Marſorum, tenuerunt. Bructeros ad Rhenum poſt Marſorum in interiora fugam, cernis in TACITO

Fines Marsicæ ad Luppiam regionis. Qui vero cessere Marsis ad dextram superioris Luppiæ ripam noui agri, satis fuere angusti; quos nempe L. millium passuum spatio inclusos fuisse, & Romanis circumdatos stationibus, Tacitus ostendit. Germaniæ occidentalis pars media. Quod & Teutoburgiensem saltum in Marsorum cœpisse finibus diserte Tacitus memoret, simulque Marsos non procul ab Alisone castello constituat; facile est sedes eorum coniicere, quæ, vt minutos transeam limites, haud dubie a Luppia ad Amisiam amnem pertigere, & ab ortu Dulgibinorum, ab occasu Sigambrorum, finibus terminatæ fuere. Transductis Sigambris in Galliam, imo iam ante, cum Vsipii Tencterique cœpissent singulares tenere fines, facillime expedietur, quibus finibus vtraque gens Marsos contigerit. Sane ad Rheni diuortium Vsipiis occursarunt Bructeri; ad Luppiam inferiorem Vsipios Marsi attigere, & Tencteros iidem in sinistra Luppiæ ripa habuere finitimos. Quod demum a Germanico Cæsare Marsorum gens prope ad internecionem deleretur, exolescente eorum nomine, rursus Bructerorum ditionem ad superiorem Luppiam stetisse reperimus. An. XV. Ante igitur monui, reliquis Marsorum haud dubie posito nomine in Bructerorum ciuitatem imputatis, Bructeros, donicum ipsi a sedibus suis depellerentur, heic Tencterorum confines exstitisse (p).

XXVII. De

Germ. Cap. XXXIII. XXXIV. Iuxta Tencteros, (siue magis, quod docuimus, iuxta Vsipios ad Rhenum) *Bructeri olim occurrebant: nunc Chamauos & Angriuarios immigrasse narratur. - - - - A fronte*, (rursus ad Rhenum) *Frisii excipiunt. Maioribus minoribusque Frisiis vocabulum est: ex modo virium. Vtraque nationes vsque ad oceanum Rheno praetexuntur, ambiuntque immensos insuper lacus, & Romanis classibus nauigatos.* Hic quod Marsacorum nulla fiat mentio, aut id probabit, Frisium nomen iam Marsacos esse complexum; aut silentio eam gentem, quippe minorem, transmittere TACITVM voluisse, solis illustrioribus nominatis. Si vero Marsacos inter Rhenum Salamque & Drusianam fossam locaueris, nihil id prohibet, quo minus tamen vtræque Frisiorum nationes vsque ad oceanum Rheno prætexti esse potuerint, & immensos insuper lacus ambierint. Plura vide in Frisiis.

(p) Nouas Marsorum sedes TACITVS clare ostendit *Ann. I. Cap. XLIX. L. LI. Truces etiam tum animos cupido*

Mars.

XXVII. De Marsis, quorum satis confusas sedes aliquo modo illustrauimus, ante plura habemus inquirenda, quam reliquas modo spectati soli visamus vicissitudines. Notamus igitur, a quibusdam & Marsis, & Marsacis, diuersas tribui regio-

Friuolæ opiniones de diuersis Marsatiorum &

inuolat, eundi in hostem, piaculum furoris. - - - - Sequitur ardorem militum Cæsar, iunctoque ponte tramittit XII. millia e legionibus, XXVI socias cohortes, VIII. equitum alas, quarum ea seditione intemerata modestia fuit. - - - At Romanus agmine propero siluam Cæsiam limitemque a Tiberio cœptum scindit: castra in limite locat: frontem ac tergum vallo; latera concædibus munitus. Inde saltus obscuros permeat, consultatque, ex duobus itineribus breue & solitum sequatur; an impeditius & intentatum, eoque hostibus incautum. Delecta longiore via cetera accelerantur. etenim attulerant exploratores, festam eam Germanis noctem, ac sulemnibus epulis ludicram. Cæcina cum expeditis cohortibus præire, & obstantia siluarum amoliri iubetur: legiones modico interuallo sequuntur. Iuuit nox sideribus illustris. ventumque ad vicos Marsorum, & circumdatæ stationes, stratis etiam tum per cubilia, propterque mensas, nullo metu, non ante positis vigiliis. - - - - Cæsar auidas legiones, quo latior populatio foret, quatuor in cuneos dispertit: quinquaginta millium spatium ferro flammisque peruastat: non sexus, non ætas, miserationem attulit; profana simul & sacra, & celeberrimum illis gentibus templum, quod Tanfanæ vocabant, solo æquantur. sine vulnere milites, qui semisomnos, inermes, aut palantes, ceciderant. Exciuit ea cædes Bructeros, Tubantes, Vsipetes, saltusque per quos exercitui regressus, insedere. Hic iter propter Luppiam amnem ad castellum Alisonem, & breue & solitum, & impeditius atque intentatum, memoratur: vnde Marsorum & situs inter Cæsiam & Alisonem, & viciniæ, Bructeri, Tubantes, & Vsipii, clarissime patent. Rursus TACITVS *Ann. II. Cap. XXV. Fama classis amissæ, vt Germanos ad spem belli, ita Cæsarem ad coërcendum, erexit. C. Silio cum triginta peditum, tribus equitum, millibus, ire in Cattos imperat: ipse* (ex Chaucide, quo proxime adpulerant naues) *maioribus copiis Marsos inrumpit: quorum dux Malouendus, nuper in deditionem acceptus, propinquo luco defossam Varianæ legionis aquilam modico præsidio seruari, indicat. Missa extemplo manus, quæ hostem a fronte eliceret; alii, qui terga circumgressi recluderent humum: & vtrisque adfuit fortuna.* His consideratis, simulque addito TACITI *Ann. I. Cap. LX.* de vltimis Bructerorum inter Amisiam Luppiamque vastatis, supra citato testimonio, CLVVERIVS ita Marsos definit: A *meridie* Luppiam amnem ad oppidum *Lunen*; ab *occidente* brumali linea ab oppido *Lunen* ad *Coesfeld* oppidum; inde a *septentrionibus* ad Amisiam flumen lineam, tum ipsum flumen & Dalichium; ab *oriente* demum montium iugum a Dalichii fonte ad oppidum vsque *Oldenbeke* constituit: quo spatio, quod *Westfaliæ* partem, vbi oppida sunt *Munster* & *Paderborn*, complectitur, antiquitus Marsi in clientela Bructerorum egerint. Excisis *Marsis*, rursum *Bructeros* in his inter Luppiam & Amisiam terris TA-

Marsorum sedibus — Germaniae occidentalis pars media.

giones, & per magna locorum interualla vnam eandemque gentem diuidi atque separari. *Marsos*, contendunt aliqui, incerto tempore, fortassis cum a Druso in interiora profugerent, trans Albim migrasse, positisque ad Eidoram vsque amnem sedibus, priscum gentis nomen cum noua regione communicasse; quod hodieque omnino ibi duret. *Marsacos*, arbitrantur, cis Mosam, non trans Rhenum egisse: cum scilicet Tacitus eos videatur cum Neruiis atque Bethasiis commisisse, & insuper iam etiam oppidum celebre in isto terrarum tractu Marsacorum nomen imitetur. Illi vero priores attendant modo animum ad vocabulum Germanicum, quod *paludosam humilemque regionem* significat, & cum eo rationes terrarum, quæ Marsicum nomen videntur seruasse, contendant: næ desinent sua somnia mirari, & historiam fingere, quæ probari postulat. Alteram sententiam ipse Tacitus, ad quem prouocant, satis coarguit, si recte eius æstimentur verba. Tam clare etiam Plinius Marsatiorum, quos vocat, sedes designat, easdemque cum Tacito Caninefatibus Frisiiisque adeo propinquas facit; vt nequeant alibi quæri, quam vbi eas Salam inter & medium Rheni alueum post Drusianam fossam inuenimus (q).

XXVIII. Has

CITVS monstrauit *Hist. Lib. V. Cap. XXIII. Multa luce*, inquit, *reuecti hostes, captiuis nauibus, prætoriam triremem flumine Luppia*, (ex Rheno) *donum Velledæ*, (quæ *fatidica* erat *virgo nationis Bructeræ*, TACITO *Lib. IV. Cap. LX.* teste,) *traxere*. Et ita eleganter etiam cum re conuenit TACITO, si ad interiora respexeris, quum *Germ. Cap. XXXIII.* dicit, *Iuxta Tencteros Bructeri olim occurrebant*: etenim Tencteri ad superiorem Luppiam omnibus Sigambrorum agris insederant.

(q) VVINCKELMANNVS *Not. hist. polit. Vet. Sax. Westphal. Lib. I. Cap. VII. num. 61.* MARSOS, putat, tractum omnem ab Hamburgo propter Albim, vsque ad eiusdem & Eidoræ amnis ostia, adeoque integras *Dithmarsorum*, *Wilstermarsorum*, *Crempermarsorum*, & *Stormasorum*, regiones, occupasse; cum quippe a Druso in interiora refugerint. Debile autem illud ex sola nominum propinquitate argumentum trahi, quis non videt? Quod & ipsum corruit, cum Germanicam vocem respicimus *Marsch*, siue *Marschland*; qua *humilior, depressiorque*, adeo *vda*, & *palustris*, *terra* notatur. Vid. HERTIVS *Notit. Germ. Pop. Cap. II. §. 25.* qui iam ante me VVINCKELMANNI errorem nota-

Mos. XXVIII. Has demonſtratas Marſacorum regiones illa itaque *Druſiana foſſa*, & ſeparauit a Germanica continente, & præſertim illuſtrauit. Prior inde petitur ratio, quod Plinius in inſula Marſatios non minus locet, quam Caninefates atque Batauos. Scilicet, cum Druſus nouum Rheni abactum procuraſſet, amnicam non magis inſulam Bataui, quam noſtri Marſaci cum Friſiis, qui immenſum ambierunt lacum, coluerunt. Duxit autem Druſus foſſam a Rheno ad Salam fluuium, vt poſſet minori periculo hac claſſem cum exercitu ex ſuperiore Rheni parte in lacum & oceanum deducere; Friſios nempe petiturus, & in Cauchorum inuaſurus regionem. An foſſa hæc, quam pluratiuo numero non ſine cauſa, quam in Friſiis declarabimus, effert Suetonius, fuerit *Nabalia* dicta? diſputatum valde eſt a ſcriptoribus. Quantum tamen rationes a colloquio Ciuilis & Cerealis ducum, in abruptis fluminis Nabaliæ pontis habito, petitæ perſuadent; veri ſimillima eſt ſententia, quæ iſtud nomen foſſæ adiudicat. Interiores Marſorum, quos Bructerorum beneficio poſſederunt, agri memorabilis *Teutoburgienſis* ſaltus initia præcipue habuerunt. Multi ipſam Romanorum cladem in Marſorum finibus acci-diſſe arbitrati ſunt: & prope opinioni fidem facit, quod infamiam ob amiſſum cum Quintilio Varo exercitum præſertim Germanicus Cæſar in Marſos vindicauerit. Sed ſi recte ſubducimus rationes, Marſos quidem Germanicus crudeliſſime vltus eſt, quod & ſtragem Vari fortiter adiuuiſſent, & eos inter præcipua Varianæ cladis ſpolia ſeruata eſſent: ipſe tamen locus,

Memoranda inter Marſacos,

& Marſos.

uit. An vero Marſorum nomen a terra, quam coluerint, fuerit acceptum? licet id non paucis placuiſſe reperiam, ipſe tamen minime adfirmauerim. Alios *MARSACOS* Neruiorum Bethaſiorumque confines conſtituere, quod coniungantur hæ gentes a TACITO *Hiſt. Lib. IV. Cap. LVI*, quod & oppidum *Maeſtyck* in illis finibus non abludat a Marſacorum nomine; docet CLVVERIVS, ſed & idem errorem ex TACITO clare commonſtrat; quem, ſi libet, vide.

Germaniae occidentalis pars media.

cus, quo perierant legiones, haud iis procul, in Dulgibinorum finibus fuerit quærendus; ad quos continui hinc saltus montesque Teutoburgienses trahuntur. Magis autem antiquitus Marsicum agrum celeberrimum nostris gentibus templum, quod *Tanfana* vocatum est, quodque Germanicus, profana simul & sacra tum miscens, solo æquauit, fecit insignem. Quis Deus Deaque in tanto Germanis cultu fuerit, vt insolito ipsis more templum omnino ei consecrauerint? per plurimas coniecturas vix ac ne vix quidem colligitur. *Originis Deam*, plerique ex veteri Germanica lingua interpretantur: nec improbabile est, hanc *Tanfanæ* Deam esse Sueuorum *Herthum*, seu *terram matrem* omnium atque procreatricem, quam fortassis Sueuorum instar coluerunt cum vicinis gentibus Marsi. An templum fuerit more Romano isti Tanfanæ inter Marsos dedicatum, an autem nemoris penetrale quoddam Tacitus templum adpellauerit? disputari non minus poterat. Ipse templum fuisse verum existimem, cum & solo illud æquasse Germanicus dicatur, & sane potuerint Germani, qui reliquam Romanorum superstitionem passim sectati sunt, hoc etiam superstitionis genus amplecti; licet ipsi ante, quod Tacitus habet, de Dei maiestate & amplitudine excelsius atque magnificentius senserint (*r*).

Tanfanæ in Marsis templum.

Marsorum facta, fata,

XXIX. Quot aduersis fatis potens antiquissimo æuo natio Marsorum fuerit depressa, & quasi demersa in humilitatem; partim ex historia docuimus, partim sciri nequit, cum vetustissimorum Germaniæ bellorum, quibus haud dubie Marsi afflicti sunt, nulla supersit memoria. Fugerant Marsi ob

(*r*) De *Drusiana fossa*, & *Nabalia*, vide supra in fluminibus testimonia auctorum. *Teutoburgiensis saltus* initia in Marsis, quos vero vltimos Bructerorum, suppresso gentis nomine adpellat, ostendit TACITUS *Ann. I. Cap. LX.* De spoliis Varianæ cladis in Marsis vid. IDEM *Ann. II. Cap. XXV.* *Tanfanæ templum* memorat rursus TACITUS *Ann. I. Cap. LI.* In mediis videtur fuisse Marsorum finibus. Conf. TACITUS *Germ. Cap. XL.* de Hertho Dea Sueuorum.

Tubantes. ob Romanorum metum in interiora ad Bructeros. Sed peius An. V. C. IↃCCXLI. accidit profugis, quam iis, qui remanserant. *Marsi*, quod Ant. C. N. X. prope eos, & omnino ab eis Varus esset cum legionibus cæsus, eosque inter defossa Varianæ legionis aquila trophæi instar seruata esset; ad internecionem prope a Germanico semel An. XV. & XVI. iterumque cæsi sunt. *Marsaci* contra, cum pene exoleuisset Marsorum nomen, claruere, & insignem bellis peperere gloriam; quam cum Marsi voluissent subterfugere, in præsentem incurrerunt calamitatem. Obliterato autem Marsorum nomine reliquos gentis in ciuitatem Bructerorum imputatos esse, nullus quidem auctorum diserte tradit; vt tamen percommode statuatur, patronos & defensores valentis adhuc ciuitatis non eam deiectam & afflictam deseruisse. Cum Bructeris Marsos, & cum Frisiis Marsacos, qui & ipsi demum audiri desiuere, *FRANCORVM* extremo accessisse societati, censeo. De reliquo habuerunt Marsi, cum adhuc pro- & instituta. spere agerent, duces suos; quorum vnius *MALOVENDI*, in deditionem a Romanis accepti, Tacitus meminit. Ignarum est, an Marsi Marsacique, quod modicæ essent ciuitates, vni tantum duci imperium commiserint; vtrum cum duce principes etiam rerum administrauerint summam? (*s*) De incertis vero & dubiis sine auctore quicquam decernere non audeo.

XXX. Lubet post Marsos statim adiicere commemorationem ciuitatis Tubantium prior ad Rhenum sedes;

TVBANTIVM,

qui & *Tubantii*, & *Tubanti*, a græcis scriptoribus vocati sunt: cum his etiam cognitis facilior sit futura Bructerorum nostri-

Hh 2 que

(*s*) STRABO *Lib. VII.* fugam, TACITVS *Ann. I. Cap. LI. LVI. LX.* & *Ann. II. Cap XXV.* cladem Marsorum multiplicem memorat. Marsacorum in bello Ciuilis partes vna fuisse, TACITVS *Hist. Lib. IV. Cap. LVI.* testatur. Francicum fœdus, dum Bructeros complexum est, sane & Marsos, licet eorum iam posito nomine, comprehendit. *MALOVENDI* ducis meminit TACITVS *Ann. II. Cap. XXV.*

que ſoli viciſſitudinum, decreta explanatio. Egerint hi æuo incertiore ſuper Marſos ad Rhenum, nondum diuiſum, cum Chamauis; ſic enim Boiaculi ad Romanos habet oratio. Iisdem autem agris a Sigambris occupatis, neſcio an vltro, vtrum expulſi a Sigambris, ad Amiſiam amnem & in interiora conceſſerint. Ad Amiſiam oportet coluerint, cum Germanicus Marſos cæderet. Tubantes enim cum Bructeris atque Vſipiis iſta cædes exciuit; & cum ceteris ciuitatibus certæ fuerint circumcirca Marſos ſedes, ſolum id latus videmus relinqui Tubantibus, quod contra ſeptentriones trans recentem Amiſiam eſt porrectum. Bructeros cis Amiſiam ad occaſum confines Tubantibus fuiſſe; & ad ortum atque aquilonem Dulgibinos cum Angriuariis eos finiiſſe; ex populorum exploratiori ſitu colligimus. Non auſim tamen iuſtos limites inter Tubantium vicinarumque ciuitatum agros indicare; cum ab omni rei notitia prorſus deſtituar. Villæ vicique hodie exſtant cis Amiſiam & prope ad Luppiam, qui Tubantium fere nomen indicant. Vt fortaſſis huc illuc minor ciuitas, cum nomen poſuiſſet, in propinquas nationes fuerit diſpertita, itaque nomen intulerit; ita non vltra habeo quicquam certi dicere. Hoc adhuc videtur, cum Marſis excifis Bructeri poſtremas eorum ad Luppiam ſedes recepiſſent, Tubantes Bructerorum fortaſſis nouo beneficio eandem a Marſis deſertam regionem accepiſſe, & in ea aliquandiu coluiſſe; neſcio, an ab Angriuariis expulſos ex prioribus trans recentem Amiſiam agris, vtrum conſilio Bructerorum clientelam amplexatos? Certe cum Anſibarii repulſi a Romanis retro ad Vſipios & Tubantes conceſſiſſe a Tacito dicantur, non alia videtur hic Tubantium regio definiri, quam quæ ante Marſorum, & deinde rurſus Bructerorum, fuerat. Credibile & eſt, hic demum eos exuiſſe nomen, & paulo poſt Neronis Imperatoris interitum ſiue in Bructerorum ciuitatem plane eſſe imputatos, ſiue per diuerſas diſperſos gentes.

Germaniæ occidentalis pars media.

poſterior ad Amiſiam;

proxima ad Luppiam.

An. LVIII.

Nam-

Tubantes. Namque Bructeros ea ætate rursus omnem superiorem Luppiam obsedisse ante ostendimus; & anterioribus Tubantium agris ab Angriuariis occupatis, non alia superest, quam porro habitauerint, regio (t).

XXXI. Fuerunt alioqui non pauci auctores, qui Tubantes nostros, quos spectauimus, maluerunt Isalam inter & Amisiam adultiorem quærere, vbi Bructerorum penitiores agros Iniqua de Tubantium agris sententia.

(t) Bis *TVBANTES* TACITVS adpellat, *Ann. I. Cap. LI. & Lib. XIII. Cap. LV. LVI.* STRABONI *Lib. VII.* memorantur Συβάτλιοι, qui haud dubie Τυβάντιοι dici debebant. PTOLEMAEVS *Lib. II. Cap. XI.* Τυβάντοι habet. Primas Tubantium ad Rhenum, inter Sigambros & Marsos, sedes videtur Boiocalus indicare apud TACITVM *Ann XIII. Cap. LV, Chamauorum quondam ea arua, mox Tubantum, & post Vsipiorum fuisse.* CLVVERIVS autem *Cap. XII.* non incommode dubitat de illo loco TACITI, & arbitratur, loco *Tubantum* vocem *Sugambrum*, siue *Sugambrorum*, reponendam esse: quia ab his Vsipios accepisse agros constet, Tubantes ad Rhenum nullus alius locauerit. Fortassis, quod Menapii etiam eadem arua teste CAESARE *Lib. IV. Cap. IV.* tenuerunt, loco *Chamauorum* *Menapiorum* vocabulum non minus recte posueris: sed nihil eius rei nos quidem decernimus. Noua trans Amisiam sedes coniectura nititur ex TACITO *Ann. I. Cap. LI.* petita. CLVVERIVS pro more has sedes describit, a *meridie*, qua Marsis Tubantes iungebantur, Dalichio & Amisia amnibus, ad vrbem vsque Monasteriensem; ab *occasu*, qua Bructeris contermini, eodem Amisia ad vicum *Bentlage*; hinc a *septentrionibus*, qua Angriuariis continuabantur, linea ad oppidum *Mellem* ducta; indeque ab *ortu solstitiali*, qua Dulgibini, Cheruscorum clientes, occurrebant, montium iugo, quod iuxta oppida *Rauensberg* & *Bilefeld* ad Dalichii vsque fontem procurrit. Extra hos fines Tubantum, cis Amisiam, arx est *Bentheim*, a qua insignis *comitatus* nomen habet; est vicus *Bentlage*, ad Amisiam, XV. M. P. a dicta arce dissitus; est inter oppida *Lengou* & *Dietmelle* vicus *Bentdorp*: quæ nomina de *Tubantibus* vtique videntur testari. Tubantes in Marsorum sedes successisse, argumento TACITI *Ann. XIII. Cap. LVI.* stabilitur; vbi *Ansibariorum gens retro ad Vsipios & Tubantes concessit, quorum terris exacti, cum Cattos, dein Cheruscos, petiissent, errore longo, hospites, egeni, hostes, in alieno, quod iuuentutis erat, caduntur: imbellis ætas in prædam diuisa est.* Hic diserte medii Tubantes sunt inter Vsipios & Cattos: nam Chassuarii, qui Marsos ante contigerant, vere Catticæ ciuitati vindicantur: vnde nequit secus censeri, quin iam in Marsica regione Tubantes egerint. Durat in secundis his sedibus, ad Tencterorum vetus confinium, prope Luppiæ fontes, gentis memoria in vico *Benteslo*: & quæ vicorum nomina haud inde procul MENSO ALTINGIVS *in Tabula Germ. Inferioris Ant.* notauit; *Bentburen, Benthusen, Bentfeld.*

Germani occidentalis pars media.

agros modo inueniemus. Vt vero iudicandi ita non iis alia exſtitit cauſa, quam quod viderint Tranſiſalani agri bonam portionem *Twente* nomine compellari, vnde ſtatim *Tubantes* veteres colonos olfecerunt; non magni profecto habenda eſt eorum opinatio, cum & diuerſum longe vetus doceat hiſtoria, & vocabuli illius laudati manifeſto pateat ratio, a coniecturis iſtis alieniſſima. De Tubantibus præterea, quorum prope omnis hiſtoria obliuione eſt ſepulta, iudicant nonnulli; Bructerorum ruina & ipſos tactos eſſe, aduerſarum nimirum rerum ex æquo ſocios, cum in ſecundis Bructerorum vſi eſſent clientela. Sunt etiam, qui, cum Tacitus, poſt Bructerorum cladem Angriuarios & Chamauos a tergo Dulgibinos & Chaſuarios clauſiſſe aliasque gentes haud perinde memoratas, ſcribat; poſteriores *Tubantes* noſtros interpretantur, qui fortaſſis poſt Bructerorum fugam in antiquas trans recentem Amiſiam ſedes reuerterint. Ego vero non habeo, quod aut iſtis opponam ſententiis, aut quo firmamentum ac robur addam coniecturis. Hoc poſſe ſine teſte affirmari arbitror, Francico nato fœdere, in eo cum omnibus vicinis ciuitatibus Tubantes etiam fuiſſe; ſiue illi eatenus diſperſi vagique egerint, ſiue in ignorabili loco ſalua eorum ciuitas perſtiterit (*v*).

Quid poſtremum de Tubantibus actum ſit?

An. XCVIII.

XXXII. Er-

(*б*) *Tбbente*, Tranſiſalanæ regionis pars, dicta, quaſi *ſecundaria* prouincia: nam *Trente* etiam eſt, quaſi *tertiaria* regio. Prior *Salland*, *terra ad Salam ſita*, nuncupatur. Iam, qui *Tubantes* in regione *Tбbente* quærunt, viderint, vt defendere opinionem ſuam velint. Poſt Bructerorum cladem Tubantes multi quærunt in minoribus gentibus, a TACITO ita memoratis, *Germ. Cap. XXXIV. Angriuarios & Chamauos a tergo Dulgibini & Chaſuarii cludunt, aliaque gentes, haud perinde memorata.* Nempe meminit eorum adhuc NAZARIVS *Paneg. Conſtantino Cap. XVIII.* cum Bructeris, Chamauis, & Cheruſcis: vnde, niſi NAZARIVS ex veteri eos memoria petiit, probabile eſt, trans Dalichium in priſtinam ſedem, quam Angriuarii reliquerant, eos reuerſos eſſe. cum Chamaui omnem Bructerorum regionem priſcam occupauiſſent. Quod eosdem *Tubantes* meminit NOTITIA *Imperii Orientis ſub diſpoſitione V. Ill. Mag Mil. Præſentalis in XVII. Auxilia Palatinis*, & NOTITIA *Imp. Occid. in Legionibus Palat.* vbi vid. PANCIROLLVS

Indëri. XXXII. Ergo nunc demum ad ipſos adimus

BRVCTEROS;

Bructerorum

quorum viciſſitudines eo iam intelligemus rectius, quo accuratius eos agros deſcripſimus, quos varia ætate ſuper propriam nationis ſedem obſederunt. Nomen eorum alio atque alio modo elatum a ſcriptoribus reperimus; vt modo *Busacteri*, *Bucteri*, *Burcturi*, *Bruteri*, modo etiam *Bricteri*, *Borthari*, & *Boructuarii*, fuerint nominati. Ipſe licet difficillimæ interpretationis vetuſta Germanicarum ciuitatum vocabula eſſe cenſeam; non dubito tamen eorum ſubſcribere coniecturæ, qui nomen *Bructerorum* a *paludibus & incultis ſaltibus*, quos hodieque illis regionibus, vbi quondam coluerunt Bructeri, *Bruchios* & *Brocos* adpellitant, traxiſſe originem, arbitrantur. Namque ſi vſpiam Germania, quod Tacitus ait, ſiluis horrida & paludibus fœda eſt, tum hæc Bructerorum vetus ſedes; quæ hodieque eam ſoli conditionem oſtendit (*x*). Vetus

nomen, eiusque origo;

Comm. P. I. Cap. XLVI. & *P. II. Cap. XXI.* non valde id reliquum in Germania gentis fuiſſe nomen, ſed in Romana militia reliquam fuiſſe eius memoriam, teſtatur. In Francos Tubantes poſtremum imputatos eſſe, NAZARIVS etiam poterat probare, qui quos generatim *Cap. XVII.* Francos dixerat, mox *Cap. XVIII.* ſingulatim percenſet.

(*x*) *BRVCTERI* conſtantius a VELLEIO, TACITO, aliisque auctoribus adpellantur. PTOLEMAEO *Lib. II. Cap. XI.* ſunt Βουσάκτεροι, & STRABONI *Lib. VII.* Βούκτεροι, quod vtrumque vocabulum vitioſum videtur eſſe. *Burcturos* TABVLA *Itineraria* ſuper Rheni locat ripam, e regione Coloniæ Agrippinenſis. *Bructeri* ſunt in NAZARII *Paneg. Conſtantino Cap. XVIII.* & EVMENII *Panegyr. eidem Cap. XII.* *Bricteros* vocat SVLPITIVS ALEXANDER apud GREGORIVM TVRON. *L. II. Cap. IX.* *Bortharii* nominantur in quadam GREGORII II. *Papæ epiſtola*; & *Boructuarii* in VITA *diui Suiberti*, & MARCELLINI *Vita S. Bonifacii.* Nomen a Germanica voce *Burg* quidam deriuare conati, ſed perperam; cum poſterioris æui auctores, quibus vocabulum haud dubie ſatis erat cognitum, prorſus diuerſo modo gentis nomen pronunciauerint. Recte vox *Bræcken*, ſiue *Bruchen*, adſumta eſt; quæ cum ſoli a Bructeris habitati ingenium deſignet, commode potuit nationi nomen dare. Placet hæc interpretatio nominis SCHATENIO *Hiſt. Weſtf. Lib. I. fol. XI.* placet etiam MENSONI ALTINGIO in voce *Bructeri.* Vix autem auſim MENSONIS probare, aut tueri, ſententiam, quum TACITVM *Ann. I. Cap. LX.* vbi dicit, *Bructeros, ſua vrenteis*, ex-

prima regio inter Isalam & Amisiam.

Germania occidentalis pars media.

Vetus ea sedes *ad occasum* Frisiorum, qui a fronte Bructeros excepere, partimque Marsorum, qui olim Rhenum inter & Isalam egerunt, terra terminata est. Marsos Salam finiisse inde coniicio, quod Marsaci fossa Drusiana separati in insula a Plinio diserte locati sunt. Frisii a Tacito a Rheno ad oceanum ponuntur, vt ambierint immensos, quos ille vocat, lacus; vt tamen maneat incertum, quibus finibus distincte Bructeri ab ipsis separati fuerint. Ad *septentriones* clarum fieri puto ex Tacito, ad ostium vsque Amisiæ amnis Bructeros pertinuisse; ibidemque Bructerorum nostrorum, simulque Frisiorum, & Cauchorum, concurrisse confinia. Cum enim Germanicus Cæsar Cæcinam cum cohortibus per Bructeros, Pedonem cum equite per Frisios, ad flumen Amisiam misisset, ipse impositas nauibus quatuor legiones per lacus vexisset; simul pedes, eques, classis, apud prædicti amnis conuenere ostium: & ibidem Chauci, cum auxilia pollicerentur, in commilitium adsciti sunt. Ad *ortum* ad Amisiam flumen Bructeros habitasse, Strabo docet; qui in flumine dicto nauali pugna a Germanico Bructeros superatos esse, memorat. Integro itaque hoc flumine a Chaucis, Chamauis, Angriuariis, & Tubantibus, submoti fuere. In *austri* demum partibus antiqua Bructerorum regio primum Sigambrorum, posteaque Vsipiorum, agris clausa est. Inde ad Luppiam superiorem eiusque fontes procurrit vetustior Bructerorum ager. Cum enim hisce in locis Marsi deinceps egerint, eosdemque nori-

pedita cum manu L. Stertinius missu Germanici fudit; de noto in Batauis dicterio, *Broekters hun eygen moeur brandende*, interpretatur. Siquidem est incertum, an iam tum, quod ille adseuerat, mos inualuerit, *fossiles illas glebas, quæ exsiccatæ optimum foco alimentum præbent*, præparandi; verum potius copia lignorum exhausta, ad terram demum vrendam ventum fuerit? Et perspicue docet TACITVS, Bructeros ideo fruges, ædes, terramque suam, vastasse, ne Romani in finibus, quos petituri erant, quicquam, quod posset morari hostem, reperirent.

Frisii. norimus a Bructeris nouas impetrasse sedes, satis certum fit, antiquitus eadem arua Bructeros tenuisse (y).

XXXIII. Prima proinde horum finium, quos ad aucto- *Regio eorum modo est coarctata, modo amplia-ta.* rum fidem designauimus, accidit mutatio, cum a Rheno belli propinqui metu Marsi in interiora refugissent. *An. V. C. DCCXLI. Ant. C. N. X.* Tum Bructeri horum iuxta Rhenum agros obsederunt, contra vero Marsis

(y) Marsorum & Frisiorum ad Rhenum primas sedes STRABO *Lib. VII.* & TACITVS *Germ. Cap. XXXIV.* monstrarunt. Contra Frisios me opinante limes incertus est. Satis latas cis Amisiam terras coluisse Bructeros suadet TACITVS *Ann. I. Cap. LX. Cæsar, ne bellum mole vna ingrueret, Caecinam cum quadraginta cohortibus Romanis, distrahendo hosti, per Bructeros ad flumen Amisiam mittit.* Ipsum Amisiam adcoluisse, magis STRABO *Lib. VII.* naualem cum Bructeris Drusi Germanici pugnam describens docet. De confiniis Frisiorum, Bructerorum, Chaucorumque, ita TACITVS pergit. *Equitem Pedo præfectus finibus Frisiorum ducit. ipse impositas nauibus quatuor legiones per lacus vexit: simulque pedes, eques, classis; apud prædictum amnem conuenere. Chauci, cum auxilia pollicerentur, in commilitium adsciti sunt.* De sedibus Bructerorum inter Luppiam & Amisiam, iuxtaque Sigambros, & postea iuxta Tencteros, & Vsipios, iam ex TACITO *Ann. I. Cap. LX. & Germ. Cap. XXXIII.* satis dictum. CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. III. Cap. XIII.* ita hos priores Bructerorum agros circumscribit. *A meridie, ait, limes, quo olim a Sigambris separabantur, erat Luppia amnis, a fonte ad oppidum vsque Lunen; inde ab occasu brumali linea vsque ad fontem Bercolæ. hinc vero, qua Marsi quondam contermini, Bercola erat & Isala, ad oppidum vsque Haltem. Hinc ab occasu æstiuo iuxta lineam, ad lacum Dullart, in quem Amisia, antequam Oceano misceatur, effunditur, ductam, a Frisiis distinguebantur. ab septentrionibus & ortu Amisia, ad munimentum usque, cui vulgare vocabulum Ten Oort, a Chaucis; hinc eodem Amisia & Dalichio amne a Chamauis, & Angriuariis, Tubantibusque, submouebantur.* Addit de auctis finibus. *At postquam Marsi a Rheno in interiora commigrarunt; Bructerorum pars, in eorum agros transgressi, supra dicta linea, a Rheni diuortio ad fontem vsque Bercolæ, ab Vsipiis disterminabantur. Deinde vero, Marsis excisis, Tubantibusque eorum sedibus, quas occuparant, pulsis, Bructerorum nomen iterum ad Luppiam & Tencterorum confinia processit.* (id argumento TACITI *Lib. V. Histor. Cap. XXII.*) Regiones nunc dictis finibus continentur istæ: *comitatus Sutphaniensis & Benthemius*; *Sallandia* & *Tuentia, Drentiaque* pars, qua oppidum *Couorden*; item *Cliuiæ* exigua portio, qua oppidum *Seuenar*: dein *Vestfoliæ* pars, qua oppida *Borckensteenfoorde, Nienborch, Ahuus, Vrede, Statlo, Coesfeld, Munster, Lunighusen, Werne, Ham, Alem, Beckom, Reide, Rydeberg, Delbrugge.*

Marsis Amisiam & Luppiam inter sedes concesserunt. Hinc est, quod Strabo Luppiam dixit Bructeros minores præterfluere: nondum enim agri ad Luppiam Marsis cesserant. Ptolemæus vero, qui nullos ad Rhenum Marsos, sed Bructerorum in eorum arua successionem, nouerat, diserte minores suos Bructeros ad Rhenum locauit. Libet istud hoc loco interponere, a Ptolemæo Bructerorum genus diuidi, vt *maiores* coluerint contra septentriones, Cauchos, Chamauos, Frisiosque inter; *minores* in austri partibus, ad Rhenum, & superiora. Strabo minorum meminit Bructerorum, non item maiorum; non ignoratæ tamen diuisionis idoneo argumento. Rursus ad finium vicissitudines scire iuuat; Marsis a Germanico cæsis, secundo Bructerorum agros ad Luppiam vsque prolatatos esse; & tunc eos occursasse a meridie Tencteris, ab occasu ad idem flumen Vsipiis, qui Sigambrorum regionem, cum illi in Galliam transducti essent, insederant. An rursus hi ad Luppiam agri Bructerorum beneficio Tubantibus cesserint? paulo ante quæsii, & ex Ansibariorum migratione affirmare ausus sum. Iterum itaque Neronis circiter ætatem coarctata hic Bructerorum est ditio: si id coangustat agros, cum clientes in eorum recipiuntur partem. Et vero breuissimum post tempus denuo nostri Bructeri Luppiam coluerunt; Tubantibus procul dubio non in ciuitatem solum, sed & fortassis in nomen, imputatis, aut si mauis, eiectis, & in varium missis exilium. Hæc illa postrema finium amplitudo accidit; & tum puto potentiam Bructerorum gentis superbiam dedisse, hancque odia & inuidiam vicinarum excitasse nationum, quarum consensu demum Bructeri bello petiti, victi, atque ex omnibus, quos possederant, agris exterminati sunt (z).

[Margin: *Germaniæ occidentalis pars media.* — Maiores & minores Bructeri. — An. XV. XVI. — An. LVIII. — An. LXX. — An. XCVIII.]

XXXIV.

(z) Mutationem primam agrorum, qua Marsi ad Luppiam fugerunt, Bructeri ad Rhenum in illorum agros concesserunt, habet STRABO *Lib. VII.* & in

Bructeri. XXXIV. Tristis ea Bructerorum status conuersio, quæ Neruæ circiter ætatem contigit, primoque imperantis Traiani anno Romæ nuntiata est, magnæ regionum Germaniæ confusionis atque perturbationis causa exstitit. In omnes Bructerorum agros CHAMAVI & ANGRIVARII, qui ante trans Amisiam habitauerant, adeoque a tergo Bructeros clauserant, immigrarunt. Illorum priores sedes aliæ ciuitates, modicis antea notæ limitibus, insederunt. De Bructeris quid post cladem fuerit factum, nondum satis liquet. Super LX. millia eorum in bello ceciderunt: exiguus is numerus, si capacitatem agrorum nationisque magnitudinem æstimaueris. Quo ergo pulsi reliqui & excisi concesserunt? Non sane probo sine teste sineque auctore longam eorum migrationem, trans Visurgim, trans Albim, trans imo Viadrum & Vistulam, in Sarmatiam comminiscentes; vt Prutenos, seu Prussos, Bructerorum exulum satu ortos ostenderent. Quantumuis frequens esset inter Germanos soli mutatio at-

Bructeri bello ex agris suis expulsi & exturbati sunt.

Quo concesserint?

Non Pruteni Bructerorum satu orti sunt.

 que

nouis sedibus Marsos ostendit TACITVS *Ann. I. Cap. XLIX. L. LI.* Ante minores Bructeros præterfluxisse Luppiam diserte etiam ostendit STRABO *dicto libro*: Λουπίας ποταμὸς, - - - - ῥέων διὰ Βρουκτέρων τῶν ἐλαττόνων. *Luppias fluuius, qui per Bructeros minores fluuit.* Deinde ad Rhenum PTOLEMAEVS *Lib. II. Cap. XI.* monstrat Bructeros minores, quibus Sigambros addit; argumento hoc, non de sua ætate hæc PTOLEMAEVM scribere, sed de ea, qua Marsis in interiora receptis, statim infra Sigambros sedes Marsorum Bructeri occuparunt. Κατέχουσι δὲ τῆς Γερμανίας τὰ μὲν παρὰ τὸν Ῥῆνον ποταμὸν ἀρχομένοις ἀπ' ἄρκτων, οἱ δὲ Βουσάκτεροι οἱ μικροὶ, καὶ οἱ Σύγαμβροι. *Incolunt autem Germaniam, iuxta Rhenum amnem, si a septentrionibus ordiaris, Bructeri minores & Sigambri.* Maiorum Bructerorum paulo post idem PTOLEMAEVS meminit. Ἐλάσσονα δὲ ἔθνη μεταξὺ κεῖται Καύχων μὲν τῶν μικρῶν, καὶ τῶν Σουήβων, Βούκτεροι οἱ μείζονες. ὑφ' οὓς Χαμαῦοι. *Minores vero gentes interiacent inter Chauchos minores & Suenos, Bructeri maiores, sub quibus Chamaui.* Recte hic Ptolemæus Bructeros majores & Chamauis & Chaucis continuauit: solum id perperam de Suenis, siue Cattis, videtur additum esse. De Tubantibus in Marsorum sedes aut acceptis, aut profectis, argumento TACITI *Ann. XIII Cap. LVI.* ante dictum est: & ostensum etiam ex TACITO *Histor. Lib. V. Cap. XXII.* rursum Vespasiani æuo inter Amisiam & Luppiam Bructeros egisse.

que migratio, nimia tamen populorum copia Viſtulam & Amiſiam inter tunc coluit, quam vti via Bructeris eo patuerit. Adde ſolam nominis *Bructerorum* & *Prutenorum* ſimilitudinem minime tanti eſſe, vt liceat ſomniis aut diuinationibus libere indulgere. Rectius, ſi indagauerimus, in propinquis regionibus noſtros Bructeros poterimus reuiſere. Conſtantini ætate legimus, Bructeros ad Rhenum habitaſſe Coloniæ Agrippinenſi aduerſum. Hoc enim loco ripis ponte iunctis in eos inuaſiſſe imperator, & poſt eum Arbogaſtes, Theodoſii bellicus dux, ſcribitur. Quod igitur ante monſtraui, Bructeri expulſi, aut armis ſibi in nouos agros aperuere viam, aut Tencterorum miſeratione & beneuolentia in partem ditionis ſuſcepti ſunt. Coluerunt autem Rhenum a Loganæ confluentibus, quæ Mattiaci quondam agri pars exſtitit; ad Segi confluentes, & vltra eos, vnde Tencterorum ager quondam inceperat. In hac noua ad Rhenum regione, quam male quidam ad Mœnum vsque extendit, Bructeri diu durarunt, auditumque crebro eſt eorum nomen, cum dudum iam in Galliam tranſiiſſent Franci, eorumque imo regnum alterum iam ſeculum egiſſet. Tum vero orto duriſſimo cum Saxonibus bello rurſum Bructerorum ciuitas ad internecionem cæſa eſt, &, promota ad hanc Rheni ripam Saxoniæ ditione, nomine tenus prope exſtirpata. Quod quibuſdam auctoribus placet, non modo apud Rhenum exules Bructeros conſediſſe, ſed etiam partem vltra Luppiæ & Amiſii fontes ad ſaltum Teutoburgienſem, fortasſis etiam trans Viſurgim, & ad ſiluam Bacenin, ſedes ac domicilia collocaſſe; improbabile non videtur, cum maiorem exiſtimem ſuperaſſe multitudinem, quam cui pauci Segam inter & Loganam amnes agri ſuffecerint. Argumenta tamen, quæ paſſim ad probandas interiores ſedes afferuntur, non

Germani occidentalis pars media.

Bructeri inde ad Rhenum inter Loganam & Segum habitarunt.

An. CCCVIII. CCCIX.

An. CCCXCII.

An. DCCVIII.

Pars Bructerorum in interiora refugiſſe videtur.

bdri. non euincunt; quod solis prope coniecturis patet felicius (*a*).

(*a*) Cladem Bructerorum ita describit TACITUS *Germ. Cap. XXXIII. Iuxta Tencteros Bructeri olim occurrebant: nunc Chamauos & Angriuarios immigrasse narratur, pulsis Bructeris ac penitus excisis, vicinarum consensu nationum, seu superbiæ odio, seu prædæ dulcedine, seu fauore quodam erga nos Deorum. nam ne spectaculo quidem prælii inuidere super LX. millia non armis telisque Romanis, sed, quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt.* Locum cladis commode MENSO ALTINGIUS constituit prope Rhenum fossamque Drusianam: quia oculis cecidisse Romanorum Bructeros TACITUS dicat. Tempus constituimus Neruæ circiter ætatem. Anno post C.N. XCVIII. Romæ clades nunciata est, primo Traiani principatus anno, quo suum de Germania librum TACITUS conscripsit. Causa dubia est, nisi, quam TACITUS memorauit, adsumemus. Prutenicas origines a Bructeris deriuantes falli, satis liquet. Ad Rhenum Bructeros supra indicauimus ex EUMENIO *Paneg. Constantino Cap. XII. XIII. Vt tamen omnibus modis barbarorum immanitas frangeretur, - - - - etiam immissa Bructeris vastatione fecisti, imperator inuicte.* Et nouo capite, semper de Bructeris loquutus; *Insuper*, inquit, *etiam Agrippinensi ponte faciundo reliquiis adflictæ gentis insultas, ne vnquam metus ponat.* Easdem sedes ostendimus ex ALEXANDRO SULPICIO apud GREGORIUM TURON. *Lib. II. Cap. IX. Collecto*, ille inquit, *exercitu transgressus Rhenum, Bructeros ripæ proximos, - - - - depopulatus est;* Arbogastes nempe, dux Theodosii, ipse Francus, sed Franciorum regum, qui tum erant, infensus hostis. Ad Moenum & Magontiacum Bructeros sedes postea promouisse, FREHERUS contendit, & cum eo MENSO ALTINGIUS; nixi præcipue Honorii IV. Consulatus præcone, CLAUDIANO *Vers. 450.* vbi ita canit;

- - - - venit accola siluæ
Bructerus Hercyniæ:

hancque Hercyniam siluam ex CAESARIS, quod constituunt, designatione, de *Spesbard*, & *Oden-Wald*, quæ vulgo dicuntur, interpretati. Quod autem Alemannorum omnis ista trans Moenum ditio diutissime fuit, nec ea a Francis, quam post Alemannorum cladem, possideri cœpta; nos quidem nec FREHERO, nec MENSONI, adstipulari conamur: sed potius Hercyniam de silua, quæ der *Wester-Wald* hodie dicitur, quam & vere Bructeri tenuerunt, interpretamur. Omnem demum ditionem Tencterorum, Vsipiorumque, horum nominibus oblitteratis, Bructeris cessisse, ex SULPITIO ALEXANDRO iam olim coniecimus. Totus locus eius rei gratia hic legatur. *Eodem anno Arbogastes Sunnonem & Marcomerem, subregulos Francorum, gentilibus odiis insectans, Agrippinam, rigente maxime hieme, petiit: ratus tuto omnes Franciæ recessus penetrandos, vrendosque, cum decussis foliis nudæ atque arentes siluæ insidiantes occulere non possent. Collecto ergo exercitu transgressus Rhenum, Bructeros, ripæ proximos, pagum etiam, quem Chamaui*

Præcipua veteris Bructerorum agri.

Germaniæ occidentalis pars media.

XXXV. In Bructeris minoribus, partimque in Vsipiis, *Cæsia* fuit *silua*, post Luppiam longe lateque ad Isalam & vicinias sparsa. Eam Tiberii & deinceps Germanici expeditiones insignem fecere, & Romano more militaribus viis, quæ a Rheno ad Alisonis duxerunt castellum, instruxere. Nec a Cæsia silua procul in penitioribus Bructerorum agris abfuit ille ***angustus trames vastas inter paludes***, & quondam a L. Domitio aggeratus; qui Cæcinæ ad Rhenum militem suum ducturo prope fatalis exstitisset. Hos *longos pontes*, quos Tacitus adpellat, inter limosa cetera, grauique cœno tenacia, riuisque incerta, & circum siluas paulatim adcliues, male nonnulli prope flumen Amisiam quæsiere; cum ibi quidem hodieque angustus longusque inter paludes & vligines exstet trames, minime tamen isti, siue Cæcinæ ad Rhenum iter, siue Germanici expeditio, siue etiam montes saltusque illum limitem, Tacito teste, ambientes, conueniant. Rectius proinde longos pontes alii indagarunt & inuenerunt prope locum in

Bru-

incolunt, depopulatus est; nullo vsquam occursante, nisi quod pauci ex Ampsiuariis, & Chattis, Marcomere duce, vlterioribus collium iugis apparuere. Bructeros vero potiores partes Tencterorum agri insedisse, inde colligo, quod in Francis præcipuo fere loco haberi consueuere. Me autem non repugnante, Chamaui etiam bonam partem agrorum occupauerint. Per varia, puto, fata pars Bructerorum durauit ad seram Franciam. Tandem MARCELLINVS *in Vita Diui Suiberti Cap. XXII.* multis litibus collisos Bructeros & Saxones ostendit: vnde ad arma, & post graue bellum ad Bructerorum internecionem, ventum est. BEDA *Lib. V. Cap. XII.* paucis, *expugnatos*, ait, ***Boruchtuarios a gente antiquorum Saxonum.*** Nondum vero hac internecina clade prorsus esse Bructerorum nomen exstinctum, didici ex GREGORII *II. Papæ*, qui circa annum DCCXX Romæ sedit, *epistola*, cuius inscriptio Bructeros meminit: *Vniuersis optimatibus, & populo prouinciarum Germaniæ, Thuringis, & Hessis, Borthariis, Nistresis, Wedreuis, & Lognais, Sudnosis, & Grabfeldis, vel omnibus in orientali plaga constitutis.* Opinio, Bructerorum quosdam in interioribus vltra Luppiæ fontes regionibus quærentium nititur rursus CLAVDIANI *versu* de Bructeris, siluæ Hercyniæ accolis. Quum vero omnes siluæ Germaniæ communi Hercynio nomine fuerint compellatæ, oppido id debile argumentum esse liquet.

Bructeri. Bructeris, aut, si mauis, in Marsis, qui hodieque memoriam rei seruat nomine, & illam soli conditionem, quam Tacitus descripsit, clare demonstrat. Nec enim hi, qui prope Luppiam inferiorem inuestigarunt illos longos pontes, rem plane tetigere. Licet namque Tiberii limes in Cæsia silua propeque Luppiam fuerit, isque idem, quem deinceps Germanicus Cæsar nouis aggeribus permuniuit; non tamen L. Domitii & Tiberii simul limites iidem fuisse videntur, cum sane diuersa a Veteribus castris ad Alisonem castellum itinera duxerint, & Tacitus, nisi diuersos limites designans, non credi possit Domitium hic, alioque loco solum Tiberium, nominasse, vnius alteriusue limitis auctorem (*b*).

XXXVI.

(*b*) Cæsiam siluam nominat TACITVS *Ann. I. Cap. L. Romanus agmine propero siluam Cæsiam, limitemque a Tiberio cœptum, scindit.* Est sane, vt ex rationibus illius expeditionis a Germanico susceptæ patet, Cæsia silua ille saltus, qui partim in Cliuia, partim in VVestfalia, inter oppida *Wesel* & *Coesfeld*, protenditur. Magis vero iste olim in Sigambris, deinde in Vsipiis, fuit, quam fere in Bructeris. De *Pontibus longis* controuersia est. TACITVS *Ann. I. Cap. LXIII. Mox*, inquit, *reducto ad Amisiam exercitu, legiones classe, vt aduexerat, reportat: pars equitum littore oceani petere Rhenum iussa: Cæcina, qui suum militem ducebat, monitus, quanquam notis itineribus regrederetur, pontes longos quam maturrime superare. Angustus is trames, vastas inter paludes, & quondam a L. Domitio aggeratus: cetera limosa, tenacia, graui cœno, aut riuis, incerta erant, circum silua paulatim accliues. ‥ ‥ ‥ locus vligine profunda, idem ad gradum instabilis, procedentibus lubricus.* LIPSIVS ad hunc locum commentatione quærit longos pontes in Transisclania, inter *Lingam, Weddam*, & *Coeuordiam*, notis illis vastisque paludibus. LIPSIO adstipulatur MENSO ALTINGIVS, &, bene expeditioni Germanici cum situ vastarum inter Frisios & Bructeros paludum conuenire, arbitratur. Sed legisse TACITVM, & illam regionem, quam longis pontibus LIPSIVS vult fuisse stratam, cui nec expeditio Germanici Cæsaris potest conuenire, vbi nec siluæ nimiæ occurrunt, nec circumsurgentia iuga vspiam visuntur, considerasse; iam id ad agnoscendam summi Lipsii hallucinationem sufficit. CLVVERIVS *Lib. III. Cap. IX.* in Sigambris & Cæsiam siluam, & prope hanc *Longos* illos *pontes* reperisse sibi visus est: vbi hodie vasta satis palus in medio oppidorum *Hamm*, *Alem* & *Lenighausen*, sternatur. Idem ergo & limitem a Tiberio cœptum, & tramitem hunc a L. Domitio aggeratum, in eodem habuit numero; & vtrumque de loco, in quo Cæcina & Romanus exercitus periclitatus est, satis fidenter

Historia Bructerorum gentis.

XXXVI. Porro attinet de factis Bructerorum insignibus variisque fatis accipere; semper illos inter Germaniæ pugnacissimas nationes fuisse. Vix est bellum a Germanis cum Romanis administratum, quin Bructeri inter horum hostes acerrimi fuerint visi. Nec potuere ii a Druso, nec a Tiberio, frangi; sed vtriusque vim atque impressionem fortissime sustinuerunt. Varianam cladem præ ceteris Bructeri populo Romano intulerunt. Eam vindicaturus Germanicus crebro quidem cum Bructeris bellauit: semel in Amisia amne classe contendens. Attamen parum domiti, quicquid Romani scriptores gloriati sunt, ipsum Germanicum Romanosque retrocedentes lacessere adhuc & tentare ausi sunt. Post

Germania occidentalis pars media.

An. X.

An. XIV. XV. XVI.

est interpretatus. Nobis, *Caput L.* & alterum *LXIII.* in Tacito impense respicientibus, nequit non diuersa stare sententia. Statim a Rheni transitu limes a Tiberio cœptus illic ostenditur; hic Domitii trames haud Teutoburgiensi saltu procul. Sunt itaque diuersa loca, vbi Tiberius scidit limitem primus, & vbi Domitius vastas inter paludes tramitem aggerauit. Et placet Illustrissimi *Monumentorum Paderbornensium* Avctoris sententia, qua prope locum *Delbrugge*, in vltimis priscorum Bructerorum, locum a Tacito monstratum, paludes, siluas, riuos, colles, ostendit, & viam hac Romano exercitui patuisse indicat. Meretur res monumentum, illi ex causa insigni Delbruggiæ positum, cernere.

DELBRVGGIA
VLTIMA. VETERVM. BRVCTERORVM. SEDES.
MEMORIAE SACRVM.
BRVCTERVS. HABC. COLVIT
LOCA. FOEDA. PALVSTRIBVS
VNDIS.
QVOD. NVNC. INDIGENIS
NOMEN. VT. ANTE. MANET
HIC. VARVM. INFESTO. GERMANICVS. AGMINE. CAESAR
VLTVS. ET. HOSTILES. DEPOPVLATVS. OPES
VICINAM. DRVSO. GENITORI
CONDIDIT. ARAM
ET. TVLIT. AVSONIIS. MANIBVS. INFERIAS
POST. VBIVIS. FERRO. PARITER
GRASSATVS. ET. IGNI
OBRVTVS. HIC. MAGNA. CLADE. REPENTE. FVIT
VICTAQVE TERGA. FVGAE. DEDIT. ET. SVA. SIGNA. RELIQVIT
INCLVTA. VIRTVTIS. BRVCTERE. SIGNA. TVAE.

Suum tramitem Domitius videtur aggerasse, cum Augusti auspiciis in Germaniam longius, quam quisquam penetrasset, ipsumque Albim, transscendisset; scriptore Tacito *Ann. IV. Cap. XLIV.* De Tiberii & Germanici expeditionibus sæpe dictum.

Bructeri. Post hæc bella in Ciuilis societate rursus Romanos oppugnarunt,
An. LXX. fœderatarumque ciuitatum præcipui fuere. Tum autem pace facta, incertum, qui cum vicinis populis discordare armisque committi cœperint. Sane de calamitate eorum
An. XCVIII. bello accepta satis constat. Pulsos eos & penitus excisos *vicinarum consensu nationum, seu superbiæ odio, seu prædæ dulcedine, seu fauore quodam*, ait Tacitus, *erga Romanos Deorum. Nam ne spectaculo quidem prælii*, pergit idem narrando, *inuidere*, Dii inquam. *Super LX. millia non armis telisque Romanis, sed quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt. Maneat quæso duretque gentibus*, vota idem nuncupat, *si non amor Romanorum, at certe odium sui: quando vrgentibus imperii fatis nihil iam præstare fortuna maius potest, quam hostium discordiam.* Nouis in sedibus regem suum Bructeri, Plinio scribente, expulerunt; fortassis, an ipsi cladem reliqui ex bello imputauerint? Hunc autem regem ad Traianum profugum eius iussu Spurinnam vi & armis induxisse in regnum, & bello ostentato ferocissimam gentem terrore perdomuisse, idem Plinius memorat. Post longi temporis interuallum in *FRANCICO* fœdere rursus Bructeri claruerunt. Cum aliæ multæ ciuitates ponerent inglorium nomen, postquam Francicum surrexisset; suum Bructeri magnæ gloriæ argumento non seruarunt modo, sed & impensius
An. CCCVIII. CCCIX. CCCXCII. illustrarunt: quod ex Constantini aliorumque imperatorum cum eis administratis bellis satis accipimus. Cetera eorum acta nescit historia. Cum Francis multos in Galliam transgressos esse, opinabile quidem, non vero monstrabile est. Reliqui in Germania diutissime Francorum fœdus, teste rerum memoria, coluerunt; solique in his partibus obstitere, vt non Saxonia omnem inferioris Rheni occupa-
An. DCCVIII. ret tractum. Denique post bis centum annos, quos tunc Francorum in Gallia regnum habuit, superatos a Saxoni-

bus Bructeros, & internecino bello prostratos esse, paulo ante docuimus (*c*). *Germani occidentalis pars media.*

XXXVII.

(*c*) Bructeros Drusus bello petiit & Tiberius. STRABO *Lib. VII.* VELLEIVS *Cap. CV.* DIO CASSIVS *Lib LIV.* Variana clades non parum adiuta a Bructeris, ex narratione DIONIS *Lib LVI.* Inde in Bructeris *L. Stertinius, missu Germanici, inter caedem & praedam repperit undevicesimae legionis aquilam cum Varo amissam:* scribente TACITO *Ann. I. Cap. LX* Germanici cum Bructeris bella habes in TACITO *Ann. I. Cap. LI. LX.* & triumphum de Bructeris simul actum, in STRABONE *Lib. VII.* qui etiam paulo ante, Bructeros in Amisia flumine, (sed a Druso Germanico, non a Caesare Germanico) praelio victos, memorat. In causa Ansibariorum Bructeri bellum decreuerant, sed tamen deseruere illorum causam. TACITVS *Ann. Lib. XIII. Cap. LVI.* Partes Ciuilis amplexatos esse, & fortiter defendisse Bructeros, narrat TACITVS *Hist. Lib. IV. Cap. XXI. LXXVII. Lib. V. Cap. XVIII. XXII.* De clade Bructerorum aetate Neruae accepta dictum saepicule ex TACITO *Germ. Cap. XXXIII.* De rege Bructerorum, auctore Traiano, reducto ita PLINIVS *Lib. II. Ep. VII. ad Macrinum* scribit. *Heri a Senatu Vestricio Spurinnae, principe auctore, triumphalis statua decreta est: non ita ut multis, qui nunquam in acie steterunt, nunquam castra viderunt, nunquam denique tubarum sonum, nisi in spectaculis, audierunt: verum, ut illis, qui decus istud sudore, & sanguine, & factis, adsequebantur. Nam Spurinna Bructerum regem vi & armis induxit in regnum: ostentatoque bello, ferocissimam gentem, quod est pulcherrimum victoriae genus, terrore perdomuit.* Tempus huius ostentati Bructeris belli non ausim, nisi generatim Traiani aetate adpellata, definire. Bructerorum in Francis nobilissimas fuisse partes, accipimus ex NAZARII *Paneg. Constantino Cap. XVII. & XVIII.* vbi generatim modo Franci dicti, mox distinguuntur, & simul cum aliis Bructeri adpellantur: porro ex SVLPITII ALEXANDRI *loco apud* GREGORIVM TVRON. *Lib. II. Cap. IX.* ex CLAVDIANO *in IV. Consul. Honorii vers. 450.* & ex ITINERARIA *tabula*, vbi ceteris vocabulis, quae Francicum complectatur foedus, adduntur *Burcturi.* De Constantini impressionibus in Bructeros praesertim, & de Arbogastis incursione in eosdem, iam dictum ex EVMENII *Paneg. Constantino Cap. XII. XIII.* & ex SVLPITIO ALEXANDRO modo memorato. In Romana militia sero adhuc aeuo *Bructeri,* in *Auxiliis Palatinis LXV. Magistri Peditum Praesentalis per Occidentem,* referuntur in NOTITIA *Imp. Occid.* vbi vid. PANCIROLLVS *Comm. Cap. XXI.* Quod exigua Bructerorum, siue, qui deinde dicti, Boructuariorum, gens trans Rhenum posterioribus seculis perdurauit; inde commoda opinio, plures, cum Galliam Franci occuparent, patrium vertisse solum. De vltima nationis clade, & Saxoniae per hanc cladem ad Rhenum incrementis, BEDA *Lib. V. Cap. XII.* & MARCELLINVS *in vita S. Suiberti Cap. XXII.* ille stricte, hic copiose, meminere Alia Bructerorum gentis decora dabit olim historia.

Ducteri. XXXVII. Reipublicæ inter Bructeros singularis forma, vt fere ciuitatum reliquarum, parum est explorata. Nouimus habuisse duces, qui bello præfuere copiis. Regem Bructerorum Plinius nominat, idemque in regnum eum vi & armis inductum esse, scribit. An ergo Bructeris semper adductius regimen placuerit; vtrum ignoratis populi moribus male Plinius regnum & regem adpellauerit, vbi ducis atque populi nomina præstitisset afferre? non hic copiose disputare libet. Non quidem procul Bructeros ab imperio vnius animis moribusque absuisse, & Tacitus fidem facit, qui omnino fœminam, *VELLEDAM* inquam, virginem nationis Bructeræ late imperitasse scribit. Minuit tamen suspicionem, quod adiicit, vetere illud accidisse apud Germanos more, quo plerasque fœminarum fatidicas, & augescente superstitione arbitrati fuerint Deas. De institutis Bructerorum prorsus Tacitus tacuit, quippe qui exulis populi, intermortuique, similes duxerit rationes. Cum Bructerorum pars ad vlteriorem Rhenum constanter adhæserit, tantumque comiter Francici maiestatem regni coluerit, quæri poterat, quibus tunc legibus vixerit, quosque magistratus habuerit? Et est quidem ista cura extra nostræ historiæ limites. Quantum tamen reperio, prorsus patriis legibus atque institutis tum vsi sunt, suosque præfectos ducesque habuerunt; imo prorsus, quod Saxonicum docet bellum, omni belligerandi, pacemque sanciendi, iure fuerunt præditi. Quod, dum de Bructeris diserte ex scriptoribus accipimus, ad Cattos etiam, qui pari amicitia cum Francis vsi sunt, in dubio posse referri, censeo & iudico (*d*).

Descriptio status Bructerorum publici.

Formula Bructerorum ciuitatis sub Francico imperio.

(*d*) Regis & regni vocabula vide in PLINII *Lib. II. Epist. VII.* verbis modo exscriptis. De Velleda ita TACITVS *Hist. Lib. IV. Cap. LXI Mumius Lupercus, ait, legatus legionis, inter dona missus Velledæ. Ea virgo nationis Bructera late imperitabat: vetere apud Germanos more, quo plerasque foeminarum fatidicas, & augescente superstitione arbitrentur deas.* Conf. IDEM

Chamaui & Angriuarii trans Amisiam post Bructeros coluerunt.

Germaniæ occidentalis pars media.

XXXVIII. Coniungimus populos, quibus, re supra copiose a nobis exposita, merces oppressæ Bructerorum ciuitatis data est in eius vetustiorem locum successio. Sunt

CHAMAVI & ANGRIVARII;

quorum anteriores sedes peruestigandæ sunt, cum de posterioribus, si Bructeram regionem bene nouimus, satis abundeque constet.

Chamaui antiquissimi ad Rhenum.

Chamauos primum visuros Boiaculi docet oratio, eos ante Iulii Cæsaris in Galliam expeditiones Rheni habitasse ripam: hoc enim in Gallia belligerante Sigambros illam Rheni coluisse partem, intelleximus. Quo casu, & in quas primum a Rheno terras, tum migrauerint; simulque, an Angriuarios primæ socios habitationis, & deinde migrationis, habuerint? omne id penitus ignoratur. Germanico in Germania bellante vtraque natio trans Amisiam egit, Bructerosque a tergo clausit.

An. XVI.

Vtriusque nationis distinctæ regiones.

Castra metatus Cæsar est ad Visurgim, postquam huc ab Oceano & Amisia amne profectus esset; & tum ei Angriuariorum defectionem a tergo nunciatam esse, Tacitus memorauit. Diserte hic sedes Angriuariorum Amisiam atque Visurgim inter habemus. Porro autem consideratis locis, quo & transgressus Cæsar est Visurgim, & quo præliatus est cum Arminio; vtique videtur, non ea conuenire Visurgi, nisi vbi primi post oceanum montes consurgunt, & amnis in varios ingentesque torquetur flexus. Hac Angriuariorum fines in Cheruscos sinuatos esse, & latus vnum,

Hist. Lib. IV. Cap. LXVII. Lib. V. Cap. XXII. XXIV. & Germ. Cap. VIII. vbi maxima Velledæ auctoritas in ipsis belli pacisque negotiis agnoscitur. Boructuarios trans Rhenum suis iuribus atque instituris, vt modo Francis fauerent, beneque cuperent, relictos atque permissos esse, copiose docet MARCELLINVS *in S. Suiberti Vita.* Rei præcipuum argumentum exstitit, quod Franci dudum Christiani, ne ausi quidem fuerint amicos in Germania suos ad puriorem doctrinam amplectendam seueritis compellere: vnde vix octauo seculo cœpit in istis lumen diuinius exsplendescere.

Chamaui & Angriuarii.

vnum, ſane trans Viſurgim, lato elatum aggere, quo a Cheruſcis dirimerentur; omnia clariores eorum regiones nobis reddunt. Vt ſane Tubantes inter & Chamauos anguſto ſpatio Amiſiam Angriuarii contigerint; ita, vbi Viſurgis ad Bacenim ſiluam incuruus eſt, ad eius certe inferiorem ripam iidem non pertinuere ſolum, ſed etiam trans fluuium latus vnum in Cheruſcos vsque porrexere. Ad *orientem* itaque Angriuarios trans Viſurgim Cheruſci continuarunt. In partibus *auſtri* ad Amiſiam Tubantes, ad Viſurgim, vbi flectitur fluuius ad Bacenin ſiluam, Dulgibini, occurſarunt. *Occaſus* Amiſiam Bructerorumque confinium habuit: & contra *ſeptentriones* Chamauos inter & Anſibarios regio Angriuariorum media exſtitit. Chamauorum iam agri & ex Ptolemæi deſcriptione, & ex Bructerorum, Angriuariorumque, regionibus deſignatis, facile agnoſcuntur. Angriuarii infra Tubantes & Dulgibinos Amiſiam ſimul & Viſurgim attigere. Quæcunque proin arua contra ſeptentriones Bructeros inter maiores & minores Chaucos ad Amiſiam patuerunt, Chamauorum fuere: vt tamen aliquandiu Chaucos inter & Cheruſcos Anſibarii ad ortum Chamauis occurrerent (*e*).

(*e*) Nouæ *CHAMAVORVM* & *ANGRIVARIORVM* ſedes, ſunt eædem, quas modo in Bructeris definiuimus: teſte TACITO *Germ. Cap. XXXIII.* De antiquiſſimis ad Rhenum habitationibus Chamauorum fidem Boiaculi oratio apud EVNDEM *Ann. XIII. Cap. LV.* facit. Mediæ vtriusque nationis ſedes hic peruestigandæ; & primum *ANGRIVARIORVM* ratio habenda. TACITVS *Ann. Lib. II. Cap. VIII.* *Metanti caſtra*, inquit, *Cæſari Angriuariorum defectio a tergo nunciatur. miſſus illico Stertinius cum equite, & armatura leui, igne & cædibus perfidiam vltus eſt. Flumen Viſurgis Romanos Cheruſcosque interfluebat.* Ex qua parte Viſurgis Angriuariorum a tergo regio quærenda ſit, mox IDEM *Cap. XVI.* docet. *Sic accenſos & prælium poſcentes in campum, cui Idiſtauiſo nomen, deducunt: is medius inter Viſurgim,* (quem iam transgreſſus erat Cæſar, indicio *Cap. XII*) *& colles, vt ripa fluminis cedunt, aut prominentia montium reſiſtunt, inæqualiter ſinuatur. pone tergum inſurgebat ſilua, editis in altum ramis, & pura humo inter arborum truncos.* Quibus verbis curate expen-

Cur abstineamus a minutis

XXXIX. Nunquam vacat, quod iterum moneo, ciuitatum nostrarum limites adeo presse angusteque definire,

Germaniæ occidentalis pars VI media.

sis, omnique Visurgis statu probe examinato, declarat CLVVERIVS *Cap. XIV.* non conuenire TACITI descriptioni, & de Visurgis transgressione, locoque pugnæ commissæ, commemorationi, nisi cum flumine, qua nobile oppidum *Minden* præterfluit: inde primos post oceanum consurgere montes, & amnem in varios ingentesque flexus torqueri; prope esse in dextra ripa illum saltum, campumque, medium inter Visurgim & colles inæqualiter sinuatum. Inde respice tergum ad occasum, & regionem habes Angriuariorum veterem, Amisiam inter & Visurgim stratam. Ea ad Visurgim & trans flumen in Cheruscos sinuata est ad ortum, teste TACITO *Ann. II. Cap. XIX. Deligunt*, inquit, *locum, flumine ac siluis clausum, arta intus planitie & humida; siluas quoque profunda palus ambibat, nisi quod latus vnum Angriuarii lato aggere extulerant, quo a Cheruscis* (sane trans Visurgim, vbi adhuc Cæsar, rursus cum Germanis præliaturus, morabatur) *dirimerentur.* Quia Tubantes superiora ad Amisiam, & inferiora Chamaui tenuerunt, parua tantum sui parte ad istud flumen Angriuarii pertiouerunt. Cetera confinia iam non vltra probanda sunt. CLVVERIVS dicto loco hos Angriuariis terminos vindicat. Primum eosdem per montium iugum ab oppido *Bilefeld* ad oppidum *Melle*, & hinc per lineam ad vicum *Bentlage*, Amisiæ adpositum, distinguit. Mox aliam lineam ducit ab septentrionibus ad lacum vsque *Dommel*; inde, qua Ansibarii olim occurrebant, itidem lineam ad Visurgim & oppidum *Petershagen*; hinc trans Visurgim, qua Cherusci erant contermini, aliam lineam ducit ad oppidum vsque *Renteln*, eidem amni impositum: hinc a meridie, qua Dulgibinis iungebantur, Visurgim constituit, & cum amnem, qui apud vicum *Remen* Visurgi miscetur, ad oppidum vsque *Heruorden*; inde lineam ad oppidum *Bilefeld*, & Tubantum confinia, ductam. Regiones his finibus comprehenduntur istæ: *Schaumburgensis comitatus* particula, dextræ Visurgis ripæ adposita; *Mindensis episcopatus*, siue *principatus*, pars dimidia, versus austrum, *episcopatus Osnabrugiensis* pars maxima; *comitatus Tekelburgiensis* particula septentrionalis; & pars *Rauensbergensis comitatus*, qua castellum *Limborg*. *CHAMAVORVM* nunc regio satis facile inuenitur. PTOLEMAEVS *Lib. II. Cap. XI*, ita ait: ὑπὲρ μὲν τοὺς Βουσακτέρους οἱ Φρίσσιοι, μέχρι τοῦ Ἀμασίου ποταμοῦ. Μετὰ δὲ τούτους Καῦχοι οἱ μικροὶ, μέχρι τοῦ Οὐισούργιος ποταμοῦ. εἶτα Καῦχοι οἱ μείζους, μέχρι τοῦ Ἄλβιος ποταμοῦ. *Supra Bructeros sunt Frisii, ad Amisiam vsque amnem, post hos Cauchi minores, ad Visurgim vsque flumen; dein Cauchi maiores, vsque ad Albim.* Et aliis quibusdam populis interiectis pergit: Ἐλάσσονα δὲ ἔθνη καὶ μεταξὺ κεῖνται. Καύχων μὲν τῶν μικρῶν, καὶ τῶν Σουήβων, Βουσάκτεροι οἱ μείζους. ὑφ' οὓς Χαῖμαι. Καύχων δὲ τῶν μειζόνων, καὶ τῶν Σουήβων, Ἀγγριουάριοι. *Minores vero gentes interiacent inter Cauchos minores, & Suenos, Bructeri maiores, sub quibus sunt Chama* (lege Chamaui) *inter Cauchos*

amaui & Angriuarii.

vt omnino vicos amniculosque indicem, a quibus, quasi lineis ductis, gens a gente, & ciuitas a ciuitate, fuerint disterminatæ. Scio quidem satis curiosos maiores nostros in finibus regendis exstitisse; quod terminales lapides Burgundionum & Alemannorum apud Ammianum, Bacenis silua Cheruscorum Cattorumque finis apud Cæsarem, hoc nostrum Angriuariorum latus aggere contra Cheruscos elatum, de quo Tacitus testatur, alia, comprobant. Quis autem, quæso, silentibus, aut generales tantum metas nominantibus, auctoribus ausit minutas omnes distinctiones, vt non plurimum erret labaturque, prodere? Vt ergo quorundam curiositati adiectis notis, quibus liberiores coniecturas reseruabimus, consulamus,

gentium terminis indicandis?

autem maiores, ac Suenos, adiacent Angriuarii. Recte vero vtrumque PTOLEMAEVS hic dicere videtur. Namque Bructeros & Chamauos solus Amisia disterminat; vt Chamaui sint sub Bructeris versus austrum; nos supra Bructeros, cum fluminum cursum sequamur, adpellassemus. Inter Cauchos rursus & Suenos, seu Cattos, Angriuarii recte ponuntur: cum pulsis Ansibariis omnino Cauchi in Cattos vsque sinuati fuerint, teste TACITO *Germ. Cap. XXXV.* Iterum paulo post PTOLEMAIVS dicit: *Χαιρουσκοὶ καὶ Καμαυοὶ, μέχρι τοῦ Μηλιβόκου ὄρους, Cherusci & Chamaui ad Melibocum montem vsque.* Hic autem siue *Camauorum* vocabulo vtraque simul natio, Angriuarii & Chamaui, comprehenduntur, & quum Angriuarii trans Visurgim aliquando, & ad Bacenin siluam, pertinuerint, recte sibi PTOLEMAEVS constare poterat: siue magis *Camauorum* nomen pro altero *Camauorum* accipitur; & infra tum sententia PTOLEMAEI curatius exponetur. Vsque ad oceanum fere protulisse Chamauos videtur STRABO *Lib. VII.* *πρὸς δὲ τῷ ὠκεανῷ Σύγαμβροί τε καὶ Χαῦβοι.* id est, *ad oceanum vero Sugambri, Chaubi.* Hic Chamauos a STRABONE Chaubos adpellari, omnes consensere eruditi; & conuenit positioni, cum statim post Chaubos addat Bructeros, Cimbros, Cauchos. IVLIANVS *in Oratione ad S.P.Q.A.* & EVNAPIVS SARDIANVS *in historiis, quarum fragmenta in eclogis legationum habentur, χαμάβους, Chamabos,* vocant. * CLVVERIVS circumscribit Chamauos ab occasu Amisia flumine ab vico *Bentlage* ad munimentum vsque, vulgo *Ten Oort* dictum; hinc ab ortu æstiuo Loeda amne, qui ad dictum munimentum Amisiæ miscetur, & ab eius fonte linea ad lacum *Dommel.* Ceteros fines paulo ante in Angriuariis dedimus. Regiones hisce finibus sternuntur istæ: inter Loedam & Amisiam amnes, *Ouer-Alnen, Saderland, Hemmelingerland;* dein *comitatus Lingensis,* & *Osnabruggiensis episcopatus* pars septentrionalis.

Germani occidentalis pars media.

fulamus, ipsa tamen commentatio nostra tenebit morem, & ciuitatum fines non, nisi ducibus bonorum auctorum testimoniis, delineabit (*f*). Redeuntes ad Angriuarios Chamauosque, illorum agros, trans Visurgim in Cheruscos ante protentos, æuo Taciti iam tum desertos ab eis dixerim; cum Chauci in Cattos vsque tum sinuati fuisse legantur: quod alio loco vix intelligitur, nisi post Ansibarios expulsos simul illos Angriuariorum agros Chaucis dederis. Contra, cum excisis Marsis Tubantes cœpissent Luppiam inter & Dalichium agere, Angriuarios versus austrum ad Dalichium vsque amnem in Tubantium antiquiores sedes successisse, est credibile: vel ideo, quod nomen eorum, si maxime vocabulum in Imperii Notitia occurrens *Angleuariorum*, seu *Angreuariorum*, assumseris, hodieque in illis perstet terris, & celebre sit. Neruæ demum ætatem circiter cis Amisiam omnes Bructerorum agros Angriuariis Chamauisque cessisse, constat; vt tamen regionem suam priorem DVLGIBINIS & CHASSVARIIS, in bello contra Bructeros administrato fine dubio sociis, reliquerint. Ordine tamen mutato, Chamaui, qui ante ad septentriones prætexuerant Angriuarios, iam ad meridiem minorum Bructerorum agros ad Luppiam vsque insederunt. Proximos namque Rheni ripæ eos Sulpicius Alexander, & Eunapius, diserte faciunt: vnde & liquet, ab eis demum Vsipiorum regionem, quæ a dextra ripa Luppiæ ad Rhenum erat, occupatam & obsessam, Vsipios autem cis Lup-

Mutationes agri Angriuariorum.

Vtraque ciuitas in Bructerorum expulsorum regionem succedit.

AN. XCVIII.

(*f*) Finium regundorum satis maiores nostri curiosi fuerunt. CAESAR *Bell. Gall. Lib. VI. Cap. X.* ex Vbiorum ore memorat: *siluam esse infinitæ magnitudinis, quæ adpellatur Bacenis: hanc longe introrsus pertinere, & pro natiuo muro obiectam, Cheruscos a Sueuis, Sueuosque a Cheruscis, iniuriis incursionibusque prohibere.* TACITVS *Ann. II. Cap. XIX. latus vnum Angriuarii lato aggere extulerant, quo a Cheruscis dirimerentur.* AMMIANVS *Lib. XVIII. Cap. II. Cum,* inquit, *ventum fuisset ad regionem, cui Capellatii, vel Palas, nomen est, vbi terminales lapides Alamannorum & Burgundionum confinia distinguebant, castra sunt posita.*

Chamaui & Angriuarii.

Luppiam conclusos esse. Angriuariis maiorum Bructerorum loca versus oceanum Frisios & Chaucos inter obtigere: quæ hic quidem latius persequi, post ea, quæ supra memorauimus, minime est opus (*g*).

In Angriuariorum veteri agro memorabilia.

XL. In memorabilibus, quæ, si vsquam in Germanicarum ciuitatum finibus occurrunt, diligenter notare solemus, parum hic habemus, quod possimus numerare. Locus est apud Ptolemæum *Tecelia*, qui, quod & situ, & nomine, cum arce *Teklenburg* conueniat, non male videtur huic dedisse initia. Vt est vero compertum, non maiores nostros Romanorum exemplo iustas habitasse vrbes; vicos villasque fuisse pleraque oppida, quæ Ptolemæus nominat, si paucas exceperis arces vrbesue, aut in finibus Germaniæ a Romanis, aut a Germanis ad imitationem Romanorum, positas; me vel silente, iam aliunde constitit. Ceterum Tecelia, in finibus Angriuario-

(*g*) TACITVS *Ann. II. Cap. XIX. & Germ. Cap. XXXV.* firmamentum nostræ opinioni, quod deseruerint suos trans Visurgim agros Angriuarii, tribuit. In Tubantium vsque ad Dalichium sedes Angriuarios successisse suadet oppidi *Engern*, ducatus titulo insigniti, nomen; non infidum priscarum gentis sedium indicium. Nomen, quod meminimus, *Anglenariorum* est in *Auxiliis Palatinis XVIII. sub dispositione Viri Illustris Magistri Militum præsentalis in Oriente.* PANCIROLLVS *Comm. P. I. Cap. XL. Anglenarios* hos interpretatur recte de TACITI *Angriuariis*; sed male eorum partem cum Cheruscis vltra Albim locat, cum modo vltra Visurgim pars coluerit. Chamauos cum Angriuariis in Bructerorum locum migrasse, TACITVS *Germ. Cap. XXXIII.* docet; & *Cap. XXXIV.* addit: *Angriuarios a tergo Dulgibini & Chasuarii cludunt*; trans Amisiam videlicet, illis regionibus, quæ ante fuerant Chamauorum & Angriuariorum. Tunc Chamauos ad Rhenum ostenderunt AMMIANVS *Lib. XVII Cap. VIII. & IX.* IVLIANVS *in oratione sua ad Athenienses*, & EVNAPIVS *in Excerptis legationum*; omnes vnam Cæsaris Iuliani expeditionem contra Chamauos, ripæ Rheni proximos, describentes. Eundem Chamauorum situm SVLPITIVS ALEXANDER *apud* GREGORIVM TVRON. *Lib. II. Cap. IX.* & *Tabula* PEVTINGERIANA, proxime Rhenum Chamauos ponens, docent. Sed hæc alibi iam monstrata.

uariorum & Tubantium a Ptolemæo constituta, vtrius proprie nationis fuerit; non facile dixerim. Trans Visurgim in Angriuariorum Cheruscorumque finibus binis præliis Cæsar Germanicus contra Arminium contendit. Prius prælium in *Idistauiso* campo, quod nomen Tacitus affert, commissum est; & non male conditionem loci in agris ad *Oldendorp* oppidum, vbi *Eisdorp* vicus *Idislauisi* campi prope cognominis est, interpretes agnoscunt. Alterum prælium in Visurgis ripa factum est, cum ad pontem Romani regrederentur. Vtroque in loco *trophæa* posuisse militem & Germanicum, Tacitus scribit. Alterum, quod ad Visurgim Cæsar struxit, superbo cum titulo; DEBELLATIS INTER RHENVM ALBIMQVE NATIONIBVS, EXERCITVM TIBERII CAESARIS EA MONIMENTA MARTI, ET IOVI, ET AVGVSTO, SACRAVISSE: certe in Angriuariorum finibus quæri debet. Vtrum vero etiam Idistauisus campus Angriuariorum, an Cheruscorum, fuerit? dubia est quæstio, adeoque potius transmittenda silentio. In Chamauorum posterioribus probatisque sedibus multa nomina vrbium atque villarum notarunt auctores, quæ vetus Chamauorum hodieque nomen designent, conditoresque aut habitatores veteres indicent. Licet autem istiusmodi curiosam, si modo sobriam modestamque, peruestigationem veterum Germanicorum vocabulorum magni faciam; non mihi tamen suppetit de iis crebro agendi satis otii. Vnum moneo, inuentum esse hominem, omnia suo indulgentem ingenio, qui Chamauos iis, quas fide bonorum auctorum exposuimus, sedibus conatus eripere, inter Albim & Viadrum eos posuit; in sola consonantia quædam vocabula intuitus. Enimuero eo audaciæ prorumpentibus, vt coniecturis, vocabulorumque friuolæ interpretationi, plus fidant, quam bonis historicis, historiam omnem

Germaniæ occidentalis pars media.

AN. XVI.

Loca Chamauorum nomen imitantia.

Non licet ex iis de sedibus populi friuole & sine auctore statuere.

Chamaui & Angriuarii. omnem præstaret deserere, quam eam inficetis commentis corrumpere & contaminare (*b*).

XLI. Vtraque, quam consideramus, ciuitas, non quam Germanici bello aperta est; ante ignota Romanis & incognita. Non tamen tantus tum horum populorum impetus & ardor ad bellum, quam Bructerorum Cheruscorumue, visus est. Angriuarii potius semel iterumque properasse deditionem, vix adhuc gesto bello, leguntur. Interim fuere ex iis gentibus, quas præcipue a Germanico Romæ triumphatas esse, Tacitus memoriæ prodidit. Serior ætas magis vtriusque ciuitatis gloriam illustrauit. Victorum Bructerorum, at quam fortis bellicosæque nationis! penes solos hos popu- Chamauorum Angriuariorumque res gestæ.

An. XVI.

An. XCVIII.

(*b*) Τεκέλια apud PTOLEMAEVM *Lib. II. Cap. XI. Tekelenborg* arx est, in antiquo Angriuariorum & Tubantum confinio sita. Ipse MENSO ALTINGIVS *in Expositione Tabulæ Ptolemai*, PTOLEMAEI Teceliam de hâc arce interpretatur; vt ostendat tamen, male PTOLEMAEVM Teceliam in primum clima retulisse, cum ad secundum spectet. Primi prælii locum CLVVERIVS, & ex vici *Eisdorp* nomine, & ex ingenio soli, conücit. De Trophæo posito vid. TACITVS *Ann. II. Cap. XVIII.* Alteram pugnam putat commissam, *ex aduerso Vrbis Mindensis, in ea planitie humida, qua inter dictam Vrbem & densam hodieque siluam sternitur: in qua Cherusci Romanorum agmen, iter versus pontem, qua oppidum nunc est Minden, faciens, adsultauere. Tecti fuere,* inquit CLVVERIVS, *Romani leuum latus, fluminis ripa; dextrum, montium iugo, quod III. M. P. supra dictum oppidum flumen altis ripis perrumpit: quo loco adpositum ei nunc est arx Bergen.* Rursus tum congeriem armorum structam superbo cum titulo memorat TACITVS *Ann. II. Cap. XXII.* HERTIVS *in Notitia Germ. Pop. voce CHAMAVI*, in vrbe *Hamm, Camen*, & aliis pluribus, durare putat veterum habitatorum nomen. Nisi sera autem ætate, non ad harum tractum vrbium Chamaui peruenisse videntur. OL. RVDBECK *Atlant. Cap. XXIV.* vt Bructeros in Brunsvicensi agro, Chasuarios in Holsatia, & Pomerania, Cauchos in littoribus Baltici maris, in Suecia atque Dania, Cheruscos inter Albim & Oderam, ex ea ratione quærit, quod istis in regionibus frequentia occurrant vocabula, quæ gentium nomina imitentur; ita & sibi in eadem vocabulorum similitudine visus est reperisse argumenta, quibus Chamauos eriperet Rheno, & Amisiæ, & trans Albim ad Viadrum vsque poneret.

Germaniæ occidentalis pars media.

An. CCCLVIII. CCCXCII.

los ſtetit gloria & ampla merces. Inter Francos *Chamaui* præ ceteris fuere celebres & clari; ſolique prope Iuliani aliorumque imperatorum vim non ſolum ſuſtinuere, ſed & fregere.

Cur Angriuariorum nominis nulla Francica hiſtoria meminerit? Singularis obſeruatio; videri Angriuarios poſtmodum Ampſiuarios dictos eſſe, & rurſus deinde reſuſcitato nomine Angriuarios,

ANGRIVARIORVM, fateor, nomen in Francico fœdere non expreſſe reperitur: magis autem tum *AMPSIVARIORVM* nomen eſt celebratum. Quod vero opinabile eſt; potuitne Angriuariorum nomen, cum gens ipſa cis Amiſiam conſiſteret, in nomen clariſſimæ quondam Anſibariorum ciuitatis, aut propinquum tranſire; vt *Ampſiuarii*, quaſi ad Amiſiam colentes populi, vocarentur, nec veteres *Anſibarii*, ſed noſtri *Angriuarii*, intelligerentur? Fauet coniecturæ vtriusque vocabuli propria ratio. Dicti fuiſſe *Angriuarii* creduntur, quaſi *herbida cultaque habitantes arua*; nam ea cernimus hodieque in terrarum tractu, quem primis Angriuariis tribuimus: *Anſibarii* autem, quaſi *Amiſiæ accolæ*; licet enim non conſtet, eius tamen fluminis ripam ante putantur obſediſſe. Quid obſtat, quo minus putemus, mutatis ſedibus, deleta Anſibariorum gente, Angriuarios, quod non amplius herboſa prata, ſed paludes virgultaque habitarent loca, priſcum poſuiſſe adnomen, nouumque ex loco & tempore ſuſcepiſſe? Fauent coniecturæ idoneæ rationes, quas hiſtoria exhibet. Omni tempore, quo Francia inter Rhenum Albimque ſtetit, Angriuariorum nomen obliuione quaſi ſepultum fuit, & illud Ampſiuariorum maxime celebratum; quod tamen, quo modo ex ruinis emerſerit, nemo docet. Statim, poſtquam Francia Galliam occupaſſet, oblitterari rurſus *Ampſiuariorum* cognomentum cœpit, pauloque poſt illud *Angriuariorum*, & *Angariorum*, in Saxonico fœdere audiri. Fortaſſis Ampſiuarii fœdere Francico deſerto, ad Saxones, aliorum populorum exemplo, deſciuere, veterumque ſimul ſedium recepere partes, vnde antiquum eſt reſuſcitatum, & ex re locoque receptum, vocabulum. Fauent denique opinationi

Chamaui & Angriuarii. tioni regionis Ampsiuariorum descriptiones; haud procul ab inferiori Rheno, vbi sane Angriuarii infra Chamauos tunc egere, Ampsiuarios coluisse. Fauet imo ex vetustate exemplum Sigambrorum nominis; quod, licet penitus ex Germania excisum, inter Vsipios tamen & Tencteros seriori ætate reuixit, admodumque reuiruit. Aliorum iam esto de coniectationis rationibus curatius iudicare (*i*).

XLII. De *Angriuariis* libet adiicere, cum inter Saxones eorum refloresceret nomen, omnem eos tunc Teutonicorum montium tractum, paulo supra regionem, quam olim habitauerant, occupasse. Potuere tunc aut ab Amisia in veteres sedes reuertisse; aut si mauis, iam ante eos in superiora ad Cattos Angriuariorum recentiorum sedes & honos inter Saxones.

(*i*) Bellum Germanici cum Angriuariis describit TACITVS *Ann. II. Cap. VIII. XXII.* In deditionem acceptos memorat IDEM *Cap. XXII. & XXIV.* & triumphatos nominatim *Cap. XLI.* Cum Chamauis Constantius, & Constantinus, & Iulianus, & Theodosius, imperatores, bellarunt. Iulianus cum eorum rege, ipsa compulsus necessitate, pacem sanxit. EVMENIVS *Paneg. Constantio Cap. IX.* NAZARIVS *Paneg. Constantino Cap. XVIII.* AMMIANVS *Lib. XVII. Cap. VIII. & IX.* IVLIANVS *in Orat. ad Athen.* EVNAPIVS *in Excerptis legationum.* SVLPITIVS ALEXANDER *apud* GREGORIVM TVRON. *Lib. II. Cap. IX.* Ad nouam opinionem stabiliendam notatio nominum facit. *Angern* loca herbida & culta sunt, vnde forcassis *Angriuariorum* nomen natum; iudice Eruditissimo NICOLAO SCHATEN *Hist. Westf. Lib. I. fol. XII.* *Ansibarii*, seu *Amsibarii*, fortassis sunt *Embs-Bauren*, *Ambs-Bauren*, *Amisia habitatores*, seu *accolæ*. Et hodie Amisiæ regionis incolæ adpellantur *Embs-landers*, & *Emsboeren*, teste MENSONE ALTINGIO *Notitia Germ. Infer. in voce AMSIBARII.* Idem, quod addo, Chamauorum nomen de primis eorum sedibus interpretatus est. Coluisse eos constat ad amnes Amisiam, Loedam, & Hasam: qui amnes crebro exundantes vicinis agris superfundi consueuerunt. Tales agros dici hodieque *Hamlanden*, & *Hamaböen*, ostendit; vnde haud dubie *Hamauorum*, & *Chamauorum*, vocabulum ortum sit. Silentium historiæ de Angriuariis diuturnum nemo negat, si quis auctores diligenter consulit. Sola Angleuariorum in NOTITIA *Imperii orientis* mentio vix quicquam, quam Angriuariorum militiæ reliquam in Romanorum commentariis memoriam testatur. Ansibariorum & Ampsiuariorum sedes paulo infra illustratas dabimus.

tos loca migrasse, rursum rediisse in antiquissimam regionem. Non quippe dissimulo, Ampsiuarios quosdam auctores in scrupofa collibusque plena regione prope Cattos ostendere. Fortassis Angriuarii, ad Amisiam Ampsiuariorum nomine notati, incertis fatis ad Cattos ire sunt compulsi; vbi cum Iuliano, cum Arbogaste, Theodosii duce, bellarunt; inde forte fortuna contra septentriones primas repetiere sedes. Ecquid & est, quod non migrandi cupidissimis Germanicis ciuitatibus quondam fors atque occasio suaserit? Quicquid rei sit, medii inter Saxones Angriuarii serissimo æuo fuerunt; iidemque tam fortissimis factis, heroibusque datis, quam altera nulla Saxonum pars, illustres. An cum Saxonibus Angriuarii in Angliam nauigauerint, & ab iis nomen hoc insulæ fuerit inditum? quærunt aliqui: vt ego tamen vix inueniam, qui affirmare queam quæstionem. Diserte Anglos auctores adpellitant, gentem cum Saxonibus in Britanniam profectam. Angriuariorum, nescio, an iamdum nomen reuixerit, cum Anglica nauigatio fieret. Angli denique, nauigationibus adsueta gens, facilius cum Saxonibus ad eam expeditionem conspirare potuerunt, quam Angriuarii, in mediterraneis colentes, magisque ad agros ferendos, quam tractandos remos, idonei. Cum *Chamauis*, postquam Francico fœderi accessere, præclarissime actum esse, docuimus. Postquam autem in Galliam Francia transiisset, Chamauorum nomen, vt ante Angriuariorum, audiri prorsus desiit. Non iudico, an ergo in Galliam omnes transgressi fuerint, ibique deserto nomine diuersa inuenerint domicilia; vtrum Saxonibus accesserint reliqui in Germania facti, Westfalorumque demum orto generali nomine singulare suum perdiderint? (*k*)

Germania occidentalis pars media.

An. CCCLX. CCCXCII.

An Angriuarii in Britanniam cum Saxonibus nauigauerint?

An. CCCCXLIX.

Chamauorum extrema fata ignorantur.

XLIII. Cha-

(*k*) Angriuarios, siue Angarios, olim in conatibus mediæ Germaniæ illustrandæ, medios Saxonum nationis cernemus. Interim. vid. POETA *Ann.*

Chamaui & Angriuarii. *An. CCLVIII.*

Vtriusque ciuitatis res publicæ.

XLIII. Chamauorum regem *NEBISGASTVM* Eunapius & Ammianus, ſuppreſſo licet hic eius nomine, cum Iuliano Cæſare bellaſſe, frumentaque Romana ex Britannia aduecta, in Rheno amne intercepiſſe, memorarunt. Patet inde, & ex pacis cum hoc rege ſancitæ formula, vnius regimen magis Chamauis placuiſſe, quam plurium conſilia. Aliud vnde reipublicæ harum ciuitatum conſtitutionem æſtimes, nihil occurrit vſpiam. Aut etiam Tacitus gaudio ob Bructeros cæſos, votorumque deſtinatione, impeditus nihil vtriusque ciuitatis inſtituta moratus eſt, aut omnino nihil, quod ſcriberet, habuit; adeo pede ſicco hoc tranſiliuit argumentum. Si ex ſeriori ætate coniicere licet, Angriuarii fortaſſis Marſorum inſtar ducem habuere, non regem, cuius venerarentur imperium. Ceterum, quod Francico iam tum fœdere coorto Chamauis tamen ſingularis rex præfuerit, nos hoc docet; vt plures gentes in vnum illud ſuſcipiendum nomen conſenſerint, minime tamen eas propria ſua dereliquiſſe inſtituta, ſed modo contra hoſtes Romanos communem defendiſſe cauſam; cetera liberas, ſuisque viuentes legibus, iuribus, atque priſcis moribus (*l*).

In Francico fœdere ſingulares ciuitatum reges fuere.

Dulgibinorum & Chasua-

XLIV. Antequam de Anſibariis, quorum intuitu quædam monuimus, pergamus dicere, oportet adhuc binas luſtrare

Car. M. Lib. I. ad Ann. CIƆCCLXXII. *Verſ. 45. ſequ.* CAROLI M. *Capitularia* An. CIƆCCXXCVII. *Aquisgrani præſcripta in exordio*, ANNALES *Francorum*, & VVITICHINDVS, paſſim, & præſertim *Lex* SAXONVM *tit. VII. VIII. & XVIII.* Chamauorum poſt Theodoſii æuum nullam memoriam reperio; niſi quæ eſt in NOTITIA *Imperii Orientis ſub diſpoſitione V Spectab. Ducis Theboidos*, vbi *Cohors Vndecima Chamauorum Peamu.*

(*l*) De Juliani bello & pace ſancita, cum Nebisgaſto, Chamauorum rege, vid. AMMIANVS *Lib. XVII Cap. VIII. IX.* ZOSIMVS *Lib. III Cap XI.* qui vero perperam Κυάδυς vocat, quos ipſe IVLIANVS *in Oratione ſua ad Athen.* & ceteri, Χαμάβυς adpellant: EVNAPIVS denique *in Eclogis Legationum.* Angariorum duces memorat POETA *Ann. Car. M. Lib. I ad Ann.* CIƆCCLXXV. *Verſ. 226.* & paſſim alibi.

riorum coniunctae rationes.

ſtrare ciuitates, quæ prope Cattos, inter gentes iamdudum ſpectatas, primum egerunt, & tum, quantum videtur, in Cheruſcorum & Cattorum fuerunt clientela; poſtea vero auctis viribus prolatarunt agros, & in Angriuariorum atque Chamauorum vacuas factas regiones ſucceſſerunt. Fuerunt

Germaniæ occidentalis pars media.

DVLGIBINI & CHASVARII,

quos adpellat Tacitus; quosque Ptolemæus aliique ſcriptores *Dulgumnios*, *Chattuarios*, modoque *Cattuarios*, *Caſuaros*que, nominant. Dulgibinorum, Dulgumniorumue, vocabulum vix interpretere. *Chaſuarios* autem, ſi maxime reliqua vocabula aſſumſeris, Cattorum partem exſtitiſſe, indeque tractum nomen, facillime videris. Quod ad eorum antiquiores ſedes pertinet, iam quidem eas generatim indicaui, & ſtatim oſtendam; vt tamen difficiles eſſe inuentu, nedum determinatu, quod ſileant prope auctores, non diffitear. Ptolemæus *Dulgumnios* ſuos inter Cauchos & Sueuos, quo nomine apud ipſum Catti veniunt, infra, aut rectius ſupra, Angriuarios, & incertam gentem Lacrobardos, quos Anſibarios auctores eſſe cupiunt, locauit. Si Strabonem audimus, qui Varum in Cheruſcis, eorumque clientibus, trucidatum ſcripſit: hic ſitum conditionemque ciuitatis habemus, cuius nomen affert Ptolemæus, nec prorſus loca diſſimulat. Quantum itaque videtur, ſupra Angriuarios, cum adhuc Viſurgim colerent, ad eundem etiam fluuium Dulgibini, e latere occiduo Cheruſcorum Cattorumque, & a Marſis atque Tubantibus ad ortum, habitarunt. Germanicus vaſtato demum Marſorum agro ad locum Varianæ cladis peruenit, qui ſecundum Strabonem Cheruſcicæ ditionis fuit. Teutonicos itaque montes Dulgibini ad Viſurgim vsque inſederunt, iidemque illi Cheruſcorum clientes fuere, penes quos Varus cum legionibus occubuit, poſtquam per fines Marſorum, in qui-

Antiquiores eorum ſedes difficiles ſunt inuentu; inueniuntur tamen.

bus

Dulgibini & Chasuarii.

bus Teutonicorum initia montium oſtendimus, ad Viſurgim contendiſſet. Facilius inuenerimus *Chaſuarios*, ſeu *Chaſſuarios* potius; cum nomine ipſo prodant originem, & diſerte eos Ptolemæus ſupra, aut quod nos dicimus, infra Sueuos, ſeu Cattos, ponat. Coluerunt certe cis Viſurgim; nam trans Viſurgim ſtatim Cheruſci Cattos prætexuere. Contra ſeptentriones ſine dubio attigere Dulgibinos, quod ipſa Ptolemæi comprobat poſitio. Denique ad occidentem Cattos inter & Sigambros medios exſtitiſſe oportet. Quod vero ceteroquin proximos Sigambris Cattos fecimus, non id obſtat, cum, qua ſocios & clientes Cattorum, vix eos putem propriis a Cattis finibus fuiſſe diſcluſos; vt adeo non male auctores, Chaſſuariis ſæpe ſilentio transmiſſis, Cattorum eorum terras ditioni adſignauerint. Hæc & ratio mihi videtur, cum Chasſuarii interiacerent, cur tamen recte Tacitus dixerit, Chaucos in Cattos vsque ſinuari. Qui nimirum, poſtquam expuliſſent Anſibarios, ſola permodica Dulgibinorum ciuitate interpoſita, omnem Viſurgim tenuere, vtique ſinuati ſunt in Cattos; licet modo Chaſſuarios, eorum parentes imperio, adeoque recte in ipſam eorum ciuitatem imputandos, contigerint (*m*).

XLV. Se-

(*m*) *DVLGIBINI & CHASVARII* vocantur a TACITO *Germ. Cap. XXXIII. Dulgumnii*, Δυλγύμνιοι, a PTOLEMAEO *Lib. II. Cap. XI.* χαττουάριοι, *Chattuarii*, a STRABONE *Lib. VII. Cattuarii*, & in diuerſis codicibus *Attuarii*, a VELLEIO *Lib. II. Cap. CV.* Κασουάριοι a PTOLEMAEO dicto loco. *Attuarii Franci* laudantur ab AMMIANO *Lib. XX. Cap. X.* in editione Valeſiana. Malunt tamen alii Anſuarios, ſeu Ampſiuarios, in illo loco apud AMMIANVM agnoſcere. Chaſuarii, ſiue Chaſſuarii, aut Chattuarii, haud dubie a Cattis, principe gente, nomen habent; nam prope Cattos habitarunt, & ipſi fortaſſis Cattici generis, ſaltem in Cattorum clientela agentes. De Chaſua, ſeu Haſa, amne poſtea inquiretur. De *Dulgumniis* ita PTOLEMAEVS: *Μεταξὺ Καυχῶν τῶν μειζόνων καὶ τῶν Συήβων, Ἀγγριουάριοι. εἶτα Λακκοβάρδοι, ὑφ᾽ οὓς Δυλγούμνιοι.* In-

Germaniæ occidentalis pars media.

Posteriores eorum sedes eandem occuparunt regionem,

XLV. Securius, teste Tacito, de posterioribus vtriusque ciuitatis finibus videtur posse statui. Cum enim immigrassent Chamaui & Angriuarii in Bructerorum expugnatam regionem, eos a tergo Dulgibinos & Chasuarios clausisse, plane Tacitus scribit. Non quidem constat, quos agros Dulgibini, & quos

ter Cauchos maiores & Suiuos sunt Angriuarii: dein Laccobardi: sub quibus Dulgumnii. Loco vocis Λακκοβάρδοι CLVVERIVS *Cap. XV.* totidem litteris substituit vocabulum Ἀμψιβάριοι: huic enim genti dicta a PTOLEMAEO non male respondeot. STRABO *Lib. VII.* ait: Πρὸς οὓς ἡ μὲν ἀπιστία μέγα ὄφελος. οἱ δὲ πιστευθέντες τὰ μέγιστα κατέβλαψαν, καθάπερ οἱ Χηρούσκοι, καὶ οἱ τούτων ὑπήκοοι· παρ᾽ οἷς τὰ τρία τάγματα Ῥωμαίων μετὰ τοῦ στρατηγοῦ Οὐάρου Κουϊντιλίου παρασπονδηθέντα ἀπώλετο ἐξ ἐνέδρας. *Aduersum hos plurimum potest incredulitas. Quibus fides habita est, ii maxima damna intulerunt: ut Cherusci, & horum subiecti; apud quos tres Romanorum legiones, cum duce Quintilio Varo, contra datam fidem insidiis circumuenta interierunt.* En hic probabilis non nominatæ a STRABONE gentis situs; quam PTOLEMAEVS, eandem designans posituram, postea nominauit. Supra ergo Angriuarios, nempe qui quondam Amisiam & Visurgim inter coluerunt, coluerunt Dulgibini, iidemque, Cheruscorum clientes, Teutoburgiensem saltum habuerunt in finibus. Hos iis iam CLVVERIVS terminos statuit: ab *occasu* & *septentrionibus*, qua Angriuariis & Cheruscis iungebantur, primum lineam ab oppido *Bilefeld* ad oppidum *Herworden*; hinc amnem, qui ad vicum *Remen* Visurgi miscetur; inde ipsum Visurgim ad confluentem vsque Ambræ; inde ab *ortu* Ambram ad vicum vsque *Dale*: hinc lineam ad Luppiæ fontem ductam: inde ab *occasu* montium iugum ad prædictum vsque oppidum *Bilefeld*. Comprehenditur hisce finibus regio oppidorum *Lemgou*, *Dietmelle*, *Barndorp*, *Pirmont*, *Rintelen*, *Flotobb*. Χαττουάριοι a STRABONE bis *Lib. VII.* adpellantur cum Cattis, Marsis, & Tubantibus; *Cattuarii* a VELLEIO *Lib. II. Cap. CV.* cum Bructeris & Cheruscis. Adiuuant hæc a PTOLEMAEO traditam populi positionem. Is ait: Ὑπὲρ τοὺς Σουήβους Κασουάροι. *supra Sueuos sunt Casuari.* Haud dubie & hos CAESAR intellexit *Lib. VI. Cap X.* dum *nationes, quæ sub Sueuorum sunt imperio*, & mox *Sueuorum sociorumque copias*, memorat. Ipse fines primis populi sedibus definire nunquam ausim. CLVVERIVS vero ita eorum regionem circumscribit: ab *meridie* Dimela flumine, a coenobio *Hardershausen* ad confluentem Visurgis; ab *ortu* Visurgi, ad confluentem vsque Ambræ; ab *septentrionibus* & *occasu*, qua Dulgibini occurrebant, & Bructeri, Marsi, Tubantes, Sigambri, atque Tencteri, (alii scilicet aliis temporibus) primum Ambra amne ad vicum vsque *Dale*; inde porro montium iugo, quod iuxta oppida *Pirmont*, *Bloemberg*, *Horen*, *Oldenbecke*, ad prædictum coenobium *Hardershausen*, protenditur.

Dulgibini & Chasuarii.

& quos Chasuarii, occupauerint. Cum tamen illos priores, hos deinde, Tacitus nominet, simulque hi superius, illi infra, ante coluerint; coniectura est haud leuis, Dulgibinos Chamauorum insedisse terris, & Angriuariorum regionem Chasuarios tenuisse. An iisdem limitibus, quibus olim Angriuarii & Chamaui distincti fuere, nostræ etiam ciuitates inuicem, & ab aliis populis fuerint disterminatæ? nemo docere potest.

quæ ante fuerat Angriuariorum & Chamauorum.

Perfluit nouam hanc vtriusque ciuitatis regionem *Chasua* amnis, Amisiam demum suis aquis augens. Poterat existimari, Chasuariis nomen dedisse amnem; nec enim raro hanc vocabulorum & adpellationum originem vetus monstrat Germania. Quod autem alibi ante coluere Chasuarii, e latere nimirum Cattorum, & deinde demum in nouas sedes transgressi sunt; malim nomen amnis a populo deriuare, qui, quod monstrauimus, verius Cattorum simili vocabulo nuncupatus esse creditur.

Non Chasua amnis Chasuariis nomen dedit, sed fortassis nomen ab ipsis accepit.

Si, quod vel indice Velleio veri videtur simillimum, *ATTVARII* & *Hattuarii* mutilato vocabulo quandoque adpellati, cum nostris Chasuariis sunt iidem; latiores ii videntur succedente ætate fines habuisse, cum variis in locis reliquiæ posterioris nominis ab eruditis atque curiosis notentur. Obscuratio interim, qua plurimæ res Germaniæ inuolutæ iacent, prohibet, quo minus vltra quidpiam definiamus (*n*).

Chasuarii & Attuarii eadem gens.

XLVI. Prisca Dulgibinorum regio, quam ex Strabone & Ptolemæo asseruimus, celebrem nobis *Teutoburgiensem saltum*, clarosque *Teutonicos montes*, quorum initia in Marsis iam-

Insignia priscæ Dulgibinorum sedis.

(*n*) Diserte TACITVS ait *Germ. Cap. XXXIV. Angriuarios & Chamauos a tergo Dulgibini & Chasuarii cludunt.* De distinctis vtriusque populi regionibus solæ habentur coniecturæ, quas firmius probare non licet. *Attuarii* VELLEII, si recte ibi ita leguntur, & *Chasuarii* TACITI, haud dubie eadem natio fuerunt. Non dubitem vero, seriore æuo Attuariorum nomen ad maiorem adscendisse amplitudinem.

iamdum vidimus, oſtendit. Dubium non eſt, vetus *Teutoburgum*, quod Ptolemæus vitiato vocabulo *Tuliurgion* vocauit, ſaltui montibusque dediſſe nomen. Et hodie vero priſci Teutoburgii ſitum & nomen in urbe, quam Saxones *Theotbmelli*, poſteri *Dethmold*, adpellarunt, a qua celebris ſilua incipit, agnoſcimus. Non hac vrbe procul periit Varus cum legionibus, & hac clade Germanorum libertas Romanam triumphauit ambitionem. Sextum poſt cladis annum Germanicus eundem repetiit ſaltum, triſtesque cæſorum reliquias humo texit, tumulumque ſtruxit, quem tamen Germani mox diſiecerunt. In nouis & Dulgibinorum & Chaſuariorum ſedibus memorabile nihil, quod afferam reperio. Attamen Attuariorum cauſa notamus, vt nomen ſuum in ipſam intulerint, paſſimque in regionibus conſeruauerint, Galliam; ita præſertim ſera ætate *ATTVARIORVM PAGVM*, de cuius quidem poſitione adhuc ingens lis eſt, in Germania claruiſſe, veterumque incolarum ad ſeram poſteritatem tuliſſe memoriam (*o*).

Germaniæ occidentalis pars media.

AN. X.

AN. XV.

Attuariorum pagus in Germania.

XLVII.

(*o*) PTOLEMAEVS *Τυλιυύργιον* memorat, idque vocabulum vitiatum eſſe CLVVERIVS *Cap. XIX.* in Cheruſcis, arbitratur; ſupponendam vocem, *Τευτοβούργιον*: quale oppidum, *Τευτοβούργιον*, etiam PTOLEMAEVS, ANTONINI *Itinera*, & NOTITIA *Imperii*, in Pannonia habent. MENSO ALTINGIVS turbat prorſus CLVVERII rationes, nec mutandam Tuliſurgii vocem, locoque PTOLEMAEI commode cum oppido Luneburgenſi *Tiliſer*, & poſitione, & nomine, conuenire, oſtendit. Quicquid controuerſiæ eſt, oppidum ad Teutoburgienſem ſaltum, hodie *Dethmold*, ſeu *Dietmelle*, dictum, ab AIMOINO *Lib IV. Cap. LXXV.* adpellatur *Theotmelli*; vnde vel ſine PTOLEMAEO, quod *ſaltus Teutoburgienſis* dicitur, credibile eſt, *Teutoburgium* antiquitus oppidum *Theotmelle* dictum eſſe. Monſtrat etiam CLVVERIVS dicto capite, in iſtis finibus, vbi Teutoburgienſis ſaltus ſpargitur, vicum *Teutenmeyer*, & oppidum *Diedenhille*, XV. M P. ab Theutomello in orientem diſſitum: fida iſthæc veteris nominis veſtigia. De *Teutoburgienſi ſaltu*, & erroribus auctorum circa eius poſitionem, in ſiluis Germaniæ dictum eſt. Reperio PANCIROLLVM *Comm. ad Notit. Imp. Occid. Cap. LXXIX.* vbi Teutoburgium Pannoniæ oppidum illuſtrat, per eundem fere errorem lapſum eſſe, vt Teutoburgienſem ſaltum ex TACITO

Dulgibini & Chasuari. XLVII. Priscæ Dulgibinorum Chasuariorumque fortunæ ordinem descripturos prorsus omnis destituit historia. Vix semel iterumque vtramque ciuitatem antiqui nominarunt auctores; de factis fatisque nulla vsquam mentio. Et constat quidem, nomine sociorum & clientum Cattorum, seu Sueuorum, a Cæsare *Chasuarios* simul denotari; subiectam Cheruscis cis Visurgim gentem, in qua Varus cæsus est, *Dulgibinos* Straboni adpellari. Cum tamen vterque auctor taceat nomen, est incertum, quando illud ciuitates acceperint; Vtriusque gentis fata & facta.

Ann. I. Cap. LX. ad Teutoburgium, Pannoniæ oppidum, quæreret. Varianam in Teutoburgiensi saltu cladem Illustrissimus *monumentorum Paderbornensium auctor* hoc posito monumento illuminauit:

CLADES. VARIANA
MEMORIAE. SACRVM
EN. VBI. ROMANAE. CLADIS
MONVMENTA. SVPERSVNT
VARVS. ET. ARMINIO. STRATVS. AB. HOSTE. IACET
ET. CAMPO IN. MEDIO. NOTVM
VICTORIA. NOMEN
SERVAT. ADHVC. NOSTRIS. INCLVTA. TEMPORIBVS
AVSPICIIS. RAPVIT. PVBES. GERMANA SECVNDIS
IMPERII. GEMINAS. NOBILE
PIGNVS. AVES
DESINAT. EVPHRATES. PARTHOS. MEMORARE. TRIVMPHOS
CLARIOR. EST. CAESO. LVPPIA
QVINTILIO
REDDIDIT. ILLE. IOVI. CRASSORVM SIGNA. LATINO
HIC AQVILAS. VICTOR. POSSIDET. VSQVE. SVAS

FERDINANDVS. DEI. ET
APOSTOLICAE. SEDIS GRATIA
EPISCOPVS. PADERBORNENSIS
CETERA
VARIANAE. CLADIS. PENE. EXITIABILIS. ROMANIS
CAESARE. AVGVSTO. AD. TEVTOBVRGIENSEM. SALTVM
INTER. AMISIAE. ET. LVPPIAE
FONTES. ARMINIO. DVCE
A. CHERVSCIS BRVCTERIS. MARSIS. ET. CONTERMINIS
GENTIBVS. ILLATAE. M. H. P.

Conf. de saltu, & montibus Teutonicis, DIO CASSIVS *Lib. LVI.* TACITVS *Ann. I. Cap. LXI. LXII.* VELLEIVS *Lib II. Cap. CXIX.* De Attuariorum in Belgium & Galliam illato nomine vid. HADR. VALESIVS *Not. Galliarum Voce ATTVARII.* Regio Attuariorum trans Rhenum in Germania adhuc nota erat, imperante Ludouico Pio. Hic enim in diuisione regni inter filios *Regionem Atoariam*, seu *Attuariam*, inter Thuringiam & Saxoniam nominasse, legitur. Plura de hoc trans Rhenum, & aliis cis Rhenum Attuariorum pagis, mediæ Germaniæ geographia dabit.

rint; an cum agerent adhuc in Cattorum Cheruſcorumque clientela, vtrum demum, cum viribus auctis ſuas ſibi res habere inciperent? Qui etiam acciderit, vt ciuitates alioquin tenues occupandis alienis agris ſuffecerint: an fauore conſenſuque vicinarum nationum, an proſpere bellica tentata fortuna? non ego iudico. In nouis ſedibus eadem ignorantia earum res geſtæ inuolutæ manſerunt. Nemo nouit, cur, ceteris circumcirca nationibus maxime bello illuſtratis, ſoli Dulgibini Chaſuariique, ſatis & ipſi omnino occupatis potentes regionibus, ingloriam ætatem egerint? Dubium porro non eſt, Francicam ſocietatem, quod ceteras complexa eſt nationes, ſimul acceſſione Dulgibinorum & Chaſuariorum auctam eſſe; nec tamen hoc quisquam plane ſcripſit. Id patet vero, ſi, quod poſuimus, Chaſuarii & Attuarii ſunt iidem; cum poſterius nomen in Francico fœdere valde cœperit inſigne fieri. Quis credere prohibeat, vtramque ciuitatem tum coaluiſſe, vnoque capto *ATTVARIORVM* adnomine inter Francos egiſſe? De Attuariis conſtat, tam glorioſum nomen eorum, donec Franci præclare agerent, exſtitiſſe, quam fuerant ante tenuia & prope humilia Dulgibinorum Chaſuariorumque cognomenta. Bellarunt illi fortiter cum Romanis, nec modo non ſunt domiti, ſed etiam ipſi crebro Romanam rem adflixere. Cum inde in Galliam Franci migrarent, cum ipſis Attuarii in eam regionem inuaſerunt, & ad ortus Matronæ, Sequanæ, & Moſæ, amnium, quæ quondam loca Lingones tenuerunt, conſederunt. Manſit tamen & in Germania Transrhenana Attuariorum bona pars, quæ quidem, quot in regiones dimiſerit colonias, ſuumque intulerit nomen, nemo nouit: hoc norunt omnes, ipſo Caroli Carolidarumque æuo Attuariam gentem nondum deſiiſſe celebrari (*p*).

Germaniæ occidentalis pars media.

Attuariorum nomen fortaſſis vtriusque gentis extremum commune factum eſt.

XLVIII.

(*p*) Si nomina gentes demum impetrarunt, cum in deſertas ab Angriuariis & Chamauis regiones immigrarunt, non dubitem colonias Cattorum Cheru-

Ambrones. XLVIII. Cum, quod quidem cuperem, non copia detur de Dulgibinorum Chaſuariorumque rationibus publici ſtatus inquirendi, placet illius rei loco per quorundam eruditam curioſitatem mentionem facere

Inquiritur de Ambronum vetuſtiſſimis ad Ambram amnem ſedibus.

AMBRONVM;

AV.C. DCLI. Ante C. N. C.

gentis in Cimbrico bello deletæ, cuius ſed certam originem nemo adhuc probare potuit, niſi quod *Ambra* fluuius, in iis locis Viſurgim contingens, quibus antiquiores Chaſuarii inſederant, quibusdam in mentem venit, vt ab eo & dictum putarent Ambronum populum, & huius ſimul proprias antiquiſſimasque ſedes ad amnem modo memoratum collocarent. Non ignoro, a Strabone, aliisque, diſerte Heluetiorum partem Ambrones vocari, in eodemque numero eos haberi prope ab omnibus interpretibus: nec exiſtimo temere quempiam auſurum veterum auctorum labefactare fidem, qui proximas a clade internecina ſedes iis in Heluetia adſignarunt. Cum tamen ratio in Heluetia non exſtet, cur Ambrones dicti fuerint? cum & videatur admodum, quod alio loco dixi, probabile, ipſos Heluetios non tam Cisrhenanos Gal-

ſcorumque, eas dicere. Tum & credibile eſſe poterat, ab amne Chaſua, nouas rigante Chaſuariorum ſedes hos compellatos eſſe. At diuerſum vero videntur STRABO & PTOLEMAEVS, quos audiuimus, ſuadere. In Francico fœdere habemus clariſſime Attuarios numeratos ab AMMIANO *Lib XX. Cap. X.* ſi VALESII lectionem ſequimur. *Rheno exinde transmiſſo*, inquit, *regionem ſubito peruaſit* (Iulianus Cæſar) *Francorum, quos Attuarios vocant, inquietorum hominum, licentius etiam tum percurſantium extima Galliarum.* Noſtram de Attuariorum nominis amplitudine coniecturam infra in Francis magis adhuc ampliabimus. In Galliam immigrantes non in Lingonum tantum finibus, & prouincia Lugdunenſi prima, ſed & in Germania ſecunda, vel inferiore, circa Batauiam, & pagum Moſanum inferiorem, ſedes habuere, & vtrique regioni *Attuariæ*, vel *Hattuariæ*, nomen dedere: quod plurimis diplomatis auctorumque teſtimoniis firmat HADR. VALESIVS *Notitia Galliarum, voce ATTVARII & ATTVARIAE in Gallia.*

Germania occidentalis pars media.

Gallos, quam Hyperboreos, quales Græcus Heraclides adpellauit, exſtitiſſe: non ego quidem inepte ſtatui iudico, vt ceteri Heluetiorum pagi ex aliis aduentarint, & in Germaniæ angulum primitus conceſſerint, regionibus; ita Ambrones maxime ad Ambram quondam egiſſe, &, ab amniculo ſumto nomine, illud ſeruaſſe, cum ad meridiem nouas occupaturi terras adſcenderent. Niſi coniecturis non poſſe eam ſententiam probari, facile largior. Cum ſint tamen modeſtæ & ſobriæ coniecturæ; nec quidquam repugnet antiquitatis; mores potius Ambronum, imo & omnium Heluetiorum, cum Germanicis impenſe conſpirent: non valde cerno, cur non audiri, imo & adprobari, cum certiora deſint, mereantur (*q*).

XLIX. Ex-

(*q*) Problematis loco hic propoſita opinio placuit REINERO REINECCIO *in commentario de Origine Myſorum*, & IOHANNI PIDERITIO *in Chronico Lippienſi P. I. Cap VI.* & demum Illuſtriſſimo *Monumentorum Paderbornenſium auctori*. *AMBRONES* laudant STRABO *Lib. IV.* PLVTARCHVS *in Mario*. OROSIVS *Lib. V. Cap. XVI.* ſed fere omnes in Gallos, nec nomine ſolum, ſed & ſitu cis Rhenum in Heluetia, referunt; niſi quod POMPEIVS FESTVS, antiquus Grammaticus, addat: *Ambrones fuerunt gens quadam Gallica; qui ſubita inundatione maris, quum amiſiſſent ſedes ſuas, rapinis & prædationibus ſe ſuosque alere cœperunt. eos & Cimbros Teutonosque, C. Marius deleuit.* Nos, licet Gallicum Ambronum nomen, quod in Gallia extremum conſediſſent, non impugnemus, ex Germania tamen olim verſus auſtrum mouiſſe, cum aliis non leuiter ſuſpicamur. Si vſpiam vero coluerint, inter Amiſiam & Viſurgim egiſſe, non improbabile eſt. Eſt *Emmer maior*, in Viſurgim excurrens, & *minor* in VVerſam, & cum eo in Amiſiam, fluens. Ipſe imo eſt *Amiſia*, *Ems*, vulgo dictus. Quæ nomina cuncta, ſi præſertim *Ambra* nomen, in ſcriptoribus mediæ ætatis non raro occurrens, vt maiorem notaret *Emmeram*, adſumimus; non prorſus videntur eſſe infida vetuſtiſſimæ Ambronum ſedis indicia. Quod ſi auderemus ſententiam quorundam adprobare, qui ipſos Teutonos ad Teutoburgienſem ſaltum conſtituerunt, vbi ſaltem plurima adſunt Teutonici nominis veſtigia: non dubitaremus tum maximam probabilitatem illi ſententiæ, quæ Ambrones ad Ambram poſuit, vindicare. Iam hæremus, & dubitanter de omnibus dicentes, aliorum præſtolamur ſagacioribus ingeniis. Poterant fortaſſis Teutoni, qui ſane per illum tractum in Galliam primum inuaſerunt, nomina

XLIX. Extremam minorum ciuitatum, quæ inter Rhenum & Visurgim quondam coluerunt, quasque, si vnos excipimus Bructeros, idoneam ob causam interpositos, continuo hactenus ordine considerauimus, iam attingimus; Ansibariorum ciuitas extrema minorum cis Visurgim ciuitatum.

ANSIBARIOS

inquam, nationem non quam aduersis cognitam fatis, eoque nomine a Tacito descriptam. Nomen plerique interpretantur, quasi quondam *Amisiæ* fuerint *accolæ*; respicientes scilicet ad æui succedentis morem, quo consueuerat *Ampsiuariorum* magis vti vocabulo. Non interim constat, an omnino aliquando Ansibarii Amisiam coluerint; nec, an ab Amisia sit sumtum nomen: minus vero, an Ampsiuarios posteriores cum Ansibariis Taciti liceat commiscere, vtrum distincti fuerint populi? Ex Tacito accipimus, eius Ansibarios, Nerone imperante a Chaucis pulsos, tutum orasse exsilium. Habitarunt proinde prope Chaucos, si pulsi ab eis sunt, sique cessere prædæ Chaucis Ansibariorum agri. Tubantes vero, Angriuarios, Chamauosque, omnes tunc temporis ad Amisiam; Angriuarios sui parte in Visurgim protentos, vidimus. Cis Amisiam Bructeri tunc coluere, & Chamauos infra statim occursarunt Chauci, ad vtramque Visurgis ripam late longeque contra septentriones strati. Non superest itaque ager, quem Ansibariis demus, nisi ille Angriuarios & Chaucos ad Visur-

Eorum nomen;

An. LVIII.

sedes vera & propria;

saltui, montibus, vicis, dare: vt ipsorum ibi sedes quærere, non sit valde opus. Sed poterant etiam, si prorsus Ambrones liberet Heluetiæ eripere, in transitu Ambrones ad fœdus & expeditionem sollicitare, & ad spem magnæ opimæque prædæ lautissimarum regionum arrigere: vt adeo hi cum Teutonis solum patrium verterint. Poterat, inquam, id fieri factum esse, nolim profecto adseuerare.

Visurgis læuam ripam interiacens. Ad Allari confluentes nonnulli contra aquilonem istam Ansibariorum regionem extenderunt, & ad fontem vsque Lœdæ amnis; quibus finibus a Chaucis fuerint separati. Sique Angriuarii paulo infra ingentem Visurgis ad Bacenin siluam flexum vtramque tenuere ripam; liquet etiam eorum confinio ad Visurgim Ansibarios esse disclusos. Qui in media terra Chamauorum Angriuariorumque & Ansibariorum fuerint limites, per incertum rei minime indagare audebo (*r*).

Germania occidentalis pars media.

aduersa fortuna perditæ fedes, & imo extremum prostrata salus.

L. Descripti modo Ansibariorum agri CHAVCORVM facti sunt, cum expulissent Ansibarios: tunc & Chaucos cœpisse in Cattos, aut magis in Chasuarios sinuari, olim monuimus. Res autem postulat, vt Ansibariorum gentis historiam statim interponamus, vt de finibus ipsaque gente rectius nobis constet. Pulsi a Chaucis Ansibarii adiacentium populorum miseratione ad Rhenum peruenere; dubio procul per Angriuariorum, Tubantium, atque Vsipiorum, regiones profecti, cum potentiores Bructeri Frisiique non videan-

An. LVIII.

(*r*) Veterum *ANSIBARIORVM* fata describit, & quodammodo situm priscum indicat TACITVS *Ann. XIII. Cap. LV. LVI.* Pulsi sunt a Chaucis, sedisque fuere inopes, cum ad Rhenum accederent, vacuos agros occupaturi. Vbi ergo prope Chaucos habitarunt? Auctorum id indicat nullus, nisi si coniecturis iuuamus TACITVM. Præter generalem nostram descriptionem liberiore conatu hos eis fines constituit CLVVERIVS *Cap. XVI.* Visurgim amnem ab oppido *Petershagen* ad confluentem vsque Allari fluminis: hinc ab *septentrionibus*, qua Chaucis iungebantur, eundem Visurgim ad oppidum vsque *Bremen*: inde *ab occasu æstiuo* lineam ad fontem vsque amnis Loedæ, cui adpositum oppidum *Cloppenburg*; qua ab iisdem Chaucis separabantur. Hinc ab *occasu brumali* alia linea, ad dictum vsque oppidum *Petershagen*, a Chamauis & Angriuariis eos dirimit. Regiones his a CLVVERIO indictis finibus continentur: *Mindensis episcopatus*, siue *principatus*, pars dimidia versus septentriones; comitatus *Diepholt*; comitatus *Hoya* pars maxima, læuæ Visurgis ripæ adfixa; & *regiuncula*, vulgo *Stading* dicta.

Ansibarii. deantur transitum fuisse daturi. Ad Rhenum occuparunt agros vacuos, & militum Romanorum vsui sepositos. Hos agros ante fuisse Chamauorum, mox Tubantum, & post Vsipiorum, ex Boiaculi oratoris, & fortassis ducis Ansibariorum, sermone discimus. Adde, eadem arua videri, quæ Cæsare in Gallia agente, beneficio, vt iudico, Sigambrorum, Menapii insederant; quæ postea cessere, etiam cum Sigambri trans Rhenum in suo agerent solo, Vsipiis: quæ denique vi traxere Romani, vt miles propinquus arua pascendis gregibus haberet. Occupatio licet vacuorum agrorum male cessit Ansibariis. Nequicquam Boiaculo orante causam, a Romanis tulere repulsam. Vim minitati, propinquorumque populorum Bructerorum, Vsipiorum, Tencterorumque, confisi auxiliis, male deserti sunt; cum armis ostentatis, & ex improuiso illatis, coacti essent Tencteri atque Vsipii, vt causam suam dissociarent. Tum his absistentibus, alienaque deferentibus pericula, sola Ansibariorum gens retro ad Vsipios & Tubantes concessit. Rursum horum terris exacti, cum Chattos, dein Cheruscos, petiissent, errore longo, hospites, egeni, hostes, in alieno, quod iuuentutis erat, cæsi sunt; imbellis ætas in prædam diuisa est. Et ea adeo calamitas Ansibarios IMP. CLAVD. NERONE III. VALERIO MESSALA COSS. scribente Tacito, non oppressit modo, sed prorsus, quod videtur, deleuit atque exstinxit (s).

 LI. Sunt-

(s) Legatur TACITVS *Ann. Lib. XIII. vtroque capite LV. & LVI.* cuius fere verbis historiam calamitatis Ansibariorum enarrauimus. Quod ad statum agrorum vacuorum, & militum vsui sepositorum, attinet; vid. CAESAR. *Lib. IV, Cap. IV. Menapiorum eos ante fuisse*, Boioaculi oratio docet, *deinde Chamauorum*, *Tubantumque, mox Vsipiorum, eos fuisse.* Videri Sigambros, aut loco Tubantum nominandos esse, aut inter Tubantes Vsipiosque, medios ponendos; ex historia alibi declarauimus. Paulo ante Frisii coloniam miserant ad eosdem agros occupandos: hi vero confestim depulsi sunt de noua possessione. Et coloniæ huius intuitu dixit TACITVS

An veteres Ansibarii reuixerint nouo Ampsiuariorum nomine?

Germaniae occidentalis pars media.

LI. Suntne ergo omnino Ansibarii tum sublati, planeque eorum ac funditus estne exstirpatum nomen? Suadet ita Tacitus, & persuadet historia, quae plane nouos nescit Ansibarios: eandemque persuasionem adiuuant idoneae coniecturae, quod, iuuentute caesa, diuisa in praedam imbellis aetas minime videatur emersisse, & in iustam coaluisse ciuitatem. Volunt autem diuersum recentiores auctores, iidemque, nescio, qua dominorum miseratione, collectas Ansibariorum reliquias, contendunt, succedente aetate, nouo AMSIBARIORVM, seu AMPSIVARIORVM, nomine esse cognitas, plurimumque celebratas. Vt abstineam a iudicio paulo deinde proferendo, noui auctores hos Ampsiuarios, quos Ansibariorum veterum propaginem exstitisse putant, ad bonorum tamen auctorum fidem prope Cattos a Bructerorum & Chamauorum, posteriores eorum sedes puta, tergo collocarunt. Suadent enim hanc Ampsiuariorum positionem auctorum testimonia; quibus cum Cattis eos, post Chamauos, Bructerosque, in collibus vlterioribus, atque in scruposa regione, egisse constat. Si hoc est, non iudico male fieri, si eis deserti a Dulgibinis atque Chasuariis agri, quos ante spectauimus, attribuantur. Sed Rhenum inferiorem Iulianus Caesar transgressus in eorum inuasit regionem: quomodo haec positio cum situ modo designato conuenit? Ergo statuendum est, Ampsiuarios latioribus insedisse agris; partem ad Amisiam coluisse, vnde & nomen videtur acceptum esse: partem deinceps migrasse in regionem, quam Visurgis fluuius praeterfluit, & quae quondam Dulgibinos Chasuariosque habuit habitatores. Atque tantum est, quod de

Ampsiuariorum recentiorum sedes.

Cap. LV. Ansibarios, Validiorem gentem Frisiis: nempe, non vniuersis, sed parte hac Frisiorum ad agros insidendos allegata. Post Frisios demum Ansibarii, adiacentium populorum miseratione, ad Rheni eandem ripam peruenere.

Mbarii. de Ampſiuariorum recentium ſitu locisque poteſt ſciri (*l*).

LII. Cernamus nunc, vtra opinio videatur iuſtior; an illa, quam Tacitus, bonique auctores, idoneæque probant coniecturæ; vtrum altera, cui noua ingenia, ſimilitudine inter ſe nominum inducta, patrocinantur? Non hanc exiſtimo poſſe defendi, cum coniecturæ probabilitas minime ſit tanti, vt quidquam valeat contra Tacitum, nedum contra hiſtoriam reliquam. Non credemus, futurum fuiſſe auctorem, qui Ampſiuariorum proderet originem, ſi ante Anſibariorum nomine claruiſſent: Omnes vero, quaſi nouam Francorum gentem, nouumque nomen, ita Ampſiuarios citant. Simul & vidimus, crebro factum eſſe inter Francos, vt nomina mutarent ciuitates, nouaque aſſumerent: quod Tencteros

Non eadem natio Anſibarii & Ampſiuarii ſunt.

(*l*) Tacitvs *Ann. XIII. Cap. LVI.* diſerte dicit. *Ceteris aliena pericula deſerentibus, ſola Anſibariorum gens retro ad Vſipios & Tubantes conceſſit. quorum terris exacti, cum Cattos, dein Cheruſcos, petiiſſent, errore longo, hoſpites, egeni, hoſtes, in alieno, quod iuuentutis erat, caeduntur: imbellis aetas in praedam diuiſa eſt.* Nouum gentis incertæ nomen varie ſcriptum reperitur. *Ampſiuarii* ſunt apud Gregorium Tvron. *Lib. II. Cap. IX.* in Svlpitio Alexandro; porro in Notitia *Imperii Occid. in auxiliis Palatinis LXV.* vbi Pancirollvs *Cap. XXI. commentariorum*, de Angriuariis iſtos Ampſiuarios mauult interpretari. In Ammiani *Lib. XX. Cap. X.* probatiores codices habent *Ampſiuariorum*, alii *Anſuariorum*, nomen. Aethico *Coſmographo* ſunt *Ampſibarii.* Sedes huius gentis, ſi Svlpitivm Alexandrvm conſulimus, vltra Chamauos Bructerosque, Rheni accolas, prope Cattos oſtendi videntur. *Collecto*, ille inquit, *exercitu, transgreſſus Rhenum*, (Arbogaſtes) *Bricteros, ripae proximos, pagum etiam, quem Chamaui incolunt, depopulatus eſt; nullo vsquam occurſante, niſi quod pauci ex Ampſiuariis & Chattis, Marcomere duce, in vlterioribus collium iugis apparuere.* Si Ammianvm *Lib. XX. Cap. X.* de Ampſiuariis, quod iam plurimis placet, interpretamur; ad Rhenum inferiorem vtique reperiuntur. Sic iſte de Iuliano Cæſare: *Rheno exinde transmiſſo, regionem ſubito peruaſit Francorum, quos Ampſiuarios* (Anſuarios, & Attuarios, alii codices habent) *vocant, inquietorum hominum, licentius etiam tum percurſantium extima Galliarum.*

Germania occidentalis pars media.

Vſipiosque egiſſe credibile eſt, quodque Saliis videtur dediſſe originem. Quid vrget itaque, vt Anſibarios veteres ſine ratione idonea in Ampſiuariis Francicis quæramus, nec, quod res eſt, ciuitatem veterem, diuerſo quondam cognitam nomine, interpretemur? Manent ſane, quicquid alii regerant, Ampſiuarii recentiorem Francicamque ætatem. Manet nos ſingularis ciuitas, alio olim cognomento nobilis, quæ poſita priſca adpellatione nouam induit, ex re, locoque, aut tempore, acceptam. Enimuero, quænam veterum ciuitatum Ampſiuariorum nomine tecta ſit? alii hoc iudicent. Dabo manus, ſi viderim rationes, Anſibariorum, Tubantium, atque Marſorum, omnia hæc gentium nomina tum dudum perierant, reliquos vnum hoc in Francica ſocietate elegiſſe commune nomen. Quodſi vero nihil audierim veriſimilius, meo me abundare ingenio, meæque me indulgere coniecturæ, non vagæ, non duce deſtitutæ, fideque priſca, culpabit nemo. Poſui iam ante, videri *ANGRIVARIOS* eſſe *AMPSIVARIOS* Francicos; hosque rurſus, Francis in Galliam transgreſſis, *ANGRIVARIORVM*, ſeu *ANGARIORVM*, vetus recepiſſe nomen. Expendat quilibet & examinet rationes ſuperiori loco allatas; & primus plaudam, ſi dignioribus argumentis diuerſam ſtabilierit ſententiam (*v*).

Probabilis coniectura, Angriuarios Ampſiuariorum ſuſcepiſſe nomen, arguit.

LIII. Ni-

(v) CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. III. Cap. XVI.* adeo ſuæ videtur ſibi certus eſſe ſententiæ, vt prorſus de Anſibariis, atque de Ampſiuariis, tanquam de vna eademque natione, loquatur: & illum adeo omnes ſequuti ſunt, vt vix vllus dubitauerit de certo rei. Solum ſummum virum, MENSONEM ALTINGIVM, reperio *Angriuarios* & *Ampſiuarios* pro vna habere gente. Sed fallitur eruditiſſimus vir, cum putat, ſupponendam eſſe TACITO vocem Ampſiuariorum, vbi Angriuarios nominat. Sane nomina diuerſa fuere, licet vnam gentem notantia. Primum *ANGRIVARII* dicti, ad Viſurgim dum adhuc colerent; & ſeruarunt nomen aliquandiu, cum in Bructerorum cis Amiſiam regionem immigraſſent. Inde ab Amiſia adpellari cœpere *AMSIBARII*, & *Ampſiuarii*; altero nomine fere obliterato ob-

Ansuarii. LIII. Nihil eſt, quod queat copioſius hiſtoria aut veterum Anſibariorum, aut recentiorum Ampſiuariorum, exponi. Illorum ſcilicet cum clade calamitatiſque mentione nomen etiam periit. Horum bella cum Romanis nouimus quidem, vt tamen ſemiplena & vix inchoata ſit auctorum narratio, nec perfectum hiſtoriæ ordinem liceat reperire. Cum Arbogaſtes dux Theodoſii, & ipſe Francus, in Franciam moueret; quæ expeditio extrema Romanorum contra Germanos Transrhenanos exſtitit; cum Chattis Ampſiuarii, *MARCOMERE* duce, ſe monſtrarunt quidem, prælii tamen copiam non fecere; quod nollent fortaſſis Franci cum Francico Romanorum duce committi. An ille Marcomer Ampſiuariorum, vtrum Cattorum, fuerit dux? ignarum eſt, nec adeo quidquam, vnde de Ampſiuariorum publico ſtatu præcipue iudicare liceat: niſi, quod & commode poteſt fieri, de illius rationibus ex ceterorum Francorum moribus conieceris. Plurimos Ampſiuariorum migraſſe cum Francis in Galliam, probabile eſt; licet, qui teſtetur factum, auctorum adſit nemo. Tum enim, cum Rheno ſuperato Francia in Galliam plene inuaderet, antiquatis paſſim ſingularibus ciuitatum nominibus, ſolum Francorum celebratum eſt nomen, vt difficillime, niſi coniecturæ adſint, dici poſſit, quæ Germanica ciuitas in Galliam conceſſerit, quæue in patrio ſolo remanſerit. Si, quæ poſui, probantur eruditis, *Ampſiuarii*, poſtquam Francia vetus exhauſta eſſet migrationibus, & reliquæ gentes paſſim in Saxonum ciuitatem concedere cœpis-

An. CCCXCII.

Ampſiuariorum facta & fata

liuione. Rurſus deinceps in priſcas ſedes reuerſi, antiquum recepere nomen, & ex loco *ANGRIVARII*, ſeu *Angarii*, dicti ſunt: nobiles hoc cognomento in Saxonibus, cum Ampſiuariorum nomine claruiſſent in Francis. Alius iudicet, an hiſtoria magis CLVVERII, maximi hoc in argumento ingenii, ſententiæ, vtrum meæ, faueat. Probare aut firmare coniecturas vltra non licet.

Germ. an. occidentalis pars media.

pissent, mutato rursum nomine, *Angriuariorum* illud antiquius resumsere. Sique tum reliqua fuit eorum cis Amisiam pars, & hanc simul ad Visurgim, & in reliquorum Ampsiuariorum, quos modo vidimus, regionem migrasse, fit probabile: ostendentibus id tribus Saxonum generibus, inter quæ diserte *Angriuarii* medii vocantur, *Ostfalis* trans Visurgim, & *Westfalis* in partibus citimis habitantibus (x).

Tres maiores populi minores ciuitates ambierunt.

LIV. Absoluta tenuiorum gentium memoria, tres maiores superant populi, Frisii, Chauci, atque Cherusci; quorum nunc considerationem eo habemus expeditiorem, quo plura, quæ eam potuissent morari, hactenus feliciter explanauimus. Initium tractationis capietur ab vltimis mediæ partis in Occidentali Germania *Cheruscis*; & post hos in aquilonari Occidentalis Germaniæ ora primos *Chaucos* visemus: vtraque enim natio minores ciuitates a tergo clausit, plusque commercii cum illis constanter habuit. Extrema quasi natio, *Frisii*, in Occidentali Germania, a nobis perlustrabuntur, cum a fronte ceteras gentes exceperint, suasque maxime res sibi solas habere consueuerint. Primi

Cheruscorum nomen, eiusque significatio.

CHERVSCI,

quasi Hercynii saltus accolæ vocentur nostra lingua *Harzers*, seu *Härzschen*, ita a Romanis atque Græcis, litteris paulisper ad vtriusque linguæ indolem adcommodatis, adpellati sunt: vnde qui *Cerissos* nominauit Aethicus, & qui *Cheriscos* rectius dicen-

(x) Ansibariorum cladem internecinam TACITVS *Ann. XIII. Cap. LV. LVI.* bellum Iuliani cum Ampsiuariis AMMIANVS *Lib. XX. Cap. X.* & Arbogastis cum Ampsiuariis, ceterisque Francis, SVLPITIVS ALEXANDER *apud* GREGORIVM TVRON. *Lib. II. Cap. IX.* sæpe laudati hactenus auctores, memorarunt. Quæ adduntur de Angriuariis seu Angariis, inter Saxones serioris æui mediis; infra declarata deprehendes.

Cherusci. dicendos iudicarunt recentiores auctores, æque originem vocis ignorantes in errorem lapsi sunt. Coluerunt ab omni, quantum constat, tempore Visurgim inter & Albim; vt Bacenis silua, pro natiuo muro obiecta, eos a Cattis, Cattosque a Cheruscis, iniuriis & incursionibus prohibuerit: vtque contra *septentriones* maiorum Chaucorum ad vtrumque fluuium confinio fuerint terminati. Hoc Chaucorum confinium historici quærunt ad Allari amnis confluentes, & inde imputato itinere ad Albim eiusque alueum, ostio vt propiorem, ita ingentiorem multo & ampliorem. Cum tamen Tacitus immensum terrarum spatium suis tribuerit Chaucis, facile largiar, longius versus austrum Chaucos terris insedisse; vt minime tamen iudicem, posse distincte spatia locaque designari, quæ quondam fuerint Chaucorum, quæue Cheruscorum. Si qui vero eruditus alioquin vir illa immensa terrarum apud Tacitum spatia ita conatus est interpretari, vt a Baceni silua Chaucorum ordiatur sedes, omnesque, quas boni auctores Cheruscis dedere, regiones iis eripiat, Chaucisque tribuat; næ is minus suam defendit causam, & minorem prorsus meretur veniam, ac ceteri, qui Cheruscos contra aquilonem ampliores tenuisse agros censuerunt. Cattos ad *meridiem* Cheruscorum regionem prætexuisse, ex Cæsare, Tacito, aliisque historicis, manifestum fit. Cupiunt autem interpretes, ad Salæ confluentes, vbi silua non est, & Cattos & Cheruscos diuisos esse. Ad Albim Cheruscos versus *orientem* solem pertigisse, ignotum, aut dubium est nemini. Quod tamen Velleius, cum de Tiberii expeditionibus loquitur, LONGOBARDOS ait fractos esse; certe pars eorum Augusti ætate cis Albim egit; nunquam enim Tiberius Albim transgressus est. Et firmant causam Strabo & Suetonius, qui vltra Albim summotos Longobardos Augusti auspiciis, testantur. Ergo, cum ceterum Albis semper Cheruscos

sedes, earumque fines.

finierit, Augusti tamen ætate ad Albis partem Longobardi & Cherusci incertis finibus separati sunt. Longobardis summotis trans Albim, illi cum Reudingis, Cauionibus, Anglis, Fosisque, Cheruscis fuere contermini; plane vt contra septentriones & austrum Chauci Cattique Cheruscos medios habuere (y).

Germania occidentalis pars media.

LV. Ad

(y) *CHERVSCI*, præter ab vno AETHICO, qui *Cerissos* habet, ab omnibus adpellantur. STRABONI sunt Χηρῦσκοι; DIONI Χερουσκοὶ; & PTOLEMAEO Χαιρουσκοὶ. CLVVERIVS *Cap. XIX.* arbitratur, dictos esse, quasi *Cherischen*, *Cherisci*, vnde fit natum nomen *Cheruscorum*. Rectius alii ab *Hartz*, seu *Hercynia silua*, Cheruscos ostendunt esse *Haertzschen* nostra lingua, & geminata adspiratione *Chertzschen*, dictas: vnde Romanis vox, *Cherusci*, nata. Facit cum hac sententia inprimis ALTINGIVS in prima sua Germaniæ inferioris antiquæ tabula. Quidam putant, nomen a Visurgi, qui & *Werra*, vbi adolescit, nuncupatur, Cheruscos accepisse, vt nominati sint *Werrischen*. Cur tamen a communi pluribus populis fluuio soli sint Cherusci compellati; non satis dispicio, adeoque alteram amplector sententiam. Trans Visurgim Cherusci coluerunt. TACITVS *Ann. II. Cap. IX. Flumen*, inquit, *Visurgis Romanos Cheruscosque interfluebat.* CAESAR *Bell. Gall. Lib. IV. Cap. X.* ex Vbiorum ore memorat; *siluam esse infinitæ magnitudinis, quæ adpellatur Bacenis: hanc longe introrsus pertinere, & pro natiuo muro obiectam Cheruscos a Sueuis, Sueuosque a Cheruscis, iniuriis incursionibusque prohibere.* Bacenis autem omnis trans demum Visurgim incipit ad ortum procurrere. Cattorum, Cheruscorumque, & Chaucorum, confinia clare monstrat TACITVS *Germ. Cap. XXXVI. In latere Chaucorum, Cattorumque, Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti nutrierunt.* IDEM *Ann. I. Cap. LVI. Fuerat animus Cheruscis iuuare Cattos,* (a Germanico bello petitos) *sed exterruit Cecina, huc illuc ferens arma. Ann. XII. Cap. XXVIII. Et præda famaque onusti ad montem Taunum reuertuntur,* (qui in Cattos mouerant) *vbi Pomponius cum legionibus opperiebatur, si Catti cupidine vlciscendi casum pugnæ præberent. Illi metu, ne hinc Romanus, inde Cherusci, cum quis æternum discordant, circumgrederentur, legatos in vrbem & obsides misere.* Conf. *Ann. Lib. XIII. Cap. LVI.* STRABO *Lib. VII.* PTOLEMAEVS *Lib. II. Cap. XI.* qui Cattos, Cheruscos, Chaucos, vno ordine coniungunt. Cheruscorum omnem fere regionem Chaucis vna tribuit CONRINGIVS *de veteri statu Helmstadii* commentatione: male TACITI verba Germ. Cap. XXXV. interpretatus, quasi immensum quoddam Chaucis terrarum spatium versus meridiem inter Albim & Visurgim tribuendum foret. At falli eruditissimum hac in causa virum, satis TACITVS, & reliqui boni auctores, docent. Ad Albim vsque coluisse Cheruscos

Occasi. LV. Ad *occasum* Cheruscorum limes Visurgis vtique exstitit; vt interim diuersis temporibus ille limes subierit aliquam mutationem. Dio, & iam ante Velleius, cis Visurgim Cheruscorum fines ostenderunt, cum ceteri auctores non nisi trans illum fluuium nouere Cheruscos. Suspensos illa auctorum dissensio diu interpretes tenuit, donec Strabonis locus veram Cheruscorum trans Visurgim regionem adsereret, & simul verba Dionis & Velleii interpretando explanaret. Nempe Cheruscorum quidem proprius ager a Visurgi ad Albim pertinuit; cis Visurgim autem clientes quidam, & ditioni Cheruscorum subiecta ciuitas, coluere; *Dulgibini*, inquam, de quibus supra fecimus mentionem. In his Dulgibinis cæsus Varus est cum legionibus; licet, nomine gentis dissimulato silentio, & ditione modo imputata, solos Cheruscos-

Qua ratione Cherusci cis Visurgim ab auctoribus locentur?

An. X.

ostendit DIO *Lib. LV.* dum Drusi expeditiones per Cheruscos vsque ad Albim ostendit. Et CLAVDIANVS *in IV. Consul. Honorii* canit; *Vers.* 451.

- - - - *Ingentes Albim liquere Cherusci.*

Aetate Augusti pars Longobardorum adhuc cis Albim Cheruscidem attigit. VELLEIVS *Lib. II. Cap. CVI. Fracti,* inquit, *Longobardi, gens etiam Germana feritate ferocior: denique, quod nunquam antea spe conceptum, nedum opere tentatum erat, ad quadringentesimum milliarium a Rheno ad flumen Albim, qui Semnonum, Hermundurorumque fines præterfluit, Romanus cum signis perductus exercitus.* Hos vero Longobardos trans Albim prorsus tunc refugisse scribit STRABO *Lib. VII.* & vid. SVETONIVS *August. Cap. XXI.* Speciales Cheruscidi, generatim a nobis definitæ, hosce terminos tribuit CLVVERIVS: ab *occasu* lineam, ab oppido *Hamburg* ad Allari amnis confluentem, ductam; tum Visurgim ad oppidum *Petershagen*, Visurgi adpositum; inde lineam ad oppidum *Rintelen*, eidem amni impositum; & mox, pulsis Angriuariis, ipsum Visurgim, ad vicum vsque *Remen.* Ad *meridiem* montem ac siluam Bacenim, quæ nunc adpellatur *der Hartz*, ad Salæ vsque & Albis confluentem, constituit: ab *oriente* ac *septentrionibus* Albim a Sala confluente ad nobilissimum oppidum, *Hamburgum.* Continentur hoc terrarum spatio hodie *principatus Ferdensis; Luneburgensis, & Brunsuicensis, ducatus; episcopatus Hildersheimensis,* &, qui iam *principatus* titulo insignis est, *Halberstadiensis; comitatus Schauenburg; Magdeburgiensis ducatus* pars cis Albim; *Marchia* vetus; *Dannebergensis comitatus; Lauenburgiensis ducatus* portiones cis Albim.

Cherusci tantum trans Visurgim.

Germaniæ occidentalis pars media.

ruscorum fines Dio nominet. Illa & vero ditio Cheruscorum contracta est, cum ampliores sedes Dulgibinis cessissent, istaque gens, ex priscis suis excita sedibus, in Chamauorum successisset locum. Contra tum Cherusci occupauerant ANGRIVARIORVM trans Visurgim agros, quos ætate Germanici illos habuisse ostendimus; & ita ipsa tum regio est prolatata, cum ditio, procul dubio ipsis Cheruscis permittentibus, aut si mauis, post eorum grauem cladem, quam memorat Tacitus, ex parte eadem coangustaretur. Cis Visurgim vero diuersis ætatibus Cheruscos Angriuariis, Ansibariis, & Chasuariis, fuisse finitimos, iam id superius allata euicerunt (z).

LVI. De-

(z) VELLEIVS *Lib. II. Cap. CV. Intrata*, inquit, *protinus Germania, subacti Caninefati, Attuarii, Bructeri, recepti Cherusci, &* (amnis) *Vtinam minus mox nostra clade nobilis! transitus Visurgis.* DIO *Lib. LIV.* de Druso narrans: Ἅμα δὲ τῷ ἦρι πρὸς τὸν πόλεμον αὖθις ὥρμησε, καὶ τόντε Ῥῆνον ἐπεραιώθη, καὶ τοὺς Οὐσιπέτας κατεστρέψατο. τόν τε Λουπίαν ἔζευξε καὶ ἐς τὴν τῶν Συγάμβρων ἐνέβαλε, καὶ δι᾽ αὐτῆς καὶ ἐς τὴν χερουσκίδα προσεχώρησε μέχρι τοῦ Οὐϊσούργου. *Initio Veris rursus ad bellum profectus, Rhenum transiit, Vsipetas subiugauit; Luppiæ fluminis ripis ponte iunctis Sigambros irrupit; perque eos in Cheruscorum fines, Vsque ad Visurgim, progressus.* IDEM *Lib. LV.* de eodem Druso: Ἔς τε τὴν τῶν χάττων ἐνέβαλε, καὶ προῆλθε μέχρι τῆς Σουηβίας. & mox: Κἀντεῦθεν πρός τε τὴν Χερουσκίαν μετέστη, καὶ τὸν Οὐΐσουργον διαβὰς ἤλασε μέχρι τοῦ Ἄλβιος, πάντα πορθῶν. *Chattorum fines ingressus ad Sueuiam Vsque processit: inde in Cheruscorum agros conuersus, Visurgimque transgressus, ad Albim Vsque penetrauit, cuncta depopulando.* Et rursus idem in Varianæ cladis descriptione *Lib. LVI.* Δεξάμενοι δὲ τὸν Οὐάρον, ὡς καὶ πάντα τὰ προστασσόμενά σφισι ποιήσοντες, προήγαγον αὐτὸν πόῤῥω πολὺ ἀπὸ τοῦ Ῥήνου, ἔς τε τὴν Χερουσκίδα, καὶ πρὸς τὸν Οὐΐσουργον. *Varum ita acceperunt, Vt omnibus eius iussis obtemperaturi Viderentur: proculque eum a Rheno in Cheruscorum fines, ad flumen Visurgim, abduxerunt.* Sed iam audi STRABONEM *Lib. VII.* qui, *Varum*, ait, *cæsum in Cheruscorum clientibus*, siue *subditis*, ἐν τοῖς τῶν Χερούσκων ὑπηκόοις; & habes Cheruscidem propriam trans Visurgim, clientelis auctam atque ampliatam etiam cis Visurgim. De Angriuariorum finibus contractis supra auctoritas visa est.

Gonsci. LVI. Descripta Cheruscorum Albim inter & Visurgim regio, quam *CHERVSCIAM*, & *CHERVSCIDEM*, Dio adpellauit, raras, quantum constat, vicissitudines mutationesque subiit. Ipsa grauissima clades, qua per Cattos Cherusci affecti sunt, non tam terræ coarctauit fines, quam vires nationis atque potentiam prostrauit. Antiquioris autem potentiæ non solum grauissima bella cum Romanis administrata fuere argumento, sed &, quod habuere plurimos clientes, subiectasque gentes, in ipsa Cheruscide habitantes. Tales interpretari oportet obscuras quasdam ciuitates, quas Ptolemæus & Strabo eo modo locarunt, vt plane in Cheruscide sint quærenda. Sunt *CATHVLCI* Strabonis, seu *Cathulcones* Ptolemæi, qui cum continuentur Cheruscis a septentrionibus ad Albim fluuium, haud dubie ad eius alueum inferiorem habitarunt. *CAMPSANI* sunt, quos Ptolemæus Chattos inter & Cheruscos prope Melibocum collocauit, vt iam situs ciuitatis vectigalis facile agnoscatur. Strabo etiam habet *GAMBRIVIOS*, sed incerta positione, vt videantur tamen inter Cattos & Cheruscos egisse, atque aut in horum, aut illorum, clientela fuisse. Et habet quidem Tacitus nomen Gambriuiorum in antiquissimis & veris Germaniæ nominibus: sed, quod accidit Marsis, vt incertis fatis conflictati opprimerentur, & demum Bructerorum se dare fidei cogerentur, idem fatum coëgerit Gambriuios, ingloriam in alius nationis ditione ætatem agere. Post Ptolemæum minorum illarum, & aut sociarum, aut subiectarum, ciuitatum nulla amplius mentio fit: vt recte putentur prorsus, positis nominibus, in Cheruscorum & nomen & ciuitatem imputatæ esse. Ipsa Cheruscis, cum nomen *FRANCIAE* Rhenum inter & Albim consisteret, dubio procul eximia eius portio exstitit. Et ipsa vero prima creditur esse interior regio, quæ Francico fœdere deserto, aut sponte, aut vi coacta, in Saxo-

Cheruscis nullas mutationes subiit.

Subiectæ Cheruscis ciuitates.

Cheruscis modo in Francia, modo in Saxonia relata.

num concessit societatem. Sane a Cheruscide in mediterraneis, & a Chaucide in littore maris, primum cis Albim Saxonum nomen explicari cœpit, & demum ad Rhenum vsque sensim pedetentimque reliquos populos implicare perrexit & circumretire. (*a*). *Germaniæ occidentalis pars media.*

LVII. Est

(*a*) Nomina regionis habet DIO CASSIVS locis modo prolatis. Cladem a Cattis acceptam habet TACITVS *Germ. Cap. XXXVI.* sed tempus acceptæ prorsus latet. Videtur vero accidisse, postquam iam ab Hermunduris Catti adflicti essent; quia non eius, nisi in libro de Germania, quem Traiani æuo TACITVS conscripsit, meminit. De populis, quos in clientes Cheruscorum referre licet, ita STRABO & PTOLEMAEVS narrant; & primus quidem PTOLEMAEVS *Lib. II. Cap. XI.* audiendus: Ὑπὸ μὲν τοὺς Σέμνονας οἰκοῦσιν Ἴλιγγαι· ὑπὸ δὲ τοὺς Ἰλίγγους Καλούκωνες ἐφ' ἑκάτερα τοῦ Ἄλβιος ποταμοῦ· ὑφ' οὓς Χαιρουσκοὶ, καὶ Καμανοὶ, μέχρι τοῦ Μηλιβόκου ὄρους. ὑπὸ δὲ τοὺς Καμανοὺς Χάτται· *Sub Semnonibus habitant Ilinga: sub Ilingis Calucones, ex vtroque latere Albis fluuii: sub quibus Charusci & Camani, vsque ad Melibocum montem: sub Camanis vero Chatta.* STRABO *Lib. VII.* Ἄλλα δ' ἐνδοτέρω ἐστὶν ἔθνη Γερμανικὰ, Χηροῦσκοί τε καὶ Χάττοι, καὶ Γαμαβριοῦοι, καὶ Χαττουάριοι· πρὸς δὲ τῷ Ὠκεανῷ Σούγαμβροί τε καὶ Χαῦβοι, καὶ Βούκτεροι, καὶ Κίμβροι, καῦκοί τε καὶ Καῦλκοι, καὶ Καμψιανοὶ, καὶ ἄλλοι πλείους. *Alia minores Germanorum gentes sunt Cherusci & Chatti, & Gamabriuni, Chattuarii: ad oceanum autem Sugambri, Chaubi, Bucteri, Cimbri, Cauci, Caluci, Campsani, & alia plures.* Et paulo post in triumpho Germanici idem dicit; καὶ ἄλλα δὲ σώματα ἐπομπεύθη ἐκ τῶν πεπορθημένων ἐθνῶν, Καθούλκων καὶ Ἀμψάνων, Βουκτέρων, Νουσίπων, Χηρούσκων, Χάττων, Χαττουαρίων, Λανδῶν, Συβαττίων. *Et alii quoque mortales in pompa ducti sunt, ex deuastatis populis, Cathulcis, Ampsanis, Bucteris, Nusipis, Cheruscis, Chattis, Chattuariis, Landis, Subattiis.* Esse *Chaubos, Bucteros, Nusipos, Landos,* & *Subattios,* non alios, quam diuersorum auctorum *Chamauos, Bructeros, Vsipios, Marsos,* & *Tubantes,* iam diu eruditi viderunt. Καμανοὶ PTOLEMAEI, & eiusdem Καλουκῶνες, sunt haud dubie Καῦλκοι, Κάθυλκοι, & Καμψιανοὶ, Ἄμψανοι, STRABONIS. CLVVERIVS præfert vocabula *Cathulci* & *Campsani*; & cetera corrigenda esse arbitratur. *CATHVLCOS* ponit CLVVERIVS ad Albim fluuium, inter amnes *Ieze, Ouvve,* & *Elmenau,* ad oppida *Luneburg* & *Danneberg.* Oppidi *Vlzen* nomen fortassis *Cathulcos* conditores retulerit. *CAMPSANOS*, quia supra Cheruscos ad Melibocum eos montem & infra Cattos PTOLEMAEVS ponit, inter oppida *Braunschvveig* & *Werningerode* CLVVERIVS quærit. *GAMBRIVIOS* habet TACITVS *Germ. Cap. II.* vnde in STRABONE loco Γαμαβριοῦοι ponendam vocem Γαμαβρίυϊοι, exi-

LVII. Est præterea curiosa eruditissimi eiusdem viri, qui Chaucos in Cheruscide quæsiuit, obseruatio; longe diu ante Chaucos, ad nostram sententiam adcommodate dixerimus, ante Cheruscos, inter Albim & Visurgim egisse GOTHOS. Ex coniecturis non inuenustis, non tamen admodum firmis, antiquissimos coniicit Gothos hic consedisse, & hinc demum primum trans Albim mouisse, inde transmisso Sueuico mari in Scandinauiam, & rursum coloniis e Scandinauia emissis in Sarmatiam, venisse. Rem ipsam, siue Gothorum in hoc solo habitationem, nititur probare regionum, vrbium, villarum, siluarum, montium, amniumque, Gothicis nominibus hodieque in his terrarum tractibus occurrentibus; quorum & simillima in certa Gothorum sede, superiori Scandinauia, reperiantur. Nos, vt nihil posse de istiusmodi antiquioribus populorum sedibus statui iudicamus, ita laudamus quidem curiosam patriæ antiquitatis inuestigationem; nec tamen Gothos, nedum GIGANTES illos, quorum idem meminit auctor, inter certos indubiosque Cheruscidis nostræ habitatores referre audebimus: quicquid etiam vetustatis plurima monumenta, giganteis tribuenda manibus, aut Gothis adiudicanda, ab auctore reperiamus prædicata. Certiora nobis sunt Cheruscidis monumenta, a Romanis aut posita, aut laudata scriptoribus. In illis numerauerim bina trophæa

An Cheruscidis antiquissimi incolæ gigantes, & deinceps Gothi, fuerint?

Insignia vetustatis in Cheruscide.

stimatim. Vbi hi vero habitarint; nemo docere potest. Cheruscos in Francis monstrat TABVLA *Vetus itineraria*; & NAZARIVS *Paneg. Constantino Cap. XVIII.* & CLAVDIANVS *de laudibus Stiliconis Lib. I. Vers. 225.* vbi;

Vt iam trans fluuium non indignante Cayo
Pascat Belga pecus, mediumque ingressa per Albim
Gallica Francorum montes armenta pererrent.

Sed eosdem Cheruscos iam tum in Saxonico fuisse foedere, & more tantum antiquo in Francis adnumeratos, ex eodem CLAVDIANO *IV. Consul. Honorii Vers. 450.* probant auctores.

- - - - latisque paludibus exit
Cimbrus, & ingentes Albim liquere Cherusci.

Germaniæ occidentalis pars media.

AN. V. C IƆCC XLIV. Ante C.N. VII.

AN. XVI.

phæa a Druſo & Germanico ad Albim & haud Viſurgi procul ſtructa. *Druſiani trophæi* meminit Dio, illudque conſtitutum ſcribit, cum Druſus omnia populatus eſſet inter Viſurgim & Albim, nec tamen hunc transgredi fluuium potuiſſet. Ptolemæus etiam inſtar oppidi *Trophæa Druſi* laudauit, ea poſitione, vt a ſeptentrionali latere montis Meliboci ea quæſieris. Non dubito vero eius hic ſubſcribere ſagaci ſententiæ, qui ex Ptolemæi poſitione illum locum de *Stendalia* vrbe, quaſi a *ſtatutis trophæis* adpellata, eleganter interpretatus eſt. Germanicum duo poſuiſſe trophæa prope Viſurgim, cum Angriuarios conſideraremus, diximus. Alteram armorum congeriem ſuperbo cum titulo ſtructam Angriuariis vindicauimus, idoneis hac in cauſa moti rationibus. Campus autem *Idiſtauiſus*, in quo primum prælium eſt commiſſum, & in quo a milite Tiberium imperatorem ſalutatum, ſtructumque aggerem, & in modum trophæorum arma, ſubſcriptis victarum gentium nominibus, eſſe impoſita, Tacitus memorauit; magis in Cheruſcorum propriis finibus, quam in Angriuariis poſſe quæri videtur. *Silua Herculi ſacra*, in quam Germanicæ nationes conuenerant, antequam prius committeretur prælium, prope Idiſtauiſum campum exſtitit; & ex poſitione Taciti hodieque lucus facile agnoſcitur. Nomen an Germani impoſuerint, vtrum Romani diuerſe nominatum lucum peruerſe interpretati ſint? non diſputo; cum maxime Hercules fuerit inter communes Germanorum Deos, adeoque facile Germani potuerint ipſi quoddam dicare nemus. De aliis vetuſtatis in Cheruſcide monumentis nihil habeo dicere (*b*).

LVIII. Gen-

(*b*) De *GIGANTIBVS* & *GOTHIS*, antiquiſſimis regionis inter Albim & Viſurgim habitatoribus, multa ingenioſe diſſeruit CONRINGIVS *de antiquiſſimo ſtatu Helmſtadii*; quem ipſum vide. Τρόπαια Δρούσου, *Tropæa*

Cherusci. LVIII. Gentis Cheruscorum nomen in celeberrimis antiquitus & clarissimis fuisse, historia satis testatur. Cæsaris ævo Cherusci non nisi cum Cattis bella videntur administrasse. Post primum Drusi bellum eos Romanis aperuit, magnamque eorum commendauit virtutem. Sunt attamen victi, & a Druso, & ab eius fratre Tiberio, si Romanis credimus historicis. Bellissime vero ait Florus; victi magis, quam domiti erant, & mores Romanos magis, quam arma, sub imperatore Druso suspexere. Postquam vero ille defunctus, tunc omnia retrorsum. Vari libido, superbia, ac sæuitia, Germanis omnibus, maxime Cheruscis, odio cœpit esse. Ex his ille surrexit Germaniæ liberator Arminius, qui visa occasione fœdus suæ gentis & vicinis persuasit ciuitatibus; nec ostentauit solum, posse Romanos vinci, sed & vicit Varum

Cheruscorum gentis fortuna varia;

An. V. C. DCCXLII. An. C. N. IX.

An. V. C. DCCXLVI. An. C. N. V.

An. X.

Drusi, locus PTOLEMAEO *Lib. II. Cap. XI.* dicitur. Trophæa autem constituisse Drusum, DIO auctor est *Lib. LV.* post illa, quæ paulo supra vidimus, verba: *ἤλασε μέχρι τοῦ Ἀλβίου, πάντα πορθῶν. ἐκεῖνον γὰρ ἐπεχείρησε μὲν περαιωθῆναι, οὐκ ἠδυνήθη δὲ, ἀλλὰ τρόπαια στήσας, ἀνεχώρησε. ad Albim vsque perrexit, omnia populando, hunc quum frustra conatus esset transire, tropæis constitutis recessit.* Et FLORVS *Lib. IV. Cap. XII.* de Druso narrat: *Marcomannorum spoliis insignibus quendam editum tumulum in trophæi modum excoluit.* Et mox; *præterea*, inquit, *in tutelam prouinciarum præsidia atque custodias vbique disposuit; per Albim; per Visurgim.* Hic præsidium per Albim commode interpretabor de munimento, quo fortassis Trophæa constituta ad Albim firmata sunt: vnde PTOLEMAEO occasio data Germaniæ quoddam oppidum comminiscendi: De vrbe *Stendalia* MENSO ALTINGIVS, *in Tabula Ptolem. expositione*, illa Trophæa commode cum ex rationibus PTOLEMAEI, tum ex vrbis hodierno nomine, accepit. *Stendel*, inquit, *diminutiuum est a Stender, quod nobis denotat, quicquid erectum statuitur, vti hæc trophæa; quæ & nominis ratio Germanis esse potuit.* De *Idistauiso* campo, & binis præliis, trophæisque positis, in Angriuatiis ex TACITO *Ann. II. Cap. XVI. XVIII. XIX. XXII.* diximus, locaque monstrauimus. *Silua Herculi sacra* memoratur ab EODEM *Ann. II. Cap. XII.* CLVVERIVS ostendit ex ceteris, fuisse illam Herculi sacram siluam eo situ, quo hodieque silua sternitur inter oppida *Minden*, & *Statbagen*, arcemque *Bickenburg*.

rum cum tribus legionibus, redditaque Germanis salute atque libertate effecit, vt Romanum imperium, quod in littore oceani non steterat, in ripa Rheni fluminis staret. Immensius inde Cheruscorum honos, vt princeps Germaniæ populus, ceterarumque gentium fortunæ arbiter, haberetur. Afflicta quidem rursum est nostra natio Germanici bellis; sed nihil Romanis victoriis de potentia populi imminutum est. Postea Cherusci, duce Arminio, Maroboduum Marcomannorum regem vicerunt, atque de imperio deturbarunt. Mox ipse inter eos Arminius in suspicionem affectati regni venit, & dolis inimicorum periit. Tam erat libertatis amans natio Cheruscorum, vt ipsi libertatis vindici Arminio ne speciem quidem tyrannidis indulgerent! Porro cum Italo rege suo discordarunt Cherusci, multisque bellis, quæ profugus ad alias gentes rex excitauit, conflictati sunt. Paulo autem ante Traiani imperium incerta causa duæ potentes nationes, Cherusci & Catti, qui quidem æternum inter se discordauerant, in grauissimo bello cœpere periclitari. Cherusci hoc bello adeo fracti sunt, vt, Tacito scribente, inertes inde ac stulti fuerint vocati; Cattis, quod fieri solet, victoribus fortuna in sapientiam cesserit. Posthac rarior aliquandiu Cheruscorum exstat memoria. Sunt imo, nec fides omnis deest, qui iudicant, parte agrorum mulctatos esse Cheruscos, & minoribus sedibus contentos esse iussos. Constat interim, in Francica societate ex præterita calamitate reualuisse Cheruscos, & nobilem fuisse Francorum portionem. Seruarunt omnino nomen prisca insigne gloria, & ad seram illud ætatem tulere. Vt demum pars Cheruscorum cum Francis patrium migrauerit solum, coniici potest facile, parum autem ex scriptoribus probari. Certius Saxonum nomen, vix Gallia occupata a Francis, in Cheruscide stetit, eique breui tempore omnes reliqui Cherusci videntur acces-

Germ. ant. occidentalis pars media.

An. XV. XVI.

An. XIX.

An. XLVI.

Cherusci. accessisse. Non moramur recentiora & paulo obscuriora gentis fata (*e*).

LIX. De Cheruscorum, si quæ nota fuere, singularibus institutis nihil prorsus meminit Tacitus, vt solet; cladis acceptæ narratione & iudicio de ea ita in de Germania libro occupatus, vt ad alia festinando rem præcipuam siluerit. Quan-

& potiora reipublicæ instituta.

(*e*) CAESAR *Bell. Gall. Lib. VI. Cap X. Bacenim siluam Cheruscos a Sueuis, Sueuosque a Cheruscis, iniuriis incursionibusque probibere*, dicit. Ergo erant hostili inuicem Sueui atque Cherusci animo: quod & probat TACITVS *Ann. XII. Cap. XXVIII.* vbi metuisse, ait, Cattos, *ne hinc Romanus, inde Cherusci, cum quibus æternum discurdant, circumgrederentur.* Expeditiones Drusi in Cheruscos memorant DIO *Lib. LIV LV.* LIVIVS *Lib. CXXXVIII. Epit.* FLORVS *Lib. IV. Cap. XII.* Hic ait: *validissimas nationes, Cheruscos, Sueuosque, & Sicambros, pariter aggressus est.* A Tiberio victos Cheruscos esse, gloriatur VELLEIVS *Lib. II. Cap. CV. Intrata protinus Germania, subacti Caninefati, Attuarii, Bructeri, recepti Cherusci.* Elegans iudicium de victa magis, quam domita, Germania, &, quæ sequuntur, multa; habes in FLORO *Lib. IV. Cap. XII.* Cladis Varianæ præcipuus auctor ARMINIVS, CHERVSCVS. VELLEIVS *Lib. II. Cap. CXVIII. CXIX.* vbi conf. TACITVS *Ann. I. Cap. LVIII.* Clades ipsa in Cheruscorum clientibus accidit. STRABO *Lib VII.* DIO *Lib. LVI.* De expeditionibus Germanici in Cheruscos vid. TACITVS *Ann. I. Cap. LVI. LXIII. Ann. II. Cap. XII. & sequ.* Bellum Cheruscorum, Arminio duce contra Maroboduum gestum, describit TACITVS *Ann. II. Cap. XLV. XLVI.* & IDEM *Cap. LXXXVIII.* fata Arminii principis. Acceptus a Romanis ITALVS rex, sed etiam mox expulsus; vnde grauia inter Cheruscos & Longobardos bella gesta: teste TACITO *Ann. XI. Cap. XVI. XVII.* De Cheruscorum clade a Cattis accepta ita loquitur TACITVS *Germ. Cap. XXXVI. In latere Chaucorum Cattorumque Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem nutrierunt. idque iucundius, quam tutius fuit: quia inter impotentes & validos falso quiescas: vbi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt. Ita, qui olim boni æquique Cherusci, nunc inertes ac stulti vocantur: Cattis victoribus fortuna in sapientiam cessit.* A Constantino cum ceteris Francis Cheruscos etiam victos esse, indicat NAZARIVS *Panegyr. Constantino Cap. XVIII. Quid*, inquit, *memorem Bructeros? quid Chamauos? quid Cheruscos, Vangionas, Alamannos, Tubantes?* Et mox de his: *Innumeræ simul gentes ad bellum coactæ, sed vno impetu tuo fusæ, dum collatiuam vim comparant, compendiosam victoriam præstiterunt.* De Francis & Saxonico fœdere dictum est.

Quantum ex aliis colligimus & Taciti, & diuersorum, testimoniis, nulla gens Cheruscis impensius libertatem coluit atque suspexit, vt adeo ex hoc animo facile pronumque sit ad iudicandum de rei eorum publicæ constitutione. Plures sane habuere principes, egregio principum & nobilitatis ordine, quem prima ætate floruisse nouimus, attestante. Præter *ARMINIVM* clarissimum Cheruscorum principem, eius patruus *INGVIOMERVS*, socer infidus *SEGESTES*, huiusque frater *SEGIMERVS*, filiusque *SEGIMVNDVS*; porro *FLAVIVS*, Arminii frater, & filius *THVMELICVS*, cum *SESITHACO*, Segimeri filio, principes æquales fuerunt. In bello tamen vnum præfuisse ducem, Marcomannicum docet bellum, in quo Arminium deseruit patruus Inguiomerus, quod iuueni fratris filio ipse patruus senex parere dedignaretur. An postea mutatis moribus vnius magis imperium bello paceque Cheruscis placuerit? non disputabo. Sane *ITALVM* regem Roma Cherusci petiere, amissis per interna bella nobilibus, & vno hoc Italo reliquo stirpis regiæ, paternumque genus ex *FLAVIO* fratre Arminii, maternum ex *Catumero*, principe Cattorum, ducente. Certe tamen, si vel vnum coluerint, non animum fuisse, perdere libertatem, & dominationem subire regiam, docent Itali regis fata. Cito discordarunt rex & ciues, regis suspectantes potentiam. Inde bellum graue & varium sequutum est, quod Cheruscorum quidem libertatem firmauit, non minus tamen valde res eorum adflixit. Quæ Cheruscorum conditio fuerit, cum a Cattis victi fractique essent? Qua ratione, cum Franciæ accessio Cheruscis fuerit facta, res publica sit administrata? An demum Saxonicum nomen regiminis attulerit mutationem? Hæc omnia quæruntur vtiliter, sed vnde quæstionibus satisfaciam, nihil reperio, nisi

Germaniæ occidentalis pars media.

Nobilitas insignis Cheruscorum.

con-

Confi. conie&ctilde;turas oppido debiles amplecti velim. Quod videtur, prisco more inter Francos *principes* pace, *bello* dux, Cheruscis præfuere. Inter Saxones *satrapæ* dicti sunt, quos olim principes dicere moris fuit (*d*).

(*d*) Egregia nobilitas Cheruscorum fuit, testibus VELLEIO *Lib. II. Cap. CXVIII.* TACITO *Ann. I. Cap. LVII. LX. Lib. II. Cap. IX. Lib. XI. Cap. XVI.* & præsertim STRABONE *Lib. VII.* vbi omnia nomina occurrunt, & hæc fere principum eius gentis eiusque ætatis genealogia datur.

Princeps Cheruscorum

Segimerus, princeps Cheruscorum. — *Segestes*, Cheruscorum princeps.

Sesithacus, & Coniux *Rhamis*, Acrumeri, Cattorum principis, filia. (filius Segimeri)

Segimundus, Sacerdos ad Aram Vbiorum. — *Thusnelda* (liberi Segestis)

Princeps Cheruscorum

Princeps Cheruscorum. — *Inguiomerus* Cheruscorum princeps.

Arminius, Dux Cheruscorum. — *Flauius*, & Coniux, Acrumeri Cattorum principis filia.

Thumelicus. (filius Arminii et Thusneldæ) — *Italus*, Rex Cheruscorum. (filius Flauii)

Vnum apud Cheruscos ducem id ostendit, quod Inguiomerus ad Marobodum perfugit, *non aliam ob caussam, quam quia fratris filio iuueni patruus senex parere dedignabatur*: scribente TACITO *Ann. II. Cap. XLV.* De caussa belli cum Italo, rege Cheruscorum, vid. TACITVS *Ann. XI. Cap. XVI. XVII.*

CAPVT IV.

OCCIDENTALIS GERMANIAE PARTIS AQVILONARIS PRISCI POPVLI.

I.

Chauci aquilonaris inter Albim & Amisiam natio.

ADgredimur ad historiam CHAVCORVM, nationis, ita vt diximus, & Cheruscorum, & minorum cis Visurgim omnium ciuitatum, lateribus contra septentriones obtentæ, iam porro pertexendam. Nomen populi varia litterarum mutatione, modo demendo litteram, modo interponendo, scriptum reperimus; vt *Cauchi*, *Cauci Chaci*, & *Cayci*, fuerint nominati: nec tamen vna vocabuli variatio magis eius prodat vim atque potestatem, quam altera. Regio ipsa, quantum ea ab Amisia ad Albim pertinuit, *CHAVCIS* a Dione adpellata est; constantioris id regionis, cum ceteræ Germanicarum ciuitatum sedes vix vnquam ob mutabilitatem continuam nomine populi essent insignitæ, apud Chaucos argumento. Populum instar Bructerorum in *maiores* & *minores* Chaucos diuisum fuisse, ex Plinio, Tacito, & Ptolemæo accipimus. Valde idonea coniectura est, talem populi distributionem coloniam ampliorem ductam prodere; vt maiorum inde nomine præcipua populi portio fuerit compellata, minores, vt coloni emissi, dicti fuerint. Lis vero Chaucorum hic intuitu est, vtrum Taciti, an Ptolemæi, sententia verior; quorum ille maiores Chaucos Amisiæ propiores facit, hic Albi? Enimuero cum Tacitus, qua Belgicæ olim

Chaucis regio.

Maiores & minores Chauci.

Cent. olim procurator, facile veras Chaucorum sedes potuerit explorare; certumque insuper cum sit, Romanos duces res gestas Romam perscripturos verum gentium, cum quibus res erat, nomen & situm minime potuisse ignorare: nihil ego dubito, Ptolemæum erroris arguere, & ex Tacito maiores Chaucos inter Amisiam & Visurgim, quæ sane, cum post Ansibariorum expulsionem in Cattos vsque sinuarentur, maiora terrarum fuere spatia; minoresque Chaucos Visurgim inter & Albim, statuere. Totius regionis fines fuere, contra *septentriones* oceanus; ad *orientem* solem Albis fluuius, Cheruscorumque confinium; ad *occidentem* Amisia, Frisiorumque solum: in solis *austri* partibus limitem expresse & accurate dicere, difficile; populos nominare, qui Chaucos praeiacuere, facile est. De oceano nemo dubitauerit, si veteres auctores vel leuiter gustauerit. Plinius mira refert ad nos de æstu maris, quo accolæ maris Chauci vexentur. Ceteri scriptores præ reliquis Chaucos propter maritimarum rerum scientiam laudant; quæ laudes non nisi maris accolis conueniunt. Ad Albim eos egisse, atque ad occasum pertigisse ad Amisiam amnem, vtraque adeo ex parte Visurgim tenuisse, vno ore testantur memoriæ; vt sit futurum superuacaneum, istas Chaucidis metas pluribus considerare. Cis Amisiam primum Bructeri, & post hos expulsos Angriuarii parua sui parte, ad Amisiæ ostium occursarunt: ipsum maris littus, qua in meridiem ingenti flexu redit, Frisii post Chaucos continuarunt. Supra Chaucos in austri partibus coluerunt Chamaui ad Amisiam, Ansibarii ad Visurgim. His autem Nerone imperante a Chaucis expulsis, Chaucos omnem Virsurgis citimam ripam ad Dulgibinos vsque occupasse, & ita cunei instar eorum agros ceteris minorum ciuitatum finibus quasi infixos fuisse, superiori loco ostendimus. Qui denique trans Visurgim & cis Albim Cheruscorum Chaucorumque limes fue-

Fines Chaucidis.

An. LVIII.

fuerit, antea disputatum est; vt tamen, per historiæ incertum nihil posse determinari, clare ostenderimus (*e*).

Germaniæ occidentalis pars aquilonaris.

II. Ra-

(*e*) *CHAVCOS* adpellat constanter TACITVS, & SVETONIVS *Vita Claudii Cap. XXIV.* *Cauchi* sunt VELLEIO *Lib. II. Cap. CVI.* ibi *Cauchorum nationes;* PLINIO *Lib. IV. Cap. XIV. Lib. XVI. Cap. I. Gentes Cauchorum, qui maiores minoresque adpellantur;* DIONI *Lib. LX.* & PTOLEMAEO *Lib. II. Cap. XI.* Καῦχοι, *Cauchi.* Regio autem Chaucorum DIONI *Lib. LIV.* est Χαυκὶς, *Chaucis.* Apud STRABONEM *Lib. VII.* habentur Καῦκοι, *Cauci.* TABVLAE *itinerariæ* sunt *Chaci.* AETHICVS *Cosmographus* habet *Cattigaucos*, compositum haud dubie ex Cattis & Chaucis vocabulum. LVCANVS *Lib. I. Vers. I. 463.* *Caycos* nominat.

Et vos crinigeros bellis arcere Caycos
Oppositi, petitis Romam, Rhenique feroces
Deseritis ripas, & apertum gentibus orbem.

LVCANVM imitatus CLAVDIANVS eodem vtitur vocabulo *in Lib. I. de laudibus Stiliconis Vers. 225.*

Vt iam trans fluuium non indignante Cayco
Pascat Belga pecus.

Vim nominis atque potestatem varii vario modo peruestigant. Quidam dictos volunt *Chaucos*, siue *Caycos*, ab aue *vlula*, quæ nunc quoque *Cautz* in illis oris vocatur. Vlula autem est æmulus Catti venator. Alii a *Kaike*, graculo, quorum multitudo in illis oris, deriuant. Has binas opiniones laudat Ill. LEIBNITIVS *in notis ad Excerpta Veterum fol. XI.* Ipse addit quidem: *Talia nomina gentium vsurpantur & Americanis.* Nec vero præterea aut alterutram opinionem adprobat, aut nouam dicit sententiam. Sagacissimo MENSONIS ALTINGII ingenio videtur, vetus nomen non ab ingenio regionis, sed ab genio ipsius gentis, tractum esse. *Germani*, inquit, *Kautzen vocant viros, antiqua virtute & fide, ingenio apertos, & amoenos, manu promtos, quos nemo impune lacessit. Caucos autem tales omnino fuisse,* TACITVS *Germ. Cap. XXXV. locuples auctor est.* Cui opinioni cum hac fere conuenit; quod homines astutos, callidos, versutos, vocamus *Kautzen*, diuersis de tali ingenio interpretari Chaucorum nomen placuit. Distinctio Chaucorum ex iam prolatis verbis PLINII *Lib. XVI. Cap. I.* probatur. *Sunt vero*, inquit, *in septentrione visæ nobis gentes Cauchorum, qui maiores minoresque adpellantur.* PTOLEMAEVS sedes, singulis certas adsignat. Τὴν δὲ παρωκεανῖτιν κατέχουσιν ὑπὲρ μὲν τοὺς Βρουκτέρους οἱ Φρίσιοι, μέχρι τοῦ Ἀμισίου ποταμοῦ. μετὰ δὲ τούτους Καῦχοι οἱ μικροὶ, μέχρι τοῦ Οὐισούργιος ποταμοῦ. εἶτα Καῦχοι οἱ μείζους μέχρι τοῦ Ἄλβιος ποταμοῦ. *Loca vero iuxta oceanum supra Bructeros tenent Frisii vsque ad Amisiam amnem. post hos Cauchi minores, usque ad Visurgim amnem: deinde Cauchi maiores ad Albim vsque flumen.* TACITVS *maiores Chaucos*, sed diuerso loco, agnoscit; nempe inter Amisiam & Visur-

II. Raram aut nullam potius Chaucorum regio subiit mutationem, quantum nos antiquæ docent historiæ. Postquam

Raræ Chaucidis vicissitudines.

gim. *Annali XI. Cap. XVIII.* dicit: *Per idem tempus Chauci, nulla dissensione domi, & morte Sanquinii alacres, dum Corbulo aduentat, inferiorem Germaniam incursauere, duce Gannasco.* Gannascum Corbulo expellit: militem suum dure haber: Tum pergit *Cap. XIX. Ceterum is terror milites hostesque in diuersum afficit. nos virtutem auximus: barbari ferociam infregere. Et natio Frisiorum, post rebellionem clade L. Apronii cœptam infensa aut mala fide, datis obsidibus consedit apud agros a Corbulone descriptos. Idem senatum, magistratus, leges, imposuit. ac ne iussa exuerent, præsidium immuniuit; missis, qui maiores Chaucos ad deditionem pellicerent, simul Gannascum dolo aggrederentur.* Certe ad proximos Frisiisque finitimos misit Corbulo: vnde maiorum Chaucorum certa statim trans Amisiam sedes. Fines eorum iam omnes auctorum testimoniis manifesti sunt. Oceanum ostendit PLINIVS *Lib.XVI. Cap.I.* littora atque insulas Chaucorum describens; PTOLEMAEVS, *regionem iuxta mare*, παρωκεανῖτιν, Chaucis tribuens. Amisia & Albis in finibus ab eodem PTOLEMAEO censentur, & a TACITO *Ann.I.Cap.LX.* Cetera confinia declarat TACITVS *Germ. Cap. XXXV. & XXXVI. Primo statim*, inquit, *Chaucorum gens, quanquam incipiat a Frisiis, ac partem littoris occupet, omnium, quas exposui, gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos vsque sinuetur. tam immensum terrarum spatium non tenent tantum Chauci, sed & implent.* Et mox: *In latere Chaucorum Cattorumque Cherusci.* De Ansibariis pulsis, eorumque a Chaucis sedibus occupatis, vid. TACITVS *Ann.XIII. Cap LV.* Iudice CLVVERIO *Cap.XVIII.* his singularibus limitibus circumscribendi Chauci erant. A *septentrionibus* cingebantur oceano inter Amisiam & Albim. Ab *occasu* solis hiberni, Amisia amne ad oppidum vsque *Emden* a Frisiis; hinc ad Amisiæ Loedæque confluentes a Bructeris primum, & his expulsis, ab Angriuariis, submouebantur: indeque Loeda primum a Chamauis, postea vero a Dulgibinis, arcebantur. Ab *ortu solis hiberni* linea a fonte Loedæ ad oppidum *Bremen*, & inde Visurgi ad confluentem Allari amnis, quondam ab Ansibariis; inde vero alia linea ad oppidum vsque *Hamburg*, a Cheruscis, dirimebantur. Ansibariis expulsis fines habuere versus *meridiem* in Cattos vsque sinuatos: qua *occasus* est hibernus, iuxta lineam a fonte Loedæ ad confluentem amnis, qui apud vicum *Remen* Visurgi miscetur: hinc vero *ab ortu* per ipsum Visurgim ad confluentem vsque Allari. Comprehenduntur hisce finibus; *Frisia orientalis*; *Comitatus IV*, *Oldenburgensis*, *Delmenhorstensis*, *Diepholt*, & *Hoya*; *principatus Mindensis* pars septentrionalis; omnes regiones cis Visurgim; & trans Visurgim integer *episcopatus*, nunc *ducatus*, *Bremensis*.

quam Anſibarii de ſedibus deturbati eſſent, horum inſeſſis agris, minime aut ceteras regiones tentarunt Chauci, ſuis contenti; aut a gentibus aliis bellis petiti ſunt, alienarum rerum incurioſi. Qui & poterat eorum libertas, quam vsque ad ſeram ætatem imperio & rerum geſtarum gloria continuata permanere, cum eas laudes iis Tacitus tribuat, quæ omnium poterant aut conciliare fauorem, aut morari libidinem? Populum, ait, exſtitiſſe Chaucos inter Germanos nobiliſſimum, quique magnitudinem ſuam maluerit iuſtitia tueri, ſine cupiditate, ſine impotentia. *Quieti ſecretique*, addit, *nulla prouocant bella; nullis raptibus aut latrociniis populantur.* Id præcipuum virtutis, idem contendit, argumentum eſſe, quod, vt ſuperiores agerent, non per iniurias adſequuti fuerint. Promta tamen omnibus arma, ac, ſi res poſcat, exercitum; plurimum virorum equorumque; & quieſcentibus eandem fuiſſe famam. Durauit ergo Chaucis, nullis vnquam mulctata iniquitate fortunæ finibus, ad ætatem FRANCIAE, cuius & ipſa inſignis pars facta eſt. At autem, cum maiora hæc fœdera ſurgerent, minorum ciuitatum ſingulares notas paſſim exoleuiſſe, aliquoties monitum eſt. Ceſſat itaque ibi curata finium inueſtigatio, vbi ventum eſt ad tempus, quo gentes modo ad Francicam, modo ad Saxonicam, ſocietatem tumultuariis ſtudiis acceſſerunt; nec fere ante reſumi poteſt, donec adultior ætas maiores communium nominum acceptione nationes iuſtius diuiſerit atque ſeparauerit (*f*).

Germania occidentalis pars aquilonaris.

III. In-

(*f*) Verba TACITI *Germ Cap XXXV.* quæ adpellamus, hæc ſunt. *Primo ſtatim Chaucorum gens, quamquam incipiat a Friſiis, ac partem littoris occupet, omnium, quas expoſui, gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos vsque ſinuetur, iam immenſum terrarum ſpatium, non tenent tantum Chauci, ſed & implent: populus inter Germanos nobiliſſimus, quique magnitudinem ſuam malit iuſtitia tueri. ſine cupiditate, ſine impotentia, quieti ſecre-*

III. Incidimus nunc in opiniosissimi cuiusdam hominis inauditam Chaucidem, quam ille Amisiæ, Albi, Visurgi, fluuiis ereptam, suæ Scandinauiæ extremis oris, & opposito Cimbricæ Chersoneso littori, vindicare conatus est. Si hic audietur, omnia nostra, quæ ex optimis auctoribus de Chau- Chaucis absurde in Scandinauia locata.

uique, nulla prouocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur. Idque præcipuum virtutis ac virium argumentum est, quod, vt superiores agant, non per iniurias assequuntur. Prompta tamen omnibus arma, ac, si res poscat, exercitus: plurimum virorum equorumque: & quiescentibus eadem fama. PLINIVS *Lib. XVI. Cap. I.* Chaucorum littora atque insulas describit; sed, credo, soli gentisque paupertatem nimium vituperat. *Sunt vero*, inquit, *in septentrione visa nobis gentes Cauchorum, qui maiores minoresque adpellantur. Vasto ibi meatu, bis dierum noctiumque singularum interuallis, effusus in immensum agitur oceanus, æternam operiens rerum naturæ controuersiam: dubiumque, an terræ sit, an pars maris. Illic misera gens tumulos obtinet altos, aut tribunalia structa manibus ad experimenta altissimi æstus, casis ita impositis: nauigantibus similes, cum integant aquæ circundata: naufragis vero, cum recesserint: fugientesque cum mari pisces circa tuguria venantur. Non pecudem his habere, non lacte ali, vt finitimis, ne cum feris quidem dimicare contingit, omni procul abacto frutice. Vlua & palustri iunco funes nectunt ad prætexenda piscibus retia: captumque manibus lutum ventis magis, quam sole, siccantes, terra cibos, & rigentia septentrione viscera sua, vrunt. Potus iis non nisi ex imbre seruato scrobibus in vestibulo domus. Et hæ gentes, si vincantur hodie a populo Romano, seruire se dicunt. Ita est profecto. multis fortuna parcit in poenam. Aliud e siluis miraculum: totam reliquam Germaniam replent, adduntque frigori vmbras: altissimæ tamen haud procul supra dictis Cauchis, circa duos præcipue lacus: littora ipsa obtinent quercus, maxima auiditate nascendi: suffossæque fluctibus aut propulsæ flatibus, vastas complexu radicum insulas secum auferunt: atque ita libratæ stantes nauigant, ingentium ramorum armamentis sæpe territis classibus nostris, cum velut industria fluctibus agerentur in proras stantium noctu, inopesque remedii illæ prælium nauale aduersus arbores inirent.* Non debuit præteriri hoc de terris Chaucorum PLINII testimonium. Lacus duos interpretatur CLVVERIVS de lacu *Dollart* dicto, ad Amisiæ ostia; & de altero lacu ad ostium Visurgis, qui *Iade* vocatur. Terram vrere Chaucos, quod iam antiquitus obseruauit PLINIVS, hodieque in integro maritimæ oræ tractu visitur; & adpellant eiusmodi vstulandas glebas, *Toruen*. Reliquorum quædam fama fortassis aucta, PLINIVS pro veris accepit, cum ad fabulas proxime accedant. Alia extremis littorum habitatoribus non forsitan male, ista quidem ætate, conuenere.

cide diximus, vana erunt & mendacia; imo mentietur omnis historia, & omnium antiquarum rerum arbitrium penes illum solum, fidum scilicet & egregium, antiquitatis erit interpretem. Enimuero cum eo audaciæ in historia prorumpat ingenium, vt, reclamante licet omni antiquitate, summa tamen infimis paria faciat, turbet, misceat; non vltra opus est refutatione; sui enim ipsius vindex est fideliter prolata historia: sed opus est vanitatis indicio, vt agnita nemini imponat, incautoue fucum faciat. Missis proinde nos eius factis commentis, in nostra Chaucide memorata quædam a Ptolemæo aliisque scriptoribus vetustatis insignia inuestigamus. Habet Ptolemæus *Amasiam*, Tacitus *Amisiam*, celebrem Germaniæ quondam locum; eumque auctorum plurimi, quod certe vel nomine testante ad Amisiam amnem quæri debeat, de vrbe hodieque celebri *Embda*, dextræ fluminis Amisiæ ripæ adiacente, interpretantur: quo & nos nomine de Amisia in Chaucide facimus mentionem. Continuo autem monendum simul ducimus, aliam nobis stare sententiam, dignissimisque nos argumentis paulo deinde Amisiam Chaucidi erepturos, &, quod conuenit, sinistræ ripæ Amisiæ, adeoque Frisiorum agro, vindicaturos. Certius *Fabiramum* Ptolemæi, vbiubi situm, Chaucidi debebitur. Si Ptolemæi positionem respexeris, ad ostium Albis fuerit quærendum, læuo amne, ad quem vicum *Friburg*, & nominis antiqui leuia vestigia, reperio. Quidam malunt dextræ Visurgis ripæ Fabiramum vindicare, & *Bremam*, opulentissimum florentissimumque oppidum, veteris Fabirami augere gloria; parum tamen præter similitudinem vocabuli, quo probent adsertionem, illi afferunt. *Stationem* quandam *Drusianam*, eandemque procul dubio munitionibus cinctam, in Cauchorum regione ad Albim fuisse, Florus suadet; &, si Velleium consulimus, idem *stationem* quandam *classis Tiberii*, ab incognito

German occident lis pars quilonar

Memorabilia loca in Chaucide.

ante

Cauci. ante Romanis mari flumine Albi ſubuectæ, oſtendit: quæ altera, vtrum cum priori conueniat, an ab ea ſit diuerſa, non ſatis licet iudicare. Eſt vero hodieque nobile prope Albim caſtellum, cuius nomen quodammodo *Stationis Romanæ* videtur eſſe indicium; quod qui accipit probatque, habet nouum, idque præclariſſimum, in veteri Chaucorum regione antiquitatis Romanæ monumentum (*g*).

(*g*) OL. RVDBECK *in Atlantica Cap. XXIV.* vbi Sueuiam Scandinauiæ vindicatum iuit, nec vllos Sueuos Germaniæ reliquit, niſi quas colonias Sueui in continentem Germaniam traiecerint; inter alia *fol.* IↃLXXXV. Chaucos prorſus fere noſtræ eripuit Germaniæ, & Sueoniæ, Daniæ, Iutiæ, & Megapolitani agri paruo tractui, attribuit: nixus argumento plurimorum nominum æqualium Chaucio cognomento, & interpretatione iniqua verborum TACITI *Germ. Cap. XXXV. Hactenus in occidentem Germaniam nouimus. In ſeptentrionem ingenti flexu redit. Ac primo ſtatim Chaucorum gens.* Eruditiſſimi viri veneror ingenium; commenta, cum omnis repugnet antiquitas, laudare nequeo: quæ ideoque modeſte indicare ſine vlla licet iniuria. PTOLEMAEO *Lib. II. Cap. XI.* laudatur [illegible], *Amaſia.* TACITVS *Ann. II. Cap. VIII.* de Germanici nauigatione narrans, *lacus inde, ait, & oceanum, vsque ad Amiſiam flumen, ſecunda nauigatione peruehitur; claſſis Amiſiæ relicta læuo amne; erratumque in eo, quod non ſubuexit: tranſpoſuit militem dexteras in terras iturum. ita plures dies efficiendis pontibus abſumti.* Hic omnia quidem docent, claſſem *Amiſiæ*, non flumini, ſed celebri cuidem prope flumen loco, relictam eſſe. At patet ſimul, fruſtra hanc TACITI Amiſiam aliquos de *Embda* vrbe, ad dextram ripam recentiori æuo condita, interpretari, cum clariſſime TACITVS læuum amnem ſimul memoret. CLVVERIVS non TACITI ſolum Amiſiam, ſed & PTOLEMAEI Amaſiam, putat, vrbem hodieque nobilem, *Emden*, referre. Sed *Amiſiam* TACITI mox in Friſis, rem commode demonſtrante MENSONE ALTINGIO, cernemus. PTOLEMAEI *Amaſiam* ex eius rationibus idem oſtendit in fontes Amiſiæ amnis quadrare; vbi hodie quidem vrbs eſt nulla, at fortaſſis olim villa fuit, *Embsſpring* dicta, vnde PTOLEMAEI nomen *Amaſia* ſumtum. Φαβίρανον, *Fabiranum*, PTOLEMAEI rurſus CLVVERIVS de *Bremen* interpretatur: vnde & loco *Fabiranum* mauult *Fabiramum* legere, vt magis nominibus vtrisque conueniat. Sed dignior altera MENSONIS videtur ſententia, quæ PTOLEMAEI numeros præter coniecturas ſobrias reſpicit. *Stationem* quandam *Druſi & Tiberii*, indicare videntur FLORVS *Lib. IV. Cap. XII.* & VELLEIVS *Lib. II. Cap. CVI. A Rheno*, hic inquit, *vsque ad flumen Albim, qui Semnonum Hermun-*

Chaucorum gentis historia.

IV. Quantum ad Chaucorum gentis fata attinet, primos Roma Chaucos, Augusto imperante, atque Druso in Germania belligerante, agnouit. Drusus, victis pluribus Germanicis ciuitatibus, in Chaucidem penetrauit, pacisque amantiorem nationem in Romanorum fidem suscepit. Post Drusum Tiberius frater rursum Chaucos petiit, fideique ante datæ immemores, hostiliaque parantes nouis artibus reduxit ad Romanam amicitiam. Tanti erat Romæ potentem Chaucorum nationem debellasse, vt, cum non auderent vi eam cogere & domare, amicitiæ eam blando delinirent nomine, honestissimeque eam haberent; interim Romæ simularent victoriam, & blanditiis ad societatem pellectam ciuitatem haberent pro debellata. Habuerunt tamen Romani impetratæ Chaucorum amicitiæ in Germanici bello præmia. Adiuuerunt Chauci Romanos, ipsasque socias Germanorum ciuitates bis cum Romanis bello petere non dubitarunt. Nec tamen tota natio bellum gessit, sed auxilia tantum quædam, haud dubie ex pacto, Romanis submisit; nec omnino ex animo arma contra Germanos administrauit, sed sæpenumero plurimum Romanis bellando nocuit, Germanis profuit: quod digno generosi patriæ amoris argumento ex Arminii propemodum capti dimissione & liberatione videre

Germaniæ occidentalis pars à quilonaris.

AN. V. C. ꟾↃCCXLI Ante C.N. X.

AN. V. C. ꟾↃCCXLV Ante C.N. VI.

AN. XVI.

durorumque fines praeterfluit, Romanus cum signis perductus exercitus: & eodem, mira felicitate & cura Ducis, temporumque obseruantia, classis, quæ oceani circumnauigauerat sinus, ab inaudito atque incognito ante mari flumine Albi subuecta, plurimarum gentium victoria, cum abundantissima rerum omnium copia, exercitui Cæsarique se iunxit. Ex VELLEII sententia vtique prope ostia Albis stationem classis Tiberii habuerit; & cum oppidum sit in vetustis Chaucorum sedibus, quod *Stade* hodieque adpelletur, nec nauigatio Tiberii repugnet, non valde vereor CLVVERII opinioni, qui ad eam vrbem stationem veterem Tiberianæ classis quærit, indeque nomen natum arbitratur, adstipulari. Quæ præsidia Drusus ad Albim constituerit, quamue stationem præcipuam habuerit: an in Cheruscis solum? vtrum etiam in Chaucis? incertius id est, adeoque mittitur.

Cauci. dere eſt. Poſthac Claudio imperante exuiſſe Chaucos pacem, & Romanos, infidos, vt erant, amicos, bello petiiſſe, nouimus. Si vero eſt fides Suetonio atque Dioni, tunc eos

An. XLVII. P. Gabinius cohibuit, & ex parta gloria *Chaucii* cognomen, tribuente imperatore, retulit. Parum aſt domitos expeditione Gabinii Chaucos oſtendit, quod ſtatim deinde inferiorem Germaniam incurſauerint; ipſeque Claudius Corbulonem vindicaturum excurſionem prohibuerit, vimque omnem inimicam vetuerit. Exin pluribus bellis Chauci claruere, nihil iis de laude iuſtitiæ, quam iis Tacitus ſcripſit, detrahentibus, ſed eam, ſi recte rationes ſubducimus, firmantibus. Expulere imperante Nerone Anſibarios, vicinam nationem, eorumque inſedere agris. Quam id, inquis, iuſte aut legitime; cum cognata Anſibarii gens fuerint, nulloque, quod ſcitur, damno Chaucos affecerint? Enimuero cauſa expulſionis eſt quidem ignota; fuerit tamen iuſta & legitima, ſi Tacito, qui ipſe Anſibariorum fata deſcripſit, nihiloque deinde minus ſummam Chaucorum æquitatem generoſamque indolem laudauit, habemus fidem. Sub initia imperii Veſpaſiani cum Ciuili Batauo contra Romanos Chauci fecere. Iterum Marco regnante ſoli in Belgicam inuaſerunt, & hoſtiliter ſunt graſſati: vix a Didio Iuliano, tum præſide, poſt imperatore, curſum ſiſtere coacti. Tot fortiter patratis bellis claros *FRANCICVM* accepit fœdus; diſerte eos auctoribus in Francis referentibus. *SAXONICA* autem paulo poſt gloria illuſtrata, quod Chaucis magis cum Saxonibus maris & nauigationum peritis, piraticamque exercentibus, conueniret, illa plus delectati, deſerta Francica ſocietate, in Saxonum nomen atque fœdus, ipſa iamdum Conſtantinorum ætate, tranſiuerunt. Zoſimus inde Chaucos Saxonum gentis partem expreſſe adpellauit. At iam, poſtquam Saxonia littora Germanici occupauit maris, actum ſimul eſt de Chaucorum

Marginal notes: An. LVIII. (beside "tionem, eorumque inſedere agris"); Cur Anſibarii expulſi? (right margin, same place); An. LXX. (beside "ſpaſiani cum Ciuili Batauo"); Sec. III. (beside "claros FRANCICVM"); An. CCCLVIII. (beside "ætate, tranſiuerunt").

corum nomine, & eo posito natio amplissima in Saxonum delituit nomine; quod non dereliquit, donec Saxonum ditio mare magnum contingeret. Cum vero ætate succedente Frisonum ampliores fierent termini, repressaque ad interiora Saxonia, maritimas terras Frisiæ nomen habere inciperet; denuo Chaucos, licet dudum antiquato vocabulo, in *FRISIAE* ciuitatem esse imputatos, transeundo modo ad antiquiores Frisios nolui prorsus silentio dissimulare (*b*).

Germaniæ occidentalis pars aquilonaris.

V. Nempe

(*b*) Drusus primus in Chaucidem inuasit. DIO CASSIVS *Lib. LIV.* A Tiberio *receptæ Cauchorum nationes*: teste VELLEIO *Lib. II. Cap. CVI.* & TACITO *Ann. I. Cap. XXXVIII.* qui vexillarios præsidii ergo iis Tiberium imposuisse memorat. Militasse cum Germanico Chaucos contra Germanos scribit TACITVS *Ann. I. Cap. LX.* At fidei erga patriam seruatæ argumentum fuit, *agnitum a Chaucis inter auxilia Romana agentibus emissumque Arminium fuisse*, narrante rursus TACITO *Ann. II. Cap. XVII.* De Gabinii victoria ita SVETONIVS *Vita Claudii Cap. XXIV. Gabinio Secundo, Chaucis, gente Germanica, superatis, Chaucius cognomen vsurpare concessit.* Dubitant vero hoc loco interpretes de vero nomine imperatoris, belli cum Chaucis administrati gloria nobili. Accipimus ex TACITO *Ann. XI. Cap. XVIII. XIX. XX.* de Corbulonis bello cum Chaucis decreto, eoque, licet negato a Claudio, insignibus tamen triumphi honorato. Sunt, qui arbitrantur, hunc Corbulonem SVETONIVM intelligere, licet per errorem Gabinium nominaverit. Cum his quidem non ego sentio: at, veri acti belli ignarus temporis, cum modo annum memini, quo Corbulo contra Chaucos, inferiorem Germaniam incursantes, bellum sumturus erat, licet opiner, paulo iam ante a Gabinio Chaucos compressos esse. Ansibariorum expulsionem memorat TACITVS *Ann. XIII. Cap. LV.* In Ciuilis auxiliis fuere etiam Chauci, quod indicat TACITVS *Hist. Lib. IV. Cap. LXXIX.* & *Lib. V. Cap. XIX.* Didius Iulianus, Chaucorum victor, rem ita describente SPARTIANO *in Vita Didii Iuliani Cap. I. Belgicam sancte ac diu rexit. Ibi Cauchis, Germaniæ populis, qui Albim fluuium accolebant, erumpentibus restitit, tumultuariis auxiliis prouincialium: ob quæ consulatum meruit, testimonio Imperatoris.* Ergo ante eius consulatum hac potitus est victoria. In Francis Chaucos refert CLAVDIANVS *Lib. I. de Laudibus Stiliconis*:

Vt Salius iam rura colat, flexosque Sicambri
In falcem curuent gladios; geminasque viator
Cum videat ripas, quæ sit Romana requirat.

V. Nempe, quod de reipublicæ inter Chaucos constitutione adiiciamus, præcipui atque singularis; reliqua enim quid moror? nihil inuenio. Habuere duces, quorum vnus GAN- *Chaucorum res publicæ.*

Vt iam trans fluuium, non indignante Cayco,
Pascat Belga pecus; mediumque ingressa per Albim
Gallica Francorum montes armenta pererrent.

De solis namque Francis loquutus poëta, non vtique Chaucos nominasset, nisi nouisset, ex illorum hos etiam fuisse numero. Fortassis Chaucos etiam EVMENIVS *Paneg. Constantino Cap. VI.* respexit. *Quid*, inquit, *loquar rursus intimas Franciæ nationes non iam ab his locis, quæ olim Romani inuaserant, sed a propriis ex origine suis sedibus, atque ab vltimis barbariæ littoribus auulsas, vt in desertis Galliæ regionibus collocatæ, & pacem Romani imperii cultu iuuarent, & arma dilectu?* Littora vero barbariæ potenant etiam in Cheruscos Albis accolas quadrare: frequenter enim littora fluminum auctores laudant. Sunt tamen in ITINERARIA *tabula*, cum Cheruscis & Chamauis, diserte etiam Chauci in Francos relati. Interim CLAVDIANVS, imo & ORATOR, videntur ad primum Chaucorum respexisse fœdus: Hi sane, vario animo, iam Constantinorum æuo cum Saxonibus fecisse videntur: dubium, an statim deserta Francica societate, vtrum variatis ex arbitrio partibus? ZOSIMVS *Lib. III.* in narratione rerum a Iuliano ad Rhenum gestarum, diserte Chaucos partem Saxonum vocat. Qui enim *Quadorum* in ZOSIMO vocabulum defenderint, næ illi parum populorum in Germania situs videntur educti esse. Σάξονες, οἱ πάντων δὴ καρτερώτατοι τῶν ἐκεῖσε νεμομένων βαρβάρων, θυμῷ, καὶ ῥώμῃ, καὶ καρτερίᾳ, τῇ περὶ τὰς μάχας εἶναι νομίζοντες Κυάδυς (lege Καύχυς) μοῖραν σφῶν ὄντας, εἰς τὴν ὑπὸ Ῥωμαίων κατεχομένην ἐκπέμπυσι γῆν. οἱ δὲ ὑπὸ Φράγκων ὁμόρων αὐτοῖς ὄντων κωλυόμενοι διαβῆναι, δέει τῦ μὴ τῷ Καίσαρι δῦναι δικαίαν αἰτίαν τῆς κατ᾽ αὐτῶν αὖθις ἐφόδυ, πλοῖα ναυπηγησάμενοι, καὶ διὰ τῦ Ῥήνυ τὴν ὑπὸ Φράγκων ἐχομένην ὑπερβαλλόμενοι γῆν, ἐπὶ τὴν ὑπήκοον Ῥωμαίοις ὡρμήθησαν. *Saxones, omnium eas regiones incolentium barbarorum, & animis, & corporum viribus, & laborum in præliis tolerantia, fortissimi habiti Quados,* (Cauchos) *nationis suæ partem, in solum ab Romanis occupatum, emittunt. At finitimis Francis eos transitu prohibentibus, qui metuerunt, ne iustam Cæsari causam præberent, se rursum inuadendi: nauibus constructis Rheno prætervecti parentem Francorum imperio regionem, in Romani iuris solum contenderunt.* En profecto Chauci, indubii, Iuliano in Galliis belligerante, Saxones. AMMIANVS etiam *Lib. XXVII. Cap. VIII. & Lib. XXVIII. Cap. V.* ita Saxones describit, vt vix, nisi Chauci, possint intelligi. Ipsa paulo post verba in Saxonibus proferemus.

GANNASCVS, natione Caninefas, Chaucis Germaniam inferiorem incursantibus præfuit, dolisque Corbulonis circumuentus periit. Quod & eorum iustitiam multis laudibus Tacitus extollit, dubium est minime, quin optime in pace publica fuerit procurata salus. Demum inter Francos, instar ceterarum ciuitatum præcipua, si quæ fuerunt, instituta seruata esse; inter Saxones autem & Frisios ex legibus communitatis quæuis esse administrata: aut iam constitit ex iis, quæ alibi docuimus, aut, licet auctores sileant, per coniecturas oppido probabiles satis patet (*i*).

Germaniæ occidentalis pars aquilonaria.

Frisii extrema natio in Germania occidentali.

VI. Interposita itaque mora nulla ad extremos Germaniæ Occidentalis populos, quique a fronte reliquas, quas vidimus, nationes excepere, continuo adimus. Hi sunt

FRISII;

Eorum nomen & nominis interpretatio.

quos Tacitus, Plinius, ceterique Latini, adpellarunt: a Græcis variatis litteris modo *Phreisii*, modo *Phrissii*, nuncupati; & in aliis vetustis monumentis *Phresii*, *Frisei*, *Friseones*, cum qua posteriore voce Aethici vocabulo *Frisionum*, & medii æui vsui, qui *Frisonum* dictionem adprobauit, conuenit, nominati. Vim & potestatem illarum adpellationum, quarum vtra melior, linguæque priscæ Germanorum sit conuenientior, nondum est exploratum; non difficulter adsequemur, si rite circumspexerimus. Quodsi animum Frisiorum liber-

(*i*) *GANNASCVS* dux Chaucorum inferiorem Germaniam incursantium. *Natione Caninefas, auxiliaris & diu meritus, post transfuga, leuibus nauigiis prædabundus Gallorum maxime oram vastabat, non ignarus dites & imbelles esse.* Eum Corbulo exturbat; mox mittit, qui Gannascum dolo aggrederentur, nec irritæ aut degeneres insidiæ fuere aduersus transfugam & violatorem fidei. *Sed cæde eius motæ Chaucorum gentes* TACITVS *Ann. XI. Cap. XVIII. XIX.* De laudibus Chaucorum vide rursus TACITVM *Germ. Cap. XXXV.* quod testimonium modo supra audiuimus.

bertatis studiosissimum & amantissimum considerauerimus, dicti putentur *Phreisii*, quasi *liberi homines :* nec enim alia inter Germanos gens exstat, quæ ab omni memoria libertatem acrius vindicauerit, impensiusque promouerit, & quæ præsertim eam integrius ad seros posteros transmiserit, si Frisios exceperis. Solum autem, quod Frisii habitarunt spectaturis, videantur aut ab *agris recentibus*, quos vbere & profundo luto oppleuit oceanus frequenter exæstuans; aut *a gelida terra plaga*, quam incolunt, compellati esse: quas fere significationes adiuuat, quod Ptolemæus *Phrisios*, & latini *Frisios*, nationem vocarunt. Sane & singula hæc nominis interpretamenta rectius laudaueris, vnumque, quod placuerit, elegeris; quam probaueris ineptos homines, modo a *Phrygibus*, modo a *Frisone*, siue Troiano, siue Græco, siue Indo, clarissimi populi natales atque acceptum deriuantes vocabulum (*k*).

(k) DIONI Lib. LIV. sunt *Φρείσιοι*; Ptolemæo *Φρείσιοι ;* veteri inscriptioni apud GRVTERVM *fol.* ↄↄXXXII. *Num. VI. Frisei.*

AVR. VERO. EQ SING. AVG.
NAT. FRISEO T. AEL. GEMINI
VIXIT ANN XXX.
MIL. ANN. XIII.

Aliam inscriptionem CLVVERIVS *Cap. XVII.* profert, vbi sunt *Frisæi ;*

HILARVS
NERONIS CAESARIS
CORPORE CVSTOS
NATIONE FRISAEO
VIX. A. XXXIII.

Et idem aliam habet inscriptionem, vbi *Frisæuones* videntur dicti esse ;

D. M.
T. FL. VERINO NAT.
FRISAEVONE VIX. ANN.
XX. M. VII. T. F. VICTOR
EQ. SING. AVG. FRATRI
DVLCISSIMO
F. C.

Tabula PEVTINGERIANA eo situ, quo sunt *FRISII*, confusas ostendit litteras, ex quibus eruditi conficiunt vocabulum *Phresii*. AETHICVS habet *Frisiones ;* PAVLVS DIACONVS *Lib. VI. Longob. Cap. XXXVII. Frisones.* Sic SIGEBERTVS GEMBLACENSIS, REGINO, & passim alii Chronici libri, *Frisones* vocant. *Vita Caroli M. apud* BOECLERVM *fol. LXIII.* ALBERTVS STADENSIS passim, multique plures, *Fresones* nuncupant. *Die freye Friesen* ab

Fluuii, quos Frisii coluerunt.

Germaniae occidentalis pars aquilonar

VII. Ad sedes Frisiorum, in amnicis insulis, circaque immensos, quos Tacitus nominat, lacus, stratorum, simulque Rheno ad oceanum vsque prætextorum, facilius cognoscendas attinebit, vt pauca de illis amnibus & illis lacubus hic præmoneamus. *RHENI* non dexter, quod cuidam perperam visum est, sed ***medius alueus*** certe fuit, cui prætexti ad Oceanum Frisii fuere; is enim semper Rheni nomen tenuit, cum aluei ceteri diuersis insigniti essent vocabulis. Cum autem prope a Traiecto veteri amnis *VECHTVS* incipiat, fortassis & olim inceperit, qui auerso cursu contra septentriones procurrit, & se in ingenti lacu exonerat: is creditur inter minores maioresque Frisios fuisse limes, vt illi infra ad oceanum, hi supra & interiora coluerint. Longius ad orientem maiores Frisios bini rursum fluuii diuiserunt; primus *ISALA*, auctus aquis Drusianis fossis adductis, & simul productis: alter *VECHTVS*, quem Bructerorum sedes nobilitarunt. Isalam *Drusianâ fossa* cum Rheno coniunctum alibi docuimus, & *Nabaliam* dictum esse intermedium alueum, fidem fecimus. *Drusianas fossas* pluratiuo numero ii dixerunt, qui amnem Isalam simul fodiendum a militibus, & fossis dilatandum fuisse, viderunt, vt scilicet aquæ Rheni possent tutius in oceanum deferri. Ceterum idem olim Isala, seu dexter Rheni alueus, si Pomponio credimus, primo angustus & sui similis exstitit, post ripis longe & late recedentibus, iam non amnis, sed ingens lacus, vbi campos impleuit, *FLEVO* dictus est: eiusdemque nominis insulam amplexus, factus est iterum arctior, iterumque fluuius est emissus. Hunc si priscum Isalæ, quocum & Vechtus, cum ad lacum venis-

omni æuo populus dictus, & conuenit vocabulo cum re ipsa. Poterant etiam compellati esse a solo *Phrissii*, quasi *Frissilânders*; namque nota hodieque est in inferiore Germania adpellatio *der Friessen Landen*, a quibus distinguuntur *die Olde Landen*. Fabulosas nominis origines non moramur.

venisset, vtique procurrit, metiare cursum, alia ingentis quondam lacus, aliaque hodie, visa est facies. Intrauere sine dubio iisdem locis, & olim, & nunc, Isala Vechtusque ingentem lacum. Amplexi autem sunt amnes Fleuonem antiquitus insulam, inde ad dextram maior alueus ex lacubus emergens, iterum diuisit continentem, & continuo contra septentriones cursu in ostio demum, cui *Fleuo* itidem nomen fuit, se in Oceanum præcipitauit. Alter & vero amnium alueus paulo ad sinistram ex lacubus exiit, & tenuis modicusque peruasit terras, vix iusto in oceanum effusus ostio, eo nimirum arenis prope obturato (*l*).

(*l*) TACITVS *de Germ. Cap. XXXIV.* ita de Frisiis loquitur : *Angriuarios & Chamauos a tergo Dulgibini & Chasuarii cludunt, aliæque gentes haud perinde memoratæ, a fronte Frisii excipiunt. Maioribus minoribusque Frisiis vocabulum est, ex modo virium. Vtræque nationes vsque ad oceanum Rheno prætexuntur, ambiuntque immensos insuper lacus, & Romanis classibus nauigatos.* Rhenum a Druso in Isalam abactum hic IVNIVS intellexit; sed recte ideo a CLVVERIO, cui omnis fauet antiquitas, taxatus. De *Isala, Nabalia, Vechto,* & *Drusiana fossa*, dictum in Germaniæ fluuiis. *Drusianam fossam* plurariino numero effert SVETONIVS *in Claudio Cap. I. Is*; inquit, *Drusus - - - - oceanum septentrionalem primus Romanorum ducum nauigauit : transque Rhenum fossas noui & immensi operis effecit, quæ nunc adhuc* DRVSINAE *vocantur.* Notauit SVETONIVM CLVVERIVS, quasi pleniore diceret ore fossas, quæ vna tantum fossa fuerit. Recte MENSO ALTINGIVS ostendit, pluribus vtique fossis fuisse opus, vti in amplitudinem & maiorem altitudinem effoderetur Isala, & perduceretur nouus Rheni alueus simul ad Bructerorum Vechtum amnem, qui vna in lacus debebat spargi. TACITVS *Ann. II. Cap. VIII.* de Germanici nauigatione narrans; *Iamque*, inquit, *classis aduenerat, cum præmisso commeatu, & distributis in legiones & socios nauibus, fossam, cui Drusianæ nomen, ingressus, precatusque Drusum patrem, vt se eadem ausum libens placatusque exemplo ac memoria consiliorum atque operum iuuaret; lacus inde & oceanum vsque ad Amisiam flumen secunda nauigatione peruehitur.* Et iam ante hanc fossam Germanicus nauigauerat, vt nomen autem nuster auctur siluerit. Vid. TACITVS *Ann. I. Cap. LX. LXIII. LXX.* & de Corbulonis per fossas nauigatione, *Ann XI. Cap. XVIII.* De lacu *FLEVO*, & eius nominis insula, habemus testimonium POMPONII MELAE *Lib III. Cap. II.* Interpretationem nostram debemus bonam partem eruditissimis coniecturis MENSONIS ALTINGII *in No-*

Lacus & ceteri amnes, quos ambierunt.

Germania occidentalis pars aquilonaris.

VIII. Vt proinde de ipso lacu, insimulque de Insulis Plinii, ceterisque Frisiorum amnibus dicere pergamus; monstrant veterum testimonia, nondum immensos lacus continuo olim æstu vasto communicatos esse oceano, sed magis interfitis terris, quas bini amnium aluei irrigarunt, esse conclusos. Fecerunt deinceps tempestates ventorumque furores, vt ambientes terræ mergerentur fluctibus, & fluminum aluei fierent æterni æstus itinera. Simul tum *Fleuo* insula, quam amplexatus est dexter Rheni alueus, hausta est mari maximam sui partem; per enim exiguæ sunt maioris insulæ, quæ superesse creduntur hodie, partes. Mansere tamen veterum amnium alueorum ductus, imo ipsa prope in mari nomina, fidæ hac in causa antiquitatis indicia. Quin magnis terrarum spatiis fluctibus mersis bona Frisiorum agri pars perierit, dubitabit prope nemo, resque ex se patet manifesto. Ceteroqui habemus per priscam harum terrarum faciem Plinii insulas, quas Frisii tenuerunt. Vechtus & Nabalia, seu Drusiana fossa, binas dedere insulas. Nouam fecit insulam duplex Fleui fluminis alueus & ostium; vt iam Fleuonem insulam in Fleuo sitam lacu transeam. A Fleuo ostio incepit *vadosum* illud *mare*, quod Drusus atque Germanicus non paruo periculo tentarunt, quodque Frisiorum terras contra septentrionem ambiit. Illud primum *Manarmanis ostium*, quod *VNSINGEM* amnem suscipit, secuit. Inde sequens littus legens duplici ostio effluentem extremum Frisiorum *Amisiam* fluuium excepit. Primum ostium *VIDRI* nomine Ptolemæus notauit; alterum *AMISIAE* nomen tenuit (*m*).

IX. Igi-

titia Germ. infer. sub lemmatibus, FLEVO INSVLA, FLEVO LACVS, FLEVVM OSTIVM, FLEVVS FLVVIVS.

(*m*) Clarissima POMPONII *Lib. III. Cap. II.* verba sunt. *Rhenus ad dextram primo angustus & sui similis, post, ripis longe ac late recedentibus, iam non*

IX. Igitur inter ostia fluuiorum modo descripta ita Frisii egerunt, vt olim omnino immensos lacus, nam vno plures, cum per insulas diuiderentur, non inepte dici poterant, interstitis, quas ostendimus, insulis, ambierint. A fronte oceanus Frisios finiit. Latera medius Rheni alueus & Amisia fluuius firmarunt. Tergum vastæ in Bructeris paludes fossæque Drusianæ clauserunt. Proinde ad Rhenum a Batauia Frisiorum ager diuisus fuit. Trans Isalam Bructeri & trans Amisiam Chamaui fuere finitimi; & qui excisis Bructeris in horum successere locum, Angriuarii. Ad orientem demum, ostio Amisiæ duplici interposito, maiores Chauci maio- Frisiorum fines designantur.

amnis, sed ingens lacus, vbi campos impleuit, Fleuo dicitur: eiusdemque nominis insulam amplexus, fit iterum arctior, iterumque fluuius emittitur. Insulæ partes ostendit MENSO ALTINGIVS esse duas minores *Ens*, & *Vrek*, insulas; quas lato ambitu ætate MELAE fuisse continuas, fit credibile. CLVVERIO placet nominum sectari similitudinem, & *Fleuonem* insulam de *Flieland* interpretari. Sed qui situm insulæ Flieland respexerit, & MELAM legerit, næ is errorem CLVVERII manifestum facile deprehendit; per quem quidem iste non est lapsus, quam quum præiudicatam de eximia verborum similitudine opinionem contra verum defendere constituisset. Veterum alueorum & nomina, & ductus, in ipso iam mari adhuc durare, erudite MENSO ALTINGIVS docuit. Vbi Rheni dexter alueus, mutato nomine, postquam transiit lacum, *Fleuus* dictus est; superat hodie nomen, *Het Langefliet*, *t' Oude Vliet*, vel sine attributione *t' Vlie*. Arctiorem autem Rhenum, iterumque fluuium, MELA scribente, emissum esse ad hodiernum *Takezyl* & *Lemmer*; vbi per lacus *Slotanum*, & *Haganum*, currens, prope *Worcum* vrbem, vario inde cursu ad ostium festinauit: & testatur Rheni reliquum nomen, quod riuo *Ee* promiscuum est, & quod freto inhæsit, inter vtrumque Slotanum lacum interiacenti, quod *Rhyn-sloot* nuncupatur; & testatur Fleui nominis a *Worcum* oppido per varios cursus ductus. De insulis nil addi meretur, nisi, vt geographica inspiciatur tabula. *Vadosi maris*, a Druso & Germanico non paruo periculo nauigati, meminere DIO CASSIVS *Lib. LIV.* & TACITVS *Ann. I. Cap. LXX.* Ibi, *Germanicus legionum, quas nauibus vexerat, secundam & quartam decimam itinere terrestri P. Vitellio ducendas tradit, quo leuior classis vadoso mari innaret, vel reciproco sideret.* Conf. etiam *Ann. II Cap. VIII XXIII.* Reliquorum explicationem iam nostra fluuiorum Germaniæ commentario dedit.

Germani occidenta lis pars a quilonari.

maiores Frisios continuarunt. Ita nimirum Frisiorum ciuitatem distinxere veteres, vt ex virium modo quidam maiores, reliqui minores Frisii fuerint dicti; vtrique autem insuper Rheno ad vsque oceanum prætexti. Fuere ideoque sine dubio *maiores Frisii* trans Fleuum ad Amisiam vsque, & a dextro minoris Vechti latere circumcirca immensos lacus. *Minores Frisii* sinistram Vechti ripam attigisse, indeque a Rheno ad Fleuum ostium maritimas oras obsedisse, recte putantur (*n*). An Frisiorum ciuitates Plinius notauerit, cum *Frisiabones*, *Sturios*, *Auchos*, & *Marsatios*, post Frisios nominauit? perquam est diu dubitatum. Melioribus nunc est euictum rationibus, minime falsum esse Plinium istas gentes proferentem, sed dignum duxisse pretium operæ, potiores Frisiorum pagos indicasse. *MARSATIOS* quidem, seu *Marsacos*, partem Marsorum fuisse, alibi ostendimus; relictos ad Rhenum, & Drusiana deinceps fossa separatos, cum Marsi ad Bructeros in interiora Drusi metu refugerent. Potuit

Minores & maiores Frisii.

Pagi Frisiorum.

(*n*) TACITVS *de Germ. Cap. XXXIV.* tam accurate exposuit positionem Frisiorum nationis, vt dubitatio nulla superesse queat de iis, quæ commentatio nostra tradit. Trans Rhenum Frisios diserte monstrat TACITVS *Hist. Lib. IV. Cap. XV. Accitis Frisiis, Transrhenana gens est, duarum cohortium hiberna, proxima occupatu, oceano irrumpit.* Et sic idem sæpe alibi Rheno Frisios disterminat. Confinium Frisiorum, Bructerorum, & Chaucorum, ad Amisiæ ostia iam alibi ostendimus ex TACITO *Ann. I. Cap. LX.* & ex DIONE *Lib. LIV. Maiorum minorum*que *Frisiorum* distinctio cum ex TACITO clarissime pateat, non est, vt desideremus alia antiquitatis testimonia. Positioni vtriusque Frisiorum nationis adprime conuenit cum TACITO dicente: *Maioribus minoribusque Frisiis vocabulum est: ex modo virium vtraque nationes vsque ad oceanum Rheno prætexuntur, ambiuntque immensos insuper lacus, & Romanis classibus nauigatos.* Sic vtræque nationes Rheno prætexuntur; vtræque lacus ambiunt, & vtræque attingunt oceanum. Continentur vero hodie illis finibus maxima pars *Hollandiæ*, & *Traiectini agri*, quicquid trans medium Rheni alueum; *Geldriæ* portio, quæ *Velauia* dicitur; *Transisalaniæ* regionis pars, & *Frisia* omnis vsque ad Amisiam. Velauiam ideo rursum hic in Frisiis memoramus, quod Marsacos in ditionem Frisiorum demum imputatos esse opinamur.

tuit interim eos Plinius in Frisiorum pagis recte referre, quod fortassis, qua proxima & exigua ciuitas, in Frisiorum egere clientela, cum Bructeros dominos habere cœpissent Marsi. Marsatios malim tamen ad Nabaliam quærere, quam nouas eis ad oceanum ex nomine sedes adsignare. *FRISIABONVM* pagum, & alterum *STVRIORVM* minoribus Frisiis plerique adnumerant; coniecturis non parum probabilibus ducti. Quodsi eorum situm probamus, plurimas eorum terras fluctibus deinceps haustas esse, simul liquet. *AVCHOS* eruditi in dextra Vechti ripa Rhenum inter & lacum posuerunt; vt adeo Marsacis, seu Marsatiis, nostris fuerint proximi, & vtrique ad maiores Frisios relati. Quin vero maiorum Frisiorum, præter pagos, quos Plinio nominare visum est, plures fuerint ciuitates, silentio auctorum transmissæ; nemo dubitabit, qui egregias eorum regiones, ex Plinii distributione factas reliquas, respexerit. Sed, vt iam multa ad aliorum ingenium diximus, ita, quæ nemo diuinare conatur, minime nos curiosius exponere audebimus *(o)*.

X. Quæ

(o) PLINIVS *Lib. IV. Cap XV. in Rheno ipso prope C M. P. in longitudinem nobilissima Batauorum insula, & Caninefatum, & alia Frisiorum, Cauchorum, Frisiabonum, Sturiorum, Marsatiorum, quæ sternuntur inter Helium & Fleuum.* Maxime, si quis alius, vexatus locus impense interpretum exercuit ingenia. Vt transeamus aliorum sententias, solum CLVVERIVM respiciemus. Is *Germ. Ant. Lib. III. Cap. XVII.* multa contra omnes disputat, & prorsus expungendos *Cauchos, Frisiabones, & Sturios*, certo sibi persuadet; cum scilicet imperiti scribæ manu in contextum PLINIANAE orationis perperam irrepserint illa vocabula. Sic post violentam illam exsectionem in PLINIO legi vult: *In Rheno ipso prope C. M. P. in longitudinem nobilissima Batauorum insula, & Caninefatum, & alia Frisiorum maiorum, & Frisiorum minorum, Marsatiorumque, sternuntur inter Helium & Fleuum.* Et hic quidem non incommode sensus PLINII illustratur: sed doluere plerique, nimis asperum remedium peruestigandi vlterius veram PLINII opinionem prope omnem occasionem resecuisse. Eo maiorem meritus est eruditorum adplausum MENSO ALTINGIVS, qui, vt nihil prope

Insignia vetustate

X. Quæ habemus in Frisiorum agris memorabilia, ad amnium supra curate spectatorum ordinem commode trademus.

Germania occidentalis pars aquilonaris.

demeret, aut adderet, tam clare docuit, quid PLINIUS velit, vt supersit iam fermenihil, quod contra possit dici. Ita iste coniecturis suis optime probatis legit: *In Rheno ipso prope C. M. P. in longitudinem, nobilissima Batauorum insula & Cannunefatum. Et aliæ Frisiorum (Auchorum, Frisiabonum, Sturiorum Marsatiorum,) quæ sternuntur inter Helium & Fleuum.* Iam nemo dubitat, voluisse PLINIVM pagos diuersos Frisiorum indicare, qui & vltra indaganti MENSONI facile cogniti sunt. Vid. ipse MENSO ALTINGIVS *Notitia Germ. Infer. in Vocabulis, AVCHI, FRISIABONES, STVRII, & MARSATII.* Multa ibi occurrunt erudita atque maxime ingeniosa, quæ exscribere non vacat. *MARSATIOS* MENSO interpretatur de *Meer'aten*, quales Frisiis dicantur, qui vndique oceanum mariaque accolant. Tribuit adeoque his oram maris omnem a Rheni prisco ostio, quod inter cetera medium tenuit, ad dextrum fere, quod quondam claruit, Fleuum ostium. Ostendit ibi, vnde in lacus irrupit oceanus, hodieque restare nomen *Marsdiep*; non leue accolæ quondam gentis indicium. Cur nos paulo diuersum sentiamus, non repetere libet. *FRISIABONES* proxime Marsatios vsque ad Vechtum Altingius constituit; & adsignat ipsis *Waterlandiam, Rhenolandiam vlteriorem, & Amstelandiam.* Interpretatur vocabulum de *accolis aquarum Frisiis*, quasi *Friesse A Woners* dictis: cuius cognomenti vis hodieque duret in regione *Het Waterland* dicta; cuius regionis incolæ *Waterlanders*, siue *A-Woners*, vel *Ae-Woners*, nominentur. Elegantior sane nominis hæc notatio, quam, cum IVNIVS *Batauia Cap. III. Frisiabones* putauit adpellatos esse incolas huius pagi, quasi *Friesse-Apen, Frisiorum simios.* *STVRIOS* nuncupatos ALTINGIVS opinatur a frequentibus villis, *Steden*, dictis: vnde primum *Steders*, mox *Sters*, & Romano ore *Sturii* compellati fuerint. Monstrat fluctibus mersarum villarum reliqua nomina, quæ Sturiorum sedes commonstrent. Et, vt reliqua omnia Sturiorum sint absumta mari, ita solam præfecturam *Hemelumer-Oldefaart*, cum duobus modicis oppidis *Stauria*, & *Hindelopa* ex veteri Sturiorum pago restare, indicat. *AVCHORVM* nomen accipit idem noster auctor *ex agris, quos aquæ fluuiatiles & lacustres vndique irrigant aut arrodunt, A Wen dictis.* Arbitratur, eos, ab austro lacui Fleuoni prætextos fuisse inter vtramque *Mudam*; cetera Rhenum ipsum elicesque fossas, ambiisse: manere hodieque haud procul a Muda citeriore tractum palustrem, qui ab *Auchis*, vernacula lingua *Aukers* dictis, adpellationem *Auke-Veen* retineat. Ceterum minoribus Frisiis tres pagos MENSO ALTINGIVS tribuit; solum Auchorum pagum maioribus ex situ vindicat. Nos Marsatios addimus maioribus Frisiis; nec dubitamus, vltra Fleuum ostium, quod transgredi PLINIVS noluit, vsque ad Amisiam plures pagos maiorum Frisiorum fuisse, quos vero omnes hodie ignoramus.

mus. Ad medium Rheni alueum, qui Batauiam diuidit a Frisiorum agris, *Traiectus* fuit, vetus Romanorum opus, quo transitus tutus ex Batauia in Frisios erat paratus. In Frisiorum deinceps parte Traiectus vetus amplissimæ vrbis fuit occasio atque initium: vnde recte istius ad Rhenum Traiecti hoc loco meminimus. In Sturiis, quorum maxima agrorum pars dudum fluctibus periit, afferunt eruditi veterem vrbium quarundam mersarum, quæ Sturiorum retulerint nomen, memoriam; qua transmissa solum oppidum *Stauern* nominamus, hodieque non ignobile, quod ostendere veteres Sturios, & cum ditione vicina solum ex regione eorum reliquum esse factum, non difficiliter credimus. *Naualia* locus Ptolemæi est, isque ex eius positione ad Vechtum Bructerorum, vbi is in lacum exit, vtique quærendus: incertum attamen, an villa castrumque eius fuerit nominis, vtrum Ptolemæus falsus nomen Drusianæ fossæ de villa sit interpretatus? *Lucus Baduhennæ* & *Cruptoricis quondam stipendiarii villa*, quæ loca duplici Romanorum clade atque cæde cognita Tacitus memorauit, recte inter lacum & castellum Fleuum quæri, maxime id ostendit, quod Romani, rebellionem Frisiorum vlturi, duceque L. Apronio illud castellum petituri, hac in via perierunt. Habetur hodie veteris luci nominis vestigium in Frisiorum regione, quæ a *septem siluis* accepit adnomen. Ipsa Dea dubio procul eadem fuerit, quam ceteri Germani nomine *Tanfanæ* in Marsis coluerunt. Cruptoricis etiam villæ vocabulum iusto situ inter lucum & castellum in tenui hodieque adparet vico: nec dubium est, a Frisio quodam milite, quondam stipendiario, deinceps honeste dimisso, illud tractum esse. *Fleuum oppidum*, quod sine addita distinctione *Castellum* Tacitus vocat, non ad Fleuum ostium, sed ad Manarmanis ostium portumque, situm fuisse, & Ptolemæi positio, & Taciti descriptio Aproniani ad castellum

Ss 2 itine-

Margin notes: loca in Frisiis. An. XXVIII.

itineris, & insuper nomina vicorum in eo tractu, quem olim Fleuum oppidum illustrauit, occurrentium declarant. Ipse autem *Manarmanis portus & ostium*, cum & Ptolemaeus eam suadeat posituram, & nomen accolarum istius ostii hodiernum plene cum veteri vocabulo conueniat, non iam alibi a quopiam inuenietur, nisi vbi Vnsingis amnis cum alio minori fluento in oceanum se largo exonerat ostio. Quo certius de eorum constat errore, qui Manarmanis ostium in lacubus quaesiere, & Vechto Bructerorum amni, quem simul perperam Ptolemaei Vidrum esse existimarunt, communi quondam suffragio attribuerunt (*p*).

Germaniae occidentalis pars aquilonaris.

XI. Inter

(*p*) Antiquissima *Traiectus ad Rhenum* est in *Itinerario* ANTONINI memoria. Ponitur illi M. P. XVII. supra *Albiniana*, XV. infra *Mannaritium*, pro vico *Maurik* habitum. Id est eo loco, in cuius ripa aduersa in Frisiis, vtrimque ad Vechtum, postea castrum, mox vicus, breui oppidum, deinde primaria per Batauos, Frisios, Taxandrosque, vrbs, condi atque erigi coepit. Isti a *Veteri Traiectu*, quod nomen habet CAROLI M. *diploma apud* HEDAM *in Albrico*, maiores nomen dederunt *Olt-trechs*: vnde inepte quidam *Vltraiectum* vocarunt, cum *Oltraiectum* fortassis non male dici potuisset. Recte clarissimam vrbem more veteri latine nuncupaueris *Traiectum Rheni*, vel *Traiectum ad Rhenum*. De *Stauern* oppido in Sturiis dictum. Si numeros PTOLEMAEI cum MENSONE ALTINOIO sequimur, Ναυαλία, *Naualia*, PTOLEMAEI incidit eum in sinum, quo *Campen*, vel *Genemugden* oppida conspiciuntur. CLVVERIVS quidem *Naualiam* putat oppidum *Doesburg* referre; quo fere loco ille *pons Nabaliae*, memoratus TACITO *Lib. V. Cap. XXVI.* fuerit. Sed eius non plane persuadent rationes, quibus contra PTOLEMAEI facit numeros. *Badubennae lucum* meminit TACITVS cum *Cruptoricis villa, Ann. IV. Cap. LXXIII. Compertum a transfugis, nongentos Romanorum apud lucum, quem Badubennae vocant, pugna in posterum extracta confectos: & aliam quadringentorum manum, occupata Cruptoricis quondam stipendiarii villa, postquam proditio metuebatur, mutuis ictibus procubuisse.* CLVVERIVS generatim ostendit, hunc lucum quaerendum esse eodem tractu, quo nunc maxima totius Frisiae silua sternatur, vulgari nomine *Seuenwolden*. Cum CLVVERIO facit MENSO ALTINOIVS, & diserte proprium in illa regione locum, in Praefectura Stellingiorum, occidentem versus (*Stellingwerf-West-eynde*) non longius IX. M. P. ab ora lacus, demonstrat: & superesse hodieque nomen vetus *Holt-Pade*, quo silua ab incolis notetur; &

XI. Inter Manarmanis ostium & Amisiam superant adhuc pauca Romanorum in Frisiis monumenta. Prope Fleuum castellum *editiora* fuere loca, in quæ tandem Vitellius, vix non maris æstu cum exercitu haustus, enisus est; & vnde idem, postquam in editioribus locis sine vtensilibus, sine igni, pernoctasset, reddita luce ad amnem Vnsingem, quo Cæsar classe contenderat, penetrauit. Perhibent Germanicum vocabulum, quod edita designat loca, manere hodierno die illum collium tractum, quem extra dubium Tacitus putauit. Ab eo ad orientem & Amisiæ latum ostium proficiscentibus occurrit quondam *Amisia*, seu *Amasia*, oppidum; quod male alios in dextra Amisiæ amnis indagasse, alio est declaratum loco. Nempe læuo amne Germanicus exercitum classe adductum expediit; ibique classe relicta ipse cum exercitu superiorem fluminis traiecit alueum: vnde & statio eius, &, quod Tacitus memorauit, oppidum, non nisi in læua ostii fuerunt parte. Adde ab omni memoria nobilissimum Frisiæ oppidum *Emethum* in læuo littore floruisse; recentioris tantummodo esse æui *Embdam*, nobile emporium dextræ fluminis ripæ adsitum. Retro ad Vnsingem la- Alia memorabilia.

Ss 3 cum-

Padesto, vocabulum loco edito tributum, quasi dixeris *Pada editum*, siue *excelsum*. *Cruptoricis villam* inde haud procul ad vicum *Hem-Ryck*, qui ipsum vetus nomen imitetur, statuit ALTINGIVS. *Crupto* fortassis Frisius miles vocatus fuerit; vnde *Hem-Cruptoryck*, *villa Cruptoricis*, antiquitus dicta. Sane fugæ militum ad castellum Fleuum decretæ, & diuersis cædis locis, indicatis a TACITO, explicatis ab ALTINGIO, egregie conuenit. *Fleuum oppidum* apud PTOLEMAEVM *Lib II. Cap XI.* & *castellum, cui nomen Fleuum*, mox simpliciter *castellum* nuncupatum a TACITO *Ann. IV. Cap. LXXII. & LXXIII.* eodem esse in loco quærendum MENSO ALTINGIVS docuit: nimirum vel in *Visfliet*, ad riuum *Labbers*, vel in *Fliedorp*, ad amnem *Vnsingim*: vtraque nomina non esse a castelli nomine aliena; nec aut TACITI positionem, aut PTOLEMAEI numeros, abhorrere. CLUUERIVS ad ostium Fleuum simul castellum quæsiit; sed, illa TACITI narratione rem satis declarante, prorsus frustra. De *Manarnanis portu & ostio* respice supra dicta.

cumque, quem ille amnis transit, Ptolemæi *Mediolanium* Frisii haud dubie coluerunt. Fortassis a Romanis villæ data initia, per Frisios incrementa. Ad nostram etiam ætatem situs loci, per Ptolemæi positionem facile monstrabilis, reliquum ostendit nomen. Regio est a multo tempore *ad tres Lares* adpellata, in cuius medio tenuis vicus *Midlaren* occurrit; veteris Mediolanii, aut fortassis Mediolarii, vestigiis, quod videtur, impositus, multisque vetustatis Romanæ indiciis conspicuus. Prope Mediolanium contra septentriones ad tenuem amnem, qui paulo post miscetur Vnsingi, *Corbulonis munimentum*, exstructum in Frisiis, inuenisse eruditissimus aliquis vir sibi visus est. Ex Tacito ostendit in penitioribus propinquisque Amisiæ Frisiorum agris esse illud munitum a Corbulone præsidium; simul eum Frisiis senatum, magistratus, leges, imposuisse. Comparata inde loci commoditate, simulque legum & magistratuum cum Romanis similitudine demonstrata, non sine ratione postulat iubetque, *Groeningam*, potentem amplamque ciuitatem, pro veteri habere Corbulonis munimento. Esse quidem confestim Claudii iussu præsidia cis Rhenum translata, Corbulonemque a Frisiis iussum recedere, Tacitus nos docet; idque fuerit caussæ, quod rara Groeningæ Romanorum monumenta supersint. Interim seruatum esse a Frisiis magistratuum legumque ordinem inde liquet, quod nondum Groeningam eius tædium ceperit. Quod denique post Frisiorum mentionem addit Tacitus; ipsum quin etiam oceanum Romanos illa tentasse, & superesse adhuc *Herculis columnas* famam vulgasse: id, si vera fuit fama, nec Romani, quod ipsi Tacito est visum, quicquid vbique magnificum est, in claritatem Herculis referre consenserunt, declarat, prope Frisios in insula quadam Herculi sacra esse facta, & fortassis columnas ipsi cultus ergo positas. Vt vero lusuri simus operam, cum

Germaniæ occidentalis pars aquilonaris

An. XLVII.

Druso

Druso Germanico in oceanum & in Herculem simul inquisituri; ita magis perdidere operam, qui illas columnas in mediis Frisiorum quæsiere finibus, & omnino eas ibi adinuenisse arbitrati sunt (*q*).

XII. Ipsius

(*q*) Vt reliquam illustrium in Frisiis locorum notitiam Illustri MENSONI ALTINGIO debemus, ita idem *edita* inter Amisiam & Vnsingem commode indicauit. Ita TACITVS *Ann. I. Cap. LXX.* post enarrata incommoda, quæ Vitellius, itinere terrestri quasdam legiones reducere iussus, sustinuerit, æstu maris littora inundante, addit: *Tandem Vitellius in editiora enisus, eodem agmen perduxit. pernoctauere sine utensilibus, sine igni, magna pars nudo aut mulcato corpore; haud minus miserabiles, quam quos hostis obsidet. - - - lux reddidit terram; penetratumque ad amnem Vnsingim,* (ita supra vocem iudice ALTINGIO castigauimus) *quo Cæsar classe contenderat.* Sunt vero inter Amisiam & Vnsingem editiora loca, vbi vicus *Leens* cernitur, editissimo circumquaque in solo, ad quingentos fere passus a portu, in quo Vitellius a Germanico classe receptus est: ipsa vocabuli significatione, cum *Lee* edita loca notent, illius rei, ALTINGIO iudice, fidem faciente. De Amisia ex TACITO *Ann. I. Cap. LXIII. LXX.* & *Ann. II. Cap. VIII.* copiose ALTINGIVS inquirit. Potiora ipsa nostra commentatio persequitur. Sane, TACITO dicente, *classis Amisia relicta laeuo amne:* vbi omnino eorum refutatur opinio, qui dextro amne sitam *Emdam* de *Amisia* interpretantur. *Emetham* seu *Emdam* primarium fuisse locum in *Fiuelgoa*, nobilissimo Frisiorum pago, læua Amisiæ ripa, &. satis sero adhuc maxime floruisse, VBBO EMMIVS *Hist. R. Fris. Lib. IX. & X.* testatus est: tum vero vix fando quicquam de altera *Emda*, siue *Amisia*, in pago *Emisgoa*, ad dextram amnis ripam, inauditum esse; illiusque oppidi primam mentionem seculo demum XIV. occurrere. Vid. ALTINGIVS *P. II. Notitia Germ Inf. vbi nomina EMETHA, FIVELGOA,* & cetera. *Mediolanium* PTOLEMAEI vicum pertenuem *Midlaren*, in dirione ad *Tres Lares* dicta, in ipso agri Groeningani & Trentonum confinio, hodieque referre; vltra dubium non est, cum ALTINGIVS, & PTOLEMAEI numeros indagauerit, & vetustorum monumentorum reliquiis ibi inuentis rem probauerit. De *Corbulonis munimento* TACITVS *Ann. XI. Cap. XIX.* hæc narrat. *Natio Frisiorum post rebellionem clade L. Apronii cœptam infensa, aut mala fide, datis obsidibus consedit apud agros a Corbulone descriptos. Idem senatum, magistratus, leges imposuit. ac ne iussa exuerent, præsidium immuniuit.* Erudite de hoc munimento inquirit ALTINGIVS; quem præter dicta vide. *Herculis columnas* rursus TACITVS memorauit *Germ. Cap. XXXIV. Ipsum* inquit, *quinimo oceanum illa tentauimus. & superesse adhuc Herculis columnas fama vulgauit: siue adiit Hercules, seu,*

Germania occidentalis pars aquilonaris.

Frisiorum fata.

XII. Ipsius de reliquo Frisiorum nationis gloria longe perennitate superauit quæuis in eorum agris antiquitus posita monumenta. Primos Drusus Germanicus in amicitiam suscepit, liberosque permisit agere, nullis attritos tributis, solumque in bellorum vsum sepositos. Exin diu amica Romanis Frisiorum terra exstitit, libereque per eam Tiberius & Germanicus duxere exercitus. Tiberio autem imperante iam exui a Frisiis pax, Romanorum faciente auaritia, & inprimis Olennio dura populum seruitute premente. Tum L. Apronio, inferioris Germaniæ proprætore, vindicaturo Romanas iniurias, fuso profligatoque, dissimulante Tiberio damna, ne cui bellum permitteret, suæ sunt Frisii plenæ libertati relicti. Corbulo equidem Claudio regnante iterum Frisiorum tentauit regionem; sed iussu Claudii non modo ipse inglorius pedem retulit, sed & præsidia omnia statim cis Rhenum transferre coactus est. Rarum deinde Romanis cum Frisiis, æquitate & iustitia suam tuentibus magnitudinem, fuit commercium. At meruere tamen eorum principes, *VERRITVS* & *MALORIX*, Romam ad Neronem profecti, eius populique Romani adplausum, cum in Pompeii theatro, NVLLOS MORTALIVM ARMIS AVT FIDE ANTE GERMANOS ESSE, exclamassent; simulque digressi ex prioribus locis inter patres consedissent.

An. V. C. ↄↄCCXLI.
Ant. C. N. X.
An. XXVIII.
An. XLVII.
An. LVIII.

quicquid vbique magnificum est, in claritatem eius referre consueuimus. Nec defuit audentia Druso Germanico, sed obstitit oceanus in se simul, atque in Herculem inquiri. Mox nemo tentauit: sanctiusque ac reuerentius visum, de actis Deorum credere, quam scire. De ea Drusi nauigatione ita PEDO ALBINOVANVS:

Aliena quid æquora remis
Et sacras violamus aquas, diuumque quietas
Turbamus sedes?

Nihil magis manifestum, quam immensum quantum errare, qui has Herculis columnas in medio Frisiorum quæsiere, vbi iam vicus est *Dubelskutte*: sed nec quicquam magis incertum, quam qua in insula illæ columnæ, & an omnino quædam, positæ fuerint?

Sec. dissent. Post plura fortiter patrata, quorum tamen fere de- Frisii in est memoria, Frisios cum finitimis ciuitatibus in *FRANCO-* Francico, Sec. III. *RVM* societatem consensisse, nullus quidem veterum au- deinceps in Saxoni- ctorum diserte dicit; sed fides est magna adsertioni, cum non co, fœdere. putentur Frisii voluisse rem suam dissociare, & insuper Francorum laudetur maris peritia, quæ non nisi in Frisios Chaucosque potest cadere. Quid etiam alienos fuisse censeamus Frisios, iam proprio nomine libertatis professos curam, a fœdere vicinorum populorum solius libertatis ergo sancito? Erit sane & Frisiis, licet non nominatis, maximam partem adiudicanda gloria, quam nauigationibus Franci peperere. Transiuere deinceps cum Chaucis, sed longe seriori credo

Sec. IV. ætate, Frisii ad *SAXONVM* partes; piratica & nauigationibus Francicis longe factas illustriores. Saxonico fœdere tantum inualuisse Frisios, porro constat, vti, qui nullis mutationibus debilitatos agros ab omni seruarant memoria, dilatari nunc inciperent, nomenque semper clarum, nulloque, quod plurimis Germanicis obtigit ciuitatibus, fœdere obscuratum, longe lateque reliquo oceano prætexere. Nempe postquam Franci Galliam occuparunt, nomenque nobile in illam prouinciam intulerunt, Saxonia a littore maris explicare se cœpit, & implere mediterranea. Cum deinde Britannicis expeditionibus, quarum & socii Frisii fuisse censentur, Saxonia maritima valde exhausta esset, omne pene Saxoniæ nomen in inferioribus stetit regionibus. Tum Frisonum,

Sec. VI. VII. quod inde vocabulum cœpit in vsu esse, in Cauchorum terras ad Albim, & vltra Albim ad Eidoram vsque amnem, peruasit nomen. Ad occasum, Batauorum exstincta adpellatione, citius se Frisia explicuit; Batauos, Caninefates, ipsosque adeo Taxandros, complexa, & vix Scaldi Fluuio terminata.

Sec. VIII. IX. Medio demum æuo sensim pedetentimque ad antiquos limites Frisiam, semper tamen liberam, semperque insigni

 orna-

ornatam gloria, rediisse, diuersa olim, si suppetet otium, declarabit commentatio (*r*).

Germaniæ occidentalis pars aquilonaris.

XIII. Sta-

(*r*) Dictum de Drusi in Frisios expeditione aliquoties. Breuiter DIO *Lib. LIV.* Ἔς τε τὸν ὠκεανὸν διὰ τοῦ Ῥήνου καταπλεύσας, τούς τε Φρισίους ᾠκειώσατο, καὶ ἐς τὴν Χαυκίδα διὰ τῆς λίμνης ἐμβαλὼν, ἐκινδύνευσεν. *Secundo Rheno in oceanum deuectus, Frisios subegit; ac per lacum in Chaucorum fines profectus, in periculo fuit.* Leue tributum ijs imposuerat Drusus. TACITVS *Ann. IV. Cap. LXXII. Tributum iis* (Frisiis) *Drusus iusserat modicum pro angustia rerum, ut in usus militares coria boum penderent: non intenta cuiusquam cura, quæ firmitudo, quæ mensura.* Crebo per eos, quod amici essent, Germanicus duxit reduxitque exercitum. Vid. TACITVS *Ann. I. Cap. LX. LXX. Lib. II. Cap. VIII.* De rationibus exutæ a Frisiis pacis integre narrat TACITVS *Ann. IV. Cap. LXXII. LXXIII.* Quid Corbulo effecerit in Frisiis? modo ex TACITO *Ann. XI. Cap. XIX.* audiuimus. Sed mox motis Chaucorum mentibus, *Claudius adeo nouam in Germanias uim prohibuit, ut referri præsidia cis Rhenum iuberet.* Tum & ergo Frisii libertati plene redditi. Frisiorum in agros vacuos, vsuique militum Romanorum sepositos, incursionem, missamque inde Romam legationem, & cetera, describit TACITVS *Ann. XIII. Cap. LIV.* SVETONIVS *Vita Claudii Cap. XXV.* honorem legatis habitum breuiter describit; sed & Frisiorum nomen dissimulat, & ætatem Claudii memorat, cum, Nerone imperante, id factum esse ex TACITO norimus. *Germanorum,* inquit, *legatis in orchestra sedere permisit, simplicitate eorum & fiducia motus, quod in popularia deducti, cum animaduertissent Parthos & Armenios sedentes in senatu, ad eadem loca sponte transierant, nihilo deteriorem uirtutem aut conditionem suam prædicantes.* In Ciuilis bellis arma contra Romanos fortiter Frisios gessisse, discimus ex TACITO *Histor. Lib. IV. Cap. XV. XVI. LXXIX.* In Francis nemo Frisios diserte adnumerauit. Suadent tamen idonea argumenta. Francorum piratica memoratur, nauigandique & peritia summa & audacia. EVTROPIVS *Lib. IX. Cap. XIII.* AMMIANVS *Lib. XXVII. Cap. VIII.* ZOSIMVS *Lib. I. in fine.* EVMENIVS *Panegyr. Constantio Cap. XVIII.* Qui vero in Francis nauigationum poterant periti esse, nisi Frisii atque Chauci? In Saxonico fœdere Frisios videntur cum alii auctores, tum maxime HIERONYMVS *in Vita Hilarionis,* monstrare. *Inter Saxonas,* inquit, *& Alemannos, gens exstat, non tam lata, quam ualida: apud historicos Germania, nunc Francia uocatur.* Ex eo etiam maxime probatur, in Saxonibus fuisse Frisios, quod cum illis Britannicam expeditionem leguntur fecisse. PROCOPIVS *Goth. Lib. IV. Cap. XX.* in gentibus, quæ Britanniam incolere comperiot, adnumerat diserte cum Anglis Frisones. LVDGERVS *in Vita Suidberti,* quam ad Gregorium, Traiecti ad Rhenum Episcopum, scripsit: *Ipse,* inquit. *Suidbertus sitiebat salutem omnium hominum, & præcipue*

XIII. Status Frisiorum veterum publicus plane propemodum ignoraretur, nisi Verriti & Malorigis, qui nationem rexerint, Tacitus meminisset. Habuere, vt videtur, non regem quendam populo præfectum, sed principes & duces exemplo Germanicarum ciuitatum res omnes bello paceque administrantes. Quasdam ciuitates Frisiorum Romanas seruasse leges, ordinemque magistratuum, qualem Romani ante imperauerant; exemplo insignis *Grœningæ* vrbis, quæ creditur ex Corbulonis excitata esse munimento, superius probatum est. Non tamen libera ista legum custodia quidquam de libertate imminutum esse, cuilibet patet. Namque ex quo Romani exercitus clade se absoluissent, omnisque seruitutis abrogassent notas, nunquam vltra eos succubuisse, historia ostendit; & optionis tunc exstitit liberæ, vtrum quædam instituta, quibus adsueuissent, seruare, an omnia vellent tollere. Sera ætate, nam de Francica Saxonicaque societate nihil habeo dicere, Frisia instar Franciæ reges habuit. Memorantur *RITZERVS*, *ALDEGILLVS*, & filius *RADBODVS*, reges. Post Radbodum *POPPO* dux Frisiorum fuit: nam Franci, qui bis Radbodum vicerant, ipsosque Frisios admodum adflixerant, prohibuere, quo minus rege vterentur. Poppone extremum a Francis ob violatam fidem petito bellis, Frisia

Varius Frisiorum status publicus.

Sec. VII.

Sec. VIII.

paganorum Frisiorum & Saxonum, eo quod Angli ex ipsis propagati sint. Ibidem de VVillibrodo ac Suidberto reliquisque eorum sociis: *Quoniam*, ait, *sancti doctores propagati fuerunt in Anglia de stirpe Frisonica & Saxonica, ideo conuenienter potuerunt iis prædicare euangelium Christi lingua Germanica.* Inde Illustris TEMPLIVS *obseruat. circa stat. fœderat. Belgii Cap. II.* morum & institutorum in hodierna Frisia & Anglia similitudinem & insignem conuenientiam exinde deducit. Qui vero Frisones ab aliis auctoribus, illam in Britanniam nauigationem commemorantibus, generatim in Saxonibus referuntur; næ illi, nisi summa iniuria, minime a Saxonica societate alieni credentur fuisse. De maximis nominis Frisiorum incrementis & ceteris fatis, alibi data occasione quædam monebimus.

sia victa aliquandiu in Francorum clientela egit; quæ vero minime sustulit libertatem, sed eius potius firmatæ & impensius stabilitæ nouum exstitit auctoramentum (*s*). *Germaniæ occidentalis pars aquilonaris.*

(*s*) TACITVS *Ann. XIII. Cap. LIV. Frisii,* inquit, *iuuentutem saltibus aut paludibus, imbellem ætatem per lacus, admouere ripæ, agrosque vacuos & militum vsui sepositos insedere, auctore Verrito & Malorige, qui nationem eam regebant, in quantum Germani regnantur.* Communis hæc lectio videtur mihi indicare, principes fuisse *VERRITVM* & *MALORIGEM*, & rex esse Frisios, sed ex libertatis auitæ modo, & *in quantum Germani liberrimi imperia tolerare apti sunt.* Aliorum interpretum multiplices curas, vt ex variis lectionibus verum sensum Taciti colligant, non moramur. MENSO ALTINGIVS mauult scribi: *in quantum Germani regnabant;* vt docuerit TACITVS, non vltra Romanorum imperio Frisios subiectos fuisse, nec omnino reges plena iubendi potestate præditos tolerasse; sed ipsum populum regnasse, & populari adeo regimini integram rerum summam relictam esse. De magistratibus Romanis a Druso, Tiberioque, & deinde a Corbulone, impositis, eorumque rationibus, rursum consulatur TACITVS, *Ann. IV. Cap. LXXII. Lib. XI. Cap. XIX.* Historiam regum Frisiæ reiectis fabulis erudite persequitur VBBO EMMIVS *Rer. Fris. Historiæ Libro IV.* integro. De *RADBODO* Frisiorum rege, a Pipino victo, vid. PAVLVS DIACONVS *Longob. Lib. VI. Cap. XXXVII.* & de extrema Frisiorum clade, plenaque Francorum victoria, vid. *Annales* FVLDENSES *ad Ann.* IↃCCXXIX. SIGEBERTVS *ad Ann.* IↃCCXXXIV. et, qui eum sequitur, HADRIANVS VALESIVS *Rer. Francic. Lib. XXIV.*

CAPVT

CAPVT V.

FRANCIAE ET SAXONIAE VARIA CONSIDERATIO.

I.

SAepe & ſæpius ampliſſimæ plurium ciuitatum ſocietatis, quæ ſuſcepto FRANCORVM nomine plurimum claruit, hactenus mentionem fecimus. Nunc abſoluta omnium gentium, quas inſigne illud Francorum fœdus aliquando habuit, hiſtoria, iure meritoque in ipſos intuemur Francos, diſperſeque multis locis dicta iuſta commentatione perſequimur. Non vacat quidem vana & ſtolida commenta ſuperioris æui hic exponere, atque in iis refutandis valde laborare. Quem enim hodie iuuat ſcire, a quibusdam Francos noſtros modo in *Troianorum*, *Scytharum*, *Græcorum*que, numero, modo in *Cimbris*, *Gothis*, *Sarmatis*, *Gallis*que, vt alia opinionum portenta diſſimulemus, eſſe habitos? cum maxime eius generis ſint ſententiæ, quæ paſſim diu exoleuere, hodieque non niſi omnis ignaros hiſtoriæ poſſunt delectare (*t*). At manebit tamen ex meo inſtituto

Directio commentationis de Francico fœdere.

diuer-

(*t*) Multi auctores in *FRANCORVM* inquiſiuerunt origines. IOH. IS. PONTANVS *in Originibus Francicis*, & earum præcipue *Lib. III.* ANT. SCHONHOVIVS, *Batauus*, *in libello de origine & ſedibus Francorum*, quem inter *Veteris æui analecta* edidit ANT. MATTHAEI. NICOLAVS VIGNERIVS *de ſtatu & origine veterum Francorum*, & HERMANNVS, COMES NVENARIVS, *de origine & ſedibus priſcorum Francorum*; vterque in CHESNII *Tomo I. Script. Francic.* Tacemus alios, qui aut generatim ſimul ſunt origines Francorum complexi, vt VALESIVS *in Rebus Francicis*, & plures alii; aut qui per tranſitum iſtas origines at-

Germaniæ occidentalis pars aquilonaris

diuersam operam, quæ præcipue de originibus maiorum nostrorum inquiret, molesta illa licet, at necessaria, Augiæ quasi stabuli expurgatio; quam olim viderit, cui volupe solennem quondam in historia vanitatem ingeniorum penitus cernere. Hoc nobis loco de vtilissimis, soliusque veræ populorum historiæ propriis, argumentis inuestigare placitum est. Veniet ita in disquisitionem *nomen*, eiusque origo & occasio, quæ luculentam totius fœderis poscet descriptionem; inde *ciuitates singulæ*, quas generale notauit nomen, nouæque earum partes, indicantor: denique *finium Franciæ* rationes & vicissitudines exponentur, atque simul *varia Francici regiminis formula* declarabitur.

Nomen Francorum eiusque vis & potestas.

II. Nomen *FRANCORVM*, quod Græcum vocabulum *Phrangorum*, seu *Phrancorum*, parum turbat; eruditi multimodis interpretati sunt. Libanius Sophista *Franctos*, quasi *vallatos septosque*, quod gens ad omnes bellicos casus optime sit vallata, existimauit adpellatos esse. Alii iudicarunt, Attico vocabulo, quasi *ferreos ferocesque homines*, Francos nuncupatos esse. Rursum diuersi Francum quasi *Frencum*, hoc est Græca lingua *bastatum militem*, dictum censuerunt. Qui ineptam viderunt Germanici vocabuli ex Græca lingua originem peti: modo ad *Francescam*, hastæ militaris

tigerunt, quorum nomina ipsi olim in originibus Germaniæ passim proferemus. Si quis volet de originibus perperam iactatis, quas minime nos morabimur, statim doceri, adeat *Monumenta* PADERBORNENSIA *in Notis ad Remam. Edit. noua* pag. 73. & eruditissimum eorum illustratorem NICOL. SCHATENIVM *Lib. III. Hist. Westfal.* statim ab initio. Profert SCHATENIVS tres potiores opiniones: quarum prima a Sicambris & Troianis, altera ex Franconia, & tertia a Mæotide palude, Francos deducit: singularumque nominat auctores aut fautores, solidamque adiicit commentorum refutationem. Reliquarum opinionum transeundo postea meminit, ostenditque, ne veri quidem istas speciem ostendere. Olim integram causam curate pertractare mihi animus est.

Franci. litaris Francos inter genus; modo ad *liberos Ansos*, aut *Hansos*, qua voce proceres & gentis primores notari consueuere; modo ad *liberos Anckos*, quod est, liberos famulos, respexere, vt inde Francorum nomen deriuarent. Aliquis Francos a *feritate morum*, nec Attica, sed Attuatica, voce, *Wrange*, quæ asperum & trucem hominem significat, compellatos esse, non ipse solum credidit, sed & importune satis, vt sola hæc nominis origo probaretur, postulauit. Verius nos, vt mittamus prolatas coniecturas, vim potestatemque nominis adsequemur, cum adcommodate ad historiam Francicum captum nomen dixerimus, *a generosa gentis libertate, eiusque acerrime defendendæ nouo consilio;* tum præcipue suscepto, cum primum vocabulum audiretur. *Francum* quippe priscum inter Germanos vocabulum eum designat, qui *liber* sit, *suusque homo, nec vllius subiectus imperio;* eandemque vim hodieque nomen illud seruare, nemo nescit. Arripuere itaque ciuitates, Francico sociatæ fœdere, ex tempore, & ex animo, libertatis vt amantissimo, ita & eius studiosissimo, Francorum cognomentum, illoque egregie ostentato effecerunt, vt liberi, quod vox sonat, semper essent, & per libertatem ad magnitudinem secundam in terris post Romanam, quod Nazarius orator factum prædicauit, adscenderent (*v*).

III. Tem-

(*v*) Græcis sunt modo φράγκοι, qua voce semper ZOSIMVS vtitur; modo φράγγοι, quales EVTROPII *metaphrasis* & AGATHIAS, & fere reliqui Græci omnes, adpellant. LIBANIVS *Sophista in Basilico, seu Panegyrico, dicto imperatoribus Constantino & Constanti; Gens*, ait, *est Celtica trans Rhenum fluuium ad ipsum oceanum pertingens, adeo bene vallata ad casus bellicos, vt adpellationem ab ipsis rebus gestis nacti dicantur Fracti, tanquam vallati septique, a multis autem vocentur Franci, corrupto nempe ex errore plurium vocabulo.* Respexit LIBANIVS ad verbum φράττω, quod *sepire* & *munire* sonat: indeque ipsius vocabulum φρακτοὶ, siue φραγκτοὶ, hoc est, *septi, munitique.* Attica voce *Francos*, siue *feroces*, esse adpellatos a Valentiniano, qui in Pannonia eorum sit vsus opera; sibi RORICO *Monachus*, AIMOINVS, multique alii scriptores persuasere. At,

Historia fœderis constituti

III. Tempus hoc erat maxime populo imperioque Romanorum calamitosum, cum crebris tumultibus intus, grauis-

Germania occidentalis pars aquilonaris.

quænam Attica vox Francum, simulque ferocem, notat? Porro φίέργκοι, quasi *bastigerum*, alii putarunt Francum compellatum esse. *Francesca* est hastæ militaris genus, teste ISIDORO & GREGORIO TVRONENSI. Vid. LINDENBVRGII *Glossarium*, *voce Francesca*. Putatum probabile esse, a *Francesca*, præcipuo armorum genere, adpellatos esse *Francos*, vt a *sacis*, oblongis cultris, *Saxones*. AETHICVS *Cosmographus* habet suos *Franciscanos* in oceani occidentalis gentibus: quod nomen videbatur illi opinioni fauere, quasi *Francescani* forent *Franci* a *Francesca* dicti; sed vt NOTITIA *Imperii* in Dacia Ripensi habet *Daciscos*, qui a Dacis sunt oriundi; ita *Franciscanos* commentus est AETHICVS, cum ita dictos vidisset esse, qui *a Francis oriundi* erant. HADR. IVNIVS arbitratus est, *Francos* nuncupatos esse quasi *Frye-Ansi*, & HOTTOMANNVS atque REINECCIVS dictos esse, quasi *Frye-Ancken*. VVENDELINVS *in Glossario voce Salii*, constituit, ab Atuatica voce *Wrange*, seu *Wrangbe*, quod *acerbum*, *asperum*, *trucem*, notat, *Francos* dictos esse. Verum eius immodestiam, qua id asseuerat, bene notat *Celeberrimus* VVELLhof *Notit. Imp. Enucl. Lib. II. Cap. II. num. 65.* At bene etiam ad hæc NICOLAVS SCHATENIVS monet, *cur ceteris etiam Germanis, quibus eadem morum feritas fuit, id nomen non est communicatum?* Nos poteramus de reliquis Germanicis vocabulis, vnde Francorum nomen petitum est, multa adiicere; sed non indiget causa hæc nimia solertia. Nobis *FRANCI* sunt *LIBERI*; ex Germanica lingua, in qua *Frank* & *Fry*, eiusdem potestatis sunt vocabula, nomine gentis haud dubie capto. At, inquis, cur non & ceteri Germani, quibus libertas omnino curæ exstitit, Francorum suscepere insigne nomen? Primum tantam libertatis obseruantiam non omnibus Germanis, quanta Francis fuit, fuisse, audacter ex historia Germaniæ institutorum constituo. Deinde, si libertatem plures impense amarunt, non omnibus idem periculum eam amittendi, quod accendit & acuit virtutem, quale gentibus Transrhenanis, & maxime inferioris Rheni accolis, quibus & Romani & Alemanni insidiabantur, imminuit. Postremo, quod fœderis insigne singularis decretum erat, non videbantur aliæ gentes susceptutæ esse, nisi & ipsi suam causam consociauerint. Vbi vero ab aliis nomen imponitur, plerumque omnibus eius populi ciuitatibus id datur; quot videlicet eodem spiritu & eadem virtute reperiuntur esse animatæ. Francicum nomen ex instituto & animo egregie Francos illustrasse, iam Constantini Magni æuo NAZARIVS libere confessus est *Cap. XXXVIII. Iacet*, inquit, *in latere Galliarum, aut in sinu suo fusa barbaria. Per seipsa potens natio, & post Romanam magnitudinem, in terris secunda, amicitiam tuam, Constantine maxime, non minus trepide, quam amabiliter, petiuerunt.*

Franci. grauiſſimisque bellis foris, illud conflictaretur; quo præter alia mala in fatales Romanis fortiſſimæ Germanorum nationes coiuerunt ſocietates, & coniunctis deinceps viribus acriusque Romanam rem oppugnarunt. Primum *Alemannicum* fœdus exſtitit, quod vires cepiſſe ex validiſſima Sueuicarum nationum Marci ætate conſpiratione, & Caracallæ æuo primis bellis illuſtratum eſſe, antehac docuimus. Ad iſtius ſocietatis exemplum poſt annos L circiter *Francicum* eſt fœdus natum, conflatum, atque ſuſceptum; quod cernerent populi Transrhenani, non poſſe Romanos ſecurius propelli, niſi ſociata cauſa, dumque ſingulæ ciuitates bellent, omnes demum iri victum. Viderunt fortaſſis Alemannorum felicitatem, resque proſperas ex ſocietate acceptas; &, quod auderent Alemanni ipſas Germanicas propinquas ciuitates bellis vexare, veriti ſunt, vt aut Alemannorum ſuccumberent potentiæ, aut a Romana opprimerentur dominatione: quod vtrumque non quam ignominioſum graueque viris liberis fortibusque eſſe poterat, nec tamen niſi magnis animis facile caueri. Facta conſociatione primam Francorum, ſiue ciuitatum capto nomine impenſiſſimum libertatis ſtudium profeſſarum, vim atque virtutem Valerianus cum Gallieno filio experti ſunt; ſenſeruntque, non amplius eſſe Romanis rem cum vna alteraque ciuitate, quæ vinci poſſit, dum ceteræ diſſociarent cauſam; nunc communes res geri, fœdusque peti, cum vel Rhenus tentatus fuerit (*x*). Cœptis inde

& illustrati.

An. CLXVI.

An. CCXV.

An. CCLXV.

(*x*) Nihil licet moremur Iliacas aliasque Francorum origines; ſunt tamen, qui vetuſtiori æuo & antiquioribus ſcriptoribus non ignoratos fuiſſe *FRANCOS* arbitrantur. Adpellant modo CICERONEM, modo VIRGILIVM, modo HORATIVM, atque STRABONEM; omnes nequicquam, præterque omnem veri ſpeciem. CICERO ſcribit *ad Atticum Lib. XIV. Epiſt. X. Redeo ad te. Baſſos, Scæuas, Frangones, hos tu exiſtimas confidere, ſe illa*

inde bellis vacatio ab iis rarissima exstitit, cum semper Franci Romani limitem imperii conarentur perrumpere, eidemque

Germani occidentalis parte aquilonari

habituros stantibus nobis. Ergo hi Frangones sunt Franci, quasi Francones dicti? Equidem & RHENANVS ad gentes quasdam respicere CICERONEM censuit; sed *Bethasios, Atuas*, & *Vangiones*, vere eum intelligere. Rectius absonæ sententiæ omnem incidit neruum CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. II. Cap. XXI.* & ostendit, libertorum Cæsaris, qui metuant possessioni bonorum Pompeii, a Cæsare concessæ, donec vindices libertatis aliqui adhuc superent, memorari a Cicerone nomina. Sic legit; *Redeo ad tuos Bassos, Scæuas, Fangones.* Rem illustrat & firmat CLVVERIVS *ex eiusdem libri Epistola V.* vbi plura eiusmodi Cæsaris clientum occurrunt nomina. Sed credemusne, Francum VIRGILII in Aeneæ comitibus relatum Francicam indicare nationem? Minime vero. Vide POETAM, & cernis ficta a poeta ex arbitrio vocabula. En ille *Aen. Lib. I.*

Iam validam Ilionei nauem, iam fortis Achatæ,
Et qua vectus Abas, & qua grandaeuus Aletes,
Et qua trux Francus, magnusque Magantius heros,
Vicit hiems.

Qui denique ex HORATIO *Lib. IV. Oda XIV. Veloces Breuni*, & ex STRABONE *Lib. IV.* Βρεῦνοι, *Brenci*, proferuntur; in Alpinis illi sunt populis, rem ipsis his clare docentibus auctoribus: eisque adeo nihil cum nostris Francis est commercii. Non alia proinde occasio, nec alia ætas est, nati Francici fœderis, quam quæ copiose a nobis definitur. Vid. de magna populorum Antonini æuo conspiratione, CAPITOLINVS *Vita Antonini Philos. Cap. XXII.* de primo Caracallæ cum Alemannis bello XIPHILINVS *ex DIONIS Lib. LXXVII.* VICTOR *de Cæs. Cap. XXI.* SPARTIANVS *in Antonino Caracallo. Cap. X.* Francicum inde fœdus iam ante Valerianum constitutum fuisse, minime dubitabo; sed auctorum testimoniis non ante illustratum est. Non valde vereor adfirmare, Maximini crudelem in Germaniam incursionem, quam describunt HERODIANVS *Lib. VII.* IVL. CAPITOLINVS *in Maximin. Cap. XII.* fœdus inferioris Rheni accolis Germanis suasisse. Sub Gallieno diserte Francos memorat AVR. VICTOR *de Cæs. Cap. XXXIII. Tum Alemannorum vis Italiam: Francorum gentes direpta Gallia Hispaniam possederunt, vastato & pene direpto Tarracone oppido; nactisque in tempore nauigiis pars in Africam vsque permeauit.* FL. VOPISCVS *in Aureliano Cap. VII. Idem apud Maguntiacum tribunus legionis sextæ Gallicanæ*, (sub Valeriano imperatore) *Francos inruentes, cum vagarentur per totam Galliam sic adflixit, vt trecentos ex his captos, septingentis interemtis, sub corona vendiderit.* TREBELLIVS POLLIO *in Gallieno Cap. VII. Quum multis auxiliis Posthumius iuuaretur Celticis ac Francicis, in bellum cum Victorino processit, cum quo imperium participauerat.* (Gallienus.) IDEM *Cap. VIII.* in de-

que defendendo Romani intenti essent. Non vero per bella solum, contra Romanos administrata, fortitudo Francorum augeri & acui consueuit; sed maxime per crebra commilitia, quæ ipsis Romanis fortissimi Francorum succedente paulo ætate præstitere. Quoties pax esset, cohortes cum ducibus integræ in militiæ Romanæ disciplinam vltro profecti sunt, & meruere stipendia, duces gloriam. Est factum, vt, cum acriores Francis hostes Romani non haberent, in omni eorum exercitu, & in præcipuis ipsius aulæ, curiæ, atque militiæ, muniis atque officiis, Franci viserentur. Ita insitam

scriptione simulati triumphi a Gallieno acti; *Ibant præterea gentes simulatæ, vt Gothi, Sarmatæ, Franci, Persæ.* Nomine autem generali *GERMANORVM* prolato, & nouo *FRANCORVM* suppresso, & alii auctores recentis fœderis eadem illustria facta laudarunt. OROSIVS *Lib. VII. Cap. XXII. Soluuntur vndique permissu Dei ad hoc circumposita relictaque gentes, laxatisque habenis in omnes Romanorum fines inuehuntur.* Mox, post Germanorum, Alamannorum, Gothorum, Quadorum, & Sarmatarum, memoratas in Italiam, Rhætiam, Pannoniam, incursiones, addit: *Germani vlteriores abrasa potiuntur Hispania.* - - - - *Exstant adhuc per diuersas prouincias in magnarum vrbium ruinis parua & pauperes ædes, signa miseriarum, & nominum indicia, seruantes: ex quibus nos quoque in Hispania Tarraconem nostram ad consolationem miseriæ recentis ostendimus.* Vt AVR. VICTOR eam in Hispaniam excursionem expressis verbis Francis tribuit, ita ad eandem respicit NAZARIVS *Paneg. Constantino Cap. XVII. Franci ipsi, præter ceteros truces, quorum vis, quum ad bella efferuesceret, vltra ipsum oceanum æstu furoris euecta, Hispaniarum etiam oras infestas habebat.* ZOSIMVS *Lib. I.* ZONARAS *in Gallieno*, EVSEBIVS *Hist. Eccl. Lib. I.* omnes easdem *Francorum* expeditiones, sub nomine generali *Germanorum*, memorarunt; & maxime VICTORIS, OROSIIque, pene verbis, EVTROPIVS *Lib. IX. Cap. VI. Germani vsque ad Hispanias penetrauerunt, & ciuitatem nobilem Tarraconem expugnauerunt.* Præcipuam hanc Francorum in Gallias & Hispanias impressionem, CALVISIVS, Licinio Valeriano Cæs. II. & L. Cæsonio Rufiniano Coss. Anno CCLXV. accidisse, tradit. Sed iam biennium ante Posthumus auxiliis Francicis pugnauerat cum Gallieno: decennium prope ante Aurelianus auspiciis Valeriani vicerat Francos. Imo iam Decio imperante Anno CCLI. in ALEXANDRINO *Chronico* Francicum nomen scriptum reperitur. Et hæc ex bonis auctoribus de Francici fœderis ætate habuimus dicere.

gentis virtutem & animi magnitudinem in sua fata ipsi Romani excoluerunt & armarunt. Reduces enim Franci ex militia domum docuerunt suos & persuaserunt, posse vinci & opprimi Romanos, dum imminentis incuriosi calamitatis res suas Germanis credidissent (*y*). Sed postulat alius locus Fran-

Germania occidentalis pars aquilonaris.

(*y*) Ordinem Francicorum bellorum olim dabit historia. Aurelianus, Probus, fortiter cum ipsis bellum administrarunt. VOPISCVS *in Aureliano Cap VII. XXXIII.* IDEM *in Probo Cap. XIII. XIV. XV.* Primus *Probus FRANCICVS* dictus, teste EODEM *Cap. XI* Constantinorum cum Francis bella Panegyrici plures, & cum Iuliani expeditionibus, atque Valentiniani, Gratianique, pugnis, AMMIANVS MARCELLINVS, EVTROPIVS, OROSIVS, ceterique auctores, laudant, ipsique veteres numi indicant. Crebro autem commilitio Francorum Romanos vsos esse, passim constat. Valerianus ad Aurelianum epistola, quam habet FL. VOPISCVS *Vita Aurel. Cap. XI.* scribit: *habes legionem tertiam felicem, & equites cataphractos octingentos. Tecum erit Hartomundus, Haldegastes, Hildemundus, Carioniscus.* Quae ducum nomina omnes auctores de Francicis interpretantur ducibus. Sane *auxilia Francica* iam Posthumius habuit. TREB. POLLIO *Gall. Cap. VII.* AMMIANVS *Lib. XV. Cap. V.* plurimos Francos in militia & curia Constantii ostendit; *SILVANVM, MALARICHVM, MALLOBAVDEM, LANIOGAISVM:* addito, *Hac Malarichus - - - - adhibitis Francis, quorum ea tempestate in palatio multitudo florebat, crebrius iam loquebatur.* Siluani Franci, Romani belli ducis, meminit etiam A. VICTOR *de Caes. Cap. XLII.* Ipse *MAGNENTIVS*, qui ea aetate sumsit purpuram, videtur Francus fuisse, ipsa IVLIANI *oratione* testante. Mox *GAISO* Francus cum Magnentio consulatum Romanum omnino gessit. In Gratiani aula & militia Franci tenuere rerum summam: ipseque Francorum habitum Gratianus, delectatus eorum virtute, sumsit; scribente ZOSIMO *Lib. IV. MEROBAVDES* Francus cum Gratiano Coss. Anno CCCLXXVII. in fastis memorantur. *BAVDO & ARBOGASTES*, Franci vterque, a Gratiano ad Theodosium auxilio sunt submissi. Praeclare de iis ZOSIMVS *Lib. IV.* narrat: ὁ δὲ βασιλεὺς Γρατιανὸς, οὐ μετρίως ἐπὶ τοῖς ἀγγελθεῖσι συνταραχθεὶς, στρατιὰν ἀρκοῦσαν ἐξέπεμψε, Βαύδωνι τῷ στρατηγῷ ταύτην παραδοὺς, ᾧ καὶ Ἀρβογάστην συνέπεμψεν. ἄμφω δὲ ἤστην Φράγκω τὸ γένος, εὔνω τε σφόδρα Ῥωμαίοις, καὶ χρημάτων ὡς μάλιστα ἀδωροτάτω, καὶ περὶ τὰ πολέμια φρονήσει καὶ ἀλκῇ διαφέροντες. *At imperator Gratianus, harum nuncio non parum perturbatus, satis magnas copias ablegat, Baudoni duci traditas: cum quo & Arbogastem misit. Erant autem ambo natione Franci, amicissimis in Romanos animis, ab auaritia denique captandis pret-*

Franci. Francicæ historiæ pleniorem pertractationem; ad quam gestarum rerum cupidiorem lectorem remittimus.

Ciuitates in Francis relatæ. IV. Ciuitates, gentesque, quibus placuit vno sociari Francorum nomine, iam omnes nominatæ sunt, vt tamen sit opus singularum hoc loco rursum meminisse, præcipuasque dicere causas, cur in Francorum numero habeantur. CATTOS in Francis Claudianus refert, qui montes Francorum affert, qui nisi in Cattis, Cheruscisque, & eorum clientibus, non fuerunt. Diserte eosdem Gregorius cum Ampsiuariis adpellat, cum omnes Franciæ recessus hieme ab Arbogaste tradit penetratos esse. CHERVSCOS, CHAVCOS, CHAMAVOS, AMPSIVARIOS, Tabula Itineraria vetusta, in suis quosque sedibus, locat, cum additamento, QVI ET FRANCI. Eorundem societatem cum Francis initam Ammianus, Eumenius, Claudianus, plurimique alii scriptores, laudant. BRVCTEROS nemo a Francis segregauerit, qui nouerit, quam hi constanter cum Francis, licet in Gallico solo constitutis, fecerint. Bricteros etiam expresse cum Chamauis ad Franciam Gregorium retulisse

 inne-

sus immunes, in bellicis rebus prudentia pariter ac robore præstantes. Arbogastis etiam meminit SVLPITIVS ALEXANDER apud GREGORIVM TVRON. *Lib. II. Cap. IX.* Transimus silentio tempora Honorii, & vlteriora; quibus persæpe rerum adhuc bello paceque summam Franci moderati sunt. NOTITIA *Imperii Orientis, sub dispositione Viri Spect. Ducis Thebaidos,* habet, in minore laterculo, *Alam primam Francorum Apollonos,* & *Cohortem septimam Francorum Diospolis: & sub duce Phœnices, Alam primam Francorum Cunæ.* Vid. Comm. PANCIROLLI *Cap. CXLV. CXLVII.* qui vero communem opinionem, quasi a Troianis Franci orti forent, sequitur. Frequentior in NOTITIIS *Vtriusque imperii Saliorum* mentio: quam mox proferemus. Magnæ autem nimiam hanc Romanorum cum Francis ceterisque Germanis familiaritatem calamitatis causam exstitisse, iam olim prudenter ostendit SYNESIVS *oratione de Regno ad Arcadium*; indeque demum imperii excidium ominatus est: quam & diuinationem exitus comprobauit.

inuenimus. ANGRIVARIOS in Francico fœdere AMPSIVARIORVM nomine delitescere, alibi postulauimus; vt adeo mirum non sit, cur prius Angriuariorum nomen in Francis non numeretur. ATTVARIOS, seu *Chattuarios*, præcipuum inter Francos populum exstitisse scimus. Quis prohibeat, quod egimus, quo minus DVLGIBINOS & CHASSVARIOS antiquiores in Attuariis Francicis quæramus? TVBANTES, obscurum alioquin gentis nomen, cum iunioribus *Saliis* Imperii notitia coniunxit; vnde & illos in Francis fuisse, & fortassis in maioris ciuitatis clientela delituisse, licet arbitrari. VSIPIOS TENCTEROSque nomine SIGAMBRORVM vetustissimo ætate Francica notatos esse, communis vult eruditorum sententia. Quod si est, cum Sigambrorum gloria insignis inter Francos fuerit, nec dubium erit, Vsipios Tencterosque in Francicam concessisse societatem. Solos FRISIOS, qui diserte in Francis retulerit, nullus est; & qui loco Cheruscorum in Tabula vult *Phresios* legere, parum coniecturam suam probat. Cum tamen crebro a Francis Batauia sit occupata, & littorales etiam Franci fuerint; non video, quomodo rite Frisii a societate Francorum excludi possint, cum maxime non videantur fuisse passuri, vt Salii Batauiam obsiderent, nisi & ipsi fuissent eadem coniuncti cum Francis consociatione (z).

Germaniæ occidentalis pars aquilonaris.

V. Sunt

(z) CLAVDIANVS *Lib. I. de laudibus Stiliconis* varias gentes canit, omnes in Francicam societatem referendas.

Vt Salius iam rura colat, flexosque Sicambri
In falcem curuent gladios; geminasque viator,
Cum videat ripas, quæ sit Romana, requirat.
Vt iam trans fluuium, non indignante Cayco,
Pascat Belga pecus; mediumque ingressa per Albim
Gallica Francorum montes armenta pererrent.

Franci. V. Sunt igitur hæ omnes nationes, quæ, cum propriis nominibus partem maximam ante claruiſſent, indicta ætate in

SVLPITIVS ALEXANDER *apud* GREGORIVM TVRONENSEM *Lib. II Cap. IX. Eodem*, inquit, *anno Arbogaſtes Sunnonem & Marcomerem, ſubregulos Francorum, gentilibus odiis inſectans, Agrippinam, rigente maxime hieme petiit: ratus tuto omnes Franciæ receſſus penetrandos vrendosque, cum decuſſis foliis nudæ atque arentes ſiluæ inſidiantes occulere non poſſent. Collecto ergo exercitu tranſgreſſus Rhenum, Bricteros, ripæ proximos, pagum etiam, quem Chamaui incolunt, depopulatus eſt; nullo vſquam occurſante, niſi quod pauci ex Ampſiuariis, & Cattis, Marcomere duce, in vlterioribus collium iugis apparuere.* TABVLA *Itineraria Vetus* hæc nomina, quamuis miſere luxata atque deprauata, ſuper Rheni ripam proxime oceani littus, ſcripta habet. CHAVCI AMPSIVARII. CHERVSCI CHAMAVI. QVI ET FRANCI. ſequiturque in eadem ripa maioribus litteris ipſius regionis nomen,

FRANCIA.

poſt quod poſiti ſunt BVRCTVRI; qui & ipſi, iam teſte SVLPITIO, in Francis monſtrati. Ad *CHAVCOS CHERVSCOS*que videtur reſpicere EVMENIVS *Conſtantino Cap. VI. intimas Franciæ nationes, a propriis ex origine ſua ſedibus, atque ab vltimis barbariæ littoribus auulſas*, memorans. Huc & illud FL. VOPISCI *in Probo Cap. XII.* facit: *Teſtes Franci, inuiis ſtrati paludibus.* EVMENIVS *Conſtantino Paneg. Cap. XII, XIII, Bructeros* vocat, quos modo *Francos* vocauerat. NAZARIVS *Paneg. Conſtantino Cap. XVIII.* quos ſemper *Francos* vocauit, interrogans diuidit; *Quid memorem Bructeros? quid Chamauos? quid Cheruſcos - - - - Tubantes? bellicum ſtrepunt nomina, & immanitas barbariæ in ipſis vocabulis adhibet horrorem.* AMMIANVS *Lib. XX. Cap. X. Iulianus - - - Rheno exinde tranſmiſſo, regionem ſubito peruaſit Francorum, quos Anſuarios* (*Anſuarios, Attuarios*que, alii & alii codices agnoſcunt) *vocant, inquietorum hominum, licentius etiam, tum incurſantium extima Galliarum.* SIGAMBRORVM nomen frequens eſſe in Francis, audiuimus. CLAVDIANVS IV. Conſul. Honorii canit: v. 445.

Ante ducem noſtrum flauam ſparſere Sicambri
Cæſariem, pauidoque orantes murmure Franci
Procubuere ſolo.

SIDONIVS *in Narbone, ſiue ad Conſentium Narbonenſem; Verſ. 244.*

Tu Tuncrum & Vachalim, Viſurgim, Albim,
Francorum & penitiſſimas paludes,
Intrares, venerantibus Sicambris.

Et IDEM *Carm. XIII. Verſ. 31.*

Detonſus Vachalim bibat Sicamber.

Aut Vſipii Tencterique, Sigambrorum nomine, quod in horum ſedibus conſediſſent, notari conſueuere; quod

Viciſſitudines fœderis Francici. in nomen & fœdus Francorum abierunt. Conſenſionem animorum maximam in capiendo nomine exſtitiſſe, nemo dubitat, qui hiſtoriam nouit; vnde qui populos vi & armis a Francis ad ſuſcipiendum nomen coactos eſſe comminiſcuntur, mea quidem opinione valde falluntur. Multas autem clariores ciuitates non continuo ſua poſuiſſe nomina, Francico adnomine adſumto, ſuperiora docuerunt. Quod enim in Francia, licet vna, diuerſæ imperandi formulæ placerent gentibus, inde potiorum perdurans memoria, & ſeparata plurimum mentio. Porro horum populorum quosdam cito, alios *Germania occidentalis pars aquilonaris.*

prima ſaltem ætate accidiſſe, conſtat: aut vetus error, Francos omnes, Sicambrorum nomine ante cognitos, in Pannonia egiſſe, indeque aduentaſſe in Germaniam, promiſcuum Sicambrorum & Francorum nominis vſum dedit; quod poſteriore æuo omnino videtur, vbi pro Francis frequenter Sicambrorum vocabulum memoratur. *SALIOS* Francos Batauiam occupaſſe, ZOSIMVS *Lib. III.* & apud Toxiandriam locum in Romano ſolo conſediſſe, AMMIANVS *Lib. XVII. Cap. VIII.* teſtatur. EVMENIVS etiam *Paneg. Conſtantino Cap. V.* paternas virtutes prædicans, *terram Batauam,* inquit, *ſub ipſo quondam alumno ſuo* (Carauſio Batauo) *a diuerſis Francorum gentibus occupatam, omni hoſte purgauit*; (Conſtantius) *nec contentus vici*ſſ*e, ipſas in Romanas tranſtulit nationes, et non ſolum arma, ſed etiam feritatem ponere cogerentur.* At, qui fere hi *Franci*, niſi *Friſii?* Et iam clare mihi videtur Idem EVMENIVS *Paneg. ipſi Conſtantio. Cap. IX.* ſuam explicaſſe mentem, & Friſios in illis Francis oſtendiſſe; qui, vbi Francos in Galliam translatos Conſtantio victori gratulatus eſſet, *Arat ergo*, inquit, *nunc mihi Chamauus, & Friſius, & ille vagus, ille prædator, exercitio ſqualidus operatur, & frequentat nundinas meas pecore venali, & cultor barbarus laxat annonam.* Caſu & fortuito hoc EVMENII præclaro teſtimonio de Friſiis in Francis tum relatis inuento, non vltra iam opus eſt, in TABVLA *Itineraria* cogere litteras, vt CHERVSCI fiant PHRESII. Sunt enim Friſii, Chamauique, illi Franci, quos Carauſius in Batauiam inuitauit; quos Conſtantius vicit; quorumque victorum eximiam partem in Galliam tranſtulit: EVMENII *ad Conſtantinum filium oratione* priorem ad Conſtantium patrem ſermonem egregie explicante & illuſtrante. Et fallere nunc omnes, meque ipſum cum reliquis, audacter profiteor, quotquot Friſios a nemine veterum in Francis nominari conſtituimus. Inuentus enim iam eſt EVMENIVS, qui diſerte dixit, quod huc vsque perperam deſideratum eſt.

Franci. alios tardius, reliquos ætate ſera, deſerto Francico fœdere, alterius Saxonicæ ſocietatis factos eſſe acceſsiones, aliquoties diximus: & certum eſt, cum Francicum fœdus non coëgerit armis, ſed inuitauerit æquitate ſocios, Saxonicum fœdus, poſtquam inualuit, mox bellis bellorumque metu tentaſſe incrementa, & dilataſſe ditionem. Cum Francis, qui Galliam occuparunt, validisſimas ex ſingulis ciuitatibus colonias Rhenum transgreſſas eſſe, nemo temere dubitauerit. At erraret vero, qui adeo exhauſtas populis Transrhenanas prouincias cenſeret, vti vacuis ſedibus diuerſas ſubmittere colonias Saxones oportuerit. Magis ſtatuendum, priorum ciuitatum fuiſſe reliquos, quos, in Galliam translata Francia, Saxonia circumcirca vicina ſenſim rapuerit, pedetentimque aut armis, aut commodis, oſtentatis ad obſequium traxerit (*a*).

VI. De

(*a*) Francorum mores paſſim gentibus gratos fuiſſe, & inde aucti fœderis rationes eſſe petendas, ſatis cognitum eſt. Gratianus imperator eorum animo & moribus, ipſoque cultu, delectatus eſt, teſte ZOSIMO *Lib. IV.* Multi nobiles illuſtresque viri noluerunt eſſe Romani, &, Romanæ iniquitatis crudelitate compulſi, ad barbaros, id eſt, Francos, ſe recepere; quibus etiam lege ſancita iam maior fama parata erat: rem memorante SALVIANO *Lib. VI. de Gubernatione Dei.* GREGORIVS TVRONENSIS *Lib. II. Hiſtor. Cap. XXV.* ſcribit, tempore Sidonii Auernorum Epiſcopi, *terrorem Francorum in illis reſonuiſſe partibus, & omnes eos, ut regnarent amore deſiderabili cupiuiſſe:* & deinceps *Cap. XXXVI. multos tum ex Galliis Francos dominos ſummo deſiderio cupiuiſſe.* Quæ quidem præcipue extrema incrementa Franciæ reſpiciunt, at æquum tamen de primis etiam Francici fœderis acceſſionibus iudicium ſuppeditant. At Saxones paſſim armis ad ſocietatem gentes coëgere. Bellum eorum de poſſeſſione Batauiæ cum Francis ex ZOSIMO *Lib. III.* ſupra audiuimus. Et docet hiſtoria, Francia in Galliam translata non ceſſaſſe Saxones a bellis, donec omnes inter Albim atque Rhenum agros ipſorum ditio impleret.

Saliorum nomen, an singulare vnius Francorum generis insigne?

Germaniae occidentalis pars aquilonaris.

VI. De reliquo exstitit inter Transrhenanos Francos florentissium SALIORVM nomen; quod, cum natum sit post Francium, nec alius antiquioris ciuitatis ante insigne fuerit, suspicandi, noua quaedam atque non minus generalia post primum nomen a Francis assumta esse vocabula, eruditis occasionem dedit. Et de Saliorum nomine parum dubitarim, eo plures ciuitates Francicas, maxime sitas contra septentriones, ad mare, & ad amnium ostia, fuisse complexas. Namque quoties Salii nominantur, in aquilonaribus Franciae partibus ostenduntur, & ita describuntur, vt de Frisiis, deque Chaucis, & finitimis gentibus, rem possis commode interpretari. Nouam in haec terrarum spatia, quae vix suos capiebant habitatores, inducere nationem, foret temerarium aut omnino absurdum; & proni admodum Germaniae populi ad accipienda & ponenda nomina semper fuerunt. Siue itaque a *Sala*, seu *palatio*, siue ab *Isala* amne, siue a *saliendo*, captum fuerit Saliorum nomen, haud dubie Francos insigniuit littorales, qui potuissent ex situ dici; adeoque generis alterius Francorum nouum recensque excogitatum cognomentum fuit. Imputaueris in id cognomentum *Chaucos*, *Frisios*, *Chamauos*, *Angriuarios*, seu Ampsiuariorum vnam partem, & si quos alios. Chaucos quidem primos a Saliis defecisse ad Saxones, pluries ostendimus. Meam addo coniecturam, aquilonares Francos esse maxime Salios, hoc est, ex vi potestateque vetusti Germanici vocabuli, *veteres & antiquos Francos* cognominatos; quod in iis primum coeperit nomen Francicum, & quod ipsi laudabile istud foedus ceteris demum persuasisse videantur. Quid obstat, quo minus *liberos Frisios*, qui suo iam nomine libertatis videntur testati defensionem, cum vicinis ciuitatibus primum sumsisse putemus Francium nomen, idemque, cum

Coniectura de Saliorum nomine.

auge-

Franc. augeretur & crescerét fœdus, addito Saliorum cognomento auxisse (*b*)

VII. Quantumuis vero probata Saliorum nominis vera significatione, hæret tamen aqua, cum de aliis, si quæ fuerint, nouis communibusque pluribus Francicis ciuitatibus inquisiuerimus vocabulis. Consuetudo, ad quam Ammianus prouocat, Francorum partem Salios adpellandi, fidem cre- An alia superfuerint noua vnius alteriusque Francici generis cognomenta?

Yy Zz 2

(*b*) In *SALIOS* Iulianus expeditionem fecit. AMMIANVS *Lib. XVII. Cap. VIII. Petit primos omnium Francos, eos videlicet, quos consuetudo Salios adpellauit, ausos olim in Romano solo apud Toxiandriam locum habitaculi sibi figere prælicenter.* Eandem expeditionem Ipse IVLIANVS *in oratione ad Athenienses*, & LIBANIVS *in funebri oratione*, describit; Saliorumque adeo nomen illustrauit. Mox permissum Saliis Batauiam incolere, ex qua vero insula eos Saxones expulerunt, vt tamen a Iuliano armis contra hostes defenderentur, & vetus eis possessio restitueretur: quod copiose enarrat ZOSIMVS *Lib. III.* Idem addit, Iulianum Cæsarem multos Salios eo tempore in militiam adsciuisse, & adscripsisse legionibus; quorum ordines ipsius adhuc æuo superstites fuerint. Sane NOTITIA *Imperii Orientis sub dispositione Magistri militum Præsentalis in XVIII. Auxiliis Palatinis* habet *Salios*; & NOTITIA *Imperii Occidentis in LXV. Auxiliis Palatinis Magistri peditum Præsentalis per occidentem* habet loco XIX. *Salios*, & LIII. *Salios Gallicanos iuniores.* Vid. PANCIROLLVS *Comm. P. I. Cap. XL. & P. II. Cap. XXI.* qui vero insigniter errat, *Salios* arbitratus a *Sala*, Franconiæ flumine, nomen accepisse. Esse Salios littorales Francos, ex dictis liquet; & commodis coniecturis idoneam auctoritatem adiuuamus. Vnde nomen sit ortum, dubium est. A *saliendo* illud deriuant, qui SIDONIVM APOLLINAREM respiciunt, cui cognitus tum fuit,

Sauromates clypeo, Salius pede, falce Gelonus.

Videtur & hoc fauere, quod AMMIANVS perhibet, *eos consuetudinem Salios adpellare*; quasi a vicinis ob saliendi virtutem eximiam illo fuissent nomine compellati. Malim tamen Germanicæ cujusdam vocis hic agnoscere potestatem: & vt aliis reliqua probentur, ita ipse idonea mihi videor argumenta in historia reperisse, quibus meam tuear sententiam. *Salica lex* a Saliis haud dubie cognominata est, præcipuæ Saliorum nobilitatis argumento. *Salica terra* veterem auitamque possessionem, omnibus prope auctoribus consentientibus, in lege notat. *Salica* si quis *stirpe* ipso adhuc seriore æuo diceretur ortus, in nobilissimis ille gentis semper haberi consueuit. Sed infra medii æui auctoritatem vide.

Germania occidentalis pars aquilonaris.

creditur facere, vt & alia superſint vnius alteriusue Francorum generis cognomina. Si, inquies, littorales Franci ſunt Salii nominati, nonne & mediterranei diuerſa inſigniti ſunt adpellatione? Enimuero, vt, licet rei cernam probabilitatem, quidpiam ipſe definiam, non audebo; ſed modo aliorum memorabo ſententiam. Exiſtimant vulgo, Francorum inſtar littoralium, quos conſuetudo Salios vocauerit, mediterraneos nuncupatione diuerſa eſſe ATTVARIOS, ſeu *Chattuarios*, compellatos. Ipſe in ſuperioribus Chaſuarios eosdem eſſe dixi, qui fuerint deinceps Attuarii vocati; nam & Velleius hoc iam nomen habet. Monui, æuo ſeriori cum Dulgibinis Chaſuarios videri Attuariorum nomine comprehenſos eſſe. Non muto ſententiam; ſed eam ad aliorum guſtum adcommodare eſt facile. Dabo, ſuccedente ætate Attuariorum nomen, quod fuerat ſingularis inſigne ciuitatis, ampliori ſenſu quandoque omnes mediterraneos Francos eſſe complexum. Sic Saxonicum, Longobardicum, Gothicum, nomina, fuere gentium ſingularium adpellationes, & demum maximis aucta ſunt populorum acceſſionibus. Fuerit ita Attuariorum nomen crebro ampliatum, vt demum plures ciuitates comprehenderit; nihil id ſtatuentes moror. Tollentur imo facilius difficultates, quas manere Attuariorum hiſtoriam alibi docui. Compertum erit, cur Attuarii in diuerſis locis ab auctoribus ponantur; cur tam illuſtre eorum in ſerum æuum, tum in Germania, cum in Gallia, durarit nomen: quæ ſi ſolos Chaſuarios ſemper in Attuariis quærimus, difficilius expediuntur. Sint proinde mediterranei Franci ſæpe & ſæpius Attuarii nuncupati, vt iuſta Francorum in *Salios* & *Attuarios* fiat diuiſio; recte tum in hoc altero genere *Catti*, & *Cheruſci*, & *Vſipii*, *Tencteri*que, ſiue noui Sigambri, & *Ampſiuariorum* pars altera, & cum *Marſis Tubantes*, & *Bructeri*, & denique *Chaſuarii* veteres, cum *Dulgibinis*, cenſebun-

Attuariorum nomen mediterraneis Francis impoſitum.

Francia. ſebuntur. Si quæ alia Francorum genera & nomina communia quis repererit, non inueni, nec reperta iudico; niſi quis commutata ſubinde ciuitatum vocabula hic memorauerit. Inuentis autem binis aliis vocabulis, quibus plures Francicæ gentes ſimul notarentur, non deſiiſſe gentes propriis creberrime nominibus citari, mirum debet videri nulli. Ipſum namque nouimus, ſummum Francorum nomen non, niſi admodum ſero, effeciſſe, vt ceteræ eo ſociatæ nationes obliuione inobſcurarentur (c).

VIII. A Francis, & *Saliis*, et, ſi placet, *Attuariis*, ſiue a ciuitatibus Francico nomine, quantum terrarum Mœnum Loganamque inter & Oceanum, Rhenumque & Albim atque Salam, patuit, coniunctis; vaſtæ regioni, modo generatim definitæ, clariſſimum nomen *Francia regio.*

FRANCIAE

natum eſt atque impoſitum. Nomen hoc Conſtantini iam

 dum

(c) De *ATTVARIIS* inſignis locus eſt AMMIANI *Lib. XX. Cap. X.* ſi ſane VALESIANAM *editionem* ſequimur; nam ceteræ aut *Anſuarios*, aut *Amſiuarios*, loco *Attuariorum*, habent. *Rheno exinde transmiſſo*, de Iuliano loquitur Ammianus, *regionem ſubito peruaſit Francorum, quos Attuarios vocant, inquietorum hominum, licentius etiamtum percurſantium extima Galliarum. Quos adortus ſubito, nihil metuentes hoſtile, nimiumque ſecuros, quod, ſcrupoſa viarum difficultate arcente, nullum ad ſuos pagos introiſſe meminerant principem, ſuperauit negotio leui: captisque plurimis & occiſis; orantibus aliis, qui ſuperfuere, pacem ex arbitrio dedit, hoc prodeſſe poſſeſſoribus finitimis arbitratus.* Quod iſte autem dubiæ interpretationis locus eſt, non licet plane eo niti. Certius egregii Attuariorum nominis incrementi argumentum eſt, quod tam variis in locis in Belgica ceteraque Gallia Attuariorum nomen eo translatum floruit; quod etiam ſera adhuc ætate in Germania *pagus Attuariorum* inſignis exſtitit. Quod cum plurimis teſtimoniis HADR. VALESIVS *Notitia Galliarum, voce Attuarii & Attuarii in Gallia,* declarauit, is videri vtique hoc loco meretur. Niſi plurimas ſingulares Francicas ciuitates illud Attuariorum nomen eſſet complexum, neſcirem ſaltem, quæ tam celebratæ eius amplitudinis alia poſſet reddi idonea ratio.

dum ætate est auditum, & illustribus beatum initiis illustriora indies incrementa cepit. Ad ipsius regionis veros limites, finiumque varias successiones, scire attinet; non omni tempore vnam visi Franciam, sed distinctis ætatibus eam prorsus adparere diuersam: ex quo nimirum aut ciuitates quædam partes mutarunt, aut migrationibus regionum nomina prorsus turbata sunt. *Prima* stetit *Francia* trans inferiorem Rhenum, qua hic fluuius a Loganæ amnis confluentibus vno eodemque alueo contra septentriones procurrit: qui deinceps diuisus aquarum diuortiis medium alueum primæ prætexuit Franciæ, eamque a Gallia & præsertim Batauia separauit. Aquilonare partimque occidentale reliquum latus oceanus finiit; vnde littorales Franci primo tempore fuere, iidemque nauigationum peritia admodum insignes. Ad ortum Albis primos disclusit Francos, & qui medium eius alueum suis auget aquis, Sala fluuius. Ad meridiem Logana Alemanniam a Francia diuisit, & superior Mœnus, quem Cattos, antequam immigrarent Burgundiones, contigisse ostendimus. Et ceteri fines perquam diu manserunt Franciam: solus oceanus citius Francico nomini negatus est, & Saxonibus cessit. Iam imperante Diocletiano Saxones, qui trans Albim primum egerant, fluuium transgressi sunt, & littoralem insidere cœperunt Franciam. Aetate paulum succedente Chauci diserte in Saxonibus referuntur, nec fides abest, eodem prope tempore Frisios Saxoniæ dedisse nomen. Tum Saxonia ad septentrionem Franciæ obtenta, hæc ab oceano exclusa, & ad interiora reducta est; nisi quod Salii ob communia studia frequenter adhuc cum Saxonibus agerent, & cum ipsis exercerent piraticam (*d*).

Germaniæ occidentalis pars aquilonaris.

Francia prima.

Francia altera.

An. CCLXXXVI.

An. CCCLVIII.

IX. Quin-

(*d*) *FRANCIAE* regionis nomen satis crebro in auctoribus occurrit. EVMENIVS *Paneg. Constantino Cap. VI.* *intimas Franciæ nationes, Cap. X. reges*

Francia.

IX. Quintum ſeculum magis turbauit Franciæ fines, eandemque demum quaſi exciuit ex priſcis ſedibus, & immenſa

Franciæ noua viciſſitudo.

ipſos Franciæ, memorauit. AVSONIVS *Moſella Verſ. 434.* canit;

Accedent Vires, quas Francia, quasque Chamaues,
Germanique tremant.

IVLIANVS *in oratione ad Athenienſes*, vbi φραγγία, regio dicitur. AMMIANVS *Lib. XXX. Cap. III.* Macrianus, Rex Alemannorum, *periit in Francia poſtea.* HIERONYMVS *in Vita Hilarionis; apud Hiſtoricos Germania, nunc Vero Francia, Vocatur.* TABVLA *Peutingeriana* habet regionis nomen magnis litteris in ripa Rheni ſcriptum: FRANCIA. SVLPITIVS ALEXANDER *apud* GREGORIVM TVRON. *Lib. II. Cap. IX. omnes Franciæ receſſus* adpellat. In numis, cum Alemanniæ nomen non admodum raro occurrat, Franciæ tamen vocabulum vix repereris, ſi exceperis rariſſimum Numum Aureum, qui ſeruatur in Cimeliarchio Regis Gall. & Colbertino, quem & illuſtrat Illuſtriſſ. quondam ad Anglos Sereniſſimi atque Potentiſſimi Pruſſiæ Regis legatus EZECHIEL SPANHEMIVS *in Differt. VIII. de Vſu & præſtantia numism. Vet.* & in *Theſauro Numism.* Londini edito. Viſitur in altera eius parte Conſtantinus, & in altera inſigne ſtatutum trophæum; addito FRANCIAE nomine. *PRIMAE FRANCIAE* fines ſatis auctoritate veterum hactenus probati ſunt. Quos enim populi, qui in Francicum fœdus conſpirarunt, contra exteriores nationes habuerunt fines, eosdem recte adſignamus Franciæ. De *Albi* dubitat HADR. VALESIVS, nec ad eum vsque porrectam fuiſſe Franciam opinatur. Verum id euincit CLAVDIANI teſtimonium *Lib. I. de laudibus Stiliconis: Verſ. 224.*

Vt iam trans fluuium, non indignante Cayeo,
Paſcat Belga pecus, mediumque ingreſſa per Albim
Gallica Francorum montes armenta pererrent.

Male & hic VALESIVS contra omnium exemplarium fidem ſupponit vocem *alueum*; cui nec cum ratione metri, nec cum poetæ ſenſu, vsquam conuenit. Magis etiam diſerte SIDONIVS APOLLINARIS *Carm. XXIII. Verſ. 244.* canit:

Tu Tuncrum & Vachalim, Viſurgin, Albim,
Francorum & penitiſſimas paludes,
Intrares Venerantibus Sicambris.

INCERTVS *Paneg. Conſtantino Cap. XXII.* de Francis loquutus ait; *eodem impetu, quo redieras in Gallias tuas, perrexiſti ad inferiorem Germaniæ limitem; magna ſcilicet intercapedine temporis, ac breui locorum diſtantia, poſt annuam expeditionem ſtatim bella auſpicatus, a Tiberi ad Rhenum, imo (Vt omen & ſimilitudo nominis, ſic & tua, imperator, magnitudo animi pollicetur) a Tuſco Albula ad Germanicum Albim prolaturus imperium.* Sileo a pluribus, *intimas Franciæ nationes, ab Vltimis barbariæ littoribus auulſas*, quas EVMENIVS *Paneg. Conſtantino*

Germaniæ occidentalis pars aquilonaris.

mensa gloria locupletatam transtulit cis Rhenum in Galliam. Plurimas ea ætas vidit Franciæ vicissitudines; quarum tamen quasdam, quod rara superest rerum actarum memoria, diuinare magis, quam probare, si certe iustum tempus quæritur, possumus. Cum primum Alemannia in Rhætiam & Heluetium agrum cœpisset effundi, Germanicamque veterem tellurem, vi maxima alio inuersa, prope deserere; missas colonias a Francis ad Mœnum, atque ad ipsum Nicrum, adeoque ad hos amnes Franciam protentam, auctores suspicantur. Certius cum primum Merouæus, alterque Clodouæus, Alemannos vicisset, *noua* hæc *Francia* videtur stabilita esse; eo

Cap. VI. memorat, de Cheruscis accipi; cum etiam fluuiorum maiorum ripas crebro EVMENIVS, aliique auctores, littora adpellitent. ANONYMVS RAVENNAS rem non minus manifesto probat, cum *Geogr. Lib. I. n XI.* scribit; *in patria Albis per multos annos Francorum lineam commoratam esse.* Citius ab *oceani* parte, & demum ab omni oceano, Francicum esse exclusum nomen, ostendimus. Primum Franci, haud dubie Salii, cum Saxonibus communem piraticam exercuere: æuo Diocletiani, teste EVTROPIO *Lib. IX. Cap. XIV.* Aeuo Iuliani iam Chauci pars fuere Saxonum, scribente ZOSIMO *Lib. III.* Aetate Valentiniani, *Franci & Saxones iisdem confines*, adpellantur ab AMMIANO *Lib. XXVII. Cap. VIII.* HIERONYMVS in Vita Hilarionis iam Franciam inter Saxoniam & Alemanniam mediam agnoscit. *Inter Saxonas*, inquit, *& Alemannos gens exstat, non tam lata, quam valida: apud Historicos Germania, nunc Francia vocatur.* Tum etiam Saxones in iisdem paludibus & littoribus auctores ostendunt, in quibus antea Franci egerant. OROSIVS *Lib. VII. Cap. XXII. Saxones*, vocat, *gentem in oceani littoribus & paludibus inuiis sitam, virtute atque agilitate terribilem, periculosam Romanis finibus.* Iisdem verbis ISIDORVS *Originum Lib. IX. Cap. II.* Saxones compellat. EGESIPPVS ex sui æui notitia Iosephum ad gentem suam ita concionantem introducit: *Tremit hos Saxonia, inaccessa paludibus, & inuiis septa regionibus.* Et CLAVDIANVS *de IV. Consul. Honorii* canit *vers. 450.*

latisque paludibus exit
Cimbrus, & ingentes Albim liquere
Cherusci.

Vbi *Saxones* notare *Cimbrum*, nemo eruditorum dubitat. Nouos autem ad Francicum oceanum Saxones ipsas fuisse Francicas gentes; adeoque sæpe promiscue primo tempore modo Francos, modo Saxones, adpellari: non id rursus post sæpe dicta monendum videtur.

Francia. eo autem vsque Alemannia, nisi quod longe lateque fines cis Rhenum, cis Danubium, dilatasset, priscis perstitisse finibus. Deinde, cum Clodione, Merouæo, Childerico, regibus, Franci Belgicam & Lugdunensem pleramque occupassent, cœpit Franciæ nomen cis Rhenum cum populo inferri, atque sensim per infessas Galliæ regiones explicari. **Francia Gallica.** Clodouæo regnante plerasque Gallias in nomen Franciæ transiuisse putarim; vt adeo, quæ ante fuerat Transrhenana *Francia*, nunc *Gallica* atque *Cisrhenana* mutata fieret terra. Eodem autem æuo Transrhenanæ regiones, quæ Francicæ fuerunt, Saxonicæ factæ sunt; aliis ciuitatibus citius, aliis tardius, in Saxonicum fœdus consentientibus. Bructeri, vt alios taceam, diutissime Francis fauerunt, & vix ætate serissima a Saxonibus sunt debellati. Tum vna in solo Germanico superfuit superior ad Mœnum *Francia*, seu *Franconia*; quam coloniæ Francicæ, ad comprimendos haud dubie Alemannos a Francis ductæ, impleuerant. **Francia, seu Franconia, Germanica.** Hæc nomen ab incolis acceptum seruauit ad ætatem nostram, cum reliqua Germania Francos prope nesciret. Obseruare tamen iuuat, quod Germania aliquando Francici potissima pars imperii esset, cum eadem nomen Franciæ non minus communicatum esse. **Francia orientalis.** Dicta & inde diu Germania est *Orientalis Francia*, illiusque reges Franciæ reges nominati sunt; donec incerto tempore Franciæ nomen abiret in desuetudinem, & soli occidentali Franciæ, seu Galliæ Francicæ, relinqueretur (*e*).

X. Fran-

(*e*) Non sunt tantum, qui quinto ineunte sæculo putant superiori Franciæ, siue *FRANCONIAE*, immissis Francicis coloniis, occasionem esse datam; sed & sunt, qui præter ceteras nationes ex Sueuis etiam Hermunduris, Nariscisque, fœdus putant Francicum conflatum esse, vnde statim ab initio ad Nicrum vsque Francia pertigerit; reliquos, qui omnino ex Franconia Fran-

Status publicus

X. Franciam plurimum variatam multifariam rem publicam habuisse constitutam, omnia docent. Prima Francia,

Germaniae occidentalis pars aquilonaris.

cos producunt suos, ne moramur quidem, cum omnis historiæ plenam hi prodant ignorantiam, solasque nugas sapiant. Mediæ sententiæ fauet præsertim MARQVARDVS FREHERVS *in Palatinis originibus*, & cum eo, vt saltem omnem veterem Vbiorum terram Francis tribuat, MENSO ALTINGIVS. Nititur FREHERVS *versu 29. precationis consularis* AVSONII;

Hostibus edomitis, qua Francia mixta Sueuis,

quem ille ad victorias Gratiani ad Argentariam & trans Rhenum partas refert; quasi illæ ad Lupodunum pugnæ apud Nicrum, & oppidum *Ladenburg*, in confinio Sueuorum, Francorumque, essent pugnatæ. Eam inde sententiam confirmat testimonio SIDONII APOLLINARIS *ad Auitum socerum Paneg. vers. 324.*

Bructeros vluosa vel quem Nicer abluit vnda.

Sed prius testimonium statim eliditur, si addimus cetera, quæ statim sequuntur;

Certat ad obsequium, Latiis vt militet armis.

vnde diuersus statim poëtæ sensus probatur, quam quem FREHERVS accepit. Alterum testimonium SIDONII ea ex caussa frustra est, quod SIDONIVS vixit sera ætate; qua, digressis in meridiem Alemannis, facile potuere Bructeri sedes suas, vt ignoretur tamen occasio, prolatare. HADR. VALESIVS *Lib. V. Rer. Franc.* supponit SIDONIO vocem *Vicer;* Vicrumque de Vidro PTOLEMAEI, & vtrumque nomen de Vechto, priorum quondam Bructerorum amne, interpretatur: vt tamen, quod supra ostendimus, errorem nouo errore augeat. Quando ergo Franciam nouam, siue Franconiam, condidere Franci? Non sane Gratiani æuo, nec ante eum, quod FREHERO visum est. Tum enim Alemanniam pertigisse adhuc ad Loganam, AMMIANVS clarissime monstrauit, bella ea ætate ex inferiore Rheni trans Moenum ripa ab Alemannis illata Romanis scribens *Lib. XXVII. Cap. I. & II. Lib. XXVIII. Cap. V.* maxime *Lib. XXIX. Cap. IV.* vbi contra Mattiacas trans Moenum aquas Valentinianus, illaturus Alemannis arma, processit. Aut itaque seculo demum quinto coloniæ Franciæ ad Nicrum vsque processere; vt adeo Sidonius sua potuerit ætate Bructeros ad Nicrum ostendere. Aut post victoriam Alemannicam, crebris immissis coloniis, vt coërcerentur Alemanni, noua cœpit erigi Francia: quod præcipue mihi videtur probabile. Ipsos Alemannos post cladem suam Francorum suscepisse nomen, vt placarent victores, quod visum est HACHENBERGIO, minime crediderim. Cur enim non omnes Alemanni in id transiissent nomen,

Francia. cia, quot habuit ciuitates ſingulares, tot formulas regiminis diuerſas vidit. Non enim ſancitum commune fœdus, vt cetera ciuitatum abrogarentur inſtituta, aut modo de iis aliquid derogaretur; ſed vt omnium publica priuataque ſalus atque libertas accuratius ſtabiliretur atque confirmaretur. Si quæ itaque ciuitas regis adprobaſſet imperium; ſi alia habuiſſet duces, diuerſaque principes & ſenatum: morem certe ſuum quælibet tenuit, nec ex fœdere quidquam mutare eſt coacta. Alii & populi ante nauigationibus claruerant, claſſibusque valuerant; robur aliorum in pedite fuit; rurſum nonnulli equeſtris diſciplinæ arte præcelluerunt: omnia conuenerunt Francicæ ſocietati, & terra marique Romanos oppugnaturæ, variisque prœliandi modis vſuræ. Legimus reges in Francicis fuiſſe ciuitatibus, & duces, & principes; vt placuiſſet aut nomen, aut diuerſa reipublicæ formula. Hæc exſtitit cauſa, quod, licet Francorum nomine cognito, & regione ſola Franciæ nuncupatione notata, crebrius tamen ſingularum gentium audirentur nomina; nec ea exoleſcerent, donec melioribus rationibus ducti maior Francorum pars vni manus darent regimini, Franciæ prioris;

Aaa 2 col-

cum omnes victi eſſent? Cur *Franci* hi noui *nobiliſſimi Franci* ſera ætate conſueuere vocari, niſi fuiſſent Francica germana ſati ſtirpe? De *FRANCIAE* nominis varia notatione curate ex medii æui monumentis egit HADR. VALESIVS *Not. Galliarum voce Franci & Francia*. *Francia Gallia* cœpit dici, modo tota, modo pars eius, aut Rheno, aut oceano, proxima. Totam Galliam Francorum imperio complexam, vt vnum proferam auctorem, PAVLVS DIACONVS *Longob. Lib. VI. Cap. XXXV.* intelligit, vbi bis Franciam nominat: *Aripertus arrepto conſilio, vt in Franciam fugeret, quantum ſibi vtile duxit, e palatio aurum ſuſtulit: & mox; Huius germanus Guntbertus eo tempore in Franciam fugiens ibidem vsque ad ſuæ mortis diem permanſit.* De nomine *Franciæ* cum tota *Germania* communicata, ſuperiori loco, ex probata auctoritate, diſſeruimus. Et infra de *minoris Franciæ*, ſeu *Franconiæ*, rationibus commodius dicetur.

collatisque suffragiis regem vnum eligerent, proximam Galliarum oppugnationem moderaturum (*f*). *Germania occidentalis pars aquilonaris.*

Franciæ Gallicanæ; XI. Viderant Franci, ex voto ceteris Germanicis gentibus quælibet succedere, quod elegissent reges, expeditionum duces, quorum res omnes regerentur arbitrio. Senserunt perdi occasiones, dum, consulendo in commune, tempus protraheretur; & fortunam bellicam odisse suffragiorum explorationem. Et ipsi ergo, in maiora intenti, ex Mar-

(*f*) GREGORIVS TVRON. *Lib. II. histor. Cap. IX.* plurimum hic fluctuat, nec, vnde se expediat, reperit; quod SVLPITIVS ALEXANDER *Hist. Lib. IV.* *GENOBAVDEM*, *MARCOMEREM*, & *SVNNONEM*, duces Francorum memoret, quos dein regales, rursus subregulos Francorum vocet: & postea tamen, relictis tam ducibus, quam regalibus, Francos regem habere dicat; non expresso regis nomine. Si considerasset, ex variis Francicum fœdus conflatum esse ciuitatibus, quibus non erat libitum sua mutare patria instituta, non vltra in hac re hæsisset. Dissimulatis vero ciuitatum nominibus, qui erant potentiorum nationum reges, generatim Francorum reges sæpe dici consueuere. EVMENIVS *Paneg. Constantino Cap. X. Adfecisti poena temeritatis reges ipsos Franciæ*, inquit, *qui per absentiam patris tui pacem violauerant*: quos mox *Cap. XI.* adpellat, *ASCARICVM* & *RAGAISVM*. CLAVDIANVS *de Laud. Stiliconis Lib. I. vers. 202.*

ingentia quondam
Nomina, crinigero flauentes vertice reges.

Singularis ciuitatis, addito nomine, rex raro nominatur. Memorat tamen EVNAPIVS in Excerptis legationum, *NEBISGASTVM, Chamauorum regem.* Nisi me vero opinio fallit, præter minores reges plerumque vnus maiore eminuit auctoritate. Huc respicere existimo AMMIANVM *Lib. XXX. Cap. III. Periit autem*, de Macriano Alemannorum rege loquitur, *in Francia postea: quam dum internecine vastando perrumpit auidius, oppetiit Mellobaudis, bellicosi regis, insidiis circumuentus.* Hic vnius Franciæ præcipui regis quodammodo meminisse AMMIANVS videtur. De diuersis institutis ipsarum ciuitatum, quas Francica societas comprehendit, iam ex TACITO aliisque auctoribus, multa accepimus. Singularium ciuitatum nomina cum generali Francorum adpellatione diutissime perdurasse, omnis historia loquitur.

Francia. Marcomiri, senis prudentisque principis, sapienti consilio
An. elegerunt regem: qui bellis præesset, res populi nomine
CCCCXIX. gereret, cetera libertatis defensor & propugnator foret. Non rex liberrimis Francis placuit, qui officeret libertati, legibusque patriis ex arbitrio obstreperet; sed qui seruandæ legis ipse omnibus exemplum præferret, nihilque sibi crederet licere, nisi laudanda patrare. Ita electo rege fortius atque felicius res a Francis gesta est, & temporis modico spatio omnis debellata Gallia, cuius ne minimam quidem partem acerrimis licet bellis quondam plene occupare potuerant. Adhuc tamen seruarunt quædam Franciccæ ciuitates morem antiquum, &, quantumuis vno electo summo rege, suorum regum ducumque singularium potestatem perpetuarunt; tam illæ priscorum tenaces institutorum, & ab ipsa specie seruitutis alienæ! Clodouæus
An. demum sustulit e medio reliquos regulos, solusque regis
IↃIX. nomen gessit; re publica Francica ad iustum regni modum tum redacta. At, quæ huius regni publica fuerint iura; quæ regum potestas & auctoritas; quæ principum nobiliumque libertas, quæ legum decora: singula sunt iusta consideratione dignissima argumenta. Quæ & exponemus curate atque diligenter, cum alia destinata commentatio eos Germaniæ mores attigerit, ex quibus cuncta illa iurium series nata est & conflata (g).

 XII. Fran-

(g) Vetus quidam historicus, Theodorici regis & Caroli ducis Francorum æqualis, apud MARQVARDVM FREHERVM & CHESNIVM, rem ita exponit: *Defuncto Sunnone, & accepto consilio in vno principatu eorum vnum habere principem, petierunt consilium Marchomiro, vt regem vnum haberent, sicut & ceteræ gentes. At ille dedit eis consilium, & elegerunt Faramundum filium ipsius Marchomiri, & elegerunt eum supra se Regem crinitum.* *FARAMVNDVM* sileri a GREGORIO TVRONENSI, licet ab omnibus reliquis Francicis auctoribus memore-

Franciæ Germanicæ;

Germaniæ occidentalis pars aquilonaris.

XII. Franciæ extremæ, quæ seruato nomine in Germania, diuerso equidem situ, perstitit, ea fuit regno Francico constituto regiminis formula; vt iisdem iuribus, quibus reliqua Francia Gallica, & ipsa vteretur. Dux erat prouinciæ præfectus, non dominus ille territorii, sed custos ac vindex libertatis, iustitiæ præses atque antistes, publicæque adeo salutis procurator. Quam ciuitatum formam receperint gentes, in antiquo Franciæ solo relictæ, & in SAXONIAE nomen tandem omnes adscitæ; ex priscis primæ Franciæ institutis æstimare licet. Quot pagi, quotque ciuitates essent, tot principes, satrapasque, quos auctores vocarunt, Saxones antiquissimi habuere; hac in causa a priscis Francorum moribus non alieni, nisi quod nullum vsquam regis nomen inter Saxones reperire licet. Quoties bella inirent, toties dux ex virtute videtur sumtus; cuius tamen potestas cum pace videtur rursum exspirasse. Huius formulæ regiminis adeo fuere Saxones retinentes, vt, licet sera ætate, licet ab omnibus Germanicis gentibus electis regibus, ipsi nollent nisi principibus

nec non Saxoniæ in primæ Franciæ solo constitutæ.

tur, & primus rex dicatur; non hoc loco indagabimus. Primus vero rex dici poterat, quod omnes Franci in hunc primum consensisse viderentur. Qui enim ante præcipui forsitan reges fuerunt, non consensu omnium tales, sed potestate gloriaque aucta præsertim illustres, fuisse censentur. Alias adhuc semper mos priscus Francis probatus est, de quo GREGORIVS TVRON. *Lib. II. Histor. Cap. IX.* circa finem memorauit: *Francos iuxta pagos vel ciuitates reges crinitos super se creauisse de prima & nobilissimorum familia.* Postea cum vno electo rege minores tamen adhuc diu reges pagis præfuisse; id argumento est, quod *CLODOVAEVS* demum solus rerum potitus est, necatis aut sublatis omnibus reliquarum ciuitatum regulis. Fuerunt plures illi reguli Clodouæo imperante, *SIGIBERTVS CLAVDVS*, Agrippinæ Coloniæ rex, *RAGONACHARIVS*, eiusque frater *REGNOMERIS*, & *CHARARICVS*, aliis in partibus Franciæ regnantes; teste GREGORIO TVRON. *Lib. II. Cap. XXVII. & XL.*

ntia. cipibus ducibusque reipublicæ credere adminiſtrationem. In ipſa Britannia, in quam Saxones inuaſere, tria ſecula habuit Saxonum reſpublica; nec vnus rex placuit, ſed plures reguli, duceſue, prouinciis præfuerunt. Vt redeamus ad Franciam, mutato nomine Saxoniam factam; vt ante inter Francos, ſic deinceps inter Saxones, libertas populi floruit, ſingulisque pagis ſua conſtitere iura propria. Quæ ideoque tellus ſemel *Franciæ*, id eſt, *liberæ terræ*, nomine eſt inſignita, non mutauit conditionem cum nomine incolarumque parte, ſed vetuſtiſſimæ libertatis decora ad ſeriſſimum æuum continuata habuit (*b*).

XIII. Con-

(*b*) Formula Franconiæ infra exponetur. Vid. OTTO FRISINGENSIS *Lib. IV. Chron. Cap. XXXII.* Saxonum ſtatum publicum deſcribit BEDA *Lib. V. Hiſt. Eccl. gentis Angl. Cap. XI. Antiqui Saxones regem non habent, ſed ſatrapas plurimos genti ſuæ præpoſitos, qui ingruente belli articulo, mittunt æqualiter ſortes, & quemcunque ſors intenderit, hunc tempore belli ducem omnes ſequuntur, & huic obtemperant: peracto autem bello rurſus æqualis potentiæ omnes ſatrapæ fiunt.* *ODOACRIVM* quidem, ſiue *Odouacrum*, Regem Saxonum, meminere GREGORIVS TVRON. *Lib. II. Cap. XVIII.* & FREDEGARIVS *Franc. Epit. Hiſt. Cap. XII.* vbi, *Odouacer Rex Saxonum.* Sed rex dictus non niſi dux fuit bellicus; qualis & *BERTHOLDVS* fuit, a Clothario Francorum rege occiſus, teſte AIMOINO *Lib. IV. Cap. XIIX.* Præſertim eas gentes, quæ ex Francica ſocietate in Saxonicum fœdus conſpirauerunt, morem Saxonum tenuiſſe; locuples teſtis POETA *Anonymus* eſt *Ann. Caroli M. Lib. I. verſ. 40.* deſcribens Saxones,

gentem, Quæ nec rege fuit ſaltem ſociata ſub vno;
Vt ſe militiæ pariter defenderet vſu,
Sed variis diuiſa modis plebs omnis habebat
Quot pagos, tot pene duces, velut vnius artus
Corporis in diuerſa forent hinc inde reuulſi.

Vbi & ſequitur diuiſio horum Saxonum in *Weſtfalos*, *Oſterlingos*, & *Angarios.* Adde eandem dicentem ſententiam. VVITICHINDVM *Ann. Lib. I.*

Transitio ex Francia ad Saxoniam.

XIII. Continuo a Francia ad lustrandam

Germania occidentalis pars aquilonaris.

SAXONIAM,

cuius iam modo instituta inuerso ordine vidimus, progredimur. Nempe Franciæ & Saxoniæ nomina adeo inter se cohærent, vt nequeant vnius rationes intelligi, nisi alterum fuerit perspectum; & habemus insuper pleraque explorata, quæ ad Saxoniam pertinent, cum ante de Francia diximus. Accedit, quod transituri Albim ad alteram Germaniæ magnæ partem considerandam primum in vetustissimos incidemus Saxones, a quibus Saxoniæ nomen cum aliis deinceps regionibus, & maxime cum priscæ Franciæ solo, communicatum est. In hoc autem argumento, versa materiarum serie, primum *Saxoniæ finium* rationes & vicissitudines exponemus; deinde *singulas ciuitates*, quas generale demum complexum nomen est, indicabimus; postremo *antiquissimos Saxones* trans Albim visemus: *nominis*, *fœderisque*, *Saxonicæque gloriæ*, *historiam*, quantum licebit, hic atque illic commode interpositituri.

Saxoniæ variæ vicissitudines.

Saxonia Transalbina.

XIV. *Prima* trans Albim stetit *Saxonia*; ea adprime obscura, finibusque nulli sedulitati aut industriæ plane patentibus. Est communis sententia, Fosos Taciti esse Ptolemæi Saxones; & inferius de ea lite inquiremus. Si probatur opinio, ab Albi ad Chalusum amnem, & contra septentriones ad Eidoram, pertinuerit fortassis Saxonia; cum Tacitus statim post Fosos in eodem Germaniæ sinu Cimbros locet, eademque prope positio Ptolemæo conueniat. Quæ autem propinquæ ciuitates in primam Saxoniam fuerint imputatæ; an Angli cum gentibus sociis eam statim

Saxonia. ſtatim auxerint, vtrum ſeriori demum ætate ad Saxonicum fœdus acceſſerint? omne eſt incertum atque vetuſtate incompertum. *Secunda*, ita vt dixerim, *Saxonia* cis Albim ſe Diocletiano imperante cœpit explicare; eademque primum vicinas maris oras, mox omnes ad Rhenum vſque, occupauit. Ea littorales Francos complexa eſt, adeoque effecit, vt recte eo tempore Francia inter Saxoniam & Alemanniam media vocaretur regio. *Tertiam Saxoniam* paulo poſt ſtatuerim, quæ non Germaniæ tantum littora trans Rhenum obſedit, ſed & Galliæ littus omne habuit infeſtum; vt hoc omnino ab inuaſionibus Saxonum *Saxonicum littus* adpellaretur, & *comes Saxonici litteris* iſti defendendo præficeretur. Hæc exſtitit ampliſſima omnium Saxonia; nam & trans Albim certius Angli, fortaſſis & ſociæ ciuitates, in ea referuntur, & Cimbri omnino non ab ea fuerunt alieni. Ex hac Saxonia tres nationes, *Saxones*, in quibus præcipue Friſios numerant, *Anglos*, & *Iutas*, in Britanniam expeditionem feciſſe, & nobile occupaſſe regnum, inter omnes conſtat. Succeſſit poſtremo *vltima Saxonia* a mari remotior, & ad interiora reducta, cum Friſiorum ad maritimas oras ſtabilita eſſet potentia. Hæc Saxonia extrema Rhenum inter & Viſurgim & Albim eaſdem regiones tenuit, quas Francia, antequam in Galliam transferretur. Et doceri poſſunt facillime omnes illæ viciſſitudines Saxoniæ regionis; ſed ne-

Saxonia Cisalbina.

Saxonia maxima.

Saxonia in regiones primæ Franciæ ſuccedens.

queunt distincte aut initia mutationum definiri, aut fines singuli regionum, modo nunc, modo tunc, in Saxoniæ nomen imputatarum, delineari *(i)*.

Germaniæ occidentalis pars aquilonaris.

XV. In

(i) PTOLEMAEVS *Lib. II. Cap. XI.* primus *SAXONVM* nomen habet. ἐπὶ τὸν αὐχένα τῆς Κιμβρικῆς χερσονήσου Σάξονες. *supra dorsum Cimbricæ chersonesi Saxones sunt.* Prima hæc Saxonia non alia nititur auctoritate; vnde omnes eius rationes prorsus sunt in incerto. Diocletiani æuo primum Saxones vsque ad Rhenum peruasere, littoraque Romana infesta habere cœperunt. EVTROPIVS *Lib. IX. Cap. XIII.* OROSIVS *Lib VII. Cap. XXV.* Iuliana ætate audiunt Saxones apud ZOSIMVM *Lib. VII.* Σάξονες δὲ πάντων δὴ καρτερώτατοι τῶν ἐκεῖσε νεμομένων βαρβάρων, θυμῷ καὶ ῥώμῃ καὶ καρτερίᾳ τῇ περὶ τὰς μάχας εἶναι νομιζόμενοι. *Saxones omnium eas regiones incolentium barbarorum & animis, & corporum viribus, & laborum in proeliis tolerantia, fortissimi habiti.* Tunc & *Cauchi eorum pars* a IVLIANO diserte vocantur. HIERONYMVS *in Vita Hilarionis* iam totam versus septentriones Franciam Saxones prætexuisse memorat. AMMIANVS *Libro XXVII. Cap. VIII. Francos, & Saxones iisdem confines*, memorat. Ruente Roma ostendit SIDONIVS APOLLINARIS, omnia eos maria Galliæ & Britanniæ infesta habuisse. Imo iam paulo ante vndique versum prædabunda Saxonia longe in Armoricum littus protenta erat, & omnem Britanniam crebris incursionibus vexabat. NOTITIA *dignitatum imperii occidentis* memorat sub dispositione ducis tractus Armoricani, *Tribunum cohortis primæ nouæ Armoricæ, Grannona in littore Saxonico.* Eadem NOTITIA habet paulo ante *Comitem limitis Saxonici per Britanniam.* Hic vero falli PANCIROLLVM *Comm. Cap. LXXI. & LXXXIV.* existimo, qui hunc comitem non prius putat constitutum esse, quam postquam ab Saxonibus Britannia plene esset occupata; tum etiam littus Saxonicum Armoricani tractus partem vocatam esse. Enimuero sero foret comes constitutus littoris & limitis Saxonici, si iamdum occupassent Saxones Britanniam Galliæque oras. Est vtique primum ordinatus, vt propelleretur vis ingruens Saxonum; quæ mox tamen vtraque ex parte præualuit, & Saxonicum nomen continuis irruptionibus vere intulit in eas regiones. In AMMIANO MARCELLINO *Lib. XXVII. Cap. VIII.* iam idem vocatur *Comes maritimi tractus*, & eum VALESIVS diserte de *Comite littoris Saxonici per Britannias* interpretatur. Vid. etiam AMMIANVS *Lib. XXVIII. Cap. V.* de Nanneno comite, iisdem contra Saxones regionibus adposito. Non incursasse vero solum Saxones Galliam, sed & certas sedes variis in locis fixisse, accipimus ex GREGORIO TVRON. *Hist. Lib. V. Cap.*

Saxonia. XV. In gentibus dicendis, quas temporibus diuersis Saxonia comprehendit, non ſemper quidem, ſed ſæpe tamen, ſecurius operam ponemus. Opinemur, nam certa dare nemo auſit, FOSOS Taciti eosdem exſtitiſſe, quos paulo poſt Ptolemæus Saxones adpellauit. Erit ita Saxonicum nomen ciuitatis primum, mox fœderis ingentis, inſigne: quis enim crediderit, tot regionibus inuadendis & penetrandis ſolos Ptolemæi Saxones fuiſſe pares? Nomen videtur ab *oblongis cultris*, quas *Sacas* & *Sachos* dixere, quibus inprimis Saxones delectati ſunt, acceptum eſſe. Qui enim *ſaxea corda*, *ſaxeumque robur*, aut *Saxonam*, obſcurum amniculum, afferunt, vt Saxones inde adpellatos declarent, parum audiri merentur. Magis autem explodendi ſunt, qui ab Aſiæ *Saſſonibus Sacisque* Saxones ducunt, vt nominis prodant ſignificationem; non minus hi abſurdiſſima commenti, quam alii, quibus ex Alexandri Magni exercitu Saxones accerſere placuit. Qui primum acciderit, vt aliæ ciuitates in Saxonum nomen ſumen-

Ciuitates primæ Saxonicæ.

Nomen Saxonum vnde?

XXVII. & *Lib. X. Cap. IX.* vbi is *Saxonum Boiocaſſinorum*, qui in finibus Boiocaſſium, ſiue Baiocaſſium, olim Biducaſſium dictorum, in Gallia conſederant, meminit; ex Eodem *Lib. II. Cap. XIX.* vbi inſulas Galliæ a coloniis Saxonicis occupatas monſtrat; quas inſulas ad Ligerim poſitas fuiſſe non temere coniicit Cointius; & ex Venantio Fortunato *Lib. III. Carm. IX.* qui Felicem, Namneti Epiſcopum, Saxones manſuefeciſſe, & chriſtianæ doctrinæ initiauiſſe, ſcribit: vnde opinio, in *Namnetico etiam agro Saxones* fuiſſe. Expeditionem Saxonum in Britanniam diſcimus ex Prospero Aqvitanico *in Chronico*, & ex Beda *Lib. I. Hiſt. Eccleſ. Angl. Cap. XV. ad Ann. CCCCXLIX.* De vltima Saxonia infra dicturi ſumus.

mendum conſpirauerint, difficiliter ex vetuſtis monumentis oſtendi poteſt; nec facilius, an, quod quidam magis contendunt, in prima Saxonia Saxonum nomen primi omnium ANGLI ſusceperint? Arbitror, piraticæ primos Saxones impenſe ſtuduiſſe, tantaque confeſtim artis gloria eſſe illuſtratos, vt vicinæ, præſertim maritimæ, ciuitates, Francorum Alemannorumque exemplo fœderum cupidiores factæ, ſponte ſe ad Saxonum & ſocietatem & nomen adgregauerint. Verum ſemel aucta validis ciuitatum acceſſionibus natio, non ſatis habuerit, fortunæ gloriæque fama ad ſocietatem alias gentes pellicere, ſed & armis non paucas occupauerit regiones, atque ad nominis ſui magnitudinem viam ferro patefecerit. Et inde, ſi probas idoneas coniecturas, facile miras nominis Saxonici adcretiones interpretere (*k*).

Germaniae occidentalis pars aquilonaris.

Saxonum nomen ante ciuitatis, mox fœderis, inſigne.

XVI. Dio-

(*k*) Nomen *SAXONVM* eſt ab oblongis cultris gladiisque, quibus gens pugnarunt, quosque *Sachs* adpellarunt. Breues tales gladios Rugiis & Lemouiis olim TACITVS *Germ. Cap. XLIII.* adſcripſit; cum contra Cimbri vterentur μεγάλαις καὶ βραχείαις μαχαίραις, *grandibus & oblongis gladiis*, teſte PLVTARCHO *in Mario.* Fauent bonæ ſententiæ optimi quiuis auctores, GREGORIVS TVRONENSIS; VVITICHINDVS *Lib. I.* GOTFRIDVS VITERB. *Parte XV. in Piſtorii Tomo II. pag. 362,*

Ipſe breuis gladius apud illos Saxa
vocatur,
Vnde ſibi nomen Saxo peperiſſe notatur.

RORICO MONACHVS *in Franc. Geſtis Lib. IV. Cultellos permaximos, qui vulgariter Hantſacces, corrupto vocabulo, nuncupamus*; GOBELINVS *Coſmodr. Aet. V. Cap. XI.* & ex recentioribus auctoribus tantum fere non omnes. Firmat etiam præter auctorum teſtimonia coniecturam hodiernus adhuc vocabuli vſus, vt *Sachs* nuncupetur a Friſiis atque Danis forfex aut maior culter; ſcri-

Saxonas. **An. CCCLXXXVI.**

XVI. Diocletiano imperante primos Saxones piratica ingens & terribilis aperuit. Quantum Franci atque Alemanni terra Romanorum prouincias vexarunt atque vastarunt, tantum communis hostis maritimas prouincias Saxones depopulati sunt; hac concordes in causa, ceterum creberrime contentione & ambitione discordes. Primi tunc ad Saxoniam Cisalbinam accessere CHAVCI; qui diserte in Saxonibus paulo post referuntur. Accesserunt ad eam & FRISII, quibus magis conueniebat mari sectari prædas, quam cum Francis ad terrestria ire prœlia. Non iudico, an CHAMAVI iam tum, vicinæque ciuitates, ad secundam, an ad tertiam demum, Saxoniam, se adiunxerint? In tertiam Saxoniam recte BATAVOS, TOXANDROS, MORINOS, si non omnes, at eorum partes posse imputari, censeo. Eadem, Chaucos, Frisiosque, vicinas Francicas ciuitates in clientelam iam perduxerit. Nunc & CIMBRI omnes, & VITAE, seu

Ciuitates in secundam Saxoniam imputandæ.

Tertiæ Saxoniæ accessiones?

 Iuta,

bente PONTANO *Lib. II. Orig. Franc. Cap. II.* Habetur rythmus de S. Annone Archiepiscopo Coloniensi ante annos circiter sexcentos scriptus.

Daz si michili mezzer biezzin Sachs.

Vt pregrandes cultros Saxas focarent.

A Saxo autem *Saxonum nomen deriuarunt* ISIDORVS *Orig. Lib. IX. Cap. II.* & nobilis HROSWITHA *apud Renberum pag. 163.*

Ad claram gentem Saxonum (nomen habentem

A Saxo) per duritiem mentis bene firmam.

Fabulosas origines pro more plerique auctorum consectati sunt; sed hos omnes missos facimus. Aucti fœderis rationes plane ignoratæ manent. Sed bellis Saxones ad incrementa maiora grassatos esse, vel vnus ZOSIMVS *Lib. III.* cum a Saxonibus expulsos Salios ex Batauia memorat, docere est aptus.

Iutae, & ANGLI, sine dubio in Saxonico fuere foedere. Fortassis & TEVTONOS in insulis non male ad Saxones retuleris. Occupata Britannia, quae ab Anglis accepit nomen, miram defectionem Saxonia quidem passa est: nam & Transalbina Saxonia coangustata est, & Cimbrica Chersonesus ex illo nomine excidit, & maritimae terrae Frisio nomini cedere coeperunt. Sed non desiit nouis tum augeri Saxonia ciuitatum accessionibus. CHERVSCI, ANGRIVARII, qui eo vsque Ampsiuarii fuerant dicti, ATTVARIORVM pars, & qui reliqui ex Francis Albim inter & Rhenum supererant, aut pars iam ante ad Saxones defecerant, aut nunc in Saxonum cognomentum transiuerunt. BRVCTEROS diu Saxonibus restitisse monuimus; sed & hos demum data occasione esse debellatos, adeoque omnem priorem Franciam a Saxonibus insessam, constat. Atque hos fere populos variis temporibus mutata & conuersa Saxonia habuit (*l*).

Germania occidentalis pars aquilonaris.

Anglia

AN. CCCCXLIX.

Populi Saxoniae mediterraneae.

XVII. Ge-

(*l*) Contra Saxones Carausius a Diocletiano cum imperio missus legitur in EVTROPIO *Lib. IX. Cap. XIII. CHAVCOS* iamdum videri Saxonum partes amplexatos esse, inde coniecerim, quod alioquin difficilior futura fuisset Saxonum in Gallias expeditio. At certius Iuliani aeuo Cauchos Saxonum partem nominauit ZOSIMVS *Lib. III. FRISIOS* eo argumento in Saxonibus referre licet, quod HIERONYMVS medios inter Saxones & Alemannos Francos constituit; & quod ad seram aetatem semper cum Saxonibus Frisii fecere, licet separata republica constituta. De *Quadis* suis, quos *Cauchos* omnes eruditi interpretantur, ZOSIMVS *Lib. III.* idem narrat, regis intuitu, quod EVNAPIVS *in Excerptis legationum* de *NEBISGASTO*, Chamauorum rege. Nisi alteruter scriptor fallitur, *Chamauos*, *Chaucos*que simul, vno *Quado-*

Saxones.

Nulla generum inter Saxones noua nomina.

XVII. Genera inter Saxones certa, qualia vidimus in Francis, eorumque nomina singularia, in antiquitate reperio

rum nomine, in Saxonibus a ZOSIMO referri, opiner. Sed tamen & postea in Francis Chamaui a SVLPITIO ALEXANDRO, referuntur: quod quidem valde mirum non esse poterat, cum ea ætate vario adhuc animo Franciçæ Saxonicæque ciuitates essent. In *tertiam Saxoniam* imputo *BATAVOS, TOXANDROS, MORINOS*, Armonicique tractus maximam partem. Quippe ruente imperio, quinto cœpto seculo, *quicquid inter Alpes & Pyrenæum est, quicquid oceano & Rheno includitur*, præter Francos aliasque gentes, simul a Saxonibus misere vexatum & vastatum est: teste HIERONYMO *Epist. XI. ad Archeruchiam Siduam.* Tum scribente ZOSIMO *Lib. VI.* exemplo Britanniæ totus tractus Armonicus magistratus Romanos eiecit, & suam quondam rempublicam pro arbitrio constituit. Quum vero suæ & contra Romanos, & contra Francos Saxonesque defendendæ libertati Armorici non sufficerent, societatem cum Germanis inierunt, eorumque & ipsi accesserunt fœderi: teste PROCOPIO *Lib. I. de bello Gothico.* Ibi modo Franci, modo Saxones, maritimam oram insederunt. Batauiam iam Iuliani æuo Saxones insedere teste ZOSIMO *Lib. III.* & Theodosii æuo plene possessa, quod ex LATINI PACATI *Paneg. Theodosio Cap. V.* liquet. Conf. SYMMACHVS *Lib. II. Epist. XLVI.* De Saxonum crebris incursionibus in Gallica littora vid. SIDONIVS APOLLINARIS *Lib. VIII. Epist. VI. & in Paneg. Anthemio dicto.*

Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat, cui pelle salum sulcare Britannum
Ludus, & assuto glaucum mare findere lembo.

CIMBROS in Saxonico fœdere CLAVDIANVS ostendit, *IV. Consul. Honorii versu 450.*

latisque paludibus exit
Cimbrus, & ingentes Albim liquere Cherusci.

Quod hic *Saxo* generatim *Cimbrus* vocatur, inde sane colligitur, fuisse in Saxonum fœdere Cimbros. Et ab eodem CLAVDIANO *de Bello Get. vers. 335. mare*, quod Rhenum haurit, quodque iam *Saxonicum* dici poterat, vocatur *Cimbricum*:

te Cimbryca Tethys
Diuisum bifido consumit, Rhene, meatu.

STEPHANVS *de Vrbibus* diserte etiam Cimbricam chersonesum omnem Saxonibus tribuit: Σάξονες, ἔθνος οἰκῶν ἐν τῇ Κιμβρικῇ χερρονήσῳ, *Saxones, gens incolens Cimbricam chersonesum.* De *ANGLIS, VITIS,* siue *Iutis*, locupletes testes sunt BEDA *Lib. I. Cap. XV.* PROCOPI-

Germaniæ occidentalis pars aquilonaris

reperio prorſus nulla. Certe Angli, Vitæ, Cimbri, Friſii, Chauci, diutiſſime, licet eſſent in Saxonico fœdere, celebrati ſunt propriis nominibus. Non noua vero hæc, ſed vetuſta ciuitatum, fuere vocabula, quæ durarunt in tempus, quod fœdus non nomen inſtitutaque ponere cogeret, ſed modo conſenſionem in bella amicam poſceret. Quod obſeruamus tamen, quod bellis maxime extrema Saxonia eſt graſſata, factum inde, vt gentium reliquarum nomina, quæ Francicum fœdus non ſuſtulerat, perirent in Saxonico nomine, vi armisque hiſce in regionibus prolatato. Pereuntibus autem priſcis adpellationibus nata demum ſunt nomina diſtinguendis Saxonum ſedibus congruentia & opportuna. Pauci Saxones, qui trans Albim & in radice Cimbricæ cherſoneſi perſtitere, TRANSALBIANI & *NORTALBINGI*, vocati ſunt. WESTFALI adpellati ſunt, qui ad occidentem Rhenum & interiora coluerunt. OSTFALOS vocare moris exſtitit eos, qui ad ortum Albim, ad occidentem Viſurgim contigere: ſumto haud dubie vtroque vocabulo a regionum ſeu aruorum, quæ habitarunt, plaga ſituque.

Serioris ætatis diuiſio Saxonum.

vs *Lib. IV. de Bello Goth.* & PAVLVS DIACONVS *Longob. Lib. IV. Cap. XXIII.* qui *ANGLISAXONES* adpellat. Hoc etiam abunde rem comprobat, quod ſero *Angliæ* nomen auditum eſt, & perquam diu ſolum *Saxoniæ Transmarinæ* nomen probatum. Vt vero mediterranea orienti ceſſerint Saxoniæ, & demum omnes Franciæ prioris populi in Saxonicum tranſiuerint nomen, nemo auctorum plane explicat.

Saxones. que. Medii ad Visurgim ANGARII, seu *ANGRIVARII*, nuncupati sunt; iidemque Teutonicos montes, & circumcirca vicinias, insederunt. Qui quæso, ad alia transituro instabis, *VETVS SAXONIA* potuit adpellari, illa, quam vidimus extremam? sic nominatam autem ab Anglis subinde legimus. Enimuero cape tibi ex Anglorum nomine responsionem. Exstitit vetus Saxonia, quod veterum Saxonum pars magna immigrasset in eam prouinciam, cuius oras iamdudum coluerant. Angli Saxonesque, cum in Britanniam inuaderent, nouam condidere Saxoniam. Reduces itaque Angli ex Britannia veteres suæ gentis cognationes nusquam alibi, quam in noua Saxonia potuerunt reperire, quam adeoque veterem, Angliæ, patriæ, intuitu, nuncuparunt (*m*). Quæ reliqua de hac veteri Saxonia, si Anglorum vtar vocabulo, possent memorari; vt ea a Francis crebro bellis petita, &

Extrema Saxonia, quomodo vetus?

(*m*) De Saxonum mediterraneorum diuisione in *WESTFALOS*, *OSTFALOS*, & *ANGRIVARIOS*, siue *Angarios*, sufficiat hoc loco audire *Incertum* POETAM *Ann. de gestis Car. M. Lib. I. v. 45.*

Sed generalis habet populos diuisio ternos,
Insignita quibus Saxonia floruit olim.
Nomina nunc remanent, virtus antiqua recessit.
Denique Westfalos vocitant in parte manentes
Occidua, quorum non longe terminus amne
A Rheno distat. Regionem solis ad ortum
Inhabitant Osterlingi; quos nomine quidam
Ostfalos alio vocitant; confinia quorum
Infestant, coniuncta suis gens perfida, Sclaui.
Inter praedictos media regione morantur
Angarii, populus Saxonum tertius. Horum
Patria Francorum terris sociatur ab austro,
Oceanoque eadem coniungitur ex aquilone.

& vix a Carolo Magno fuerit debellata: altum poscunt locum, diuersæque ætatis manento inuestigationem. *Germanicæ peninsulæ radix.*

Primæ Saxoniæ Transalbinæ præcipua natio. XVIII. Transmisso Albi in vasta, quæ ad orientem est, Germania de primis adhuc

SAXONIBVS

ex promissis inuestigare necesse habeo. Monui, difficile esse de iis inquirere, difficillimum eos prorsus reperire. Certum namque est, primam trans Albim stetisse Saxoniam; primis Saxonibus radicem Cimbricæ chersonesi Ptolemæum adsignasse. Sed latet omnes, quæ olim gens in iisdem egerit regionibus, in quibus suo tempore Saxones Ptolemæus vidit. Communis est sententia,

An Fosi primi Saxonum nomen acceperint? disputatur;

FOSOS,

gentem, quam Tacitus memorauit, esse eosdem, quos exiguo interiecto temporis interuallo Ptolemæus Saxones compellauerit; aut, quod aliqui aiunt, vitiato in Taciti scriptione vocabulo, aut, quod magis videri posset, nouo a Fosis nomine statim post Taciti ætatem suscepto. Cupiunt, egregie cum Fosis Taciti conuenire Saxonibus Ptolemæi;

Quæ de Transalbinis Saxonibus, & singulis hisce generibus, poterant copiose dici, reperies infra. *Veterem Saxoniam* eam adpellatam esse, quæ in locum propriæ Franciæ successit; discimus ex BEDA *Lib. V. Cap. XI. & XII.* vbi dicit, *Ewaldos fratres docendi euangelii causa in prouinciam antiquorum Saxonum venisse*; & deinde, *expugnatos esse non longo post tempore Boruchtuarios a gente antiquorum Saxonum*: quod & MARCELLINVS *in Vita S. Suiberti* scribit. BONIFACIVS *ad Ethwaldum Angliæ regem* scribit, *Antiquos hosce Saxones coniugia sine adulterio intaminata seruare*; & GREGORIVS Papa epistolam ad Alt Saxones dedit, eosque admonuit, vt Bonifacium docentem audire velint. Vid. SCHATENIVS *Hist. Westfal. Lib. VI. pag. 375.*

Saxones & Fosi. lemæi; illos in Germaniæ ſinu ſupra Cimbros a Tacito, hos in cherſoneſi radice a Ptolemæo, poni. Vt ipſe, cum alia me nequeam ratione expedire, ſim communem ſequuturus viam, non diſſimulabo tamen, quæ contra opinionem dici poterant. Foſos conterminam Cheruſcis gentem, aduerſarumque rerum ex æquo ſocios, cum in ſecundis minores fuiſſent, Tacitus dixit. Licet continuo addat, eundem Germaniæ ſinum proximos oceano Cimbros tenere: primum tamen videtur deeſſe aliquid in textu orationis, vt ſinum, quem tenuere Cimbri, non itidem Foſi coluerint; deinde ciuitatem indicare Tacitus videtur, quæ fuerit in clientela Cheruſcorum, quæ cum Cheruſcis & inter eos, coluerit; quod vtrumque non admodum in Foſos trans Albim ſitos quadrare poteſt. Oſtendunt aliqui, *Fuſam* amnem in Alleram ſe exonerantem, & ex amnis nomine de ſedibus populi coniiciunt; atque profecto iſta coniectatio non contrarium habet Tacitum. Poterat etiam credi, aut ſilentio Tacitum ciuitates obſcuriores ſupra Cimbros ſitas diſſimulaſſe; aut, ſi quid deſit ſcriptionis contextui, deeſſe fortaſſis dicta ſiue de Saxonibus ipſis, ſi nomen eam ferre poteſt antiquitatem, ſiue de gente, quæ Saxonum deinceps ex armorum genere ſumſerit cognomentum. Quis iam per tot rerum incerta in certum proſpexerit, aut dignouerit falſis veros Saxones? Ipſe dubitanter plures ſequor, cuilibet liberam ſententiarum linquens optionem. Potuere & enim Foſi minor & contermina gens eſſe, licet Albi a Cheruſcis diuiſi. Fortaſſis colonia *Foſorum* ad

& dubitanter licet, affirmatur.

ad *Fusam* amnem ducta, & inde nomen amnis: si mauis, a Fusa amne fortassis Fosi trans Albim ipsi migrauerint; namque & est in mari insula nomen *Fosorum* referens, quæ si ab eis habitata est, necesse vtique est, colonias dimissas admiseris. Nec soleo bonorum auctorum errorem aut mutilum sensum facile suspicari, nisi omnino liqueat. Verum Tacitus, suo licet more breuis, & crebris in sensu recessibus abundans, at cum consequenti tamen de Cimbris oratione ita, quæ de Fosis attulit, connectit, vt probabiliter liceat Fosos in ea locare regione, quam suis Saxonibus dedit Ptolemæus (*n*).

a Germanicæ peninsulæ radice.

XIX. Igi-

(*n*) PTOLEMAEI *Lib. II. Cap. XI.* verba satis sunt perspicua: Ἐπὶ τὸν αὐχένα τῆς Κιμβρικῆς χερσονήσου, Σάξονες. *Supra dorsum Cimbricæ chersonesi Saxones sunt.* An autem hi Saxones, quos PTOLEMAEVS Marco Aurelio imperante in dorso Cimbricæ chersonesi ostendit, sint Fosi, quos LX. annos circiter ante TACITVS *Germ. Cap. XXXVI.* prope Cheruscos monstrauit; id valde controuersum & plenum dissensionis est inter doctissimos. *Tacti*, TACITVS inquit, *ruina Cheruscorum & Fosi, conterminæ gens: aduersarum rerum ex æquo socii, cum in secundis minores fuissent. Eundem Germaniæ sinum proximi oceano Cimbri tenent.* CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. III. Cap. XXI.* non dubitat, hos Fosos esse Saxones; nouumque nomen post TACITI demum ætatem susceptum esse. Argumenta adsunt suadentia, nulla conuincentia. Contra CLVVERIVM iam CONRINGIVS *in comment. de Ant. statu Helmstadii* sensit, & deesse aliquid contextui TACITI arbitratus est, quo fortassis Saxonum ciuitas fuerit illustrata. *Illustris* LEIBNIZIVS nil cetera moratus, *Fosos* tamen Cisalbinam gentem fuisse constituit, ad *Fusam* amnem, qui in Hildesiensi ditione Peinam oppidum præterlabens, apud Cellas Alleram subeat, sitam, & Cheruscorum clientela contentam Vid. EIVS *Notæ ad Excerpta Veterum fol. XII.* In dubia re & nos coniecturas quasdam proferimus. Quod cum CLVVERIO Cheruscorum ditionem in Lauenburgicam vsque regionem protendimus, inde facilius nos Fosos trans Albim ponimus, vt tamen recte eos potuerit TACITVS *conterminam Cheruscis gentem* nuncupare; quam aliis id licuerit, qui Chaucis illas ad inferiorem Albim terras tribuerunt. *Insula Fosetesland in confinio Fresonum atque Danorum*, memoratur ab ALTFRIDO *in Vita S. Ludgeri. Lib. I. Cap. XIX.* Dictam quidem eam ALTFRIDVS ait *a nomine Dei falsi, Fosete.* Quidni autem arbitremur, aut ab idolo Fosorum nomen esse acceptum, aut a Fosis

Saxones & Fosi.

XIX. Igitur credibile putemus & ipsi, primos *Saxones* ante *Fosos* fuisse adpellatos; adeoque in Fosorum Tacito laudata ciuitate primum Saxonum surrexisse nomen. Quam Ptolemæus Saxonibus suis positionem statuit, iam & Fosis demus; nec enim obscure eundem Germaniæ sinum istis Tacitus cum Cimbris tribuit. Coluerunt ceruicem peninsulæ Cimbricæ, nos radicem diximus. Tacitus, cum sinum Germaniæ loquitur, & terram *contra aquilonem* in maria sinuatam potuit significare, & oceanum inter continentem vtramque in immensum progressum sinum; siquidem vtramque vocis potestatem ipsi in vsu esse reperimus. Pertigerint Fosi ad Albis proximum ostio alueum, & ad Chalusum amnem, *ad meridiem*. Ad Albim Chaucorum Cheruscorumque confinia attigere; vt recte conterminam Cheruscis gentem Tacitus dixerit: ad Chalusum Angli successere. Contra septentriones infra Fosos Cimbricæ egerint ciuitates. Has sane cum Saxonibus continuo Ptolemæus connectit. Reliqua ad occcasum, & ad ortum, latera vndique ambiit oceanus. Has sedes bona fidaque antiquitas *Saxoniæ prima* vindicat; & omnino nostri hic coluisse probabuntur Fosi, si saltem primos nobis referent Saxones. Frustra profecto est, quicquid reliqua moremur, qui Fosos simulque Saxones Cimbricæ eripere conatus peninsulæ, vtramque gentem in Scandinauiam suam temerario ausu trans-

Fosorum sedes ex Ptolemæi Saxonum positione æstimantur.

Inepte primi Saxones cum Fosis in Scandi-

nomen insulæ & idoli, quod in hac insula erectum stetit? Sane cum Fosorum positione, quam CLVVERIVS tradit, situs insulæ *Fosetesland*, & ab ALTFRIDO designatus, & ab ADAMO BREMENSI *Hist Lib. IV.* indicatus, vt sit eadem ac *Farria insula, quæ in ostio fluminis Albiæ longo recessu latet, alias Heiligeland adpellata*, optime conuenit.

navium transferuntur.

Germanicae peninsulae radix.

transtulit. Hominem existimes ludere, somniaque narrare ingeniose sua; tam omni obstrepit antiquorum auctoritati, tam omnia turbat, atque miscet. Sed transeant eruditæ fabulæ: nostros Fosos paulo post ætatem Taciti abiisse in nomen Saxonum, ex suscepta semel sententia statuendum erit. Hæc vera fuerit caussa, quod priscum inde prorsus exoleuerit nomen. Licet enim ante tacti fuerint ruina Cheruscorum & Fosi, non tamen hæc nominis obliterati potest esse ratio, cum Cheruscorum post ipsam cladem memoria clara durauerit. Postquam vero Fosi mutato nomine Saxones cœpere esse, recte a nobis dimittuntur. Nempe Saxonum a nobis est expedita historia. De Fosorum ast nomine, prioribusque factis, satisque, longa latentibus obliuione, vltra nihil habemus dicere (*o*).

(*o*) Excursum terrarum in mare non minus TACITVS *Ann. IV. Cap. V.* sinum vocauit. *Initio*, inquit, *ab Suria vsque ad flumen Euphratem, quantum ingenti terrarum sinu ambitur, quatuor legionibus coërcitum.* PTOLEMAEI positio Saxonum hæc habetur. *Καῦχοι οἱ μείζους μέχρι τοῦ Ἄλβιος ποταμοῦ. ἐφεξῆς δὲ ἐπὶ τὸν αὐχένα τῆς Κιμβρικῆς χερσονήσου, Σάξονες. Αὐτὴν δὲ τὴν χερσόνησον ὑπὲρ μὲν τοὺς Σάξονας, Σιγούλωνες ἀπὸ δυσμῶν.* Mox post reliquas ciuitates enarratas pergit; *Μετὰ δὲ τοὺς Σάξονας ἀπὸ τοῦ Χαλούσου ποταμοῦ, μέχρι τοῦ Συήβου ποταμοῦ Φαροδεινοί. Cauchi maiores vsque ad Albim fluuium. Deinde supra dorsum Cimbricæ chersonesi Saxones. Ipsam autem chersonesum supra Saxones ab occasu Sigulones; & ceteri. Post Saxones vero a Chaluso fluuio vsque ad Sueuum fluuium tenent Pharodeni.* Præter generalem regionis definitionem, singulares limites constituit CLVVERIVS: ab *septentrionibus* mare Sueuicum & perangustum maris sinum, qui Slesuicum oppidum adluens vulgo dicitur de *Slye*: hinc isthmum inter intimum dicti sinus recessum & oceanum, qua oppidum est Husem, porrectum, spatio M. P. XIIX. ab *occidente* oceanum & Albim flumen, a *meridie* idem flumen, ad confluentem vsque Billii amnis. ab *ortu hiberno* ipsum Billium, & a fonte eius flumen Chalusum, ad mare vsque Sueuicum. *ab ortu æquinoctiali* dictum mare. Continetur istis finibus *Holsatia*, cum proxima *Slesuicensis ducatus* parte. In Scandinauiam transtulit & Fosos TACITI, & PTOLEMAEI Saxones, OLAVS RVDBECK *Atlantica Cap. XXI. & XXIV.* Quid vero? quod idem omnem Cimbricam chersonesum in extremas Scandinauiæ oras, confisus poëtarum quibusdam narratibus, confidentissime transponat.

Finis Tomi Primi.

(o)

LIBER V.

DE

PRISCIS POPVLIS ORIENTALIS ET AQVILONALIS GERMANIAE.

CAPVT I.

PENINSULAE GERMANICAE PRISCI POPVLI.

I.

Limine Orientalis Germaniæ iam modo salutato, pergimus in eam intrare, populosque nostros curiosis lustrare oculis. Sed Cimbros, Teutonosque, adhuc ante considerabimus, cum ad sinum illum Germaniæ fuerit ventum; quam accesserimus ad vastam Sueuiam, omnem reliquam ad orientem Germaniam occupantem. Namque subest & hæc causa, quod vtraque natio videatur nomen dedisse Saxoniæ; vnde cum Anglis, qui inter Suenos primi cernentur, nominari merentur & spectari primo post Saxoniam visam loco. Nomen

De ceteris populis Transalbinæ posterioris Saxoniæ inquiritur.

CIMBRORVM,

Germania peninsula.

Cimbrorum in peninsula nomen;

quos actutum respicimus, recte de *fortibus pugnatoribus* interpretere: id enim & suadet Germanici vocabuli vis, & persuadent veteres; qui *predones* existimarunt a Germanis Cimbros vocari, cum fortassis de pugnatoribus accepissent, barbarorum autem bellatricem indolem ipsi verbo duriore infamarent. Græci Cimbros adpellarunt *Cimmerios*, vocabulorum haud dubie parilitate inducti: vetustissimos enim, quos Homerus laudat, Cimmerios Cimbrorum nostrorum fuisse prosapiam, nemo temere crediderit. Quod vero sequente ætate Cimbri, dum Sarmatiam pererrarent, vetustas Cimmeriorum sedes adirent, accedente parili nomine, facile cum Cimmeriis Cimbri commisceri cœperunt. Dubitanter ponam, Cimmerios fortassis Germanici fuisse generis, & in eorum numero, qui, cum ceteri in Germaniam penetrarunt, in Sarmatia perstiterunt; vnde & Cimbris, peritius ex vetustis carminibus gnaris, potuerit persuaderi longa in Sarmatiam migratio: & vnde, si placet, Græcis vtriusque nominis permistio fuerit probata. Habitarunt ab omni memoria peninsulam, quæ a natione *CIMBRICÆ CHERSONESI* accepit nomen. Eam longe olim, quam nunc, ampliorem exstitisse, & nationis magnitudo postulat, & credi cupiunt crebræ, prope peninsulæ littora, insulæ; & quod ipsis quondam Cimbris migrandi fuerit causa, frequens terræ ipsorum inundatio: quam male in fabulis relatam esse a Strabone, arguto scilicet hoc loco critico, tristis sæpe docuit experientia. An omnem quondam incoluerint peninsulam, vtrum eam tantum partem, quam postea eis attribuit Ptolemæus? non quæritur inepte. Existimo sane, æuo antiquiori totam minimum chersonesum Cimbros insedisse; vnde & nomen chersonesi: inde, postquam ingens multitudo populi periisset, immigrasse in radicem peninsulæ Fosos, tunc fortassis a Fusa amne trans Albim profectos; ipsos Cimbros, par-

antiquiores,

Cimbri. uam tunc ciuitatem, vlterioribus fuisse contentos agris. (*a*) II.

LIB. V.

(*a*) Notatio nominis *CIMBRORVM* facile perspicitur. Nos *bellare* adpellamus *Kämpffen*; & *fortis bellator* nobis *Kämpffer* dicitur, & variante dialecto *Kamper*, & *Kimper*, siue *Kimber*. PLUTARCHUS *in Mario*, Cimbros, ait, Germanicas gentes fuisse; tum hanc stirpem corporum habitu, tum *lingua, qua Cimbri latrones audiant*, rem comprobante. POMPEIUS FESTUS dicit, *Cimbros Gallica lingua latrones vocari*. Male contra PLUTARCHUM & FESTUM hic multi declamant, quasi hanc nominis potestatem ignominiæ ergo finxerint. *Latronis* olim nomen *militem*, seu *bellatorem*, notauit; & *latrocinari* dicti, qui *militarent*. Vid. PLAUTUS *in Milit. Act. I. Sc. I. vers. 75. Rex Seleucus me opere orauit maximo, vt sibi latrones cogerem & scriberem. Idem Trin. Act. II. Sc. IV. sub fin.* Plura testimonia habet PONTANUS *Dan. Hist. Lib. I. pag. 10.* & alia, simul ac elegantem nominis Cimbrorum expositionem ROBERTUS SCHERINGHAM *de Orig. Angl. Cap. III.* Audierint itaque Romani, Cimbrorum nomen notare milites & bellatores; continuo latrones vocarunt, bono adhuc vocabuli sensu: nomine postea ob graues acceptas calamitates in malam conuerso partem. *Cimbros* Græci adpellarunt *Cimmerios*, maxime ob vicinitatem nominum. STRABO *Lib. VII.* ex POSIDONII scriptis ait. *Οὐ κακῶς εἰκάζει, ὅτι λῃστρικοὶ ὄντες, καὶ πλάνητες οἱ Κίμβροι, καὶ μέχρι τῶν περὶ τὴν Μαιώτιν ποιήσαιντο στρατείαν· ἀπ' ἐκείνων δὲ καὶ ὁ Κιμμέριος κληθεὶς βόσπορος, οἷον Κιμβρικὸς, Κιμμερίους τοὺς Κίμβρους ὀνομασάντων τῶν Ἑλλήνων. Non inepta coniectura colligit, Cimbros, quum essent homines vagi ac latrones, ad Maotin quoque lacum vsque armis progressos, ab iis autem cognominatum Bosphorum Cimmerium, quasi Cimbricum; quum Græci Cimbros Cimmeriorum nomine adfecerint.* STEPHANUS *Ethnographus in voce* *Ἄβροι. Κίμβροι, οὓς τινὲς φασι Κιμμερίους. Cimbri, quos quidam Cimmerios vocant.* Non autem antiquissimi Cimmerii, quos HOMERUS memorat, nostri sunt Cimbri. Vid. PONTANUS *Chorogr. Daniæ descript. in Hist. Dan. pag. 646.* Dicti sunt Cimmerii, eam etiam ob causam, quod in veteres Cimmeriorum sedes & Cimbri inuaderent: vnde quidem Bosphorus, qui ante *Κιμμέριος* dictus, potuit deinceps *Κιμβρικὸς*, quod POSIDONIUS tradidit, adpellari: & diserte STRABO *Lib. XI.* ad *Maotim Cimbricum quendam pagum* ostendit: *vbi naues soluant, qui paludem Maotim nauigant.* Quod addo de probabili Cimmeriorum stirpe Germanica, licet non ex Germania aduenerint; placere etiam *illustri* LEIBNITIO *in Notis ad* TACITUM *Germ. Cap. XXXVII.* reperi, & arbitratur is, Bastarnarum, vicinæ nationis, Cimmerios fortassis consanguineos fuisse: De Cimbrica chersoneso copiose ex STRABONE, POMPONIO, PLINIO, TACITO, PTOLEMÆO, MARCIANO HERACLEOTA, & recentioribus, egit JOH. Is. PONTANUS *Chorogr. Daniæ descriptione.* Maiorem olim peninsulæ magnitudinem ex variis, qui eam hodie præia-

& recentiores sedes:

II. Definire istas extremas Cimbrorum sedes, ex Ptolemæi aliorumque veterum auctorum positione, erit facillimum. Tacitus tantum ait, eundem eos Germaniæ sinum, quem Fosi scilicet, contermini Cheruscis, tenuere, Cimbros etiam tenuisse. Distinctius Ptolemæus primos locat in peninsula *SAXONES*, quos dubio procul Eidora amnis finiit. Inde ponit ad occidentem *SIGULONES*, dein *SABALINGIOS*, inde *COBANDOS*; supra, aut, ad nostrum dicendi morem, infra hos *CHALOS*, & rursus supra, aut infra, eos ad occidentem *Fundusos*, ad orientem *CHARUDES*; omnium hinc maxime septentrionales, *CIMBROS*. Quot quæso in vna peninsula post Saxones nomina! Nempe quiuis facile viderit, cùm ceteri omnes auctores solos Cimbros nominauerint, Ptolemæum etiam pagos & ciuitates Cimbricas recensere. Sic, cum Frisiorum pagos nemo memorauerit, Plinius Frisiabones, Auchos, Sturiosque, obscura alioqui nomina, nostræ prodidit memoriæ; quod exemplum in memorabilis Cimbricæ gentis descriptione Ptolemæum voluisse imitari, veri per est simile. Vt itaque ab Eidora inceperint Cimbrorum regiones, finesque ad austrum Fosorum, Saxonumque

Germania peninsula.

pagi & ciuitates.

cent, insulis commode CLUVERIUS *Cap. XXII.* coniicit. Et suadet, magnam contigisse terrarum inundationem, causa exeundi; quam ex POSIDONIO & aliorum Græcorum narratibus STRABO *Lib. VII.* memorat, sed & inepte refutat. *ὅτε γὰρ τὴν τοιαύτην αἰτίαν τῆ πλάνητος γενέσθαι, καὶ λῃστρικὰς, ἀποδέξαιτ' ἄν τις, ὅτι χεῤῥόνησον οἰκοῦντες, μεγάλῃ πλημμυρίδι ἐξελαθεῖεν ἐκ τῶν τόπων. Non enim hac*, inquit, *de causa*, *eos*, *vt incertis vagarentur sedibus*, *& latrociniis victum quærerent*, *compulsos crediderim*, *quia e peninsula*, *quam inhabitabant*, *diluuio fuerint eiecti*. Ipsas STRABONIS rationes, quibus illam exeundi traditam causam impugnat, in auctore vide. Sed vt STRABO, & qui eum sequuntur, alii, nihil efficiant contra crebram experientiam; ita recte FLORUS *Lib. III. Cap. III.* dixit: *Cimbri, Theutoni, atque Tigurini, ab extremis Germaniæ profugi, quum terras eorum inundasset oceanus, nouas sedes toto orbe quærebant.* Quod adiicimus, Cimbros videri integram habitasse chersonesum, PONTANO *Hist. Dan. Lib. I. pag. 11.* omnino probatur: & opinatur, ad Albis ostium adsitam humiliorem regionem maxime eam fuisse, quam frequenter oceanus inundauerit.

Cimbri, numque primorum, contigerint, ceteros fines omnes vastus semper dedit oceanus. Cimbrorum quoddam promontorium longe in maria excurrere, peninsulamque efficere, quæ *Cartris* adpelletur, Plinius scribit. Quale istud sit promontorium, qualis peninsula? contendunt inter se eruditi. *Nominis Cartris complexio.* Omnes totius peninsulæ nomen Cartris fuisse arbitrantur; sed alii a Chaluso amne & Albi excurrere promontorium arbitrati sunt, alii ab Eidora amne, & aduerso, qui hodieque visitur, isthmo. Ipse vim verborum Plinii rite expendens minime iudico, integram Cimbricam chersonesum Cartris venisse nomine; Sed quod promontorium Cimbrorum ait in maria excurrisse, extremam opinor peninsulæ in maria sinuatam partem Cartrin adpellatam esse: non enim tanta tellus, qualem habet peninsula tota, vnquam promontorii nomine a Plinio insignita fuerit; vere autem promontorium in mare excurrens, nouamque peninsulam, vocaueris, quam contra Scandinauiam protendi & excurrere hodieque conspicis. Quæ rursum ab opinioso homine, qui præcipue Germaniæ veram antiquitatem sibi sumsit impugnandam, mouentur, vt Cimbros in extremas caliginosasque Scandinauiæ oras transferat, *De opinatoris cuiuspiam Scandicis Cimbris.* & isto modo Homeri poëtarumque interpretetur commenta; sunt leuia & oppido infirma argumenta, in quibus refutandis, cum integra nobiscum faciat antiquitas, nolim tempus frustra consumere. *(b)*

(*b*) STRABO videtur a sinistra Albis ripa chersonesum Cimbricam locare, inter Albim & Rhenum. Ait *Lib. VII.* Τῶν δὲ Γερμανῶν, ὡς εἶπον, οἱ μὲν προσάρκτιοι παρήκουσι τῷ Ὠκεανῷ. Γνωρίζονται δ᾽ ἀπὸ τῶν ἐκβολῶν τοῦ Ῥήνου λαβόντες τὴν ἀρχὴν, μέχρι τοῦ Ἄλβιος. Τούτων δ᾽ εἰσὶ γνωριμώτατοι Σούγαμβροί τε καὶ Κίμβροι. *Germanorum, vt diximus, septentrionales qui sunt, propter littus oceani porriguntur: ac noti sunt ab ostiis Rheni vsque ad Albim. Horum autem notissimi sunt Sugambri & Cimbri.* TACITUS *Germ. Cap. XXXVII. Eundem,* inquit, *Germaniæ sinum proximi oceano Cimbri tenent.* PTOLEMÆUS *Lib. II. Cap. XI.* vocat Κιμβρικὴν χερσόνησον, *Cimbricam Chersonesum,* & cum ciuitatibus Cimbricis commode definit. Primum hæc peninsulæ ab eo prolata est dimensio. Ἡ μετὰ τὸν Ἄλβιν ἐξοχή· Ἡ ἐφεξῆς ἐξοχή· Ἡ ἔτι ἐφεξῆς, καὶ ἀρκτικωτάτη· Τὸ ἀνα-

Historia migrationis Cimbrorum vetustæ.

Germania peninsula.

III. Ingens Cimbrorum gloria, quam omnis prædicat vetustas, alio a me loco curate exponetur; hic breuia nos docent. Exiere ex peninsula Cimbri longe ante, quam in Romanas

πολλικώτατον αὐτῆς· Ἡ μετὰ τὴν ἐξοχὴν πρώτη ἐξοχή· Ἡ ὑπὸ ταύτην ἐφεξῆς· ἡ πρὸς ἀνατολὰς ἐπιστροφή· χαλύσα ποταμοῦ ἐκβολαί. Extensio post Albim: extensio quæ sequitur: alia, quæ sequitur, maxime septentrionalis: pars eius maxime orientalis: post extensionem hanc prima extensio: dein, quæ sub hac sequitur: inde conuersio ad orientem: Chalusi amnis ostia. Numeros PTOLEMÆI, quod vitiosi sunt, non adiicimus. CLUUERIUS ita illam PTOLEMÆI dimensionem interpretatur. *Extensio post Albim flumen est in regione Eyderstede, ad Vicum Wester Heuer. extensio, quæ sequitur, est ad promontorium, quod vulgo dicitur Bouwensberg. quæ rursus sequitur, maxime septentrionalis, nunc promontorium Hanwith. pars eius maxime orientalis, eadem est, quod promontorium Cimbrorum* PLINIO *Lib. II. Cap. LXVII. & Lib. IV. Cap. XIII. nunc vulgo Skage. Post eam extensionem prima extensio, est peninsula, in qua oppidum nunc Grimstede. quæ sub hac sequitur, insula Alsen est obuersa, ubi vicus Nubel. ad ortum conuersio, in extremitate peninsulæ, est in Holsatia regione, quæ dicitur Wagerland, ad insulam Femern; ubi vicus Korstorp. Chalusus amnis* nunc vulgo dicitur *die Traue*, Lubecam adluens. Ita vero contra positionem Saxonum, quos ad isthmum Slesuicensem protulimus, videtur Cimbris, monstrante PTOLEMÆO, tribuenda esse maxima *VVagria*, magnaque *propria Holsatiæ*, portio, cum integro *ducatu Slesuicensi*, & *Jutia*. Vid. PONTANUS *Chorogr. Dan. descript. de Cimbrica chersoneso Claudii Ptolemæi pag. 648.* De populis, qui infra Saxones contra septentriones coluerunt, hæc PTOLEMÆUS habet. Αὐτὴν δὲ τὴν χερσόνησον ὑπὲρ μὲν τὰς Σάξονας Σιγούλωνες ἀπὸ δυσμῶν. Εἶτα Σαβαλίγγιοι. Εἶτα Κοβανδοί. Ὑπὲρ οὓς Χάλοι. Καὶ ἔτι ὑπὲρ τούτους δυσμικώτεροι μὲν Φουνδοῦσοι. Ἀνατολικώτεροι δὲ Χαρούδες. Πάντων δὲ ἀρκτικώτεροι Κίμβροι. *Peninsulam ipsam tenent supra Saxones ab occasu Sigulones: postea Sabalingii: post Cobandi; supra quos Chali: & super iis quoque, magis quidem occidentales, sunt Phundusi: magis vero orientales, Charudes: omnium autem maxime septentrionales Cimbri.* Quos singulis hisce pagis, vt opinor, Cimbricis, fines tribuat CLUVERIUS, apud ipsum vide. PONTANUS *dicto loco pag. 649. 650.* nominum singulorum reliquias ex PTOLEMÆI tabula peruestigat, & erudite declarat. Quod arbitratur *Harudes*, CÆSARI in Ariouisti copiis memoratos *Bell. Gall. Lib. I. Cap. XXXI. XXXVII. & LI.* eosdem esse ac Charudes PTOLEMÆI, non est inepta coniectura. Potuere enim ex Cimbris profugi ad Marcomannos se recipere, & proprio pagi nomine deinde in iis consistere. De Promontorio Cimbrico PLINIUS *Lib. IV. Cap. XIII.* hæc narrat: *Promontorium Cimbrorum excurrens in maria longe peninsulam efficit, quæ Cartris adpellatur.* Quantum ego video, nomen Cartris non fuit, nisi promontorio in maria longe procurrenti. Pro-

Cimbri.

manas inuaderent prouincias: perquam enim diu in vasta eos Sarmatia vagatos esse, omnes auctores ostendere. Exeundi causam diximus, nec a Strabone male eam taxatam dissimulauimus. An tantum autem æuum migratio eorum habeat, quale Plutarchus, quale & alii auctores, memorarunt? de eo olim inquiremus. Eos falli sua opinione putem, qui Homeri iamdum ætate Cimbros migrasse existimant; quod nimirum ille Cimmeriorum in suis poëmatis meminerit. Malo audire, qui Gallorum a Liuio laudatam migrationem & Cimbrorum eandem esse prodiderunt; in qua sententia esse Justinum, Appianum, & alios veterum, reperio.

Quam ætatem habuerit illa migratio, antequam in Mario imperatore staret?

An. V. C. CXLIII. Ante C. N. IↃLXXXVIII.

Fortassis, cum Liuius dicat, parti Gallorum Italiam, parti Hercyniam siluam, sortibus datam; illa Cimbrorum portio, Gallorum nomine nota, in Italiam statim peruasit, altera in Hercynias siluas, quæ teste Cæsare in ipsam excurrerunt Sarmatiam, continuo transiit. Nam & Liuii *Gallos* a Græcis *Hyperboreos* esse vocatos, & diserte a Floro, *ab ultimis terrarum oris, & cingente omnia oceano*, esse adductos, alibi meminimus; vtraque vero in Cimbros bellissime quadrare, cum ad Gallos Celtas ægre referri queant, quis non cernit?

An. V. C. CCCCXI. Ante N. C. CCCXL. circiter.

Si mauis, quod Aristoteles narrat de Celtis contra fluctus maris bellum gerentibus, eius æuo crebris eluuionibus Cimbri fuerint coacti solum vertere. Certe plus centum annis, rem egregie Plutarcho scribente, Cimbri omnem Sarmatiam atque Germaniam pererrauerant; antequam victis aliquot consularibus exercitibus, gens,

montorium interpretantur omnes de eo, cui *Skagen* hodie nomen est. Reperio vero, plenam ibi peninsulam esse, vbi ditio *VVensussel* est; quam forsitan PLINIUS intellexerit. Quod si vero hoc respexeris, quod alibi PLINIUS memorauit: *Septentrionalis oceanus maiori ex parte nauigatus est auspiciis Augusti Germaniam classe circumuecta ad Cimbrorum promontorium:* tum sane credideris, si vtrumque idem fuerit promontorium, ad ostium Albis id quærendum fuisse. Ad Albim Romana classis nauigauit, nunquam ad septentrionales Cimbricæ chersonesi partes peruenit. VELLEIUS *Lib. II. Cap. CVI.* OLAUM RUDBECK *Atlantica Cap. XXI.* Cimbricam chersonesum Scandinauiæ vindicare conatum esse, supra diximus.

gens, maiorem terrarum partem victoriis peruagata, Quinctiliano dicente, in Mario staret. Transiisse tanto temporis spatio plures in Cimbrorum nomen, licet minor ex peninsula exierit numerus, facile largiar. Qui enim plures vicerant gentes, non paucos etiam ex iis milites in commilitium adsciuisse, est probabile. Sed vt ordinem cladis, cum a Romanis, tum demum a Cimbris nostris, acceptæ transmittam; vbi illa quæsierimus *castra ac spatia vtraque ripa, quorum ambitu*, ex ore Taciti, *nunc quoque metiaris molem, manusque gentis, & tam magni exitus fidem?* Multi, qui magis sibi sapere videntur, aut in Gallia, aut in Italia, hæc castrorum vestigia indagarunt. Cum vero *magni exitus fides* inde probari debuerit, malim ego cum diuersis in chersoneso ipsa illa castra & ingentia spatia inuestigare; in locis præsertim, vbi *magnæ molis* hodieque nomen seruatum est. Quis & prohibeat, munimenta contra oceani inundationem in peninsula, atque in vtraque ripa, structa a Cimbris existimare, quæ non poterant minus manus gentis copiosas testari, & magni exitus, postquam non crederentur contra maris furorem posse sufficere, fidem facere? Sane res memorabiles domi gestæ, tum cum legatos Cimbri ad Augustum mitterent, non difficulter in notitiam Romanorum peruenire potuerunt. (*c*)

Germania peninsula.

An. V. C. IↃCLI. IↃCLII. Ante C. N. C.XCIX.

Vbi castra magni exitus fidem facientia?

IV.

(*c*) Vid. de Cimbrica expeditione sæpe laudatus PONTANUS *Hist. Dan. Lib. I.* vbi res Danicas describendi ab expeditione Cimbrica capit exordium: CHRIST. CELLARIUS *Dissert. Histor. de Cimbris & Teutonis.* Quando Cimbri exierint ex chersoneso sua? res iam olim plenæ dissensionis exstitit. Græci Cimmerios antiquissimos, Homero cognitos, partem vniuersi esse iudicarunt Cimbrorum populi; teste STRABONE *Lib I. & VII.* Posteriore loco diserte ait: *ὅτι λῃστρικοὶ ὄντες καὶ πλάνητες οἱ Κίμβροι, καὶ μέχρι τῶν περὶ τὴν Μαιῶτιν ποιήσαιντο στρατείαν. ἀπ' ἐκείνων δὲ καὶ ὁ Κιμμέριος κληθεὶς Βόσπορος, οἷος Κιμβρικὸς, Κιμμερίας τοὺς Κίμβρους ὀνομασάντων τῶν Ἑλλήνων. Cimbros homines fuisse prædones & vagos, armisque ad Mæotim vsque lacum progressos: & fuisse ab iis Cimmerium Bosporum denominatum, quasi Cimbricum, cum Græci Cimbros Cimmeriorum nomine afficiant. Lib. XI.* autem, iam Homeri ætate Cimmeriorum Bosporum hoc nomen habuisse, magnamque ea ætate Cimmeriorum fuisse potentiam, memorat. PLUTARCHUS in *Mario* magis adhuc plane atque dilucide rem

Cimbri. IV. Non est nimirum omnis Cimbrorum exercitus, quod quidem Romani suadere videntur, a Mario in Italiæ aditu deletus; sed magna eius pars post suorum cladem in patriam, ex maio- Reliquorum & reducum Cimbrorum in peninsula acta.

exponit: Ἄλλοι δὲ φασι Κιμμερίων τὸ μὲν πρῶτον ὑφ' Ἑλλήνων τῶν πάλαι γνωσθέντων, οὐ μέγα γενέσθαι τοῦ παντὸς μόριον, ἀλλὰ φυγήν ἢ στάσιν τινὰ βιασθεῖσαν ὑπὸ Σκυθῶν, εἰς Ἀσίαν ἀπὸ τῆς Μαιώτιδος διαπεράσαι Λυγδάμιος ἡγουμένου. Τὸ δὲ πλεῖστον αὐτῶν καὶ μαχιμώτατον ἐπ' ἐσχάτοις οἰκοῦν παρὰ τὴν ἔξω θάλασσαν. οὓς περ δή φασι γῆν μὲν νέμεσθαι σύσκιον καὶ ὑλώδη, καὶ δυσήλιον πάντη, διὰ βάθος καὶ πυκνότητα δρυμῶν, οὓς μέχρι τῶν Ἑρκυνίων εἴσω διήκειν. οὐρανοῦ δὲ εἰληχέναι, καθ' ὃ δοκεῖ μεταλαμβάνων ὁ πόλος ἔξαρμα, διὰ τὴν ἔγκλισιν τῶν παραλλήλων, ὀλίγον ἀπολείπειν τοῦ κατὰ κορυφὴν ἱσταμένου σημείου πρὸς τὴν οἴκησιν· αἵ τε ἡμέραι βραχύτητι καὶ μήκει πρὸς τὰς νύκτας ἴσαι κατανέμεσθαι τὸν χρόνον. δι' ὃ καὶ τὴν εὐπορίαν τοῦ μυθεύματος Ὁμήρῳ γενέσθαι πρὸς τὴν νεκυίαν. ἔνθεν οὖν τὴν ἔφοδον εἶναι τῶν βαρβάρων τούτων ἐπὶ τὴν Ἰταλίαν, Κιμμερίων μὲν ἐξ ἀρχῆς, τότε τε Κίμβρων, οὐκ ἀπὸ τρόπου προσαγορευομένων. *Alii autumant, Cimmerios, qui primi quondam a Græcis sunt cogniti, partem exiguam fuisse vniuersi, tantum cateruam quandam profugorum vel seditiosorum, ab Scythis compulsam a Maeotide lacu in Asiam duce Lygdamio traiicere. maximam eorum multitudinem & bellicosissimam in vltimis ad oceanum oris habere sedeis. regionem incolere ob profundas ac densas siluas, quæ ad Hercynios vsque saltus introrsus pertinent, caliginosam, nemorosam, & opacam. cælum sortitos, qua polus septentrionalis, ex parallelorum inclinatione sublimis, parum distare videtur ab imminente incolarum vertici puncto. vbi dies, breuitate & prolixitate pares noctibus, in parteis duas secant anni tempus. Vnde argumenta suppeditasse Homero fabulæ de inferis scribenti. Atque inde hos Barbaros in Italiam mouisse: qui primum Cimmerii, tunc non absone Cimbri, dicti sunt.* Ergo vetustissimos Cimmerios primam Cimbrorum coloniam fuisse, Græci opinati sunt. Nos modo posuimus, videri & ipsos Cimmerios Germanicam fuisse gentem, quæ ad Mæotim perstiterit. Non inepte adiecerimus, colonias subinde ex Cimbrica chersoneso, ante præcipuam expeditionem, emissas esse, vnde fortassis de conditione alterius Cimbrorum patriæ Græci quædam acceperint. Interim, quod Græcis videtur, quasi iam ante Homeri ætatem omnis Cimbrica natio in Sarmatiam migrauerit: quod ita Anno mundi M M M. circiter, & ante C. N. C M L. prope anno, contigisset: minime id ego defenderim, aut probarim. Quod Olaus Rudbeck, ex Plutarchi hac descriptione, Cimbros conatus est in extremam contra septentriones Scandinauiam reiicere, prorsus fere frustra est. Integra enim antiquitas vni huic Plutarchi ex vaga fama acceptæ narrationi repugnat. Cimbricam expeditionem, alteramque Gallicam, a Livio *Lib. V. Cap. XXXIV.* & Floro *Lib. I. Cap XIII.* memoratam, plures vnam eandemque migrationem populorum censent esse. Ex veteribus, præter argumenta, ex

maiorum narratibus haud dubie cognitam, Germanicis ciuitatibus transitum tutum concedentibus, abiit, priscasque nationis cognationes reuisit. Ciuitas fuit exigua; sed gloria ingens, solaque memoria Romanis horribilis & formidolosissima: quam exinde Tacitus in chersoneso reperit. Latent etiam reliqua eorum facta fataque multa obliuione obruta & sepul- *Germania peninsula.*

PLUTARCHI *in Camillo* memorato HERACLIDIS PONTICI testimonio de Hyperboreis, & FLORI narratione desumta; magis plane APPIANUS *in fragment. de Bell. Gall. & de Bell. Illyricis*, & JUSTINUS *Lib. XX. Cap. V. Lib. XXIV. Cap. IV. Lib. XXXII. Cap. III. Lib. XXXVIII. Cap. III.* illi fauent sententiæ. Laudandus hic etiam aliqua ex parte OL. RUDBECK *Atlantica Cap. XXXVII.* vbi idoneis argumentis illam Gallicam vetustam expeditionem Scandinauiæ vindicat: sed hæc in historia persequemur. CLUVERIUS demum ætate Aristotelis, aut paulo ante, existimat illam Cimbricam expeditionem susceptam esse. Ille enim *Eudem. Lib. III. Cap. I.* putatur causæ expeditionis factæ claris verbis meminisse: *Οἷον οἱ Κελτοὶ πρὸς τὰ κύματα ὅπλα ἀπαντῶσι λαβόντες. quemadmodum si Celtæ sumtis armis occurrant fluctibus.* PLUTARCHUS *in Mario* saltem testatur, plurimum tempus Cimbros omnem terram peruagatos esse. Et QUINTILIANUS *Declam. III. Gens,* inquit, *maiorem terrarum partem victoriis peruagata, tantum in Mario stetit.* Tempus autem iustum per omnes eruditorum lites vix tamen nisi probabiliter patet. Jam ordinem expeditionis clarissimæ visurus, adeat FLORUM *Lib. III Cap III.* LIVIUM *Epit. LXIII. LXV. LXVII. LXVIII.* VELLEIUM *Lib. II. Cap. XII.* PLUTARCHUM *in Mario*, & alios plures. Castra magni exitus fidem facientia memorat TACITUS *German. Cap. XXXVII. Eundem Germaniæ sinum Cimbri tenent, parua nunc ciuitas, sed gloria ingens. Veterisque famæ late vestigia manent, vtraque ripa castra ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis & tam magni exitus fidem.* Et paucis verbis addit de Cimbrorum expeditione: *Sexcentesimum & quadragesimum annum Vrbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone COSS. Ex quo si ad alterum imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti ferme & decem anni colliguntur. tandiu Germania vincitur. cetera.* CLUVERIUS illa castra vel in Gallia, vel in Italia, quærit. ALTHAMERUS, PICHENA, KIRCHMAIERUS, de opere quodam Cimbrorum in ipsa chersoneso interpretantur. Agger est inter sinum *Slye*, & *Treiam* flumen, ductus, qui *Danorum opus, das Danen VVerck*, vulgo adpellatur, cuius hodieque superant vestigia. Et ipse demum PONTANUS putat, TACITUM ad hoc opus videri respexisse. Licet enim Caroli æuo hunc aggerem constitutum, annales prodant, non deesse fidem longe antiquius eum exstructum esse, & Caroli Magni ætatem circiter instauratum modo & reparatum.

Cimbri. sepulta; vt vix nomen gentis alicubi posthac deprehendere liceat. Existimo, sumta ab aliis bellis vacatione, statim piraticam excoluisse *CIMBROS*, & demum eiusdem studiosos *SAXONES* ingenti suæ gentis accessione auxisse. Saxonicum fœdus. Tempus, quo Saxonia Cimbros complecti cœperit, non licet accurate definire. Certe in Saxonia, quam nominauimus, tertia fuere Cimbri; an iam ante in eam imputati? non dixerim. Plene demum nomini Cimbrorum obscurato aliud Nomen Jutarum Cimbrico nomini successit. nomen VITARVM, seu IVTARVM, successisse, constat. Erant Jutæ ex tribus nationibus, quæ Britanniam quinto seculo occuparunt; non certe, nisi ex Cimbrica aduecti peninsula, cum Angli superiora, & maxime Saxones Cisalbinos tunc tractus, & littora maris, obsiderent. Vnde Vitarum ortum fuerit nomen? non coniicio; nisi placuerit vetustam Gothorum in chersonesum migrationem cum quibusdam statuere, vnde *Jutarum* seu *Gutarum*, reliquum nomen æuo sequiori sit resuscitatum. Postremum, quantum videtur, NORMANNORVM nomen non ab incolis nostræ peninsulæ Cimbricæ alienum exstitit. Eo tamen citius ex his exciso oris, magis seruatum est Iutarum vocabulum; quod hodieque regionis totius communis refert adpellatio. *(d)*

V. De

(d) Ingentem cæsorum Cimbrorum Teutonorumque, & prope incredibilem, numerum Romani scriptores ineunt: quod olim ostendemus. Mansere sane non pauci reliqui, qui & in Gallia consedere, & in Cimbricam chersonesum rediere. Aduaticos ex Cimbris Teutonisque prognatos ostendit CÆSAR *Bell. Gall. Lib. II. Cap. XXIX.* Fortassis Charudes Ptolemæi Harudibus ad Rhenum ortum dederunt. TACITUS *Germ. Cap. XXXVII*, *Eundem Germaniæ sinum*, inquit, *Cimbri tenent, parua nunc ciuitas, sed gloria ingens.* Hos, partem magnam reliquos ex clade Cimbros fuisse, qui in chersoneso inde habitarunt, STRABO *Lib. VII.* declarat: *Καὶ γὰρ νῦν ἔχουσι τὴν χώραν, ἣν εἶχον πρότερον, καὶ ἔπεμψαν τῷ Σεβαστῷ δῶρον, τὸν ἱερότατον παρ' αὐτοῖς λέβητα, αἰτούμενοι φιλίαν καὶ ἀμνηστίαν τῶν ὑπηργμένων. τυχόντες δὲ, ὧν ἠξίουν, ἀπῆραν.* *cum hodieque* (Cimbri) *antiquas incolant sedes, nuperque Augusto lebetem, qui apud ipsos sacerrimus habetur, dono miserint, amicitiam expetentes & veniam illatarum iniuriarum; eaque consequuti domum redierint.* Tum, aut paulo deinde, Cimbrorum pars se

Status Cimbrorum publicus.

V. De statu Cimbrorum publico nil Tacitus meminit; rursum commemoratione priscæ Cimbrorum gloriæ, quo minus ad alia attenderet animum, interpellatus. Cum tamen

Germaniæ peninsula.

dedit Romanæ militiæ: nam teste JUSTINO *Lib. XXXVIII. Cap. III.* Mithridati regi Cimbri etiam militarunt. Sane meminit NOTITIA *Imperii Occidentis sub dispositione Magistri peditum Præsent in XII. Palatinis Legionibus* *CIMBRIANORUM:* hosque PANCIROLLUS *Comm. Cap. XX.* ex Cimbris lectos esse, attestatur. Rursus NOTITIA *Orientis sub dispos. Ducis Mœsiæ secundæ*, habet *Cimbrianos milites*: sed hos, cum Cimbrianis excubarent, inde nomen habuisse, adeoque nihil ad nostros spectare Cimbros, contendit idem PANCIROLLUS *Comm. Parte I. Cap. CLIII.* In Saxonico fœdere magnam præsertim Cimbrorum gloriam fuisse, ex CLAUDIANO, qui Saxonibus Cimbrorum omnino nomen tribuit, satis declarauimus. Cum ignotas nauigationes susciperent, ex eruditissima obseruatione *Ill.* LEIBNITZII *in notis ad Excerpta Veterum fol. XII.* probabile esse puto, partem eorum in Britanniam aduectam ibi sedes occupasse. Veteres quippe Britanniæ maioris incolæ, ex antiquo genere in Wallia & Cornwallia superstites, *Cumrai* sibi ipsis dicuntur ab antiquis *Cimbris*, parentibus ipsorum; vt postea Angli, successores Britannorum, orti sunt a Saxonibus & Jutis, successoribus Cimbrorum. Et Wallica lingua semigermanica est, vt examinando deprehendere eruditi; nec dubium, posteriores Germanos ab antiquissimis tantundem discessisse, quantum Germanica lingua a Wallica, vel Gallica vetere, hodie abest. Iisdem in locis, vbi olim Cimbri proprii egere, nunc *IUTAE* sunt, terraque *Jutia* est. Nomen illustratum demum est in Saxonum in Britanniam nauigatione: vbi *Vitas*, siue transpositis litteris, *Iutas* meminit BEDA *Lib. I. Hist. Eccl. gentis Anglorum Cap. XV.* ad Ann. CCCCXLIX. *Aduenerunt autem de tribus Germaniæ populis fortioribus, id est Saxonibus, Anglis, Vitis.* (Iutas alii codices agnoscunt) Vnde horum nomen? ARNGRIMUS JONÆ, Islandus, Iutas interpretatur de *gigantibus*, quos *Jat* Noruagi & Islandi adpellent; vt adeo iidem Cimbri, qui a robore & animi, & corporis, ante adpellari voluerint, iam a proceritate corporum *Iuta* seu *gigantes*, dicti fuerint. Alii vocant lubentius *Vitas*; arbitrati, in insula *Vicht*, seu *VVight*, quam, quod BEDA dicit, insederunt, verum adhuc populi nomen reliquum esse: qui falluntur vero, quod iam Vectis insula antiquis eo nomine cognita est. Plures verum nomen esse, quod proxime gentis originem doceat, postulant: esse *Iutas Gothorum* Scandinauiæ satu ortos: inde nomina *Getarum*, *Giotorum*, *Iotorum*, *Gutarum*, *Geatunorum*, & similia, trahi, quæ eandem gentem, quam *Vitas*, seu *Iutas*, BEDA variis locis adpellitet, designent. Sane declarauit ROB. SCHERINGHAM, *de Anglorum gentis Origine Disceptatione Cap. II.* plurima Saxonica Anglorum monumenta vnum alterumue illorum vocabulorum, vt aduenas Iutas designet, ostendere, omniaque simul loqui Gothicam in

Cimbri. men *BOIORIX*, Cimbrorum rex, nominetur cum *TEUTOBUCHO*, Teutonorum rege; vterque a Mario fusus & prostratus: non est dubium, vni præcipue regimen Cimbros deferre consueuisse; cum maxime omnes vicinæ Germaniæ ciuitates adductius regum imperium adprobauerint. Et plures quidem Cimbrorum reges non silent Romani auctores; vt tamen videantur duces tantummodo exstitisse, auspiciis regis Boiorigis militantes. Tum & castrensia sacra & concilia, & præliorum certa solennia, Cimbros habuisse legimus; quæ singula bene ordinatam rem publicam testantur, non tamen eius singulares rationes clare explicant. Si quæ facta fuerit in Saxonico fœdere prisci status publici mutatio, ex nullo auctore satis de ea constat. Censeo tamen, quod ad nostram vsque ætatem regum in Dania imperium maxime fuerit populi circumscriptum iuribus; id Saxonicam respicere ætatem. Non magis alia gens, quam Saxones, regum odio habuit antiquitus potestatem. Saxonico ergo fœdere Cimbri iuncti regum quidem, quos ante habuerunt, perpetuasse viden-

an mutatus in Saxonico fœdere?

Cimbricam chersonesum migrationem. PONTANUS *Chorogr. Daniæ descript. pag. 653* *Nuithones* TACITI, Anglis vicinos, vertit in *Huithones*, & eos cum *Vitungis* & *Iutbungis*, quos passim auctores celebrant, de *Iutis*, seu *Vitis*, BEDÆ accipit. In re dubia, quæ in medio æuo præcipue meretur peruestigari, sententiam dicere non audemus. Primum videtur *Iutarum* nomen a sex PTOLEMÆO memoratis ciuitatibus acceptum esse, mox cum omnibus Cimbris communicatum esse; vt adeo exolescenti Cimbrorum adpellationi plene successerit. *NORMANNORUM* nomen præcipue etiam Danos, & Iutas, Danorum nomine complexos, denotasse, discimus ex EGINHARDO *Vita Car. M.* qui *Danos & Sueones*, inquir, *vulgo Normannos vocitatos esse:* & rursus scribit; *vltimum contra Normannos, qui Dani vocantur, primo piraticam exercentes, deinde maiori classe littora Galliæ & Germaniæ vastantes, bellum susceptum.* Recte adeoque ADAMUS BREMENSIS dixit: *Dani & Sueones, ceterique trans Daniam populi, ab Historicis Francorum omnes Normanni vocantur.* Obseruat *Vir Celeb.* THORMODUS TORFÆUS *in Historia Rerum Norueg.* nuper publicata, *Normannorum* vocem eiusdem fuisse vsus media ætate, ac vetustam *Hyperboreorum* apud Græcos: & vtramque eiusdem esse potestatis, cum *Hyperboreus* nequeat Germanice magis commode explicari, quam per vocabulum *Nordmann* seu *Nortmann.* Alia adhuc notanda alibi.

videntur nomen & dignitatem; salubribus tamen cauisse legibus & institutis, ne libertas, cujus Saxonum instar cœperant esse amantiores, periret, aut imperium regium vltra degeneraret in tyrannidem. (e)

Germania insula.

CAPVT II.

GERMANIAE VETERIS INSVLARVM STATVS.

I.

Teutoni insularum incolæ.

FOederati antiquitus Cimbrorum fuere TEVTONI, simulque vtraque demum gens in vnam Danicam fuit ciuitatem imputata; quæ postulat causa, vt illico considerationem eorum cum Cimbrorum connectamus historia. Teutones malunt alii *Teutones*, *Theutones*, *Theutonos*, *Theothonosque*, adpellare. Quæ nominis sit origo certa; non satis liquet. Poterant a *Teut*, seu *Teutate*, Deo cognomentum sumsisse singulare: nam & omnem Germanicam nationem persimili insignitam videri fuisse adpellatione, eandemque fortassis ab heroe illustri, aut prorsus a communi Deo Teut,

Nomen gentis & nominis origo.

(e) *BOIORIX*, præcipuus Cimbrorum rex, laudatur a PLUTARCHO *in Mario*, LIUIO, *Epit. LXVII.* OROSIO *Lib. V. Cap. XVI.* FLORUS *Lib. III. Cap. III.* *BELEUM* regem vocat: quod nomen videtur adprobare, si fides FORCATULO, qui *ex Annalibus Gallorum Anno MCCXXXIII.* effossam circa Aquas Sextias loricam memorat, cum inscriptione, BELEOS CIMBROS. Plures reges Cimbrorum aut periisse, aut captos esse, testatur PLUTARCHUS, & OROSIUS, qui & nomina quædam adfert. *Lucius*, (Lugius) & *Boiorix*, *reges in acie ceciderunt. Claudicus & Cesorix capti sunt.* De variis institutis Cimbrorum PLUTARCHUS videri meretur: qui ostendit, vagam quandam quasi rem publicam Cimbros Teutonosque per omnem terrarum orbem circumtulisse. De sacerdotibus & fatidicis fœminis præter PLUTARCHUM STRABO etiam *Lib. VII.* memorat. Præter virorum fortitudinem, omnes etiam auctores Cimbricarum mulierum summam constantiam, & virtutem, summis laudibus concelebrant.

Teutoni. Teut, esse tractam, alio loco coniecimus. Magis tamen probauerim, Teutonorum nomen interpretantes de *populo insigni;* cuius gloriam, quod vicina gens, Cimbri, siue pugnatores, dici cœpissent, insularum incolæ, in fœdus egregium consentientes, sibi præcipuam & quasi propriam arrogarunt. Ita pars vna bellatores & pugnatores, pars altera populus insignis & clarus, cognominati, simul patrium verterint solum, maioremque terrarum partem victoriis fuerint peruagati. Nomen gentis antiquissimis auctoribus cognitum est diu ante, quam in Romanas ipsi cum Cimbris inuasissent prouincias. Commerciorum, quæ cum vicinis Guttonibus habeant, Pytheas Massiliensis meminit; credo Teutonos respiciens, qui, cum pars ex insulis exiissent, domi manserant: namque æuo Pytheæ, si recte historiam perputamus, dudum Cimbri cum Teutonis cœperant migrare. Ceterum Teutonos primo iam dum æuo consueuisse simul CODANOS, seu *Godanos*, adpellari; probare videntur *Codani sinus*, *Codanoniæque insulæ*, quam coluerunt Teutoni, nomina. Curiosiorem de nomine Godanorum, eiusque cum Teutonorum vocabulo conuenientia, disquisitionem mittimus. Si tamen probatur adpellationis vsus antiquus, facilius noui nationis cognominis DANORVM occasio & origo intelligitur; nec porro opus est ad fabulosas Dacorum, aut aliorum populorum, in insulas nauigationes confugere, vt inde Danorum vocis capiantur initia. (*f*)

An olim Teutoni Codani dicti?

Nouum Danorum nomen.

II. Se-

(*f*) *TEUTONI* sunt apud CICERONEM *pro Lege Manilia Cap. XX.* CÆSAREM *Lib. I. Bell. Gall. Cap. XXXIII. & XL. & Lib. II. Cap. IV. & XXIX.* atque alibi; LIUIUM *Epit. LXVIII.* VELLEIUM *Lib. II. Cap. XII.* PLINIUM *Lib. IV. Cap. XIV.* POMPONIUM MELAM *Lib. III. Cap. III. & VI.* & ita in veteri inscriptione, quam mox proferemus. *Theutonorum* vocem FLORUS *Lib. III. Cap. III.* & quædam CICERONIS atque LIUII exemplaria agnoscunt. *Teutones* vocant EUTROPIUS *Lib. V. Cap. I.* OROSIUS *Lib. V. Cap. XVI.* PLUTARCHUS *in Mario;* PTOLEMÆUS *Lib. II Cap. XI. Theutones* sunt in FASTIS *Romanorum.* AETHICUS *Cosmographus* adpellat *Theotonos.* CLUUERIUS

Insulae Teutonorum. II. Sedes Teutonorum veras, easque vetustissimas, si insulas nouimus, quas hodieque incolunt Dani, simul cernimus. *Germaniae insulae.*

Lib. III. Cap. XL. *Theutonos* putat recte vocari & scribi, a Deo *Theut*, siue *Theutate*; quem quidem missa adspiratione plerique scriptores nominant *Teutatem*. Nos probamus adpellationem *populi Teutonis* LEIBNIZII, quam alio loco memorauimus, eruditam coniectura: quam etiam ante eum MENSONEM ALTINGIUM, *in Notitia Bat. & Fris. Ant. voce*, GERMANIA INFERIOR, docte persequutum esse, reperi. *Populus*, inquit ALTINGIUS, *het Diet, Duyt, Tuit, Teut, variantibus dialectis: vnde adiectiuum Duitsche, Teutsche, Populares, & Duitschland, Teutschland, Populi regio.* Mox; *Apud Frisios ne hodie quidem ignoratur antiqua adpellatio: t' Friesch Diet, id est, Frisiorum populus. Vetus autem superstitio ex Diet, Populo, Deum fecit cognominem, terra editum, Populorum conditorem; quem* TACITUS *noster ex antiquis carminibus Tuistonem, seu Tuisconem, vel secundum* CLUUERIUM, *Tuitonem, adpellatum accepit.* CAESAR *Ditem. Alii veterum Teutatem. Fabulose omnes, vt de diis omnia.* Integrum ALTINGII locum exscribere placuit, vt nostrae hic sententiae rationes magis commode pateant. Primus, quod scimus, Teutonorum PYTHEAS MASSILIENSIS, CC ante C. N. & quod excurrit, annos, natus meminit. Ita PLINIUS *Lib. XXXVII. Cap. II. Pytheas credidit Guthonibus, Germaniae genti, accoli aestuarium, Mentonomon nomine, spatio stadiorum* VI CI) *ab hoc diei nauigatione insulam abesse Basiliam: illo vere fluctibus aduehi, & esse concreti maris purgamentum. incolas pro ligno ad ignem vti eo; proximisque Teutonis vendere.* Imo, quantum ad haec commercia succini pertinet, licet nomen gentis sileat, rem ipsam tamen iam HERODOTUS, qui CCL circiter ante PYTHEAM vixit annis, docuit. DANORUM nominis ex antiquiore *Teutonorum* & *Codanorum* vocabulo deriuationem CLUUERIUS non incommode defendit: *Codani* enim sinus, & *Codanoniae* insulae, vetusta nomina iam POMPONIUS & PLINIUS memorarunt. Sane malo eum audire, quam SAXONEM GRAMMATICUM, qui *Danum*, primum Danorum regem; aut ANDREAM VELLEIUM, qui *Dabas* Scythas, memorat. Et alii recte exploduntur, qui *Danum*, Jacobi filium, aut *Dacos*, aut *Danaos*, Graecanicam gentem, & nescio, quot varias nominis vnius notationes, proferunt. Jam & CLUUERIUS PTOLEMAEI Δαυκίωνες, quos in Scandinauia collocat, respexit, & credidit, corruptam vocem illic esse & posituram: nomen gentis esse Κοδάνωνας, *Codanones*, & verum in Codanonia insula situm. PONTANUS *Chorogr. Daniae descr. pag. 640.* illam coniecturam prorsus adsumit & defendit. Arbitratur PTOLEMAEI veram esse vocem Δανσκίωνες, *Dansciones*: cum qua adpellatione indigenarum Danorum vsui, cum se *Dansche* nominent, adprime conueniat. Vt ex CLUUERIO hoc adiiciam, nouaque mea coniectura corroborem, videntur duplici vocabulo Teutoni esse compellati. Sibi ipsis haud dubie ab omni aeuo dicti sunt *Codani*, vel *Dansciones*; exteris forte, & cum migrarent cum Cimbris, sibi ipsis, *Teutoni*, ad denotandam populi

Teutoni. mus. Sunt eæ inter extremas Scandinauiæ australis oras & Cimbricam chersonesum, plures numero; *SCANDIARVM* nomine a Ptolemæo comprehensæ, & a Pomponio, sed male, *HEMODES* dictæ; ex quibus, quod bene dixit, vna *CODANONIA* magnitudine alias & fœcunditate antestet. Omnes illas insulas, quotquot reperimus, a Teutonis esse habitatas, nemo, qui populi nouit magnitudinem, dubitauerit. Imo nescio, an plane Ptolemæus mereatur culpari, quod Teutonos quosdam inter Suardones & Sueuos, fortassis Anglos, posuerit: potuit enim facile natio potens vicini partem littoris insidere. Sic & interpretari placet Iornandem, fortassis & ipsum Ptolemæum, si ipsius *Dauciones* ad *Teutonos*, vel ad *Codanos*, referri poterunt; colonias Teutonorum, seu Danorum, in vicinas Scandinauiæ regiones traiecisse, ibique hæsisse; quod nempe Ptolemæus suos *Dauciones*, Iornandes *Danos, & Theusthes*, qui fortassis iidem sunt populi more Iornandis diuerso modo nominati, in Scandinauia reperere. Vt redeamus ad Teutonorum insulas, inter eas immensum oceanum aquis passim interfluentibus gremio littorum accipi, & in immensos sinus excurrere, iam olim inter veteres constitit. Sinus ingens a Codanonia haud dubie insula, & a Teutonis, siue Codanis, incolis insularum, nomen *CODANI* accepit *SINVS*: argumento claræ nationis æuo antiquiori fama. Idem quidem sinus, diuersis legitur nominibus compellatus; vt totus *GERMANIÆ SINVS*, & *SVEVICVM MARE*, fit Tacito, *VENEDICVS SINVS* & *CYLIPENVS* Ptolemæo

An & aliis in regionibus Teutoni egerint?

Codani sinus consideratio.

multitudinem, aut maioris parandæ gloriæ ergo. Quod cum a gente Romani Græcique docerentur, vbi ante egissent, quæue fuerit patria: inde vetus in Scriptoribus memoria, insulam vocari *Codanoniam*, mare *Codanum*, incolas *Teutonos*. Reduces, credo, domum antiquius receperunt nomen, vnde id iam PTOLEMÆO rursus cognitum est. Mox Saxonico fœdere, vt alterum Cimbricum, obscuratum, conualuit iterum, cum Saxonica vis maxima in Britanniam esset effusa. Danorum ita resuscitati memoriam vide paulo infra.

lemæo & Plinio, vbi aut Venedorum aut Aestiorum quondam alluit littora: ea tamen nomina nihil ad nostras spectant insulas. Si vero recte *LAGNVM SINVM*, conterminum Cimbris Plinius nuncupauit; eius vtique hic meminisse, & censere, debemus, eum maris sinum Lagnum dictum esse, qui hodieque ad insulam longam, *Langeland*, in ceteras insulas accipitur. Septentrionali, siue Germanico, oceano insulas nostras contra septentriones finiri, & ad meridiem illo iam descripto Codano sinu; vix iam opus est indicatu. (g)

Germaniæ insulæ.

III.

(g) POMPONIVS *Lib. III. Cap. III. Super Albim*, inquit, *Codanus ingens sinus magnus paruisque insulis refertus est. Acre mare, quod gremio littorum accipitur, nusquam late patet, nec vsquam mari simile, verum aquis passim interfluentibus, ac sæpe transgressis, vagum atque diffusum facie amnium spargitur, qua littora attingit, ripis contentum insularum non longe distantibus, & vbique pene tantundem, vt angustum & par freto, curuansque subinde se, longo supercilio inflexum est. In eo sunt Cimbri & Teutoni.* Egregia profecto hæc maris, quod Danicas insulas habet, descriptio. Cimbros etiam in eo sinu esse, POMPONIVS dicit; quod nempe a dextra eorum peninsulam illud mare adluit. Idem MELA *Cap. VI.* de insulis loquens dicit. *Triginta sunt Orcades, angustis inter se diducta spatiis. Septem Hemodes contra Germaniam proiecta, in illo sinu, quem Codanum diximus. Ex iis Codanonia, quam adhuc Teutoni tenent, vt magnitudine alias, ita fœcunditate, antestat.* Nisi deprauata hæc lectio, errat POMPONIVS, quod *Hemodes*, quas *Acmodas* vocat PLINIVS *Lib. IV. Cap. XVI.* in sinum Codanum refert. Placet autem PONTANI *Chorogr. Daniæ pag. 717.* erudita restitutio veri sensus MELAE, quam ex ipso MELA & PLINIO tuetur. Ita, simplici fere interpunctione verborum mutata, ille legit: *Triginta sunt Orcades, angustis inter se diducta spatiis: septem Acmodæ contra Germaniam proiecta. In illo sinu, quem Codanum diximus, est Codanonia, quam adhuc Teutoni tenent, vt fœcunditate alias, ita magnitudine, antestat.* *CODANONIAM* esse insulam, Danis *Sieland*, a serendo, nominatam, reliquarum vt maximam, ita fœcundissimam; nemo non videt. PLINIVS *Lib. IV. Cap. XIII.* sine additis nominibus insulas in Codano monstrauit sinu *Codanus*, inquit, *sinus refertus insulis, quarum clarissima Scandinauia.* Mox, *Sinus Cylipenus in ostio suo insulam Latrim habet. Mox alter sinus Lagnus conterminus est Cimbris.* Bene multas insulas indicat PLINIVS; nam plurimæ sunt. quas Danicum regnum complectitur; *Selandia, Fionia,* maximæ; *Langelandia, Lalandia, Falstria,* secundæ magnitudine; pluresque, his aliæ minores. PTOLEMAEVS eodem loco, quo Danicæ insulæ Fionia atque Selandia sunt, habet Scandias

Teutoni. III. Cum Cimbris Teutoni, ætate incerta, sed peruetusti saltem, in proximum continens validissimas colonias transmisere; quæ celeberrimam toto orbe expeditionem, quam vnus demum Marius terminauit, peregerunt. Non exercitus modo & copias vtriusque gentis, memorant auctores, peragrasse terras victoriis; sed integras ciuitates cum fœminis liberisque, sacris omnibus instructas, migrasse, vere singulo progredientes, arma que ostentantes, sed hieme castra locantes, & ex rapto viuentes. Tollitur inde perfacile dubitatio; qui per bis centum annos pererrans regiones exercitus potuerit perpetuari & continuari? Nempe & plures minores ciuitates sociasse se subinde cum victoribus populis, exemplo Ambronum, Tugenorum, & Tigurinorum, discimus: & liberi inter arma generari, connubiaque crebra concelebrari,

Migratio Teutonorum.

An. V. C. IↃCLI. IↃCLII. Ante C. N. C.XCIX.

fuas tres; nam quarta Scandia ipsius Scandinauiam notat. *Lib. II. Cap. XI.* hæc habet. Ἀπ' ἀνατολῶν δὲ τῆς χερσονήσου, τέσσαρες αἱ καλούμεναι Σκάνδιαι, τρεῖς μὲν μικραί· Μία δὲ μεγίστη καὶ ἀνατολικωτάτη. *Ab orientali parte cherſoneſi quatuor* (insulæ) *Scandiæ adpellata, tres quidem parua. Vna vero, quæ maxima earum eſt, & maxime orientalis.* Præter insulas a Teutonis habitatas, habere PTOLEMAEVM nouimus Δαυκίωνες, *Dauciones*, in maxima Scandinauia; & paulo ante. *Teutonarios inter Saxones & Suenos*, deinde *inter Pharodenos*, quos Suardones TACITI interpretantur auctores, *& Suenos, Teutones.* Σαξόνων δὲ καὶ τῶν Συήβων Τευτονοαροὶ Φαραδήνων τε καὶ Συήβων Τεύτονες. JORNANDES *de Rebus Geticis*, in Scandinauia & *Theusthes* habet, &, paucis interiectis aliis nationibus, *Danos.* Porro in Germania cis Visurgim varias supra Teutonorum nominis vidimus in saltu & montibus reliquias. Sic fere constituo: PTOLEMAEI *Dauciones* ipsos videri *Teutonas* esse, in Codanonia insula commorantes: *Teutones* & *Teutonarios*, aut male PTOLEMAEVM pro diuersis habuisse gentibus, cum eum diuersa gentis nomina fefellerint, aut esse eos Teutonorum colonias, in continenti Germania relictas. Suos *Theusthes* & *Danos*, vt fere reliquas nationes, inepte in Scandinauia IORNANDES posuit. Rursus vero bina, quasi distinctarum nationum, vocabula attulit, cum ignoraret, vnam eandemque nationem vtraque notare: prorsus eo modo, vt *Suethans* & *Suethidi Suecos*, seu *Suecones*, notant vnos eosdemque, licet & hæc vocabula, quasi distincta, idem memorauerit. De nominibus Codani, Venedici, Lagni, finnum, & Germanici, Sueuicique, maris, partim supra est dictum, partim dicetur ali[…]

brari, non desierunt: vnde in omne æuum duratura poterat formari colonia. Post suorum cladem & Teutonorum multos per Germaniam ad priscas sedes esse reuersos, non est dubium. Nisi Ptolemæus prorsus errauerit, videntur reliqui ex clade in littore Germaniæ perstitisse, quod insulæ capiendæ populi multitudini non sufficerent. Ingloria deinceps Teutonorum successit ætas; saltem si Romanorum consulimus annales, in quibus vix vltra nomen occurrit. Fortiter cum Cimbris exercuerint piraticam, suasque res domi præclare egerint; id omne a nobis penitus ignoratur, licet generatim facile queat credi. Saxonica ætate eos in *SAXONVM* concessisse societatem, non ego quidem diserte scriptum reperio. At suadet tamen perpetua cum Cimbris Teutonorum consociatio, vt existimemus eos minime suam dissociasse causam, cum Cimbri Saxonicum amplecterentur fœdus. Si & aliqua natio commodo ad piraticam faciendam situ exstitit, & nauigationum perita, Teutoni præcipue erunt laudandi; quo nouo argumento non videntur tum fuisse a Saxonica ciuitate alieni, cum omnis nauigationum gloria penes solos esset Saxones. Saxonico nomine trans Albim prope exolescente, rursum cœpere Teutoni proprio, sed variato, nomine clarescere. *DANORVM* nimirum nomen, ex antiquo *Godanorum* aut *Codanorum* vocabulo omnino ductum, seculo sexto primum auditum est. Hoc confestim nauigationum gloria illustratum est; &, si recte coniicio, paulo post omnem simul Cimbricam chersonesum est complexum, vt Vitarum seu Iutarum nomen, tunc Cimbrorum proprium, non tamen periret, sed in Danica ciuitate semper & populum, & regionis maneret partem. De *NORMANNICA* societate nil certum dixero. Noui Danos cum Normannis eadem esse ætate celebratos; sed & noui, non ex Scandinauia hos modo, sed & ex vicinis terris, ab auctoribus deduci: vnde minime errare putem, qui partem Danorum, saltem Iutarum, cum Norman-

Germania insulæ.

Reliqua acta in insulis.

Nominis Danorum ætas.

An Dani Normanni?

Teutoni. Normannis maria esse peruagatos constituerint (*b*).

IV. Res Teutonorum publica eodem semper modo disposita esse videtur, quo altera Cimbrorum. Cum rege Cim- Teutonorum res publica.

bro-

(*b*) Historiæ migrationis Teutonorum noua auctoritas, præter eam, quam in Cimbris dedimus, dari nequit. Quod de migrationis ratione narramus, dedit PLVTARCHVS *in Mario*. De tempore ex constituto loquimur. Victoriæ a Mario reportatæ cum a Cimbris, tum etiam a Teutonis, illustrem addimus inscriptionem, a SIGONIO & GRVTERO exscriptam; a nobis, in quantum nostrum institutum postulat, excerptam:

C. MARIVS C. F. -------- III
CONSVL ABSENS CREATVS
EST. IIII CONSVL TEVTONORVM EXERCITVM DELEVIT.
V CONSVL CIMBROS FVGAVIT. EX IEIS ET TEVTONEIS
ITERVM TRIVMPHAVIT -----
DE MANVBIEIS CIMBRICEIS
ET TEVTONICEIS AEDEM
HONORI ET VIRTVTI VICTOR
FECIT.

De Saxonico fœdere nihil vltra monemus. JOH. NEOVVALDUS *Comm. de antiquis Westfaliæ colonis*, *Teutonos & Saxones* vnam prorsus gentem notare, ostendit: vetustius Teutonorum, recentius, ab armis sumtum, Saxonum, cognomentum esse: &, posteriore Saxonum adpellatione medio æuo rursus contracta, successisse noua *Danorum*, *Normannorum*, aliaque, nomina. Nomen Danorum supra, licet vitiato, quod videtur, vocabulo, vidimus in PTOLEMAEO. Sexto seculo, quo magis effloruit, celebratum illud est a PROCOPIO *Rer. Goth. Lib. II.* vbi, *Herulorum legati Danorum nationes*, Δανῶν τὰ ἔθνη, percurrisse, memorantur. IORNANDES *de Reb. Get. Dani*, inquit, *ex eorum* (Cogenorum) *stirpe progressi, inter omnes Scantziæ nationes nomen sibi ob nimiam proceritatem affectant præcipuum.* GREGORIVS TVRONENSIS *Lib. III. Hist. Franc. Cap. III.* in rebus Theodorici regis, circa initium seculi VI. *Dani*, inquit, *cum rege suo, nomine Chochilaicho, euectu nauali per mare Gallias appetunt. Egressique ad terras, pagum unum de regno Theodorici deuastant atque captiuant: oneratisque nauibus tam de captiuis, quam de reliquis spoliis, reuerti ad patriam cupiunt. Sed rex eorum in littus residebat, donec naues altum mare comprehenderent, ipse deinceps sequuturus. Quod cum Theodorico nunciatum fuisset, quod scilicet regio eius fuerit ab extraneis deuastata, Theodobertum filium suum in illas partes cum valido exercitu ac magno armorum apparatu, direxit. Qui interfecto rege, hostes nauali prælio superatos opprimit, omnemque rapinam terræ restituit.* Idem scribunt GESTA FRANCORVM *Cap. XIX. apud* MARQV. FREHERVM & DV CHESNE *Tom. I.* & FREDEGARIVS *Hist. Franc. Epitom. Cap. XXXI.* In Normannis supra Danos vidimus, adeoque, quod dubitanter in commentatione ponimus, iam satis stabiliuimus. Cum tamen reperiamus in quibusdam auctoribus distingui *Danos* atque *Normannos*, præcipuo aliquando nomine *Noruegos* esse *Normannos* dictos, meminisse debemus.

brorum Boiorige statim connectitur alterius Teutonorum regis *TEVTOBOCHI* memoria. Si quas videatur Saxonica societas dedisse regiminis regiique status vicissitudines; eas modo antea indicaui. Cum Theodorico Francorum rege rex Danorum *CHOCHILAICHVS*, siue *Rhodolaicus*, Gregorio scribente, nauali prælio contendit, victusque & cæsus est. Hanc apud auctores Danorum regis antiquissimam prope memoriam inuenio. Successionem filiorum in regum parentum locum a Danis esse adprobatam, historiæ præsertim recentiores testantur. Sed etiam id sibi relictum esse, primores gentis censuisse constat, vt de actis regum ipsi iudicarent, ipsique parentum æstimarent merita, filiorumque virtutes considerarent; vt itaque plus potestatis fuerit optimatibus regem ex arbitrio eligendi, quam iuris regum filiis in patriam succedendi dignitatem. (*i*)

Germania insula.

An. IↃXVI.

Recensio insularum ante Cauchorum

V. Priusquam ad continentem Germaniam, vnde paulo ante diuertimus, redeamus, placet ex insulis ad insulas pergere, earumque, quantum illæ Germaniæ littora præiacent, conditio-

(*i*) Iidem auctores, qui laudant Boiorigem, *TEVTOBOCHVM* etiam, Teutonorum regem, commemorant. *Teutobodus* adpellatur ab EUTROPIO *Lib. V. Cap. I.* & OROSIO *Lib. V. Cap. XVI.* HIERONYMO *in Chron.* est *Teutomodus*; eamque lectionem verissimam esse IOS. SCALIGER iudicauit. FLORVS *Lib. III. Cap. III.* *Theutobochum* vocat: & hæc scriptio mihi melior videtur, cum triumphalis Arausiensis arcus, Cimbricæ victoriæ erectus, cum Theutobochi imagine dicatur habuisse inscriptionem nominis THEVTOBOCHVS. Vid. PISANI *Tabula Hist. Princ. & principat. Arausiens. Gall. lingua conscriptus liber*, qui integram illius præstantissimi arcus descriptionem & figuram exhibet. Equidem hac nostra curiosa de regis barbari inquisitione in censuram *Celeberrimi* quondam SALMASII, qui in notis ad FLORVM ineptum dixit esse, de his barbaricis nominibus disputare, incurrimus. Verum & eum non fine censura iam dimittimus, quod homo, ad ineptias vsque Romanarum antiquitatum studiosus, tam inepte nostras antiquas res despiciat; quæ, quam leues sint, maioris profecto & Germanis, & hodiernis Gallis, consanguineis populis, debebant pretii esse, quam Romani fastus particulæ. De *RHODOLAICO*, siue *Chochilaicho*, Danorum rege, GREGORII narrationem accepimus. De Danorum vetustiori politico statu, & reliqua, consulatur PONTANVS *Chorogr. Dan. Descript. pag. 765. sequ.*

Germaniæ insulæ. ditionem exquirere. Non moramur hic longe dissitas insulas, quas septentrionalis habet oceanus Scandinauiam inter vltimamque Thulen passim sparsas; *XL Orcades*, *VII Acmodas*, *XXX Hebudes*, porro *Glessarias*, seu *Electridas*, quasque alias eodem loco memorauit Plinius. *ALOCIAS* etiam tres insulas Ptolemæi, quas hic ad occidentale Cimbrici promontorii latus posuit, vere esse in orientali quærendas parte, & sine dubio olim a Cimbris, aut a Teutonis, habitatas, transeundo modo monemus. Sunt autem nostræ, quas spectamus hoc loco, insulæ, illæ ante Cimbrorum, Saxonum, Cauchorum, Frisiorumque, littora stratæ; quas cognitas Romanis armis Plinius, & omnino subactas, Strabo memoriæ prodidit. Earum a promontorio Cimbrorum XXIII esse, Plinius scribit, sed tres modo nominat. Nobilissimam ait exstitisse *BVRCHANAM*, a Romanis *FABARIAM* dictam, a frugis similitudine sponte prouenientis. Eius & Strabo, & Stephanus, sed *Byrchanis*, & *Burchanis*, nomine citato, meminere, & vi eam a Cruso expugnatam prior notauit. Consentiunt eruditi in interpretatione Burchanæ insulæ de insula ad Amisiæ ostium, quæ hodieque nomen refert priscum. Aliquis omnino *domum fabariam*, antiquissimo nomine in insula compellatam, ostendere voluit, vt tamen non fidem fecerit. Existimant, vicinas, quæ iam visuntur, insulas olim cohæsisse cum Burchana; fluctuum demum vi ab insula diuisas: nec enim, nisi maior fuerit Burchana antiqua, colligi satis, cur vi expugnare eam Drusus habuerit necesse, & cur, adeo nunc exilis, a Plinio nobilissima fuerit adpellata. Frisiorum an Cauchorum ea quondam fuerit? difficiliter expedietur; nihil enim scriptores tradiderunt eius rei. Cum Drusus Burchanam debellaret, haud dubie variæ gentes præsidiis eam firmauerant, aut in eam bello compulsæ refugerant; vt adeo

Frisiorumque littora stratarum.

Burchana insula.

adeo oppugnatio eius & esset grauior, & magis Romanis necessaria atque vtilis. (*k*)

Germania insula.

Austrania & Actania insulæ.

VI. Reliquæ insulæ, quas Plinius nominauit, sunt *GLESSARIA*, a succino militiæ Romanæ adpellata, a barbaris, hoc est, a Germanis *AVSTRANIA*; præterque *ACTANIA*. Difficilioris vtraque insula est positionis, quam vt valeamus certum promittere. Interpretantur communiter erudi-

(*k*) De *Thule* insula, quam PROCOPIVS & post eum ORTELIVS, atque alii, Scandinauiam PLINII, & Scandiam PTOLEMAEI, esse arbitrati sunt, vid. CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. III. singul. Capite XXXIX.* Octetas insulas memorat PLINIVS *Lib. IV. Cap. XVI.* & ante hunc POMPONIVS *Lib. III. Cap. VI.* *Alocias* PTOLEMAEVS, licet eius non satis conueniat numeris, putatur vocasse, quæ ab oriente promontorium Cimbricum præiacent, & vulgo vocantur *Lessa*, *Rom*, & *Anhout*. De insulis reliquis ita PLINIVS *Lib. IV. Cap. XIII.* loquitur: *Promontorium Cimbrorum, excurrens in maria longe, peninsulam efficit, quæ Cartris adpellatur. XXIII. inde insulæ Romanis armis cognitæ. earum nobilissima Burchana, Fabaria a nostris dicta, a frugis similitudine sponte prouenientis; item Glessaria, a succino militiæ adpellata, a barbaris Austrania; præterque Actania.* CLVVERIVS *Cap. XXXIII.* quædam illarum XXIII insularum, vt eæ ante Iutiam, Holsatiam, Frisiorumque littora, stratæ hodieque spectantur, nomina percenset: quæ apud eum, aut in geographicis tabulis, vide. *Burchanam* præter PLINIVM laudat STRABO *Lib. VII.* Ἐχειρώσατο δ᾽ ὁ Δροῦσος οὐ μόνον τῶν ἐθνῶν τὰ πλεῖστα, ἀλλὰ καὶ τὰς ἐν τῷ παράπλῳ νήσους· ὧν ἐστι καὶ ἡ Βυρχανίς, ἣν ἐκ πολιορκίας εἷλεν. *Drusus non modo gentes plurimas subegit; sed & insulas, in legendo littore obuias: in quibus est Byrchanis, vi ab eo expugnata.* STEPHANO eadem insula dicitur Βουρχανίς, *Burchanis.* Interpretatur hanc Burchanam CLVVERIVS, & cum eo MENSO ALTINGIVS voce *Burchana*, de *Borkum*, insula inter Amisiæ ostia sita; a voce Germanica *Bergen*, hoc est, *res naufragas e mari recuperare*, accepto fortassis nomine. Non nisi leuiter persuadet illis narratio cuiusdam de *æde fabaria*, *Boonhuys* vulgo dicta; cum nusquam hæc hodie reperiatur. Verum hoc ALTINGIVS persuadet, quod PTOLEMAEVS duo tantum Amasiæ ostia indicet; occidentale seu Vidrum, & orientale quod eius ætate ab altero disiunctum fuit, nullo intermedio M. P. XXIV. Inde perspicuum esse docet, Burchanam tum fere nobilissimam fuisse insulam, & littoralium omnium longe maximam, ambitu suo *Iustam*, *Bantam*, *Busam*, hodie vadis, aut nouo alueo, insulas distinctas, complexam; atque adeo multitudinis incolarum satis capacem. Debellauerit fortassis DRVSVS Burchanam ea expeditione, qua, eodem STRABONE teste, Bructeros in Amisia nauali prœlio superauit.

Germaniæ insulæ. eruditi Actaniam de insulis saxis abruptis, in quas naues Germanici sæuiente tempestatæ fuerant disiectæ. Malim ipse illa Taciti de insulis saxis abruptis, vel per occulta vada infestis, de omnibus littora Germaniæ præiacentibus insulis promiscue accipere; partem enim abruptas saxis, partem occultis infestas vadis, dixit: quod coniunctum cum illis insulis singulis adprime conuenit, & prope persuasit eruditis, antiquissimo æuo illas sæuis fluctibus abruptas, atque a continenti esse separatas; quod aut scopuli occurrant crebri, aut sane vadosum in vniuersum reperiatur mare. Qui tamen certam insulam saxis abruptam Actaniam compellatam esse iudicant, eam ad Albis ostia posuere, & de insula *Helgeland* interpretati sunt; quæ tota fere nil nisi saxum abruptum, crebrosque sub aquis scopulos, habeat. Austrania insula quibusdam illa est, quæ hodie *Ameren* vocatur, & Germanicum glessi vocabulum referre censetur. Alii de vicina insula *Strand* malunt Austraniam accipere; cum quippe vox Austraniæ priori sui parte diminuta in insulæ superet nomine. Quas *SAXONICAS INSVLAS TRES* Ptolemæus super Albis ostia sitas esse dicit, partite distincteque non quidem ostenderim. Sunt attamen plures ibidem paruæ & maiores insulæ cum ad ostia, tum super ea, quæ facile illum Ptolemæi numerum explere possunt. Dixit autem eas Saxonicas insulas Ptolemæus, quod suorum Saxonum sedem ad ostium Albis constituerat, quibus hic sinus & hæ insulæ prætendebantur. *Saxonicæ insulæ Ptolemæi.* Vt ad reliquarum Plinii insularum memoriam hoc adiiciam; vt eæ vicina aut Cauchorum, aut Frisiorum, littora, respexere, ita vtrius videntur fuisse gentis: vt etiam ipsarum nationum fata atque vicissitudines fuerint sequutæ, & modo Francicæ, modo Saxonicæ, modo demum Frisicæ, exstiterint (*l*). *Conditio harum insularum.*

CAPVT

(*l*) Calamitosam illam Germanici nauigationem descripsit TACITUS *Ann. II. Cap. XXIII. XXIV.* Hic inter alia; *mare, inquit, omne in austrum cessit, qui tumidis Germaniæ terris, profundis amnibus, immenso nubium tractu,* &c.

CAPVT III.

SVEUIÆ CONSIDERATIO VARIA.

Germania orientalis.

I.

Magna considerationis Orientalis Germaniæ difficultas.

NUnc digressi a maribus plene adgredimur ad alteram Germaniæ continentis, eamque longe maximam, portionem visendam. Multas validasque in hac ad orientem Germaniam reperiemus nationes. Sed cum Albim nunquam fere Romani superauerint, obscurissimam Transalbinarum ciuitatum Romæ notitiam fuisse, ipsi minime Romani dissimularunt *(m)*. Quantum itaque & nostra

lidus, & rigore vicini septentrionis horridior, rapuit disiecitque naues in aperta oceani, aut insulas saxis abruptis, vel per occulta vada, infestas. De Saxonicis ita PTOLEMÆUS *Lib. II. Cap. XI.* Νῆσοι δὲ, inquit, ὑπέρκεινται τῆς Γερμανίας, κατὰ μὲν τὰς τοῦ Ἄλβιος ἐκβολὰς, αἱ καλούμεναι Σαξόνων τρεῖς. *Insulæ Germaniæ adiacent iuxta Albis ostia tres, Saxonum adpellatæ.* CLUUERIUS has Saxonicas insulas de *Strand, Busen,* & *Heiligeland,* interpretatur. Si placet, somnia GOROPII BECANI *in Gotodanicis,* vbi Actaniam & Austraniam insulas ad Vistulæ ostia reiicit, & Danis simul tribuit, refutata legere, adi CLUUERIUM *Cap. XXXIII.*

(m) Sua ætate POLYBIUS *Lib III. Cap. XXXVIII.* scripsit: Τὸ μεταξὺ Τανάιδος καὶ Νάρβωνος, εἰς τὰς ἄρκτους ἀνῆκον, ἄγνωστον ἡμῖν ἕως τοῦ νῦν ἐστιν. ἐὰν μή τι μετὰ ταῦτα πολυπραγμονοῦντες ἱστορήσωμεν. τοὺς δὲ λέγοντάς τι περὶ τούτων, ἢ γράφοντας, ἀγνοεῖν καὶ μύθους διατιθέναι νομιστέον. *Quidquid inter Tanaim & Narbonem ad septentriones vergit, hactenus nobis est ignotum: nisi quid posthac curiosa inuestigatione de eo tractu didicerimus. Qui de his locis aliter loquuntur, aut scribunt, pro imperitis & fabularum concinnatoribus sunt habendi.* Præter pauca itaque, quæ HERODOTUS, & ARISTOTELES, aliiue Græci, de septentrionis regionibus fando acceperunt, ante POLYBIUM parum cognitum fuit. PYTHEAS autem MASSILIENSIS, POLYBII fere æqualis, cœpit curiosa inuestigatione plura explorare. STRABO *Lib. VII.* videtur POLYBIUM, sed male, sequutus esse: cum eius ætate iam plura explorauerint Romani, sæpe armis cum Germanicis populis administratis. Meretur ergo censuram, cum generatim adseuerat: Τὰ πέραν τοῦ Ἄλβιος τὰ πρὸς τῷ Ὠκεανῷ παντάπασιν ἄγνωστα ἡμῖν ἐστιν. *Quæ trans Albim ad oceanum sunt, nobis prorsus sunt ignota:* & cetera. Et quidem bellando nunquam fere Romani Albim transiuerant, ipso transitu suos milites, quod paulo ante STRABO memorat, Augusto prohibente. Peruenit tamen Drusus, & Tiberius, & Germanicus, ad Albim; testibus STRABONE *Lib. VII.*

Sueuia. nostra consideratio sit habitura difficultatis, quæ sane ex Romanorum historia debet instrui, nemo non perspicit. Oportebit omnia curiosis lustrare oculis, vt præcipua tantum intelligamus; minutos transmittere ciuitatum limites, vt saltem de potioribus nobis constet finibus; fragmenta historiarum colligere, cum integer earum desideretur ordo. Gentes & quidem Transalbinas in vniuersum, nec non ceteras extra Germaniæ limitem in Sarmatia colentes, & præcipue Scandinauiæ vastæ populus, unum **Sueuiæ & Sueuorum generale nomen.**

SVEVORVM

nomem Taciti æuo complexum est; & amplissimæ istæ regiones simul dici consueuere

SVEVIA.

Quæ postulat causa, vt ante generalis nominis rationes expromamus & vicissitudines, quam diuidere gentes, atque de singulis agere, nobis liceat.

II. Nomen *SVEVORVM* in veris & antiquis Germanorum nominibus, quæ a Deorum, quod maiores nostri cecinere, familia sint accepta, Tacitus quondam retulit. Errant ergo, qui aut *Sueuum amnem*, aut montem *Seuonem*, aut *Sueonum* nationem, aut *circumuagam Sueuorum indolem* respexere, vt nominis ostenderent ortus. Rectius ad Taciti mentem illi opinati sunt, qui *Sueuum* quendam regem Germanorum dedisse nationi nomen iudicarunt: licet enim regem suum illi somniauerint tantum, ea tamen non eos fefellit opinio, ab heroë quodam vetusto & insigni, quisquis ille **Nominis Sueuorum origo.**

Ddd d 2 fuerit,

VELLEIO *Lib. II. Cap. CVI.* TACITO *Ann. Lib. II. Cap. XXII.* *Domitius omnino exercitu flumen Albim transcendit, longius penetrata Germania, quam quisquam priorum*, scribente TACITO *Ann. III Cap. XLIV.* Inde & multa de terrarum trans Albim statu a Germanis accipere potuerunt Romani. Ex his TACITUS etiam notitiam Transalbinorum populorum instruxit. Memorauimus tamen propriam Græcorum Romanorumque ignorantiæ confessionem, ne miremur, imperfecta pleraque futura, quæ de nostris trans Albim nationibus antiquitas nobis suppeditabit.

Germania orientalis.

fuerit, vocabulum esse tractum. Primum Sueuorum nomen fuerit quidem in generalibus plurium ciuitatum compellationibus; non tamen tantam habuerit amplitudinem, quantam pars ceterorum nominum. Illa, cuius Plinius meminit, antiqua Germaniæ populorum in certa genera distributio in Hermionibus numerauit Sueuos; certo argumento, non nisi paucas antiquiori æuo gentes, instar Marsici Gambriuiorumque nominis, illud etiam Sueuicum comprehendisse. Deinde, sed, quo pacto, nescimus, & iustum omnino facti tempus ignoramus, tam est confestim auctus Sueuici complexus nominis, vt Tacito aliisque rem testantibus, exolescente prisca gentium diuisione, ipsum solumque quatuor prope antiquas ciuitatum classes occupauerit. Namque & *Hermionum*, *Ingæuonum*que, plurimi populi inter Sueuos tunc fuere; & omnes *Vandali*, seu Vindeli, cum extremis ad orientem *Bastarnis*, siue Peucinis (*n*).

Vicissitudines Sueuici nominis.

III. Causam & occasionem tantarum ad Sueuicam adpellationem accessionum factarum longam inobscurasse obliuionem, modo declaraui. Non fœderis aut societatis cuiusdam contra hostes initæ insigne nomen fuit: quæ enim bello-

Causæ amplitudinis Sueuici nominis ignoratæ.

(*n*) *SUEUORUM* nomen omnibus auctoribus idem; nisi quod STRABO *Lib. VII.* aliquoties Σωήυκς scribat, cum ipse alias, ceterique Græci, Σωήβυς agnoscant. *SUEUIÆ* regionis nomen habet TACITUS *Germ. Cap. XLV. Hic Sueuiæ finis.* DIO CASSIUS *de Druso loquutus Lib. LV.* ait: προῆλθε μέχρι τῆς Σωηβίας; *Ad Sueuiam vsque progressus est.* De nominis ortu TACITUS *Germ. Cap. II. plures*, affert, *deo ortos, pluresque gentis adpellationes, Marsos Gambriuios, Sueuos, Vandalios: eaque vera & antiqua nomina.* PLINIUS *Lib. IV. Cap. XIV.* in antiquissimis Germanorum generibus Sueuos in Hermionibus adnumerat. Tunc itaque angusta valde exstitit nominis Sueuorum comprehensio. TACITUS maximam nominis Sueuiæ amplitudinem ostendit *Germ. Cap. XXXVIII. Nunc*, inquit, *de Sueuis dicendum est, quorum non vna, vt Cattorum, Tencterorumue gens: maiorem enim Germaniæ partem obtinent, propriis adhuc nationibus, nominibus discreti, quamquam in commune Sueui vocentur.* Post Suiones Sitonesque enumeratos, sequitur illud *Cap. XLV. Hic Sueuiæ finis.* Et ita dein de Bastarnis TACITUS disserit, vt & eos ad Sueuos, Germanos scilicet, quos proxime dispexerat, retulisse videri possit.

Sueuia. bellorum contra Romanos, aut alios hostes, Marcomannis, & extremis Scandinauiæ Finningiæque habitatoribus, poterat esse consociatio? Verum, vt Germaniæ nomen forte casuque est susceptum, ita & Sueuorum cognomentum non certo consilio, sed fortuito gentibus esse adprobatum, existimo. Fortassis, quod Sueuicum nomen a Romanis præcipue laudaretur, & in Germaniæ nobilissimis haberetur; reliquæ etiam gentes, gloria Sueuorum ductæ, ad eorum se aggregarunt communionem. Omnem sane coniecturam de initiis Sueuici nominis incrementorum lubentius audierim, quam illius historici percuriosi; qui ideo omnes Germaniæ vlterioris & Sarmaticæ populos esse Sueuos dictos constituit, quod ex Scandinauia principes Sueui egressi omnem quondam Germaniam perdomuerint; debellatisque singulis nationibus, nouas inter Albim & Vistulam colonias locauerint, quæ & nomen Sueuorum præcipuum & instituta seruauerint: quæ & imo singulas ciuitates eodem disposuerint ordine, quo ipsæ ante in Scandinauia egissent. Nempe adde eius commentis, si placet; quod Cæsar ex singulis pagis Sueuorum certum armatorum numerum eductum quotannis esse dixerit, inde omnium minorum Sueuiæ ciuitatum incunabula in vera Sueuia, hoc est, Scandinauia, recte quæri & reperiri. Egregiæ profecto nugæ! quas si audimus, propediem omnis fida antiquitas cogetur exulare. Secundum nostram sententiam, vti temere fortuitoque maximæ Germaniæ parti Sueuicum est obductum nomen; ita rursum incerta ætate illud cœpit attenuari & imminui. Videtur maxime excidisse nomen ex amplitudine priori, cum alia clara ciuitatum cognomina surgerent; quæ, cum ante in complexione Sueuiæ fuissent adpellationis, postmodum maluere propria clarescere gloria. Extremum unam Hermundurorum gentem, & nouam regionem, Sueuorum, & Sueuiæ, compellatio mansit; ad angustissima spatia tum reducta, cum ante ipsa sua laborasset

Male Sueuia Scandica reliquæ Sueuiæ mater dicitur.

Imminutio Sueuici nominis amplitudinis.

magnitudine. At, si qui tamen contenderint, ipsum *Sueuorum* nomen ab illo etiam *Sueuorum* esse ortum, hodieque adeo non inter exiles metas Sueuicum nomen consistere; meam illi facile habebunt consensionem, dummodo ab inepta ambitione, & praecipuae gloriae affectatione, haec earum absit sententia (*o*).

Germania orientalis.

Historia Sueuiae nominis exponitur.

IV. Lubet, quae praecise diximus, paulo magis persequi, & in varias Sueuiae antiquae mutationes porro inquirere. Cum Germaniae populi in quinque genera antiquitus diuiderentur, dubio procul perangusta fuit *SVEVIA*, & in *HERMIONVM* maiorem ciuitatem, quod Plinius memorauit, imputata. Caesaris aeuo Sueuico nomine *CATTI* videntur compellati esse; aut vehementer Caesarem errasse fatendum erit. *MARCOMANNI* etiam, & *HARVDES*, & *SEDVSII*, Sueuici fuere nominis; saltem cum hae gentes a Maroboduo in Boiohoemum traductae essent, diserte in Sueuorum numero referuntur. Primus Tacitus amplissimam *SVEVIÆ* complexionem ostendit. Tum enim, an diu ante, & quam diu? ignoratur, *ab ortu solis* in vastam Sarmatiam se Sueuia sinuauit, vt *ÆSTIOS*, *BASTARNAS*, *GETICAS*que ciuitates, comprehenderet. *Contra septentriones* non nisi vastus, Romanisque prope ignotus, oceanus Sueuiam finiit; vt omnes adeo Scandinauiae, atque Finningiae, gentes Sueui essent. *Ad occidentem* Albis Sueuiam ab iis regionibus separauit, quae posthac Franciae, & seriori aeuo Saxoniae, nominibus sunt cognitae. *In austri* demum *partibus* Sueuiam disclusit Danubius, hinc Noricum Pannoniasque, illinc Sueuiam, alluens. Satis & diu post aeuum Taciti perpetuata videtur Sueuici nominis amplitudo; rem probante crebro Sueuici vocabuli vsu, vbi Transalbini intelligerentur populi. Pro-

(*o*) Vid. OLAUS RUDBECK *Atlantica Cap. XXIV.* in qua Sueuiae nomen maxime Sueciae vindicatur. Et Scandinauia quidem simul Sueuia dicta est a TACITO: sed non sola, non praecipua. Vltima Sueuia Hermundurorum patria est: de qua re vid. infra in Hermunduris.

Sueuia. Protenta imo tum, cum Alemannicum fœdus illuſtraretur, *SVEVIA* videtur in Rhenum usque amnem: recte enim cum Alemannis Sueuicum quondam eſſe nomen communicatum, alibi monſtrauimus. Paulo autem poſt ingentia nata fœdera Sueuiæ nominis laxitatem coanguſtari cœpiſſe certum eſt. Eodem quippe æuo minorum ciuitatum, quas ante Sueuia comprehenderat, varia nomina cœpere plurimum illuſtrari. Primum *Gothi* inſignem victoriis multis gloriam peperere. Poſt & *Vandali*, & *Longobardi*, & *Burgundiones*, aliæque his ſociæ gentes, celebrantur. Tum contrarium *SVEVIÆ* nomini euenit, ac adpellationibus *Franciæ* & *Saxoniæ* acciderat. Hæ effecere demum, vt minorum ciuitatum exoleſceret memoria, ſolæque in omne durarent æuum. Illud Sueuiæ nomen tum præcipue ad anguſtos limites redactum eſt, cum gloria minorum gentium ſurgeret. Qui exinde fines Sueuiæ manſerint, nemo oſtenderit; nec, quæ nationes in Sueuos imputari perrexerint. Vltima Sueuorum, qui adhuc plures comprehendiſſe videantur populos, memoria eſt in hiſtoria migrationis Sueuiæ in Hiſpaniam, ineunte quinto ſæculo factæ. Poſt eam continuo ad ſolam Hermundurorum ciuitatem tenue Sueuiæ diuertit nomen, & in eius noua regione perſtitit. Poſtremæ huius Sueuiæ fines alio me loco indicaſſe memini (*p*).

V. Gen-

(*p*) Catti imputati in Sueuicum nomen, quo a CÆSARE *Bell. Gall. Lib. I. Cap. XXXVII. LIV Lib. IV. Cap. I. II. Lib. VI. Cap. IX. X. XXIX.* a FLORO *Lib. IV. Cap. XII.* a STRABONE *Lib. VII.* compellantur. Marobodui nationes diſerte STRABO *Lib. VII.* Σουήβους, Sueuos vocat. Idem & dicit: Μέγιστον μὲν τὸ τῶν Σουήβων ἔθνος. διήκει γὰρ ἀπὸ τοῦ Ῥήνου, μέχρι τοῦ Ἄλβιος μέρος δέ τι αὐτῶν καὶ πέραν τοῦ Ἄλβιος νέμεται. *Maxima quidem eſt Sueuorum natio: nam & a Rheno ad Albim usque pertingit, & trans Albim habitant pars eorum.* TACITUS nullos vnquam cis Albim Salamque Sueuos nouit, ſed tum omnis Sueuia trans illos fluuios eſt redacta. Quam ſe ea late longeque explicuerit, modo vidimus. Rurſus Sueuiæ nomen ad Rhenum protentum, cum Alemannia ſurgeret: re ſupra a nobis expoſita. A tertio autem ſeculo coanguſtari cœpit Sueuicum nomen: vt vix vltra, niſi ſoli Sueui Hermunduri, eo nomine venirent. Quinto tamen ſeculo Sueuica migratio adhuc plures habuit gentes: ſed vt opinabile tantum ſit, quæ adhuc nationes Sueuico nomine ſint notatæ.


Gentium Sueuicarum numerus.

Germania orientalis.

V. Gentium singula nunc nomina, quibus aut auctior Sueuia fuerit facta, aut angustior, diuersis ex eius exemtis complexione, non placet vltra percensere. Numerarunt Orosius & Æthicus gentes Sueuiæ in vniuersum LIV; quod, si respexeris ad Taciti ætatem, & minorum pagorum computaueris nomina, probari facile poterat. Certe autem vtriusque scriptoris ætate, quæ in quinti seculi initia cadit, tanta non supererat Sueuiæ amplitudo; vnde ad veterum eos mentem sua scripsisse manifesto patet. Si Tacitum ipsum quæsieris, XXX circiter habebis populos Sueuiæ; propriis adhuc, quod ait, nationibus nominibusque discretos, quamquam in commune Sueui vocentur. Distinguere gentes non opus est; namque, vt cœpimus, & has cursu fluuiorum notatas commode considerabimus. Vnum vero integræ Sueuorum gentis insigne notauit Tacitus, idque meretur in generali de Sueuis inquisitione obseruari. *Insigne* hoc fuit, *obliquare crinem, nodoque substringere.* Sic Sueui a ceteris Germanis, sic Sueuorum ingenui a seruis separati sunt: sic in aliis gentibus, seu cognatione aliqua Sueuorum, seu, Tacito censente, quod sæpe accidit, imitatione, rari & intra iuuentæ spatium illo Sueuorum crinium ornatu vsi sunt. Apud Sueuos vsque ad canitiem horrentem capillum retro secreuere, ac sæpe in ipso solo vertice religarunt. Principes & ornatiorem habuerunt. Ea cura formæ, sed innoxiæ, Sueuis fuit. Neque enim, adiicit Tacitus, vt ament amenturue, illam formam coluerunt; sed vt hostium oculis, in altitudinem quandam & terrorem, adituri bella, comti, ornati sunt. Vnde insignis istius communis adprobatio? non vacat disquirere; nec quæ inter ceteras Germaniæ nationes diuersa crinium cura fuerit: quæ quidem cura alius olim erit operis, quod de moribus Germanorum veterum ex instituto inquiret. Sed nisi me fallunt omnia, habemus fortassis veram hic maximæ Sueuici nominis amplitudinis causam.

Insigne omnium Sueuorum commune.

Quod


CYNNORUM REGIO.
Danubius Flu.
Büschel

Quod placuisset plurimis ille capitis habitus, qui primorum Sueuorum proprius ante fuerat; factum fortassis inde est, vt omnes populi Sueui a Romanis, & passim ab omnibus, compellarentur, quibus simili capillamento vti libuit (q).

CAPVT IV.

ORIENTALIS GERMANIÆ PARTIS AQVILONARIS PRISCI POPVLI.

I.

IN Sueuis primos censebimus septem minores populos, quos coniungit Tacitus, & sacrorum arcta communione inter se iunctos fuisse diserte perhibet. Fuerunt

REVDINGI & AVIONES,
& ANGLI & VARINI,
& EVDOSES & SVARDONES,
& NVITHONES;

Septem ciuitatum Sueuicarum fœdus, nomina, eorumque origo.

obscura ceteroqui ciuitatum nomina, nisi quod Anglorum gloria reliquas etiam illustrat gentes, quæ prisco fœdere cum Anglis fuere deuincti. Loco Reudingorum quædam Taciti

(q) Orosius *Lib. I. Cap. II. Germania est, vbi plurimam partem Sueui tenent: quorum omnium gentes sunt quinquaginta quatuor.* De generali omnium Sueuorum insigni hæc Taciti verba sunt *Germ. Cap. XXXVIII. Insigne gentis obliquare crinem, nodoque substringere. Sic Sueui a ceteris Germanis: sic Sueuorum ingenui a seruis separantur. In aliis gentibus seu cognatione aliqua Sueuorum, seu, quod accidit, imitatione, rarum & intra iuuentæ spatium; apud Suenos vsque ad canitiem horrentem capillum retro sequuntur, ac sæpe in ipso solo vertice religant. principes & ornatiorem habent. ea cura formæ, sed innoxiæ. Neque enim vt ament, amenturue, in altitudinem quandam & terrorem adituri bella compti, vt hostium oculis, ornantur.*

citi exemplaria agnoſcunt *Reudignos*; nulla *Deuringos:* quos infelici coniectura quidam in Reudingis quærere eſt conatus, vt Thuringiæ incunabula gentis facilius oſtenderet. Cum Auionibus ſine dubio *Cauiones* & *Chaibones*, quorum excurſiones in Gallias cum Herulis ſuſceptas Mamertinus memorauit, iidem fuere. Anglos Ptolemæus vocauit *Angilos*, iique extremum quidem omnium, ſed & præcipue celebrati ſunt. Varinos alias *Varnos*, *Varrosque*, & in Ptolemæo *Viruanos*, fortaſſis etiam *Farodinos*, adpellatos eſſe reperimus. Nomen a *Varna* amni, quem coluerunt Varini, acceptum eſſe, dubitabit prope nemo. An illi in vetuſta quadam Germanorum lege inſcripti *Anglii* & *Werini* veteres Anglos & Varinos referant? valde eſt opinabile. Fortaſſis, cum pars Anglorum in Cimbricam conceſſit peninſulam, nouasque ibi ſupra Iutas & infra Saxones inuenit ſedes; pars etiam cis Albim migrauerit, & in Thuringico fuerit fœdere: nam vtriusque nominis mentioni additur ſtatim Thuringorum vocabulum; & ita, vt hoc videri poſſit vtrumque antecedens comprehendiſſe; Varinorum nominis mutationem potuerit nouus, quem adcolere cœperint, dare fluuius. Vt ante a *Varna Varini*, ſic deinceps a *Werra Werini*, fuerint compellati. Si diuerſas quis Thuringico complexas fœdere ciuitates oſtenderit, vtrasque ab amnium nominibus cognominatas; nec iſti, dummodo probauerit adſertionem, repugnabimus: namque eſt omnino temerarium, ex ſola vocabulorum conuenientia ſine alia idonea cauſa de populis iudicare; & noua inter Germanos fœdera noua crebro dediſſe ciuitatum nomina, aliquoties vidimus. De Eudoſibus, Suardonibus, atque Nuithonibus, parum meminere alii ſcriptores. Quidam *Farodinos* Ptolemæi de Suardonibus interpretantur. Cetera monſtroſa Ptolemæi vocabula, quæ iisdem locis ipſe adſignat, quibus ſuas Tacitus ciuitates, quis explicabit? Vt vnum addam, *Teutones* Ptolemæi inter Farodinos & Sueuos, non

Germaniæ orientalis pars aquilonaris.

Reudingi, Auiones, Angli. &c. non male pro Eidosibus licet accipere; & si placet, eius *Auarpos* pro Cauionibus: nec sola enim positio, sed & nomina fere concordant. *Suardones a latis ensibus*, quibus vsi fuissent, vt *Saxones a breuibus gladiis*, cognomentum tulisse, non quidem plane doceri potest, sed non incommoda tamen adstruitur coniectura (*r*).

II. Quo loci nostræ ciuitates, quarum modo nomina vidimus, habitauerint, non difficiliter cum ex Tacito, tum ex Ptolemæo, accipere licet. Sane *ab occasu* Albis eas a Cheruscis diuisit, Chalusus a Fosis Taciti, siue Saxonibus Ptolemæi. *Contra septentriones* oceanus Anglos, Varinosque, & si quos alios, finiuit. *Ad ortum* Sueuus fuit, siue Viader fluuius. *Septem ciuitatum sedes noscuntur facile;*

 Ad

(*r*) De sociis hisce ciuitatibus ita TACITUS narrat, *Germ. Cap. XL. Reudigni deinde, & Auiones, & Angli, & Varini, & Eudoses, & Suardones, & Nuithones, fluminibus aut siluis muniuntur.* Quæ ineptiunt in horum nominum expositione auctores, prorsus non moramur. *REUDIGNORUM* nomen in *Deuringorum* propinquum vocabulum, repugnante quodammodo Minerua, conuertit CLUUERIUS *Germ. Ant. Lib. III. Cap. XXVII. AUIONUM alibi memoria nulla;* nisi sunt *Cauiones* & *Chaibones*, quos cum Erulis, siue Herulis, MAMERTINUS *binis panegyricis Maximiano dictis* coniunxit. *Genethliaco Cap. VII. Itidem hic gens*, inquit, *Cauionum Erulorumque deleta, Transrhenana victoria. Panegyr. Cap. V. Chaibones Erulique viribus primi barbarorum, locis vltimi, præcipiti impetu in has prouincias irruerunt.* Mox, *Cuncti Chaibones, Erulique cuncti, tanta internecione cæsi interfectique sunt, vt exstinctos eos relictis domi coniugibus ac matribus non profugus aliquis e prælio, sed victoria tua gloria nuntiaret.* Qui vero Auiones in Galliam potuerunt excurrere? terra, mariue? non eam ego litem meam fecerim. *ANGLI* vocantur PTOLEMÆO Ἄγγειλοι Σουήβοι, *Angili Sueui*; Procopio Ἄγγιλοι. *VARRINOS* PLINIUS *Lib. IV. Cap. XIV.* memorat; PROCOPIUS *Lib. II. & IV. Rerum Gothic.* Οὐάρνους, *Varnos*; AETHICUS *Cosmographus, Varros.* PTOLEMÆUS binas eodem prope terrarum tractu gentes habet. Sunt Φαροδεινοὶ, & Οὐίρουνοι, *Farodini*, & *Viruni*; vnus fortassis duobus vocabulis notatus populus. Lex vetus apud LINDENBROGIUM hanc inscriptionem habet: *Lex Angliorum & Werinorum. Incipit Lex Angliorum & Werinorum, & Thuringorum.* Quod *SUARDONES* quidam quasi de *nigra gente* interpretati sunt, inde maluerunt vocem *NUITHONES* in *Vuithones* conuertere: vt nigris albi recte opponerentur. *Farodinos* PTOLEMÆI CLUUERIUS pro Suardonibus accipit. Cetera illius nomina transmittimus.

Ad meridiem partim Albi noſtræ gentes ſubiacent; partim obiacet iis ab Albi ad Sueuum vsque Longobardorum clariſſima natio. Quibus autem inter ſe fuerint ſedibus diſtinctæ, vix & ne vix quidem explorare licet. Tacitus generatim dicit, fluminibus aut ſiluis eas muniri; quæ inde capi poteſt ſedium ſeparatarum notitia? *ANGLOS* tamen non verebor ad Albim, ſimulque ad Chaluſum & oceanum, admouere; quod cum Saxonibus vicinis maxime fecere, & præcipue inſignem cum iis in occupata Britannia peperere gloriam. Non dubitabo etiam poſt Anglos ad maris littus, quod Varna amnis ſecat, *VARINOS* locare; eam poſitionem cum ſuadente nomine, tum oſtendente Procopio. *REVDINGOS* Longobardis proximos fuiſſe, Tacitus videtur velle, quod cum narratione de Longobardis ſtatim coniungat Reudingos. Coniecturale tamen totum eſt, ſi ad Albim primo Reudingos, infraque Cauiones, & ſic in circulo ceteras nationes ponimus. Nihil enim magis imperat, vt a Longobardis deſcendentes primum Albim ſequamur, quam vt Sueuum putemus priores populos coluiſſe, Albim reliquos. Vulgo hic ciuitatum noſtrarum ſitus placet. Cum Anglis & Varinis, *EVDOSES* in littore Sueuici maris ponuntur. Supra Varinos ad Albim *CAVIONES*, & ſupra eos, infraque Longobardos, Reudingi conſtituuntur. Ad Sueuum ſupra Eudoſes creduntur *SVARDONES*, & ſupra hos *NVITHONES*, egiſſe. Ipſe nihil decerno in tanto vetuſtatis de horum populorum veris ſedibus ſilentio (*s*)

Germaniæ orientalis pars aquilonaris.

difficillime a ſe inuicem ſeparantur.

III. Occur-

(*s*) Si in ceteris grauiſſime PTOLEMÆUS per multum errorem lapſus eſt, maxime earum gentium, quæ trans Albim coluerunt, poſitio multifariam vitioſa eſt. Meminit *Anglorum*, *Varinorum*, & fortaſſis *Suardonum*, ſed ſatis obſcure & confuſe. De Anglis ita loquitur: Τῶν δὲ εἴσω καὶ μεσογείων ἐθνῶν, μέγιστα μέν ἐστι, τὸ δὲ τῶν Σουήβων τῶν Ἀγγειλῶν. οἵ εἰσιν ἀνατολικώτεροι τῶν Λαγγοβάρδων, ἀνατείνοντες πρὸς τὰς ἄρκτους, μέχρι τῶν μέσων τοῦ Ἄλβιος ποταμοῦ. *Populorum introrſus pertinentium & mediterranea colentium, maximus eſt ille Sueuorum Angilorum. qui ſunt orientaliores quam Longobardi, verguntque verſus ſeptentriones, usque medium Albis.* Cum

Reudingi, Auiones, Angli. &c.

III. Occurrunt quædem in Ptolemæo locorum nomina, quæ, cum videantur posse harum regionum antiquitatem illustrare, minime transmitti debent. Habet *Laciburgium* Ptole-

Memorabilia in eorum agris.

Longobardorum partem cis Albim colere accepisset, & Anglos in citeriore posuit parte; in vno hoc suæ non falsus sententiæ, quod Anglos a septentrionali Longobardorum parte posuit. De Vatinis & Suardonibus, si Farodini sunt Suardones, hæc habet: Μετὰ δὲ τοὺς Σάξονας ἀπὸ τοῦ χαλούσου ποταμοῦ μέχρι τοῦ Συήβου ποταμοῦ, Φαροδεινοί. *Post Saxonas a Chalusa amne ad Sueuum flumen Farodini.* Et postea, Μεταξὺ τῶν Σαξόνων καὶ τῶν Συήβων, Τευτονόαροι καὶ Οὐίρουνοι. *Inter Saxones & Sueuos Teutonoari ac Viruni.* Generales hinc limites ciuitatum nostrarum adparent; Chalusus, Albis, Sueuus, Mare, & Longobardorum confinium. Iisdem vero in finibus, quibus PTOLEMÆUS Anglos, Varinosque, habet, nos commode ceteras constituimus ciuitates, quippe arctissimo inter se fœdere omnes coniunctas & copulatas. De Varinis PROCOPIUS Varnorum nomine, *Lib. II. Cap. XV.* ita etiam differit; Ἔρημον δὲ χώραν διαχωρήσαντες ἐνθένδε πολλήν, ἐς τοὺς Οὐάρνους καλουμένους ἐχώρησαν. μεθ' οὓς δὴ καὶ Δανῶν τὰ ἔθνη παρέδραμον. ἐνθένδε δὲ ἐς ὠκεανὸν ἀφικόμενοι ἐναυτίλλοντο. *Desertamque hinc regionem multam transeuntes* (Herulorum ab Istro Scandinauiam petentes legati) *ad Varnos peruenerunt. inde Danorum nationes percurrerunt. hinc vero ad oceanum progressi nauigarunt.* Ergo prope Danorum nationes & ad oceanum Varni, ex PROCOPII non minus quam PTOLEMÆI designatione, coluerunt. Reliquæ iam populorum sedes vetustati prorsus sunt incognitæ. CLUUERIUS vero ita ordinauit gentes, vt omnem infra Longobardos agrum inter Sueuum & Albim atque Chalusum occupauerint. *ANGLIS* tribuit *Lauenburgensis ducatus* dimidiam partem, dextræ Albis ripæ adfixam; & *Meckelburg. ducatus* occidentalem portionem, ad usque Wismariensem sinum. Inde *VARNOS* & *EUDOSES* ad Balticum mare collocat: vt illi *Meckelburgensis ducatus* partem orientalem, & cum his *Pomeraniam citeriorem*, vsque ad Viadri ostia, coluerint. *AUIONES* supra *Varinos* ad Albim ponit, in *Brandenburgicæ Marchiæ portione*, qua oppidum *Dalmin*; in parte *Dannebergensis comitatus*, inter confluentes Albis ac Plauæ sita; in parte demum *Mekelburgensis ducatus*, in eadem Plauæ & Munitii lacus ripa protenta. *SUARDONIBUS* adiudicat *Pomeraniæ* citerioris superiorem partem, qua oppida *Stettin*, *Vkermunde*, & *Vsedom*; cum *ducatu Mekelburgiensis* portione, inter Tullium lacum & flumen Hauelam sita. Iam iterum *REUDINGOS* ad Albim supra Auiones in parte *Brandenburgicæ Marchiæ*, qua oppida *Hauelberg*, *Rappin*, *Pruzwalk*, constituit: & prope eos, vsque ad Viadrum, *NUITHONES*, in *Brandenburgicæ Marchiæ* parte, qua oppida *Prentzlow*, *Templin*, *Nye Angermund*; in *Mekelburgiensis ducatus* portione, qua vicum *Foerstensee*; & in *Pomeraniæ* portione, qua pagum *Gartz*. Dedimus, quæ certam polliceantur fidem. Quantum autem quisque CLUUERIO liberius opinanti confidere velit, ipse iudicet.

Ptolemæus; quod ex nominibus consonantibus passim eruditi *Lauenburg*, ad Albim clarum oppidum, referre cupiunt. Ipsa Ptolemæi positura magis in castellum quoddam ad lacum, vel in lacu, qui in Iamensem sinum exoneratur, magisque adeo in veterem siue Rugionum, siue Lemouiorum, regionem, quadrat. *Treuam* Ptolemæi existimant clarissimo hodieque emporio *Lubeca* originem dedisse. Rectius oppidum *Trepa*, ad cognominem amnem quondam perfrequens, quod rursus vero magis Saxonum fuerit, quam Anglorum, accipitur pro Ptolemæi Treua. *Duas Mariones* communiter de nobilissimis vrbibus *Hamburgo* & *Wismaria* interpretantur. Et conuenit Wismariæ cum alterius, nempe occidentalis, Marionis & positura & nomine satis commode. Orientalis vero Marionis vere in peninsula quæritur, quæ Suibi adiacet æstuario, vulgoque *Dartz* nuncupatur. Si gentium communis positio probatur, incidit hæc ad orientem Marionis in Varinorum, altera ad occidentem in Anglorum, sedes; quibus posterioribus, & Treuam, & Laciburgium, plerumque auctores vna tribuere monuimus. *Virunum Virunorum*, si saltem recte Taciti Varini & Ptolemæi Viruni in vna censentur gente, & si Varini ad Varnam amnem iuste locati sunt; non dubitauerim cum pluribus *Waren*, Munitio lacui adpositum oppidum, adpellare. Non desunt autem, qui Virunum longius ad orientem a Ptolemæo adduci iudicant, quam vt situi dictæ vrbis possit conuenire. Quæ subiacet maritimæ nostrarum gentium regioni insula, *RVGIA* hodie dicta, non inepte creditur, & fuisse in ditione earum; & fuisse omnino eadem insula oceani, in qua castum nemus, dicatumque in eo vehiculum, veste contectum, attingere vni sacerdoti concessum, inque penetrali venerabilem Deam, secretumque & horribilem lacum, Tacitus memorauit. Nempe cum descriptione Taciti conuenit Rugiæ insulæ situi, densæ in ea siluæ, secretoque in silua lacui, imo priscæ, si quibusdam

Germaniæ orientalis pars aquilonaris.

Rugia insula sacrorum communium statio.

busdam

Reudingi, * *Auiones,* * *Angli &c.* busdam credimus, superstitionis vestigiis: vt minime liceat de inuenta celeberrima, omniumque nostrarum ciuitatum communibus sacris destinata, insula porro dubitare. De ipsis sacris, quibus antiquissimo æuo insula claruit, dicetur postea (*t*).

IV. Historia septem, quos cernimus, populorum prorsus est mutila atque manca; vt fere ceterarum nationum Sueuicarum, quarum periit memoria, quod solis maiorum carminibus celebraretur, non in Romanorum seruaretur monumentis. Ante Tacitum meminit nullus auctor nec Anglorum, nec reliquorum nominum. Quippe trans Albim Romanis prope omnia ignota fuere; sane nullum eis cum Transalbinis populis nec belli, nec pacis, commercium exstitit. Diu & post Tacitum inobscuratæ obliuione nostrorum res gestæ manserunt. Licet norimus, *SAXONVM* gloriam paulo post omnia Germaniæ littora obsidere cœpisse, non constat tamen, quando primum Angli ad Saxonicam societatem accesserint, & quæ eorum in fœdere Saxonico fuerint prisca acta. Adsequimur coniectura, maxime Anglos studu-

Manca mutilaque septem ciuitatum historia.

(*t*) Communis PTOLEMÆI oppidorum interpretatio semper fere est CLUVERII, quem ceteri fere omnes sequuti sunt. Si quando contrariam proponimus opinionem, ea MENSONIS ALTINGII *eruditissimæ* PTOLEMÆI *Tabulæ expositioni* debetur; quam modo ipse sequor, modo discedendi ab eius mente iustas indico rationes. TACITUS *Germ. Cap. XL.* post communium sacrorum mentionem, de loco addit: *Est in insula oceani castum nemus, dicatumque in eo vehiculum, veste contectum, attingere vni sacerdoti concessum.* Mox, *vehiculum, & vestes, &, si credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur.* Hæc insula procul dubio Rugia est. Persuadet situs insulæ, & in ea nemus sacrum, lacusque in nemore secretus: quæ singula Rugia insula hodieque monstrat. Silua est in ea insulæ parte, quæ incolis vocatur *Iasmund*, ad promontorium, cui vulgare vocabulum *de Stubben Kammer,* & siluæ nomen est *Stubbenitz.* In silua lacus aqua atra profundissimus est; qui, licet piscibus mirum in modum scateat, opinio tamen est, retia eum ac scaphas non ferre. Porro perpetuatæ in ea insula superstitionis, quamquam dudum mutatis habitatoribus, clarissima adhuc vestigia ostendit HELMOLDUS *Lib. I. Cap. VI. XXXVII. & LIII.* Ranorum, siue Rugianorum, Slauicæ gentis, cultum describens Conf. ALB. KRANTZIUS *Vandalia Lib. III. Cap. XXII. Lib. V. Cap. XII.*

studuisse nauigationibus cum ante, tum post, sanctum Saxonicum fœdus; vnde præcipue videntur Saxonum æqualibus studiis delectati esse, & eorum societati non grauate dedisse nomen. An ceteræ ciuitates cum Anglis auxerint Saxoniam? haud equidem perspicio; nec tamen prorsus negari posse autumo. Certe quod in aliis fœderibus deinceps fuisse videantur, nihil id obstat, quo minus ante cum Saxonibus fecerint: namque nouimus, quam crebro nomina partesque mutare Germanicæ nationes consueuerint. Maximiani æuo Cauiones, qui videntur Auiones fuisse, cum Herulis in Gallias inuasisse leguntur. Fortassis cum Cauionibus, & Herulis, tum interiores gentes arma administrarunt; cum Eudoses Varinique cum Anglis piraticam exercere pergerent. Quinto seculo ineunte, cum magnæ Germanicarum ciuitatum migrationes agerentur, est ignarum, an pars nostrarum gentium & quota, in *VANDALICO* fuerit exercitu? Qui adhuc remansere in solo patrio, non inepte existimantur cis Albim migrasse, & in nouam *THVRINGORVM* concessisse ciuitatem. Verum Anglorum nomen tum præcipue illustrari cœpit, cum demum Saxonibus bellissima obtingeret potiundi Britanniæ occasio. Anglos, fortissimam haud dubie sui partem, in partes expeditionis nobilissimæ accepe-runt. Victæ telluri omnino ab Anglis Angliæ nomen est impositum; quod certe probat, insigniter ceteros Saxones Anglos iuuisse, hosque omnino illorum exstitisse nobilissimos. Si sequentis æui scripta legimus, opinemur, antequam in Britanniam Angli nauigarent, concessisse eos in vetustissimorum Saxonum desertas fortassis ab habitatoribus regiones. Vetus quippe Anglorum patria subinde prope Iutas & infra Saxones ad isthmum ostenditur; quod nisi istiusmodi statuamus migrationem, minime defendi valet. Exin, cum omnia reliqua nomina exoleuissent, ipsumque Anglorum nomen in Cimbrica chersoneso inglorium ageret, Varnorum

[Margin notes: *Germaniæ orientalis pars aquilonaris.* — *Ann. CCLXXXVII.* — Anglorum gloria. — *Ann. CCCCXLIX.* — Mutata Anglorum sedes.]

Reudingi, Auiones, Angli, &c.

ANN. CDLIII. & CDXCIX.

Varnorum nationis extrema sedes incerta.

rum nationis nomen bellis iterum apertum est. Memorantur Varnorum reges; memorantur eorum cum Francis bella, quibus demum Varnorum gens deleta est. Sed manet incertum, vbi illi postremi Varni egerint. Profecto trans Albim dudum ex priscis sedibus cum Varni, tum reliqui populi, eo excisi fuere tempore; & Varni cum Francis bellantes, non ab iis videntur adeo fuisse longe dissiti. Quod restat, Sarmatas nostrarum nationum regiones omnes seculo sexto, nisi iam quinto, occupasse, certum est. Non id tamen singulare huius terrarum tractus exstitit fatum, sed, quod pluries supra monstrauimus, omnium trans Albim agrorum fere commune (b).

V. Pub-

(b) TACITVS *Germ. Cap. XL.* post enumeratas gentes; *Nec quicquam,* inquit, *notabile in singulis.* De *CAVIONVM* seu *Chaibonum,* cum Erulis in Galliam impressione MAMERTINI testimonia *Paneg. Cap. V.* & *Genethl. Cap. VII.* accepimus. *ANGLOS* in Britanniam cum Saxonibus nauigasse, constat ex PROCOPIO *Lib. IV. Bell. Goth.* & ex BEDA *Lib. I. Cap. XV.* Apud DIACONVM *Lib. IV. Cap. XXIII. Angli Saxones* vocantur, vt arctissimum fœdus *Anglorum Saxonum*que declararetur. Quod de Anglia, incerta ætate in ipsam Cimbricam chersonesum protenta, dicimus, BEDA locô citato probat. *Angli,* inquit, *de illa patria, quæ Angulus dicitur, & ab eo tempore vsque manere deserta inter prouincias Iutarum & Saxonum perhibetur.* ETHELWERDVS SAXO: *Anglia vetus sita est inter Saxones & Giotos, habens oppidum capitale, quod sermone Saxonico Sleswick, secundum vero Danos Haithby.* Et exstat hodie vocabulum eorum integrum in Cimbrica peninsula, inter celebria duo oppida *Sleswick* & *Flensburg;* vbi regio *Angelen,* siue *Angeln,* adpellatur. Non autem tum demum Angli dicti sunt, cum in illum ad mare angulum concessissent; quod sibi male ROB. SCHERINGHAMVS *de Orig. Anglorum Cap. II.* persuasit. Sed iam diu ante Anglos TACITVS nouit; & licet eos simul Sueuos PTOLEMAEVS adpellauerit, non tamen, quam fœdere, aut nominis complexione, Sueui Angli & Angli Saxones distulerunt. *ANGLIÆ* nomen in Britanniam nostram intulisse gentem, hodiernum nobilissimi regni nomen satis loquitur. At primum *Saxoniæ Transmarinæ* nomen magis esse frequentatum, & seriore magis ætate alterum *Angliæ* susceptum, id iam supra declaraui. Extremæ *VARNORVM* res non vnam eruditis dubitationem mouent. Antiqua lex coniungit *Anglios, Werinos,* & *Thuringos.* CASSIODORVS *Lib. III. Ep. III.* Theodorici Gothorum regis ad *Herulorum, Guarnorum* & *Thuringorum,* reges mandata habet,

Communium sacrorum rationes.

Germania orientalis pars aquilonaris.

V. Publicæ nostrarum nationum rei formam colligendi multo superest minor spes, cum nisi hiantem historiam non dare potuerimus. Sacra habuerunt vtique communia, & in commune *Herthum*, id est, *terram matrem*, coluerunt; eamque, Tacito totam exponente causam, interuenire rebus humanis, inuehique populis, arbitrati sunt. Exstitit in insula oceani, quam *Rugiam* esse ostendimus, castum nemus, dicatumque in eo vehiculum, veste contectum, attingere vni sacerdotum concessum. Is adesse penetrali deam intellexit, vectamque bubus fœminis multa veneratione prosequutus est. Læti tunc dies, festaque vbique loca, quæcunque aduentu hospitioque dea dignata est. Non bella inierunt, non arma sumserunt; clausum omne ferrum extitit; pax & quies tunc tantum nota, tunc tantum amata fuit: donec idem sacerdos satiatam conuersatione mortalium deam templo reddiderit. Mox vehiculum, & vestis, &, si credere velis, numen ipsum secreto lacu ablutum est. Serui ministrarunt, quos statim idem lacus hausit. Arcanus hinc terror, sanctaque ignorantia fuit, quid sit illud, quot tantum perituri videant. Hac ceremoniarum & religionum in ignotam deam communione nostri defuncti sunt.

vti Clodouæum Francorum regem a tergo distineant, ne contra Alaricum, Vesigothorum regem, mouere possit. PROCOPIVS *Lib. IV. de Bell. Goth.* bellum Francorum, Theodobaldo rege, contra Varnorum, quos vocat, regem, *RATIGERVM*, gestum, quo prope Varnorum gens ad interneccionem cæsa est, describit. FREDEGARIVS *Chron. Cap. XV.* a Childeberto rege VVarnos rebellantes ita victos esse tradit, vt pauci ex ipsis remanserint. Vbi hi VVarni, siue Varni, aut Varini, extremi coluerint, nemo docet. Quod ad Rheni ostia Anglorum rex, cum iis bellum administraturus, nauigauit, vtique mari fuisse videntur proximi. Quod frequenter conflixerunt cum Francis, & hoc vicinam Rheno gentem indicat. Inter incerta plurima hoc puto liquere; ex Transalbinis sedibus gentem, cum omnes populi migrarent, simul ad Rhenum contendisse, & aut Thuringorum, aut Saxonum, aut etiam Frisiorum, fauore suas ibi res conseruasse, donec a Francis destruerentur. Opiniones varias collegit NIC. SCHATEN *Hist. Westfalia Lib. V. pag. 306.* Slauicas gentes ad omnia Codani sinus Germanica littora infra visemus.

[illegible]i, [illegible], Angli, &c.

ſunt. Quæ illa Dea *Herthum* dicta? an eadem, quæ in Marſis *Tanfana*, in Friſiis *Badubenna*, adpellata eſt? alibi disquiretur; nosque hic integram materiam intactam mittimus. Obſeruamus, poſt noſtras ciuitates nouos harum regionum habitatores Slauos, ſeu Venedos, iisdem religionibus Rugiam inſulam frequentaſſe; itaque, licet mutatis colonis, non tamen priſcam illic nutaſſe ſuperſtitionem (*x*).

De publica re ſociarum ciuitatum.

VI. Non conſtat vero, vtrum ad communium ſacrorum exemplum iurium etiam publicorum communitate noſtri vſi ſint; an cuilibet ciuitati diuerſa placuerit regiminis formula? Ait Tacitus; nihil notabile in ſingulis occurrere: vnde putem, vno modo inter omnes conſtitutam fuiſſe rempublicam; licet non omnes vni aut regi, aut magiſtratui, paruerint. Quodſi vicinam gentium, Rugiorum, Lemouiorum, Gothonum, reſpicio inſtituta; omnium earum inſigne erga reges obſequium exſtitiſſe reperio. Neſcio, annum recte inde coniici queat; fuiſſe etiam noſtris ciuitatibus reges; pauloque iam addictius, quam ceteras Germanorum gentes, eas regnatas eſſe. Æuo ſuccedente, cum diuerſas partes ſequerentur noſtræ ciuitates, non eſt dubium, quin ſimul moribus alienis adſueuerint. Angli cum Saxonibus verſati regiam auctoritatem populi videntur

(*x*) Taciti *Cap. XL. Germ.* hæc de VII ciuitatibus nominatis verba ſunt: *In commune Herthum, id eſt, terram matrem, colunt, eamque interuenire rebus hominum, inuehi populis, arbitrantur. Eſt in inſula oceani caſtum nemus, dicatumque in eo vehiculum, veſte contectum, attingere vni ſacerdoti conceſſum. Is adeſſe penetrali deam intelligit, vectamque bubus fœminis multa cum veneratione proſequitur. Læti tunc dies, feſta loca, quæcunque aduentu hoſpitioque dignatur. Non bella ineunt, non arma ſumunt, clauſum omne ferrum; pax & quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem ſacerdos ſatiatam conuerſatione mortalium deam templo reddat. mox vehiculum & veſtes, & ſi credere velis, numen ipſum ſecreto lacu abluitur. Serui miniſtrant, quos ſtatim idem lacus haurit. Arcanus hic terror, ſanctaque ignorantia, quid ſit illud, quod tantum perituri vident.* In commentatione noſtra ſeruata Taciti verba leuibus modo notis illuſtrauimus; alii loco explicatio vberior debebitur.

circumſcripſiſſe iuribus; vnde fortaſſis initia limitatæ in Anglia poteſtatis regiæ petieris. Qui cum Vandalis abſceſſere, regem communem venerati ſunt; ſic &, qui Thuringicum auxerunt fœdus. Soli Varnorum reges ſera ætate auditi ſunt. Quod aſt fatum Thuringicum deleuit regnum, idem Varnorum res adflictauit, & vtramque nationem Francorum ditioni ſubiecit (y). *Germaniæ orientalis pars aquilonaris.*

Rugionum & Lemouiorum, VII. Reliquam, poſt ciuitates ſeptem, aquilonaris Germaniæ ab oceano oram Taciti æuo coluerunt

RVGII & LEMOVII;

nomina; vnde? quorum priores *Rugos*, *Rogosque*, diuerſi auctores nuncupant; *Ruticlios* Ptolemæus. Nomen Rugiorum ab amne *Rega*, & Lemouiorum ab alio amne *Leue*, eſſe acceptum, non prope dubito; cum & vereſimillima ſit illorum populorum circa vtramque amnem habitatio, & alia non occurrat vocabulorum interpretatio. Ex iisdem etiam amnium locorumque aliorum adpellationibus, de veris vtriusque gentis ſedibus facere coniecturam oportet. Sufficit enim Tacito monuiſſe, quod ab oceano prope Gothones Rugii Lemouiique egerint; ipſas inter ſe nec diſponit nec diſtinguit, regiones. Quodſi itaque bonas ſequimur coniecturas, Lemouii Viſtulæ oſtio, Viadi vaſto ori Rugii, proximi fuerunt. Inter ſe ipſos cupiunt interpretes vetuſtatis, fuiſſe Vipera amni Lemouios Rugiosque diſtinctos: ſed id opinabile, non certum eſſe, cuilibet patet. Ad meridiem ſupra Rugios vulgo locant auctores Sidinos Ptolemæi, atque Carinos Plinii; vt adeo ad Viperæ vsque fontes Rugii habitauerint. Supra Lemouios ad Viſtulam & eius oſtia Gothones habitarunt. *Sedes ex nominibus exploratiores.*

(y) TACITVS *Germ. Cap. XLIII. Protinus*, inquit, *ab oceano Rugii & Lemouii: omniumque harum gentium inſigne, rotunda ſcuta, breues gladii, & erga Reges obſequium.* Videtur hic TACITVS, cum ad oceanum a Danubio rediiſſet, omnes gentes, quæ ab oceano colant, earumque ſingulares mores ſimul complexus eſſe.

Rugii & Lemouii. tarunt. Incerti vero fines manent, quibus ab his nostri Lemouii fuerint diuisi (z).

Gothones quondam eorum agros tenuere. IIX. De antiquiori statu huius descriptæ Rugiorum Lemouiorumque regionis inquirentibus, fecerit propemodum Plinius fidem; quondam simul Gottones ea omnia insedisse: cum nisi vitium in exemplaria inuaserit, tantum terrarum maritimarum tractum eis tribuat, vt minimum a Viadri ostiis eorum sedes conueniat putare. Licet etiam non prorsus negemus, partem Gottonum ex Scandinauia in Germaniæ continens traiecisse; fortassis & alias ad mare Sueuicum nationes ex Scandinauia, copiosa viris, aduentasse: vbi poterant, primum Gottones maiores tenuisse campos, mox cognatis

 ciui-

(z) *RVGII* TACITI *Germ. Cap. XLIII.* vocantur *Rugi* a POLLIONE, SIDONIO, ENNODIO, IORNANDE, DIACONO, & aliis; *Rogi* Ῥόγοι, a PROCOPIO. PTOLEMAEO sunt Ῥουτίκλειοι, *Ruticlii.* *LEMOVIOS* nullus alius auctor meminit; nisi quod STRABO *Lib. VII.* Ζούμους adferat, quos alii cupiunt esse Λεμοβίους, *Lemouios.* Eorum sedes non nisi coniecturis patent. Rugios admouemus ad Viadri dextram ripam & oceanum; quod amnis *Regen,* seu *Roegen,* ibi est, & vetus gentis nomen in binis oppidis, ad Viperam, & ad Regam, conditis, quæ *Rugenwolde* & *Regenwolde* vulgo audiunt, perdurat: quod etiam videntur Rugii prope insulam coluisse, quam post Taciti ætatem occuparunt, & cui nomen indiderunt *Rugiæ,* quod hodieque seruatur. PTOLEMAEVS *Lib. II. Cap. XI.* non minus Ruticlios suos post Viadrum, quem corrupta scriptione Iaduam habet, ad vsque Vistulam ponit, vt fortassis vno Ruticliorum nomine & Rugios & Lemouios comprehenderit. *Σιδηνοὶ μέχρι τοῦ Ἰαδούα ποταμοῦ, καὶ ὑπ' αὐτοὺς Ῥουτίκλειοι, μέχρι τοῦ Οὐιστούλα ποταμοῦ. Sidini vsque ad Iaduam flumen; & sub his Ruticlii ad Vistulam usque amnem.* Vipera amne vtramque nationem CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. III. Cap. XXXV.* distinguit: quod totum autem cum ceteris fere limitibus coniecturale est. Ad *aquilonem* mare vtique & Rugios alluit, & Lemouios: nam, ab oceano eos colere, TACITVS scripsit. Ad *occasum* fuit Viadrus, siue Sueuus; & contendit CLVVERIVS, insulam Wollin Rugiorum fuisse. Ad *austrum* lineam ducit CLVVERIVS a Sueuo, qua oppidum est *Grippenbage,* ad fontem Viperæ, eaque a Sidinis atque Carinis Rugios discludit. His finibus magnam *Pomeraniæ* partem, & paruam *Brandenburgicæ Marchiæ* portionem, contineri cernimus. Iam Lemouios trans Viperam idem CLVVERIVS in maritima ora vsque ad mare, quod haurit Vistulam, reponit: quibus finibus nunc magna *Cassubiæ* pars, in cuius medio oppidum *Lauenborg,* siue *Lewenborg,* & ad mare *Putzke & Heel,* item proxima *Pomeraniæ* portio, qua oppidum *Stolpe,* comprehenditur.

Germania orientalis pars aquilonaris.

Quid de Rugiorum Lemouiorumque ex Scandinauia migratione sentiendum?

ciuitatibus eorum cessisse parte; cum ipsi post magnas in Sarmatiam migrationes vastis regionibus non sufficerent. At inique tamen fero, a multis non temere tantum fidem haberi Iornandis fabulis, sed & has multis nouis augeri accessionibus; iamque adeo non Gothos modo omnes, sed & Rugios Lemouiosque, imo in vniuersum omnes Sueuiæ vastæ nationes, ex Scandinauia peti. Demus, oriundos esse ex Scandinauia nostros. Vni Iornandi hac in causa habebitur fides: sed habeatur; cum credibile satis sit, eductas etiam crebras esse ex Scandinauia colonias, cum tot nationum quasi examina passim ex Germania reliqua euolauerint. Opinabile vero totum illud habeatur, quod de migrationibus sine idoneo teste dicitur. Nunquam sane eo prorumpat opinandi licentia, vt quidquam contra fidam testatamque statuatur historiam: quod fit ab iis, qui aut omnes claros Germaniæ populos in Scandinauia quærunt, & inde demum producunt; aut ex arbitrio probatissimas multorum sedes in eandem transferunt. Ipsi Rugii Lemouiique, si videbuntur ex Scandinauia egressi, non tam nomen attulisse, quam in nouis sedibus ob causas dictas accepisse, credentur. Tantum abest, vt Iornandi habeam fidem, qui *ETHETRVGOS* extremum ex Scandinauia producit, cum *VLMIRVGI* iam ante in Cismarina Germania egerint; quasi longa habitatio gelidæ Scandinauiæ vnam nobilitatem largiri apta foret. Si exstitit illa populi distinctio, in nostra regione vtraque gens recte locabitur; nobilior altera incertis causis nuncupata censebitur (*a*)

IX. In

(*a*) PLINIVS *Lib. XXXVII. Cap. II. Pytheas credidit*, inquit, *Guttonibus Germaniæ genti, accoli æstuarium oceani, Mentonomon nomine, spatio stadiorum sex millium.* Si PYTHEÆ fides, certe a Chaluso ad Vistulam usque soli Guttones habitauerint. Distinctio *Vlmirugorum*, & *Ethelrugorum*, debetur IORNANDI *de Rebus Geticis.* Hos in Scandinauia diu mansisse; illos, cum oceani ripas insedissent, a Gothis depulsos de possessione, commemorat. Ceterum vanitas opinionis, cui Scandinauia maximas suas laudes, quasi illustrissimas orbi gentes dederit, debet, alio a me loco copiose indicabitur.

Rugii & Heruli.

IX. In Vandalis fuiſſe antiquitus relatos & Rugios, & Lemouios, alibi declaratum eſt. Iam ergo ab Albi vetus incepit VANDALIA, & in Viſtulam usque protenta fuit; vt tamen, Tacito ſcribente, non tam Vandaliæ, quam *SVEVIAE*, nomen frequentaretur. Rugiorum memoria imo & gloria ad ſeriſſimam ætatem inſignibus factis continuata permanſit, poſtquam a Tacito primum illa gens celebrata eſſet. Licet autem cum Rugiis Lemouios meminerit Tacitus, prima tamen hæc poſt vnum Strabonem, qui cum Gothonibus Lemouios coniungit, & ſimul vltima eorum eſt in bonis auctoribus mentio. Mirum profecto videtur, qui tanta obliuione Lemouii latere queant, cum vicini adeo claruerint Rugii? Ergo inciderunt plerique in eam mentem, ſumſiſſe Lemouios diuerſum poſt Taciti æuum nomen, aut illud iam ante cum altero Lemouiorum, de quo accepit Tacitus, geſſiſſe. Putaut eſſe nouum Lemouiorum cognomen, illud HERVLORVM, ſeu *Erulorum*; quod ætas ſerior non minus, quam Rugiorum nomen, illuſtrauit. Firmant coniecturam, quod diuerſis vocabulis vna Lemouiorum gens denotetur, occurrentia paſſim in regione Lemouiis adſignata vtriusque adpellationis æmula loca. Cenſetur etiam, illos Herulos vix fuiſſe futuros conſtantes Rugiorum in omnibus expeditionibus ſocios, niſi iſti ſocietati iam ante in Germania adſueuiſſent. In nullam autem ceterarum vicinarum ciuitatum commode quadrat Herulorum compellatio, quam in Lemouios. Sed vnde acceptum nomen, & vbi, & quando? Ego quantum coniicio, Heruli poſt Taciti ætatem illico nominati ſunt, altero Lemouiorum mox exoleſcente vocabulo. In patrio ſumtum ſolo nomen non minus cenſeo, cum ſuperſint veſtigia nominis in prima Lemouiorum regione. Græcis deberi nomen, quaſi *a locis ſtagnantibus*, quæ deinceps in Sarmatia Lemouii coluerint, acceperint *Helurorum*, ſeu mutatis litteris *Herulorum*, cognomen;

Vtraque ciuitas ante in Vandalis; Taciti ætate in Sueuis.

An Lemouii Heruli?

Herulorum nomen vnde?

men; vix mihi persuadeo. Malim iudicare, aut *ex corporis proceritate*, ob quam præcipuum affectasse nomen Iornandes scripsit, aut *ex velocitate* eximia, non minus ab auctoribus laudata, argumentum capiendi ex patria lingua nominis natum esse. Manebit aliorum ingenia, veram nominis originem expromere (*b*). *Germaniæ orientalis pars aquilonaris.*

Loca cele- X. Duo Ptolemæi loca, quæ videntur Rugiis Lemouiisque

(*b*) PLINIVS *Lib. IV. Cap. XIV. Germanorum genera quinque: Vindeli, quorum pars Burgundiones, Varrini, Carini, Guttones.* Si iam tum, cum priores illæ Germaniæ populorum classes frequentarentur, Rugii Lemouiique illas ad mare sedes habuerunt, non dubium, cum Guttonibus in Vandalos simul eos imputatos esse. Qui in *Lemouiis HERVLOS* quæsiit, primus CLVVERIVS fuit. In maritima ora, quæ Lemouiorum fuit, est hodieque locus *Heel;* non infidum fortassis antiqui nominis vestigium. PROCOPIVS *Lib. II. Bell. Goth.* præcipue suadet, cum Gothonibus ad Vistulæ ostia prius Herulos coluisse. Οὕτω μὲν Θουλῖται βιῶσιν. ἓν δὲ ἔθνος πολυανθρωπότατοι οἱ Γαυτοί εἰσι, παρ' οὓς δὴ Ἐρούλων τότε οἱ ἐπήλυται ἱδρύσαντο. *Hoc quidem modo Thulitæ vitam degunt. quorum vna gens numerosissima Guti: apud quos Heruli aduenæ habitarunt.* Cum Gothis & deinde Heruli semper in Sarmatia versati sunt: vnde omnino eos ZONARAS *in Gallieno* Gothicum genus adpellauit. Εἶτα καὶ Αἰρούλοις, Σκυθικῷ γένει καὶ Γοτθικῷ, ἐπεξελθὼν ἐκράτησεν. *Deinde Herulos etiam, Scythicam Gothicamque gentem, superauit.* Iidem Heruli, vt olim Lemouii, Rugiorum perpetui comites, maxime seriore ætate, fuerunt; testibus PROCOPIO *Rer. Goth. Lib. II.* IORNANDE *de Regnorum Successione*; PAVLOque DIACONO *Longob. Hist. Lib. I. Cap. XIX.* Nomen *Herulorum* Latinis constantius est. MAMERTINVS vero *Paneg. Maximiano Cap. V. & Genethliaco Cap. VII.* adpellat *Erulos,* & cum *Cauionibus,* seu *Chaibonibus* eos coniungit. *Chaibones, Erulique, viribus primi Barbarorum, locis vltimi.* Si IORNANDI *de Goth. Rebus* fides est, Ἐλουροὶ dicti forent a stagnantibus locis, ἀπὸ τῶν ἑλῶν, *ad Maeotidas paludes habitatis.* Ita & DEXIPPVS *Chron. Lib XII.* Ἐλούρους vocauit, quod docet STEPHANVS & *Auctor Etymologici.* Helurorum nomen, vt hoc moneam, adprime congruit cum nomine oppidi *Heel,* cuius paulo ante meminimus. Idem IORNANDES *eodem libro* in Scanziæ habitatoribus *Herulos,* nomine *Erulorum,* adnumerat, addita hac earum laude; *qui inter omnes Scanziæ nationes nomen sibi ob nimiam proceritatem affectant præcipuum.* Velocitatem rursus IORNANDES ibidem laudauit, vt videri possit, inde acceptum nomen esse. SIDONIVS APOLLINARIS *Carm. VII.*

Cursu Herulus, Chunnus iaculis,
Francusque natatu.

Rugii & Lemouii. uiisque vindicanda esse, non hic trasmittemus silentio: rursum tamen repetito nostro de oppidis Ptolemæi iudicio; non eius nomina villas semper, aut arces, sed sæpe alia celebria loca, designare, de quibus forte Ptolemæus acceperat; a Romanis in Germaniæ vix finibus conditas esse veras vrbes; rarissimas ad exemplum Romanorum a Germanis, villis ceteroquin & vicis contentis, in Germania. Habet Ptolemæus *Rugium*, quod plerumque de oppido mediterraneo ad Regam amnem auctores interpretantur. Alius Ptolemæi rationibus accuratius subductis Rugium Ptolemæi Lemouiis tribuit, & in promontorio Germaniæ ad os Vistulæ extremo cum nomen, tum situm, loci agnoscit. Idem vero ostendit, in maritimæ vrbis, quæ Rugii nomen, si priscos regionis incolas respexeris, recte gerit, situm optime quadrare Ptolemæi *Bunitium*; quod adeoque magis Rugiis, quam quod fieri solet, Semnonibus debeat tribui. Illis Rugiis idem Ptolemæi interpres adsignat *Alisum*, locum ad orientem a Viadro amne quærendum; quem & non male iudicat positioni vrbis hodieque claræ, *Camin*, conuenire. Addimus de *Rugia* insula, nomen clare Rugios incolas testari; dubiumque modo manere, an ante septem ciuitatum possessionem, quam idoneis argumentis adstruximus, Rugii eam incoluerint, vtrum postea demum in eam traiecerint? Quidquid placeat diuersis, existimo, partem Rugiorum occupasse insulam, cum iam essent dilapsæ in noua fœdera illæ ciuitates. Non ante enim id factum esse, & nominis insulæ probat vetus ignorantia; & quod ciuitates, cum adhuc essent sociatæ, minime videntur communis sacrorum stationis iacturam passuræ fuisse. Aut id itaque nobiscum statuas necesse est; aut iudices vltro admissam esse ab Anglis, & ceteris ciuitatibus Rugiorum partem in ipsam sacrorum communionem, fortassis etiam in insulæ possessionem: vnde, quod fortassis

bria in Rugiis & Lemouiis.

Rugii nomen insulæ Rugiæ dederunt.

vltimi Rugii in insula perstiterint, Rugiæ nominis origo habeatur (c).

Germaniæ orientalis pars aquilonaris.

Rugiorum atque Herulorum insignia facta fataque.

XI. Antiquiora Rugiorum Lemoniorumque acta silemus. Nullus ante Tacitum nominum, si vnum Strabonem, qui Lemouios memorauit, exceperis, meminit; & si posset de eorum atque Gothonum ex Scandinauia prisco aduentu Iornandi credi, male tamen deficiente auctoritate describeretur. Vtriusque gentis, cum saltem satis aptæ ad persuadendum coniecturæ in Lemouiis Herulos ostenderint, fama simul cum *GOTHICO* nomine illustrata est. Credo, cum, Gothonibus in Sarmatiam migrantibus, horum, reliquarumque Geticarum nationum, conspiratione Gothorum commune nomen surgeret, in fœdere Gothorum Rugios Herulosque, cum Gothonibus fortassis Vistulam transgressos, fuisse, singularia tamen instituta, singulares reges, nomenque adeo proprium, semper seruasse. Diu inde illustres Gothorum expeditiones vtraque gens adiuuit, nec gloriæ fraudata parte est. Qui in patria mansere, non magis videntur a bellis vacui, aut inglorii, egisse. Herulorum cum Cauionibus in Galliam excursiones Maximiani & Diocletiani ætas vidit; ANN. CCLXXXVII. nec dubium est, Rugiorum partem in Herulorum exercitu fuisse. Seriori ætate Rugii, Herulique, incertum est, an illi soli, qui cum Gothis iam diu Sarmatiam omnem peruagati erant, crebroque Romanos vexauerant prouincias; vtrum & reliqui, qui in Galliam ante inuaserant? ad Danubium, qui Noricum diuisit a Germania, peruenere, atque in illo tractu

(c) PTOLEMAEI Ῥούγιον CLVVERIVS de oppido *Regenwold*, ad Regen amnem sito, audacter interpretatur. Contra MENSO ALTINGIVS, in PTOLEMAEI *tabulæ expositione*, monstrat, non conuenire Rhugio PTOLEMAEI, nisi cum promontorio ad occasum sinus Venedici, dicto *Riesenhaupt*. De Rugia insula multa lis est. Quærunt etiam, an Rugii ex continente in insulam venerint, eamque occuparint; verum ex insula in continentem demum Germaniam nauigauerint? Posterius refutat, & prius affirmat, simulque docet, non ante TACITI tempora *Rugiam* a *Rugiis* occupatam esse, HARTKNOCH *Diss. de Origin. Pomeran. num. V.*

Rugi & Heruli. tractu nouas fixere ſedes. Legimus, nouam eorum regionem, *Rugiland*, ſiue *Rugiorum terram*, cognominatam eſſe: fortasſis enim Heruli euagati magis ſunt, quam vt ipſi dare nomen potuiſſent prouinciæ. Vtraque tum gens ſuos reges habuit ſingulares, quorum partem memoriæ ſcriptores prodiderunt. Ex Herulorum regibus *ODOACER* primus euerſo occiden-
Ann. CCCCLXXVI. tis imperio Germanorum in Italia dominationem ſtabiliuit. Poſtea idem cum *FELETHEO*, Rugiorum rege, contentione commiſſus, bellauit cum eo; victorque omnem Rugio-
Ann. CCCCLXXXVII. rum populum ſuæ ſubiecit ditioni. Videtur ſolos Herulos in victa poſuiſſe regione. Hos Longobardi extremum vicerunt, & *Rugiland*, ſiue Rugiorum poſtremam terram, occuparunt. Rugiorum & Herulorum reliqui partim cum Gothis in Italiam conceſſerunt, &, licet deſtructo inibi Herulorum regno, cum Gothis egerunt; pars in Gepidarum priſcam regionem migrarunt, & inter Sarmatas inglorii conſenuerunt (*d*).

(*d*) Cum Gothis modo Rugii, modo Heruli, in Sarmatia, & in Romanis bellarunt prouinciis, TREBELLIUS POLLIO *in Claudio Cap. VI.* ZOSIMVS *Lib. I.* ZONARAS *in Gallieno.* Ex victis Herulis forſitan Claudius auxilia conſcripſit, quorum meminit NOTITIA *Imperii Occid. ſub diſpoſ. Magiſtri peditum Præſ. in Auxiliis Palatinis*, nomine *Heruli ſeniores*; AMMIANVS *Lib. XX. Cap. I. Velitare auxilium, Ærulos ſcilicet & Batauos*, memorat; & *Lib. XXVII. Cap. I. Erulorum Batauorumque vexillum direptum.* De ſingulari Herulorum & Cauionum in Galliam expeditione audiuimus MAMERTINVM *Panegyr. Maxim. Cap. V. & Genethl. Cap. VII.* Expeditio Rugiorum ad Danubium non ſatis eſt expedita: ſed ibi coluiſſe conſtat, terramque *Rugiland* dictam eſſe. Deſignat hanc *Rugiorum terram*, ſimulque *ODOACHRI* cum *FELETHEO*, poſteaque *Tatonis*, Longobardorum regis, cum *RODVLFO*, Herulorum rege, bella deſcribit PAVLVS DIACONVS *Lib. I. Cap. XIX, & XX.* Idem DIACONVS vocat eandem terram *Cap. XX. HERVLIAM*, quia victis Rugis Odoacher Rugiland Herulis dederit; quos deinde Longobardi expulerunt. Bellum extremum inter Longobardos atque Herulos PROCOPIVS *Bell. Goth. Lib. II.* etiam deſcribit. Rugios cum Oſtrogothis in Italiam migraſſe, tradit ENNODIVS *in Vita divi Epiphanii: Poſthinc digreſſis Gothis, ciuitas Ticinenſis Rugis eſt tradita; hominibus omni feritate immanibus; quos atrox & acerba vis animorum ad cotidiana ſcelera ſollicitabat. diem nutabant periiſſe, qui illos ſine facinore, caſu aliquo interueniente, fugiſſet.*

Vtriusque populi regimen.

XII. Status publici harum nationum & institutorum solennium paucis Tacitus meminit; *omnium barum gentium* memorans *insigne* esse *rotunda scuta, breues gladios, & erga reges obsequia.* Arguit postremum, non more Germanorum ceterorum regum nomen suadendi fuisse præditum auctoritate, sed iubendi plena potestate in ipsis insignitum. Habuerint a Taciti æuo singulares suos reges: eorum tamen memoria interciderunt & nomina, & res gestæ; si postremos quosdam reges Rugiorum & Herulorum, *FLACITEVM, FELETEVM, FRIDERICVM* seniorem, & iuniorem, *ODOACHRVM*que, exceperis. Reges in administratis bellis semper ducum esse functos officio, expeditionum actarum historia docet. Certa etiam solennia capessendi regnum Italici ab Odoachro conditi regni memoria indicat. Euersa vtriusque populi republica peculiari, reliqui ex æqua clade maxime cum Gothis in Italia, & pars cum Longobardis, Herulorum victoribus, egerunt, eorumque iuribus vsi sunt. Qui in Sarmatiam extrema concesserunt ætate, quo modo regnati porro sint; id iuxta cum aliis eorum fatis penitus ignoramus (*e*).

Germaniæ orientalis pars aquilonaris.

XIII. Supra

(*e*) TACITVS *Germ. Cap XLIV. Protinus deinde ab oceano Rugii, & Lemouii: omniumque harum gentium insigne rotunda scuta, breues gladii, & erga Reges obsequium.* Regum quorundam tam Herulorum, quam Rugiorum, nationis memoria est in PAVLO DIACONO *Lib. I. Cap. XIX. XX.* & præsertim in EVGIPPI *Vita S. Seuerini.* EVGIPPVS hoc extremorum regum, qui regnarunt in Rugiland, stemma percenset:

FLACITEVS rex.

FELETEVS, qui & *Faua*, seu *Febanus*: cum uxore *Gisa* ab Odoachro capitur.

FRIDERICVS Lauriacum diripit; cæditur a Friderico, ex fratre nepote.

FRIDERICVS patruum cædit, ipse post cladem nouam ad *Theodericum*, Gothum, confugit.

Sidini & Carini. XIII. Supra Rugios in partibus austri obscuras duas ciuitates, Sidinorum & Carinorum sedes.

SIDINOS & CARINOS,

interpretes consueuisse locare, monuimus. *Carinorum* solus Plinius in Vindilis, inter Varrinos & Guttones, meminit. *Sidinos* habet Ptolemæus, Suardonibus ex dextra Sueui ripa conterminos, supra Rugios. Coniicitur ex positione & Plinii & Ptolemæi, recte locari & Sidinos & Carinos supra Rugios ad Sueui, seu Viadri, amnis dextram ripam; vt Sidini tamen ad Suardones, itaque ad ipsum fluuium, admoueantur, Gothonibus Carini viciniores fuisse, censeantur. Distinguunt quidam ciuitatis vtriusque fines exquisitius. Sidinos, putant, Sueuum ad Vartæ amnis confluentes habitasse; inde Varta a Semnonibus, Notesio cum Carinis a Burgundionibus, fuisse diuisos. Contra Gothones Asciburgii montis partes Carinos prætexuisse, arbitrantur. In Sidinis Ptolemæi locum *Viritium*, inter Sueuum atque Vistulam, propius tamen Sueuum, positum quærunt; eumque de situ & nomine oppidi *Piritz*, accipiunt: alii propius Vistulam eum statuunt, maluntque Gothonibus tribuere. Vtriusque gentis nomen mox oblitteratum prohibet, quo minus de eorum rationibus inuestigare porro queamus. Semel Strabo mentionem *Sibinorum* iniicit, in populis qui Marobodui dominationi subiecti fuerint. Fuisse Sibinos Ptolemæi Sidinos, nemo fere dubitat. Quibus gentibus se adiunxerint, cum nomen obscurum prorsus ponerent, est dubium. Potuerunt in Gothonum imputari ciuitatem, & cum illis in Sarmatiam egisse expeditionem. Plerique in Burgundionum ciuitate malunt vtrosque quærere; nec repugno, cum in modica *BVRGVNDIONVM* gente necesse sit aliorum

Vtriusque populi obscura facta atque fata.

Ggg g 3 popu-

Italiæ ab Herulorum rege, *Odoachro* infessæ, & Italiæ regni constituti, historiam habes in PROCOPIO *Bell. Goth. Lib. I.* IORNANDE *de Regn. success.* CASSIODORO, & INCERTI *Chron. Excerptis de Odoachro apud* VALESIVM *cum Ammiano editis.*

populorum accessiones intelligere, quod succedente æuo tantum floruerint, totque pares fuerint expeditionibus suscipiendis (*f*).

Germaniæ orientalis pars aquilonaris.

Gothonum sedes ad Vistulam & eius ostia.

XIV. Iuxta Lemouios & Carinos ad ortum successere

GOTHONES,

quos Tacitus adpellat; quique ab aliis scriptoribus *Gotones*, *Gutones*, *Gythones*, atque *Guttones*, nuncupati sunt. Tacitus eos diserte trans Lygios contra septentriones locauit; vt, cum ab oceano Rugii atque Lemouii, ad occasum Burgundiones & Carini, fuerint, sit necesse ad Vistulam & eius ostia nostri coluerint. Ad ostia illud Pytheæ æstuarium oceani, *Mentonomon* nomine, accipiendum est; quod Gothones accoluisse ille tradidit. Constat vero, æstuarium oceani male a Pythea, & Plinio, lacus illos adpellari, qui inter insulam & continens longo procurrunt tractu, & in quos alter Vistulæ alueus se exonerat. Insulas, quas hi Vistulæ aluei formant, a Gothonibus habitatas esse, diserte tradit Iornandes; & probant veteres omnes, quotquot succinum a Gothonibus collectum esse & venditum prodidere. Regionem itaque Gotho-

(*f*) PLINIVS *Lib. IV. Cap. XIV. Vindeli, quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones.* PTOLEMAEVS *Lib. II. Cap. XI.* Μέχρι τοῦ Συήβου ποταμοῦ Φαροδεινοί. εἶτα Σιδεινοί, μέχρι τοῦ Ἰαδούα ποταμοῦ, καὶ ὑπ' αὐτοὺς Ῥουτίκλειοι μέχρι τοῦ Οὐιστούλα ποταμοῦ. *Ad Suenum usque flumen Farodini: deinde Sidini, usque ad Iaduam flumen: & sub his Ruticlii ad Vistulam usque amnem.* Ex mente PTOLEMAEI Iadua videtur alius cuiusdam fluminis nomen esse; nam, qui trans Viadrum coluerunt, non commode dicuntur, nisi retrorsus processeris, vsque ad Viadrum pertinuisse. Quodcunque vero flumen est, liquet trans Viadrum supra *Rugios*, siue PTOLEMAEI *Ruticlios* habitasse *SIDINOS*, *CARINOS* Gottonibus iungimus a latere Sidinorum, quia & cum iisdem PLINIVS coniungit. Limites singulares nostra commentatio ex CLVVERIO accepit: iisque hodie continentur *Marchiæ Brandenburgicæ* pars; *Pomeraniæ* portio, qua oppidum *Piritz*; & *Poloniæ* exigua particula. *Viritium* PTOLEMAEI, ex numeris eius æstimatis, mauult MENSO ALTINGIVS ad vrbem *Conitz* ad Brodum flumen sitam, referre. *Sidini* a STRABONE *Lib. VII* in enumeratione gentium a Maroboduo perdomitarum vocantur *Sibini*, Σιβινοί. Qui cum iis nominantur Ζουμοὶ καὶ Μουγίλωνες, ex eruditorum sententia, sunt *Lemouii* & *Burgundiones*: vnde rursus de positione Sidinorum videmur certiores fieri.

Gothones. thonum priscorum *adortum* Vistula, &, vbi is fluuius scinditur, vlterior eius alueus, ab Æstiis diuisit, insulasque Gothonibus addixit. *Contra aquilonem* & partim *ad occasum* æstiuum Lemouii Gothones continuarunt, & supra eos Carini. *Ad austrum* Burgundiones Gothonibus fuere prætexti, Asciburgiorumque collium iugo, quod passim censetur, separati: vt ipse tamen nec hic, nec contra ceteras ciuitates, certos designare limites audeam. Si certe, quod supra memini, æuo antiquiore latioribus regionibus Gothones insederunt; non illas moramur hic, notioribus sedibus cognoscendis intenti (g).

XV. Habuit

(g) TACITVS *Germ. Cap. XLIII. Trans Lygios Gothones regnantur, paulo iam adductius, quam cetera Germanorum gentes, non tum tamen supra libertatem.* PLINIO *Lib. IV. Cap. XIV.* & *Lib. XXXVII. Cap. II* sunt *Guttones*; ipsi TACITO *Ann. II. Cap. LXII. Gotones*; STRABONI *Lib. VII.* Γούτωνες, quam vocem interpretes accipiunt pro vitioso vocabulo, Βούτωνες. PYTHEAE de *GOTHONIBVS* sententiam PLINIVS hanc memorat *Lib. XXXVII. Cap. II. Pytheas credidit, Guttonibus, Germaniæ genti, accoli æstuarium oceani Mentonomon nomine, spatio stadiorum sex millium, ab hoc diei nauigatione insulam abesse Basiliam* (vulgo, *Abalum*) *illo vere fluctibus aduehi; & esse concreti maris purgamentum; incolas pro ligno ad ignem uti eo; proximisque Teutonis vendere.* Male, quod CLVVERIVS dicit, PLINIVS *æstuarium* Gothonibus tribuit, cum Codanus sinus non patiatur æstus. Cum tamen vocabulum, *æstuarium*, non semper speciatim marinos æstus respiciat, sed & loca marinis aquis referta alia designet; hoc generali sensu vox tolerari poterit. Loco VI. M Stadiorum PLINII, mauult LX. M. P. CLVVERIVS legere:, cum tantum circiter sit spatium littoris a Vistulæ citimo ostio in orientem æstiuum versus, quo succinum hodieque legitur. Ipsum PLINII æstuarium commode CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. III. Cap. XXXIV.* interpretatur de lacu, qui hodieque visitur inter insulam, cui cognomentum *Magna*, vulgo *das grosse Werder*, & oppidum *Kœnigsberg*; vulgari nomine *das frische Haff* dicto. De insulis ad ostia Vistulæ sitis mox inquiremus. Iam istos fines CLVVERIVS ex probabilibus coniecturis Gothonibus tribuit: a *septentrionibus* Codanum sinum, hodie Balticum mare dictum: ab *occidente æstiuo*, qua Lemouii erant contermini, Catiium riuum, & ab eius fonte lineam per Cassubiæ colles, fontesque Leuæ ac Lepenii amnium, ad fontem vsque Brogi fluminis. Ab *occidente æquinoctiali* & *meridie*, qua Burgundiones occurrebant, Asciburgiorum eos cingit collium iugo, quod a dicto Brogi fonte per varios circuitus ad oppidum *Bydgoscz*, & proximam Vistulæ ripam procurrit: quo tractu etiam a Lygiis Gothones disclusos fuisse opinatur. Ab *oriente brumali*, bene CLVVERIO opinante,

Antiquissima Gothonum regionis memoria. *Germaniæ orientalis pars aquilonaris.*

XV. Habuit descripta Gothonum regio, quod antiquissimam sui memoriam ipsa testetur. Præter Pytheam, qui eorum sedes primus definiuit, &, succinum ab eis legi, proximisque Teutonis vendi, memorauit; non etiam obscure regionem ostendit Herodotus, cum de fluuio *ERIDANO*, qui in mare septentrionale exeat, & vnde succinum adferatur, meminisset. Fuere & *ELECTRIDES INSVLAE*, ad quas dilaberetur ille Eridanus, non Græcis ignotæ; licet mire dissentirent in earum situ & positione. Sed, inquies, quid ad Vistulæ ostia Eridanus Græcus? quid ad eadem Electrides insulæ? Enimuero, cum in oceanum septentrionalem exiisse Eridanum Herodotus iam cum illis temporibus ex aliorum narratibus memorauerit; cum & succinum inde peti subscripserit; iam erit noster Eridanus, cum non nisi in oris Vistulæ proximis legatur succinum. Quod mare Sueuicum oceanum septentrionalem adpellauerit, non est mirum; cum veteres, pro insulis Scandinauiam habentes, non incommode inter Scandinauiam & continens Germaniæ septentrionalis oceani partem statuerint. Idonea interpretatione, cum alii ipsam Vistulam pro Eridano accepissent, eruditus aliquis Eridanum in amne, qui hodieque *Rodaune* nuncupatur, & sinistro vistulæ alueo se admiscet, inuenit. Censet idem, vt hodie nobilissimum emporium ille amnis præterfluit, ita fortassis olim mercatum fuisse institutum ad Eridani & Vistulæ confluentes; vbi Teutoni aliæque gentes acceperint succinum, & permutatione mercium vsi alia Gothonibus dederint. Idem omnino probare nititur, *Dantiscum*, quod malit *Codanium*, siue *Godanium*, compellare, esse

Eridanus.

Electrides insulæ.

Codanium emporium.

fuit Vistula amnis; & vbi is in duo scinditur cornua, alueus eius orientalis, qui Mariæburgum oppidum præterfluens, vulgari vocabulo *die Nagot* apud Elbingium oppidum in lacum effunditur; hinc ipse lacus ad ostium vsque, quo is inter duos vicos *Balge* & *Pillavv*, oceano miscetur. Includunt hi fines regionem, quæ nunc *Pomerellia* vocatur; superiori autem seculo pars erat maxima *Cassubiæ*.

Gutones. esse locum illum, in quo succini mercatus iam ante Herodoti tempora factus sit, quique per tot secula in nostrum vsque æuum semper celebris, semperque clarus, perstiterit. Vt adsentiar, in vetusti mercatus vestigiis fortassis vrbem exinde positam esse, & nomine prisci mercatus & mercatorum memoriam seruasse: ita iam certum est, Germanicam peregrinamque amnis adpellationem Rodaune auditam a Græcis in notiorem Eridani versam esse; ipsum autem hunc fluuium, & insulam Electridem, eius ostiis præiacentem, Gothonibus recte a nobis vindicari; licet Græci in nomine fluuii variando, nam & Rhodanum & Padum non raro vocarunt, simul & in positione fluuii, eique obiacentium Electridarum insularum, quam maxime fuerint nugati. Habet Ptolemæus locum, quem *Scurgum* vocat; eumque Gothonibus deberi, & in situm nobilissimi emporii Dantisci cadere, eruditissimus aliquis vir declarauit *(b)*.

XVI. Nunc

(*b*) HERODOTVS *Lib. III.* quamuis dubius, an narratibus ipse adsensionem præbere velit, memorat; Ἠριδανὸν καλέεσθαι πρὸς βαρβάρων ποταμὸν, ἐκδιδόντα ἐς θάλασσαν τὴν πρὸς βορέην ἄνεμον, ἀπὸ τοῦ τὸ ἤλεκτρον φοιτᾷν λόγος ἐστί. *Fluuium quendam esse Eridanum a barbaris vocitatum, qui exit in mare septentrionale; vnde electrum venire narratur.* APOLLONIVS RHODIVS *in IV.* Ἀργοναυτικῶν, eiusdem barbari Eridani inter Græcos memoriæ conscius, mirum in modum omnia miscet, turbat: nunc *Eridanum*, qua debebat, in septentrionalem oceanum influere dicens; nunc *Rhodanum*, Galliæ flumen, pro *Eridano* accipiens; nunc prorsus *Padum*, Italiæ fluuium, de *Eridano* interpretatus. Addita vero de Celtarum terra, Hercynioque monte, satis reliquias veræ famæ ostendunt. PLINIVS *Lib. vltimo Cap. II.* clare etiam indicat, non defuisse Græcis Gothonum terræ notitiam, sed eam admodum confusam exstitisse & vagam. *Diligentiores Græcorum Electridas insulas in mari Adriatico esse dixerunt, ad quas dilaberetur Padus. qua adpellatione nullas vnquam ibi fuisse, certum est: nec vero vllas ibi appositas esse, in quas quidquam cursu Padi deuehi possit. nam quod Aeschilus in Iberia, hoc est, in Hispania, Eridanum esse dixit, eundemque adpellari Rhodanum, Euripides rursus & Apollonius in Adriatico littore confluere Rhodanum & Padum; feliciorem veniam facit ignorati succini in tanta orbis ignorantia.* GOROPIVS *in Veneticis atque Hyperboreis* illum *Eridanum* de *Vistula* interpretatus est. Sed CLVVERIVS demum clarissime docuit, esse eum hodieque prisco nomine, de quo forte Græci fama acceperant, compel-

Variæ de Gothonibus & Gothis opiniones.

Germaniæ orientalis pars aquilonaris.

XVI. Nunc est explicandum, vt Gothonum nomine exolescente clarissimum

GOTHORVM,

qui & *Gotthi* nominantur, nomen emerserit, inque id passim cognatæ gentes, quæ ante in Sarmatia egerant, conspirauerint. Plerique contendunt, omnes *Getas*, *Gothosque*, adeoque & nostros *Gotbones*, ex Scandinauia oriundos esse, & incerta inde ætate primum in Germaniam traiecisse, mox migrasse ex Germania in vastam Sarmatiam. Originis ex Scandinauia petendæ præcipuus auctor Iornandes exstitit, quem recentiores scriptores plurimi sequuti sunt, fabulasque nouis auxerunt commentis. Getas Gothosque in vna natione retulerunt plurimi in antiquitate historici; licet ortum ex Scandinauia ipsi nesciuerint. Sunt diuersi, qui non negant tantum, ex Scandinauia Gothos, nostrosque Gothones, venisse; sed & pernegant, Getas Gothosque cognatas esse gentes, maluntque, a solis Gothonibus nostris, postquam concessissent in Sarmatiam, Gothorum esse sumtum nomen, quod Græci errore lapsi crebro cum altero Getarum vocabulo commutauerint (*i*). Res vtrinque magna geritur ambi-

latum, & vocari *Radanum, die Redaune*, siue *Radaune*. *Electrides insulas*, ad quas dilabatur Eridanus, idem, Gothonum insulas esse, manifesto probat. Est insula ante Vistulam atque Radanum, in qua succinum legitur, vulgari vocabulo dictum *die Nerung*; in ipso vero Vistula, alia insula, quam ipse duobus suis cornibus complectitur, vulgo dicta *das grose Werder*. Hæ electrides insulæ sunt, ad quas verus Eridanus dilabitur; cum Græci falsum Eridanum in Adriaticum mare induxerint, &, ad eius ostia sitas insulas esse, arbitrati sint. Maiorem Vistulæ insulam IORNANDES *de Reb. Getic.* vocat *insulam Viscle amnis vadis circumactam*, quam digredientibus ceteris Gothis, Gepidæ, eorum pagus, porro habitauerint. De succini mercatu non valde constat, nisi ex PLINIO *Lib. XXXVII. Cap. II. & III.* & TACITO *Germ. Cap. XLV.* sed infra porro hæc loca in Æstiis dispexerimus. De nobilissimi emporii *Dantisci* antiquitate CLVVERIVS copiose disseruit; quem vide. *Scurgum*, Σκοῦργον, PTOLEMAEI MENSO ALTINGIVS de *Dantisco* interpretatur.

(*i*) IORNANDES *de rebus Geticis*, eiusque dux & auctor ABLABIVS, sæpe ab eo laudatus, ex Scandinauia omnes *GOTHOS GETAS*que produxere.

Gothi ambitione & contentione, paſſimque omnes ſollicitantur eruditi, vtri vt parti fauerint. Nos hiſtoriam ſequuturi primum mediam, &, ſi dicere licet, veri ſimillimam, ſententiam

IORNANDEM ſequuti ſunt Hiſpanicarum rerum ſcriptores fere omnes, & quotquot Gothicas antiquitates ſuſceperunt illuſtrandas. Præcipue hanc ſibi operam ſumſit, vt originem Gothicam ex Scandinauia produceret, OLAVS RVDBECK *in Atlantica*, eruditiſſimo profecto opere, quod vero liberrimis & ſimul variis vagisque opinionibus non leuiter, quod ſæpe monſtrauimus, abundat; cum OLAO IOH. PERINGSKIÖLD *in Vita Theodorici, Regis Oſtrogothorum*, illuſtrata; GEORGIVS STIERNHIELM *in Anti-Cluuerio*, quo contra CLVVERIVM gentis Gothicæ origo, & antiquiſſima in Scandinauia ſedes, vindicatur; IOH. LOCCENIVS *in Antiquitatibus Sueo-Gothicis*; ceteri. *GOTHOS, GETAS*que, vnam eandemque eſſe gentem, magna conſenſione veteres tradiderunt. IVLIVS CAPITOLINVS *in Maximino Cap. IV. Semper cum Gothis commercia exercuit. Amatus eſt autem vnice a Getis, quaſi eorum ciuis.* AEL. SPARTIANVS *in Anton. Caracalla Cap. X. Quum Germanici & Parthici, & Arabici, & Alemannici, nomen adſcriberet, (nam Alemannorum gentem deuicerat) Heluius Pertinax, filius Pertinacis, dicitur ioco dixiſſe; Adde ſi placet etiam Geticus maximus, quod Getam occiderat fratrem, & Gotti Getæ dicerentur: quos ille, dum ad orientem tranſiit, tumultuariis prœliis deuicerat.* Et idem eadem memorat *in Geta, Cap. VI.* FL. VOPISCVS *in Probo Cap. XVI. Tetendit deinde per Thracias, atque omnes Geticos populos, fama rerum territos, & antiqui nominis potentia preſſos aut in deditionem, aut in amicitiam, recepit.* CLAVDIANVS *de Bello Getico* ſingularem librum conſcripſit; & *Gothicum* hoc bellum fuiſſe, nemo ignorat. PROCOPIVS *Rerum Goth. Lib. I.* ex Sibillina adſertione refert; *ad Iulium usque menſem ciuitatem in diſcrimine fore, & neceſſarium poſtea, vt rurſus imperator Romæ eſſet, ex quo deinceps Roma nihil Geticum extimeſcet; Geticam enim gentem*, addit, *Gothorum nationem eſſe aiunt*; Ἐξ οὗ τὸ Γετικὸν οὐδὲν Ῥώμῃ τὸ λοιπὸν δείσειε. Γετικὸν γὰρ ἔθνος φασὶ τοὺς Γότθους εἶναι. AVSONIVS *Idyll. VIII* diſerte *Gothos Getas* vocat; ſic & PAVLINVS *ad Nicetam*; & PRVDENTIVS *de Radagaiſo, Gothorum rege*, hæc habet *Lib. II. cont. Symmachum verſ. 695.*

Tentauit Geticus nuper delere tyrannus
Italiam, patrio veniens iuratus ab Iſtro.

OROSIVS *Lib. I. Cap. XVI. Modo autem Getæ illi, qui & nunc Gothi, quos Alexander euitandos pronuntiauit, Pyrrhus exhorruit, Cæſar etiam declinauit; relictis vacuisque factis ſedibus ſuis, ac totis vrbibus, toti Romanas ingreſſi prouincias.* HIERONYMVS *Lib. II. de Fide Cap. II.* contra opinionem eorum, qui *Gothos Gog & Magog* nominent, differens, *certe*, inquit, *Gothos omnes retro eruditi magis Getas, quam Gog & Magog adpellare conſueuerunt.* IDEM *Epiſt. CXXXIV. Quis hoc*, inquit, *crederet, vt barbara Getarum lingua Hebraicam quæreret veritatem; & dormitantibus imo con-*

ſtabiliemus; eamque, quam coniecturis ducti idoneis primi inuenimus, contra reliquorum argumenta exinde tuebimur.

Germaniæ orientalis pars aquilonaris.

Narratio hiſtorica de conditione Gothicarum ciuitatum, omniumque in vnum Gothorum nomen conſpiratione.

XVII. GVTAS reperimus in Scandinauiæ populis, varias porro in Sarmatia GETICAS ciuitates; adhæc noſtros ad Viſtulam GOTHONES, & præterea æuo ſuccedente IVTAS in Cimbrica cherſoneſo. Omnes hos, in diuerſiſſimis regionibus ſitos populos, pro cognatis, ſanguinisque propinquitate iunctis, habemus gentibus; eius rei, quantum ad Getas Sarmaticos, fidem nobis, præſertim moribus, inſtitutis, linguaque, facientibus. Minime vero iudicamus, ex Scandinauia ſola omnes Geticos Gothicasque gentes in Germaniam Sarmatiamque egreſſas eſſe. *Geticas* potius *ciuitates* iam ante in iis Germanis numerauimus, quos putauimus in itinere conſtitiſſe, cum reliquæ familiæ in Germaniæ penetrarent regionem: quo & nomine iis Germanicam ciuitatem in anteceſſum vindicauimus. *Gutas* Scandinauiæ liceret imo magis a Getis ducere, cum ante in Sarmatia Gutarum maiores egerint ſit neceſſe, quam in Scandinauiam potuerint transmittere. De *Gothonibus* dubitanter ſentio; nam-

temnentibus Græcis ipſa Germania Spiritus ſancti eloquia ſcrutaretur. ENNODIVS *Panegyr. Theodorico Regi dicto; Nam illud,* inquit, *quo ore celebrandum eſt, quod Getici inſtrumenta roboris, dum prouides, ne interpellentur otia noſtra, cuſtodis.* PHOTIVS *Patriarcha, ex Philoſtorgii hiſtoria,* de Transiurianis Scythis loquitur & addit; οὓς οἱ μὲν πάλαι Γέτας, οἱ δὲ νῦν Γοτθοὺς καλοῦσι. *quos veteres Getas, iam autem omnes Gothos, adpellant.* Abſtineo a recenſione conſenſus IORNANDIS, DEXIPPI, ABLAVII; qui omnes conſtanter in Gethis Gothos tetulerunt. Contra tantam teſtium turbam inſurgunt vero CLVVERIVS & PONTANVS; quos & alii ſequuntur. Hic *Chorogr. Daniæ Deſcr. pag. 675.* maxime contra SCALIGERVM monſtrare nititur, minime eosdem cum Gothis Getas eſſe: cetera is opinioni, quod omnes Gothi ex Scandinauia progreſſi ſint, amicus, eiusque *pag. 769.* contra ipſum CLVVERIVM defenſor & propugnator. Alter capite dicto & negat, Gothos Getasque vnam gentem eſſe; & pernegat, ex Scandinauia Gothos eſſe oriundos: ſolosque noſtros *Gothones* omnes *Gothos* dediſſe ſibi perſuadet. Paulo inferius rationes vtrorumque examinabimus.

Gothi. namque & antiquissimo tempore iam Gothones in suis habitarunt ad Vistulam sedibus, & magnam tamen creditur vim habere, saltem habuisse putatur occasionem, vetus migrationum ex Scandinauia susceptarum memoria. Demus ergo, partem Gothonum indigenitale ad Vistulam coluisse solum; sed & opinemur cum pluribus, hanc Gothonum ciuitatem crebris ex Scandinauia aduectis coloniis deinde auctam esse: ita nec historia veritasque lædetur, nec priscæ prorsus officietur memoriæ. *IVTAS* in peninsula existimemus veteri Gutarum in Chersonesum nauigationi debere originem; mox diu mixtos Cimbris egisse ignotos atque inglorios, donec seriori ætate nomen surgeret, & insigni expeditione in Britanniam illustraretur *(k)*.

XIIX. Vt Gutas Iutasque mittamus, ex Scandinauia censemus Gutarum quandam ciuitatem, ASTINGOS nomine, transmisso mari primum in Sarmatiam inuasisse, & demum venisse ad Istrum, vbi Romanis bello aperti sunt. Gothicam Astingos fuisse gentem, historia testatur; sed a Vistula ad Istrum penetrasse eos, cum nullos hic Astingos repererim, non tam mihi videtur, quam ex Scandinauia eos venisse, vt saltem satisfiat priscis de Scandinauia narratibus. Astingorum exemplo nostros *GOTHONES* tum, credo, cum ingens Sueuicarum nationum contra Romanos conspiratio Antoninorum æuo fieret, transgressos esse Vistulam, & in Sarmatia peruagatos esse. Non omnes Vistulam liquerunt, sed pars Gothonum in prisca permansit regione, cui GEPIDARVM

 adhæ-

(*k*) PTOLEMAEVS *Lib. II. Cap. XI.* in Scandia gentem habet, quæ Γοῦται, *Guta*, vocatur. PTOLEMAEI *Gutæ* dicuntur aut Γουτοὶ, aut Γαυτοὶ, PROCOPIO *Rer. Goth. Lib. II.* Voci *Gautorum* non male conuenit cum IORNANDIS vocabulo, quod affert, *Gautigoth. Gotones* & *Iutas* iam ante vidimus. De *Getis* copiose infra dicetur. *Gutarum* in Cimbricam chersonesum nauigationem, vnde nomen *Iutarum* siue *Giotorum* illatum sit, passim defendunt Scandinauiæ domestici auctores, nec quicquam eorum hoc loco rationes moramur. *Vid* ROB. SCHERINGHAMVS *de Orig Anglorum Cap. II. & XV.* vbi ea migratio illustratur.

adhæsisse nomen a cunctatione & tarditate cupiunt auctores. Iam, postquam aduenissent *Gothones*, horum, simulque *Astingorum*, *Dacorum*, *Getarum*que, quos omnes cognatas fuisse ciuitates diximus, consensione natum ingens esse fœdus, nouúmque GOTHORVM esse sumtum vocabulum, mihi persuadeo. Hoc Gothorúm, quod sane a Gothonum nomine manauit, cognomentum seculum tertium præcipue illustrauit, formidolosúmque Romanis quam maxime fuisse ostendit. Et Gothones nostri in eo certe delituerunt nomine, & præcipuam eius & nominis & fœderis occasionem præbuere. Sed me iudicante non soli Gothones Gothi fuere; quid enim paucitati Gothonum ad Vistulam conuenit cum vastitate miraque Gothici nominis amplitudine? verum Geticæ ciuitates omnes cum iis vno nomine insignitæ fuere, & effecere ita, vt omnes Romanæ prouinciæ Gothicam reformidarent gloriam. Profecto in fœdera sancienda, & in communia suscipienda nomina, valde pronos Germaniæ fuisse populos, sæpe vidimus. Et illud ipsum, quod creberrime *Gothos* vocarunt *Getas* historici, non testatur errorem, sed Getarum in Gothico nomine societatem renouatamque virtutem (*l*).

Germania orientalis pars aquilonaris.

XIX. Con-

(*l*) *Astingi ab oceano Bix anni spatio ad Romanum limitem peruenere, præ nimia terrarum immensitate*; quod ex DEXIPPO memorat IORNANDES *de Rebus Geticis*. Hic quidem *Vandalicam* vocat *gentem*; sed eo sensu, quo ipsi *Gothones* in *Vandalis* a PLINIO sunt relati: imo & eo, quo *Vandali* passim in *Gothis* adnumerari consueuere. PROCOPIVS *Vandal. Rer. Lib. I. Cap. II.* Γοτθικὰ ἔθνη πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα πρότερόν τε ἦν, καὶ τὰ νῦν ἐστι. τὰ δὲ δὴ πάντων μέγιστά τε καὶ ἀξιολογώτατα Γότθοι τέ εἰσι, καὶ Βανδίλοι, καὶ Οὐισίγοτθοι, καὶ Γήπαιδες. *Gothicæ quidem gentes multæ fuere, & aliæ antea, & nunc sunt, at omnium maxime atque præcipuæ Gothi Vandili, Visigothi, & Gepides.* *Gothis* autem videntur diserte *ASTINGI* tribui a DIONE, cuius descriptionem Astingorum, & eorum migrationis, referente THEODOSIO ex *Lib. LXXI.* accepimus. Ibi etiam docemur a DIONE, circiter ætatem Antonini Philosophi Astingos in Cisdanubianas Romanorum prouincias impetum fecisse; mox ipsi Marco contra ceteros Germanos militasse. Iam ergo ante Marcum ex Scandinauia in continentem aut Germaniam, aut Sarmatiam, traiecerint. Gothonum in Sarmatiam

Gedi. XIX. Continuo Gothorum persequemur acta, quæ cœpimus, enarrare. Constat cum *Gothonibus* in Sarmatiam mouisse *Rugiorum*, *Herulorum*, *Burgundionum*que, partes. Sed hi populi, licet in Gothico essent fœdere, non suis desiere propriis compellari vocabulis; sed ea in seram constanter seruarunt gloriam. Gothi, iam sumto nomine, primum ad Mœotim lacum peruasere, omnemque Sarmatiam depopulati sunt; donec versus occidentem regressi ad Borysthenem ac Pontum, Getarumque priscas regiones, sedes figerent. Quot excursionibus ætate succedente Romanas vexauerint prouincias; Græciam, Macedoniam, Thraciam, Mœsiam, imo ipsam Asiam? nostra historia exponet diuerso loco. Hic Gepidarum meminisse conuenit. Hi duce Fastida, cum iam quintus a Filimero, qui Gothones duxit in Sarmatiam, rex Gothis imperaret, sequuti sunt vestigia Gothonum, & transgressi Vistulam in Daciam circiter Claudii imperatoris ætatem peruenerunt. Antequam excederent ex patria, Burgundiones *FASTIDA* debellasse fertur; mox cum Daciæ possessionem superbius posceret, ab ipso Gothorum rege bello petitus victusque est. Reliqui tamen Gepidarum gentis in parte Daciæ, semper seruato nomine, quod per conuicium, Iornande scribente, acceperant, permansere; donec post multos reges eorum postremus *CVNIMVNDVS* ab Alboino rege cæderetur, & Longobardicis armis misere Gepidarum natio periret. Ceterum Gothis, singularibus ciuitatum

Migrationes variæ Gothorum & Gepidarum.

ANN. IϽLI.

migrationem eadem fortassis Marci ætas dederit: nihil tamen definiri potest. Quod IORNANDES ex ABLAVIO de variis Gothorum & diuersis migrationibus narrat, parum certi promittit. Nomen *GEPIDARVM* a tarditate acceptum esse, scribit IORNANDES: *Gepanta enim pigrum aliquid tardumque signare. Hi*, addit, *Gepidæ tacti inuidia, dudum spreta prouincia, commanebant in insula, Viscle amnis vadis circumacta, quam pro patrio sermone dicebant Gepidos.* Sumti nominis *GOTHORVM* rationes, quas tradimus, probabiles profecto quam maxime sunt. Tempus autem cœpti fœderis iustum non definiri potest, nisi vt generatim seculum tertium indicetur, quo primum Gothorum arma Romanus sensit urbis.

tatum nominibus nunc antiquatis, ex situ & sedibus bina adhæsere nomina. OSTROGOTHI, *Austrogothi*, seu *Orientales Gothi*, adpellati sunt, qui ad Orientem & Pontum versus incoluerunt. VESIGOTHI, *Westrogothi*, *Wisigothi*, *Wesegothæ*, seu *Occidentales Gothi*, in occidentem & Germaniam versus habitantes vocati sunt. Fauit & vtrique nomini sequens fortuna. Quum ruere cœpisset Romæ maiestas, *Vesigothi* primi in Italiam intrarunt, & direpta Roma, pactis deliniti in Galliam demum & Hispaniam concessere; conditoque ibi nobilissimo regno claruerunt. *Ostrogothi* diutius Romanis ad orientem prouinciis imminuere; sed & ipsi, cum Romanum imperium ab Odoachro iam destructum esset, penetrarunt in Italiam, &, euersa dominatione Herulorum, nobilissimo rege *THEODORICO*, omnem Italiam, nouo condito regno, complexi sunt: rursus tum ad orientem colentes, cum Vesigothi Hesperiis regionibus insedissent (*m*).

Distincta nomina a sedibus capta;

Germaniæ orientalis pars aquilonaris.

gloriosi exitus.

Ann. CCCCV. CCCCIX. CCCCXI.

Ann. CCCCXC.

XX. Multa

(*m*) NICETAS CHONIATES *in Vita Iohannis Commeni*, Alexii filii, ita de iis tradit: Εἰς πλείους διῃρημένοι ἦσαν φυλὰς, καὶ διακριδὸν στρατηγίοις βάλλοντες. *In plures distributi erant tribus, nec vni duci parebant.* Tales tribus pagique Gothici *Astingi* erant, & *Gepidæ*, & ipsa *Gothorum duo genera*; quibus omnibus singulares erant reges ducesque. Maxime *Burgundiones*, *Rugii*, *Heruli*que, licet in Gothicis gentibus haberentur, suas tamen sibi res seruarunt. Ipsos posteriores *Vandalos* fœdere arcto cum Gothis fuisse coniunctos, PROCOPII verba modo prolata docuerunt. Ex sedibus in extrema Scythia positis *SCYTHARVM* nomen *Gothis* obtigit. Varias expeditiones Gothorum in Romanas prouincias persequuntur ZOSIMVS, Augustæ historiæ minores auctores fere omnes, cum EVTROPIO, OROSIO, AMMIANO, & præsertim cum IORNANDE & PROCOPIO. De *Gepidis*, eorumque duce Fastida in Sarmatiam migratione belloque cum Gothis, & cetera, idem IORNANDES narrat. Extrema Gepidarum gentis fata describit PAVLVS DIACONVS *Longob. Rer. Lib. I. Cap. XXIII. XXVII.* *VESIGOTHORVM* & *OSTROGOTHORVM* nomina sæpe ac sapius ab auctoribus variantur. IORNANDES *Wesegothas* & *Ostrogothas* constanter adpellat. Multi vno nomine *Gothorum* vtuntur, & vtrumque genus complectuntur. SIDONIVS APOLLINARIS *Paneg. Maior.* simpliciter *Vesos Vesigothos* nuncupat. PROCOPIVS Ostrogothos præcipue *Gothos* vocat, & eo nomine a *Vesigothis* distinguit. *Austrogothorum* nomen est in TREB. POLLIONE *Vita Claudii Cap. VI.* Vesigothorum in Italiam, indeque in Galliam & Hispaniam, migrationem, descripsit ZOSIMVS *Lib.*

Gothi. XX. Multa sunt, quæ enarrata vera Gothonum Gothorumque historia defendere contra aliorum argumenta necesse habemus. Displicet aliis Scandinauiæ nos magnam Geticæ vetustæ gloriæ negasse, & dubitanter admodum de Gothonum Scandica origine sensisse. Culpant alii, Getas nos, Gothonosque, atque Gothos, in vno genere numerasse, cum ipsi pro diuersissimis illos habeant populis. His vt respondeamus primum, tria argumenta ipsorum consideranda erunt. Getas, contendunt, antiquissimam gentem exstitisse, nouam Gothos. Getas, instant, in Thracibus, Massagetas, Thyrsagetasque, in Scythis constanter relatas esse; Gothorum Germanicam originem neminem dubitasse. Geticas, addunt, ciuitates, Thracica, Scythicaque, vsas esse lingua, peregrinosque monstrasse mores; quod quidem minime in Germanicas nationes quadrare queat. Verum primo id nostram iuuat sententiam magis, quam conuellit, quod antiqua gens Getæ, recens Gothi, fuerint. Vnde immensa illa Gothorum multitudo prouenerit, an ex cœlo, vtrum ab inferis, nisi Getas cum Gothonibus dixerimus in Gothorum consensisse nomen? Quo & abiere Getæ veteres, cum eorum oblitteraretur nomen; num omnes cæsi sunt a Romanis, aut quid de iis, vt omnes interirent, actum est? Adde crebro sancitorum fœderum in Germanis exempla; expende temporis, quo Gothorum surrexit nomen, rationes: & dubitabis minime, vetustos Getas in Gothis recentioribus agnoscere. Quod Getas, Thraces, Thyrsagetas, Massagetasque, Scythas auctores vocauerint; nihil inde colligitur. Scimus, Scythiæ nomen protendi vsque quaque in Germaniam, & ipsam Scandinauiam Scythiam non raro vocatam esse;

Sententia Gothos Getasque stirpa antiquum expenditur,

& refellitur.

V. & VI. OROSIVS *Lib. VII. Cap. XXXVII. XXXIX. & XLIII.* ISIDORVS *in Chron. Gothorum.* De Ostrogothorum expeditionibus videatur PROCOPIVS, COMES MARCELLINVS, & plures alii.

esse; ipsosque Gothos compellari creberrime Scythas: quod & hi postremum ex Scythia ad Pontum migrarent. An nescimus, Gallos quondam Germanos omnes vocatos esse, maxime Cisrhenanos? Quis audeat vero Gothis nostris, Gallisque illis Cisrhenanis, Germanicam eripere originem, quod alieno fuerint nuncupati nomine? Quod de lingua peregrinisque moribus additur, oppido est infirmum atque debile argumentum. Qui in alieno morantur solo, transeunt facile in diuersae communionem linguae, nec difficiliter peregrinitate mores infectos accipiunt. Ergo Francos in Gallia, Gothos in Hispania, Anglos in Britannia, negabimus esse a Germanis vere oriundos; quod lingua adparet diuersa, moresque non pauci peregrini in iis cernuntur? Sed & negamus, Dacos Getasque prorsus ab Germanica lingua alienos fuisse. Nomina ipsorum, quae superant, & quae conseruata nobis sunt ab auctoribus, vere Germanica esse repereris. Docent nos recentiores memoriae, in Massagetarum antiquissima regione hodieque linguam seruari, quae Germanicae prorsus prope conueniat. Et mores peregrini male obiiciuntur. Quot exempla ostenderis, quae peregrinitatem declarauerint, tot multoque plura infra indicabimus, quae Germanicum animum omnino referunt. Si coniecturis pugnabimus, magis vincemus, qui vicimus iamdum propositis rationibus. Suadet Getarum nomen, in Gothis illos, cum desiissent proprio venire nomine, quaerendos esse. Suadet Getarum & Gothorum eadem sedes, vltro Getas Gothones in societatem & terrae & nominis accepisse. Suadet, imo persuadet, ingens testium numerus, vt in Gothis agnoscamus Getas; cum omnes mentitos aut lapsos errore esse, adfirmare durum sit maximeque temerarium. Igitur manent Getae Germani, suntque Gothicae ciuitates, quae Gothorum accepto cum

Germaniae orientalis pars aquilonaris.

Gothi. cum nostris Gothonibus nomine ingentem gloriam meruere (*n*).

 XXI. Vt

(*n*) Argumenta cum ex PONTANO, tum ex CLVVERIO, potiora collegimus, vt iis confutatis verum recte stabiliri possit. Quod antiquissimum ostendunt *GETICVM* nuperum *GOTHICVM* nomen; eo sibi ipsi nocent argumento; cum, quod nuperum erat Gothorum nomen, Gothicas gentes iam alio olim nomine adpellari oportuerit. Thracicam quidem gentem Getas esse, iam HERODOTVS *Lib IV.* declarauit; Γέται Θρηΐκων ἐόντες ἀνδρειότατοι καὶ δικαιότατοι. *Getæ fortissimi Thracum atque iustissimi.* Idem adfirmant STRABO *Lib. VII.* STEPHANVS, haud dubie ex STRABONE sententiam dicens; Γετία, ἡ χώρα τῶν Γετῶν. ἐστὶ δὲ Θρακικὸν ἔθνος. *Getia, regio Getarum; est autem gens Thracica* Eosdem Getas in Scythis numerat DIO *Lib. I.* Δακοί τε καὶ Σύηβοι εἰσὶ δὲ οὗτοι μὲν Κελτοὶ, ἐκεῖνοι δὲ δὴ Σκύθαι. *Daci & Suevi. Sunt autem hi quidem Germani, illi vero Scythæ.* Massagetas, Dahasque, nemo fere non veterum in Scythas retulit. POMPONIVS MELA *Lib. I. Cap. II.* PLINIVS *Lib VI. Cap. XVII.* SOLINVS *Cap. LII.* STRABO *Lib. XI.* Sed contra hæc testimonia audi PLINIVM *Lib. IV. Cap. XII.* dicentem: *Scytharum nomen vsque quaque transiit in Sarmatas atque Germanos.* Et Gothi Thraces dicti, & præcipue Scythæ CAPITOLINVS *in Maximin. Cap. I.* docet, *Maximinum parentibus, altero Gotho, altero Alano, natum fuisse, & a Getis ciuis instar, maxime amatum;* & Cap. III. *Threciscum* seu *Thracem*, adpellat: quo & nomine venit apud HERODIANVM *Lib. VI. Cap. VIII.* TREB. POLLIO *in Gall. Cap. VI.* *Scythæ, hoc est, pars Gothorum, Asiam vastabant.* IDEM *in Claudio Cap. VI.* *Scytharum diuersi populi, Peucingi, Trutungi, Austrogothi, Virtingui, Sigipedes, Celtæ & iam & Heruli, prædæ cupiditate in Romanum solum & rem publicam venerant.* Ita frequenter Gothos Σκύθας ZOSIMVS *Lib. I.* & passim alibi vocat. THEOPHANES *ad Ann. CCCLXX.* Γότθους δὲ ἐπιχωρίως τοὺς Σκύθας λέγεσθαι Τραιανὸς Πατρίκιος τῇ κατ' αὐτὸν ἱστορίᾳ φησίν. *Scythas patrio sermoni Gothos dici, Traianus Patricius in historia narrat.* ANASTASIVS *in Chonogr. Hist.* Σκύθαι οἱ λεγόμενοι Γότθοι. *Scythæ, qui Gothi dicuntur.* Quod de lingua adfertur, refutatur commode a ROB. SCHERINGHAMO *Cap. XI.* isque docet, Geticam Gothicamque linguam vere vnam eandemque fuisse. Quid? quod hodieque durare linguam priscam in remotissimis, quæ quondam Massagetæ, & alii Gothi, habitarunt, locis, testentur passim auctores. GROTIVS *in Præfatione ad Procopium,* *Et quod mireris,* inquit, *sunt nunc quoque ad eandem Mæotim iidem Gothi, & vt mores linguamque, sic & nomen, per tot secula retinent; quanquam enim Busbequius, qui in illis locis non fuit, dubitat, Gothi sint, an Saxones, certos nos facit is, qui in illis vixit regionibus, Iosaphat Barbarus, nobilis Venetus, & Gothos ipsos a semet dici, & terram vocari Gothiam. Is Capitaneatus Gothia dicitur, in publicis monumentis tabularii Genuensis, teste Petro Baptista Burgo.* Conf BVSBEQVIVS ipse, Rudolphi imperatoris quondam ad Turcos legatus, *in legationis Turcicæ epistolis,* & IOS. SCALIGER *Can. Isag. Lib. III.* Ad coniecturas nil addimus.

Considerantur Scandicæ originis omnium Gothorum opinio;

Germania orientalis pars aquilonaris.

XXI. Vt placemus Scandiæ omnium Gothicarum ciuitatum originis adſertores, nunc laborabimus. Aiunt, priſcam migrationum vetuſtiſſimarum exſtare memoriam; eamque tot emiſſis coloniis fidem facere, vt minimum omnes Gothos neceſſe ſit Scandinauiæ vindicare. Vrgent, ſupereſſe nomina regionum & gentium in Scandinauia, quæ Getas Gothosque inde veniſſe teſtentur; vocabulum Getarum in Scandinauia, quam in Sarmatia, eſſe antiquius: regionem *Weſtgothiam* & *Oſtrogothiam* in Scandinauia fida eſſe gentium indicia. Adiiciunt, mores Getarum & Gothonum eos fuiſſe, vt conueniant magis cum moribus Scandinauiæ incolarum, quam cum Germanicis. Enimuero primum, quod affertur, fidum eſſe & certum probari debebat, antequam ex principiis peteretur concluſio. Quænam illa eſt vetus memoria, quæ teſtatur vetuſtiſſimam ex Scandinauia migrationem? Sunt carmina. Sed illa nemo vidit, & fabulis plerumque ſolent eſſe contaminata. Sunt *Runæ*, quas vocant, & lapides. Horum autem inſcriptiones in ſeram ætatem cadere, ante me plurimi viderunt. Sunt tabulæ vetuſtæ, cum a Gothorum regibus, tum ab ipſis Sueciæ regibus, adſeruatæ. De iis nihil conſtare liquet, quis enim meminit? has ex communi errore confectas, & in ſcriniis publicis eſſe repoſitas, facile manifeſtum eſt. Eſt Iornandes auctor, qui ex Dexippo & Ablabio hiſtoriam ſcripſit, & quem omnes ſequentes auctores ſequi fas iudicarunt æquumque. Verum ille eſt Iornandes, cuius fabulas in rebus antiquioribus omnes agnoſcimus, & illius duces, licet non viſos, ex Iornande iudicamus. Quod Iornandem recentiores ſequuti ſint, id coarguit longum errorem, penituſque inueteratum; non illum defendit. Quicquid itaque vetus laudetur memoria, parum illa euincit, quod cupit; Gothos omnes, adeoque & Getas, a Scandinauia oriundos eſſe.

eademque per partes ſingulas exploditur.

XXII. Quid,

Goth. XXII. Quid, inquies, dixeris contra nomina Getarum, *Gothiæ*, seu *Gothlandiæ*, in Scandinauia; *Westrogothiæ* etiam & *Ostrogothiæ* regionum? Potuit, inquam, Getarum nomen in Scandinauia reperiri; nam Getas Sarmaticos & Gutas Scandinauiæ, cognatas gentes vocauimus: sed & vere eadem nomina sunt illa Getarum, Gutarum, Gothorumque; & si originem nomine notari omnino contendes, potuit nomen Getarum Scandinauiæ magis a Sarmaticis manare, quam hoc a Scandinauiæ incolis. Quod terræ singularia nomina vrgentur, frustra est. Aut sunt regiones æuo demum succedente illis insignitæ vocabulis, cum iam inualuisset opinio, quasi ex Scandinauia omnes prodiissent Gothi: aut etiam, si antiquiores sunt adpellationes, non tam patriam testantur omnium Gothorum, quam vnius Gothicæ ciuitatis, quæ vtique egit in Scandinauia; quamue, quod diuersis placet, bonam frugiferamque tellurem, quæ nusquam in Scandinauia magis, quam in Gothlandia deprehenditur. Ex morum similitudine, si cetera deficiunt argumenta, frustra colligitur iudicium. Demus etiam, adeo mores Getarum cum moribus Gutarum Scandinauiæ conspirasse, vt par nihil in Germania posses monstrare; probabitur inde, esse nationes cognatas, sanguinisque iunctas propinquitate, quod ipsi stabiliuimus: non probabitur, a Scandinauia, & Gutis Scandicis, Getas Sarmaticos, omnesque Gothos, ac præcipue nostros Gothones, esse oriundos. Multum igitur dedimus, cum affirmaremus Gothorum nostrorum partem videri ex Scandinauia in Germaniæ continens traiecisse. Hæc ipsa affirmatio coniecturæ tantum innititur. Coniecturam autem ad certum extendere, aut velle coniicere, vbi idonea nulla coniiciendi est ratio, æque ineptum est. Habebimus magnam populorum in Scandinauia vim visendam. Vbi terrarum tot gentes ibidem egerint, quantas passim Iornandes eiusque sequaces inde produxere? Adiice Romanos auctores meminisse migratio-

Nomina Gothiæ & alia in Scandinauia nil probant.

num vetuſtiſſimorum Gallorum, Cimbrorum, atque Teutonorum. Ægre mihi perſuadeo, ſi tot ex Scandinauia tantæque coloniæ in Germaniam aut Sarmatiam aduentaſſent, aut æuo antiquiori, aut maxime ſuccedente ætate; iſtud latere potuiſſe Romanos, qui Germanos in militia plurimos habuere, & qui Daciam in Sarmatia ipſi Traiano imperante occupauerant. Fruſtra ideo ſunt, qui Scandicæ originis noſtrorum Gothorum iactant atque oſtentant gloriam. Eum opinatorem ne quidem hic meminerim, qui, vt pluries oſtenderim, vano conatu omnes Germaniæ, imo totius orbis, claras nationes in Scandinauia reperit, & quaſi luderet, ita vnum poſt alterum citauit populum, atque ex ingenti theatro, quo vellet, ablegauit (*o*).

Germaniæ orientalis pars aquilonaris.

XXIII. Ab argumentis, quibus Getas ſimul cum noſtris Gothonibus Gothico vindicauimus nomini, ſimulque communem opinionem, quaſi Gothi omnes ex *Scandinauia*, quam inde *vaginam gentium* adpellare moris exſtitit, prodiiſſent, eleuauimus; rurſum diuertimus ad *Gothones* noſtros, quibuscum Gothorum rationes, quod Gothorum nomini maxime Gothones præbuere occaſionem, coniungere placuit. *Getas*, in Germanis extra Germaniam colentibus, infra cernemus; & tum ciuitates eorum ſingulas, ſedes, regna, facta, fata, & præcipua inſtituta, contemplabimur. De *Gutis* mox noſtra præcipiet commentatio, cum ad Scandinauiam luſtrandam peruenerit. *Gothonum*, *Gepidarum*, *Gothorum*que

Nominis

(*o*) Vt modo infringeremus conatus eorum, qui omnes Gothos Getasque Scandinauiæ vindicant, argumenta potiora collegimus ex STIERNHIELMI *Anti-Cluuerio*, ROBERTO SCHERINGHAMO, & paſſim aliis; declarataque rationum infirmitate, quid tamen in tanto rerum incerto videatur probabile, indicauimus. Singularis opera foret, omnia auctorum verba exſcribere, & ſingulatim quæuis confutare. Ceterum MATTHAEVS PRAETORIVS *in Orbe Gothico*, diuerſo conatu omnes Gothos, & Germanicæ continenti, & Scandinauiæ, eripere, Sarmatiæque atque Sclauicæ genti ſoli adſerere, auſus eſt; ſed, quantum quidem iudico, inter turbas teſtimoniorum veterum conſcriptas, minore ſucceſſu, quam cui quisquam inuidere poſſit.

Gothi que, nominis originem certam ægre quispiam constituerit. *Gudam* fluuium in Cimbrica chersoneso aliquis memorat, vnde, quod primum in illam peninsulam Gothi ex Scandinauia nauigassent, toti nationi nomen adhæserit. Alii inepte ad Græcos confugiunt, vt ipsorum lingua nominis præbeat originem. Nec placent, qui arcem *Chotim* ad Tyram amnem memorant, indeque nomen coniiciunt; nec qui Sarmaticam vocem *Guta*, quæ *substantiam* notat, aut vocem Germanicam *Good*, quæ *bonum* significat, aut illum *Gether*, cuius Moses, summus scriptorum, meminit, proferunt. Placet magis, qui ex veteri lingua Gothica nomen *Goeta*, hoc est, *gignere*, indeque deriuatum *Gotte*, *militis* adpellationem, expromsit, curiosisque Gothici nominis originis commendauit. Igitur, si hunc audimus, dicti sunt Gothi quasi *nati milites:* nempe probasse Germanos accepta a fortitudine & armis vocabula, iam persuaserunt nobis Cimbrorum, Teutonorum, Saxonum, Suardonumque, nuncupationes. Gothorum Getarumque nomen nisi simplici littera non discordat; vnde par eius vocabuli origo censetur. *Gothones*, vt Lugiones Lugii, Burgundiones Burgundii, Frisones Frisii, sic antiquissimi in Germania Gothi ante dicti sunt. *Gepidarum* nomen Iornandes interpretatur de *Gepanta*, quod *pigrum & tardum* sonat; cui voci Gothicum *Gepar*, quod oscitantem significat, plene respondet: & cum re & historia Iornandis adeo interpretationi nominis conuenit, vt ad Græcas aliasque vocis explicationes non attendere opus sit.

Gothorum Getarum, & Gepidarum, origo.

GOTHIAE nomen regionibus, vbi cum Gothones nostri, tum reliqui Gutæ, Getæ, Gothique, in Scandinauia, in Cimbrica chersoneso, in Sarmatia, in ipsa demum Gallia, & Hispania, egerunt, adhæsisse, constat. *Gothia* fuit Gallia Narbonensis, & nonnunquam integra Hispania dicta. *Gothia* in Sarmatia non vno fuit loco; præsertim Daciam Gothiam adpellare moris exstitit. In nostra Gothonum sede hodieque villam *Goodland* cis

Gothia frequens.

Vistu-

Germania orientalis pars aquilonaris.

Vistulam esse, quæ vetus regionis nomen referat, aliquis memoriæ prodidit. Cimbricæ chersonesi pars vlterior *Iutta* nunc nominatur; veteris Gothiæ non improbabili argumento. Succiæ *Gothia*, siue *Gothlandia*, non minus recte hoc accepit nomen, quod Gothica ciuitas terram illam semper coluit; licet huius nominis alia adhuc potuerit ratio accedere, quod vulgo censerentur omnes Gothi ex illa Scandinauiæ regione processisse, aut, si mauis, quod ceterarum intuitu prouinciarum optima Scandinauiæ tellus esset (*p*).

Gothonum regionis extremus status.

XXIV. Gothonum terram, postquam ipsi Gothones Vistulam transgressi essent, diu alteram eorum partem, a lentitudine dictos *Gepidas*, tenuisse, ostendimus. His non minus

(*p*) Scandinauiæ rerum scriptores fere omnes nomini *Gothorum* explicando operam dederunt. Quam nos sequimur notationem, cum aliis pluribus persequitur LOCCENIVS *Antiquit. Sueo-Goth. Lib. I. Cap. I.* & debetur ea STIERNHIELMIO, quem supra laudauimus. PRAETORIVS ex Sclauica lingua vocem interpretari conatus, parum, vt in reliquis, profecit. De *Gepidarum* nomine IORNANDEM *de Rebus Get.* iam audiuimus. *GOTHIA,* crebrum regionis nomen est. IVL. CAPITOLINVS *in Maximinis Cap. I.* in stirpe Maximini; *Hic,* inquit, *de vico Thraciæ vicino, Barbaro etiam patre & matre genitus, quorum alter e Gothia,* (vulgo *Gothis*, sed vocem *Gothia* plerique veteres codices agnoscunt) *alter ex Alanis genitus esse perhibetur.* OROSIVS *Lib. I. Cap. III.* ISIDORVS *Lib. XIV. Cap. IV.* & AETHICVS *in Europæ situ; Dacia, vbi & Gothia.* In NICAENA *Synodo II. Theophilus, episcopus Gothiæ in prouincia Dacia,* concilii decretis subscripsit. IORNANDES *Rer. Get.* bis antiquam *Daciam* vocat *Gothiam:* prorsus, vt eam STEPHANVS Γετίαν nuncupauit. *Prima Narbonensis,* siue *Septimania, Gothia* dici consueuit: quo sensu accipienda descriptio copiarum Theodorici, quas *ex Burgundia, & Alemannia, atque Gothia,* conscripsit; in *Fragmentis de Reg. Franc.* in DU CHESNE *Tomo I. pag. 560.* & *ibidem pag. 819. in Chronologia vetusta regum Gothorum; ciuitates Gothiæ & Galliæ captæ:* & *pag. 27.* in Notitia *Episcopatuum* Galliæ, post Vasconiam, sequitur inscriptio; IN GOTHIA SOLA. *Hispaniam Gothiam* videtur vocare GREGORIVS TVRONENSIS *Hist. Fr. Lib. IV. Cap. XLVI.* OROSIVS *Lib. VII Cap. XLIII.* Ataulphum regem destinasse, ait; *vt obliterato Romano nomine, Romanum omne solum, Gothorum imperium & faceret, & vocaret: essetque, vt vulgariter loquar, Gothia, quod Romania fuisset.* De *Iutia* dictum; & quæ prouinciæ in Scandinauia hodieque nomen *Gothiæ* agnoscunt, in geographicis tabulis statim sunt obuiæ. De vico *Good-land,* seu *Gootland,* in citeriori Vistulæ ripa, ad medium dictæ magnæ insulæ latus, sito, coniecturam CLVVERIVS non incommodam fecit.

Gothones & Gothi.

minus in Sarmatiam migrantibus, est incertum, quæ proprie Germanica gens successerit? vtrum adhuc pars Gothonum in patriis restiterit sedibus? Certe insulas, in quibus succinum Gothones consueuere legere, sera ætate gens VIVIDARIA, si credimus Iornandi, incoluit. *Viuidarios*, seu *Vidioarios*, Iornandes ipse adpellat ex diuersis nationibus conuenas. Non dubium, ob commercia confluxisse his in oris varios ex Teutonis, ex Cimbris, ex Scandinauia, mortales, qui desertos ab incolarum parte agros insederunt; illoque Viuidariorum, aut, quod magis placet, *Viridariorum* nomine sunt compellati. Dum interim & Ostrogothi, & Vesigothi, & Gepidæ, primum vaga, & demum stabilia, regna passim conderent; plena sunt obliuione omnia primæ Gothonum regionis fata inobscurata. Quod extremum de terra nouimus, Sarmatæ Venedique cis Vistulam migrarunt, & antiquæ Germaniæ egregiam portionem cum hac ad Vistulam Gothia sua sunt complexi habitatione (*q*).

Viuidaria seu Viridaria gens.

XXV. Ad solennia instituta Gothonum, Gothorum, Gepidarumque, attinet, adhuc pauca persequi. De *Gothonibus* Tacitus; regnari eos, ait, paulo iam adductius, quam ceteras Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Ergo iam primis in sedibus suos habuerunt Gothones reges, & vnius imperio delectati sunt; licet salubribus legibus

Iura Gothonum & Gothorum publica.

(*q*) *VIVIDARII* & *Vidioarii*, vna gens, vni, quod norim, IORNANDI memorantur *in libro de Rebus Geticis*. *Hi ergo Gepidæ*, inquit, *tacti inuidia, dudum spreta prouincia, commanebant in insula, Viscle amnis vadis circumacta, quam pro patrio sermone dicebant Gepidos. Nunc eam, vt fertur, insulam gens Viuidaria incolit, ipsis ad meliores terras meantibus. Qui Viuidarii ex diuersis nationibus, ac si in vnum asylum, collecti sunt, & gentem fecisse noscuntur.* Et iam ante de iis loquutus dixerat: *Ad littus autem oceani, vbi tribus faucibus fluenta Vistulæ fluminis ebibuntur, Vidioarii resident, ex diuersis nationibus aggregati.* CLVVERIVS suspicatur, IORNANDEM *Viridarios* respexisse, & vitiatam vocem IORNANDI esse suppositam. *Viridarios* interpretatur de *insulanis*; *Werderischen*, a *Werder*, quod vocabulum amnicam insulam notat, compellatis.

gibus cauissent, ne tolleret libertatem regium imperium, & qui rex, hoc est, publicæ salutis procurator, populique rector, esse debebat, in dominum verteretur. Seruarunt morem & *Gepidæ*, & vtrumque *Gothorum* genus: hoc vno primum imperio contentum, ast deinde diuisa regia distinctum potestate. Omnium horum regum magna fuisse legitur auctoritas; sed ita tamen legibus populi circumscripta, vt ex ore Theodati, Ostrogothorum regis, cum omnia Deo præstante potuerint, sola tamen sibi licere crediderint laudanda. Fecere apud Gothos insignis nobilitas, parentúmque magna merita, vt plerumque filii in parentum locum succederent; non tamen quidquam hac eorum beneuolentia de iure liberæ electionis imminuente: quod ipsum apud Vesigothos solenni sacraque lege constitutum atque firmatum reperimus. Non interim a duabus nobilissimis familiis, illa *AMALORVM*, & altera *BALTHORVM*, abscessere; sed earum dignitatem atque decora perpetuanda semper putarunt. Leges habuerunt vetustissimas, ex quibus & publica res ageretur, & priuatim viueretur. Scriptas autem rogationes primi *THEODORICVS* & *ENRICVS*, hic Vesigothorum, ille Ostrogothorum, rex, tulerunt. Posuere in maxima laude vetusti scriptores Gothorum iustitiam, mutuam caritatem, comitatem, castitatem, veritatisque sinceræ amorem. Primi creduntur Gothi, qui Theotisca, quod vetus auctor diserte ait, lingua vsi sunt, litteras inuenisse; primi scientias amasse; primi omnino, quod ex Hieronymo accipimus, veræ doctrinæ aures animosque dedisse, &, quod idem de barbara Germania impense miratur, de sancti spiritus eloquiis in ipsa Hebraica lingua inuestigasse (*r*). De Gothis hactenus.

Germaniæ orientalis pars aquilonaris.

Magnæ Gothorum in antiquitate laudes.

XXVI. Ab

(*r*) TACITVS *Germ. Cap. XLIII. Trans Lygios Gothones regnantur, paulo iam adductius, quam cetera Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem.* Primum *Vesigothi Ostrogothique*, teste IORNANDE *de Rebus Get.* vnum regem, vnamque rempublicam, habuerunt. Diuersas deinceps partes sectati sunt, & diuersa præoptarunt imperia. CASSIODORVS *Var. Lib. X.*

Longobardi.

XXVI. Ab Albi ad Vistulam vsque Sueuici maris oras contemplati sumus; iam ad Albim reuersi secundum populorum ordinem considerare pergimus. Supra septem socias ciuita- Longobardi ad Albim.

Kkk k 2

Ep. XVI. *THEODOHADI* regis ad Senatum Romanum mandatum habet. *Alienis se*, profitetur, *conditionibus non teneri. Nam*, inquit, *cum Deo praestante possimus omnia, sola nobis licere credimus laudanda.* Et *Ep. XVII.* ad Populum Romanum ait: *Aestimate, quid vobis benignitatis videatur impendi, quando ille iurat, qui non potest cogi.* Vesigothici reges in Hispania, exemplo orientis imperatorum, plurima maiestatis insignia gessere, vt dignitatem suam augustiorem redderent. Sed & magna fuit gentis primorum & seniorum in vtraque gente auctoritas; & crebrae cum iis deliberationes a regibus haberi consueuere. Egregium exemplum publicae consultationis *ALARICI* regis cum senioribus populi canit CLAVDIANVS *de Bello Get. Vers. 480.*

Occultat tamen ore metum, primosque suorum
Consultare iubet, bellis armisque verendos.
Criniger i sedere patres, pellita Getarum
Curia, quos plagis decorat numerosa cicatrix:
Et tremulos regit hasta gradus, & nititur altis
Pro baculo contis, non exarmata senectus.

Ex duabus insignibus familiis Gothi suos sumsere reges. Sic IORNANDES *de Rebus Get.* ait. *Tertia vero sedes supra mare Ponticum. Iam humaniores, &, vt superius diximus, prudentiores effecti, diuisi per familias populi, Wesegotha familiae Balthorum, Ostrogotha praeclaris Amalis, seruiebant.* Idem saepe alibi regiarum harum familiarum meminit. Non tamen plena filiorum in paternam dignitatem successio stabilita est, sed electio seruata ab vtraque gente; quam IORNANDES saepe indicat, & aeui succedentis instituta adhuc magis declararunt. Cum maxime *Vesigothi detestabilem consuetudinem sumsissent, vt si quis eis de regibus non placuisset, gladio eos appeterent, & qui libuisset animo, hunc sibi statuerent regem*, scribente GREGORIO TVRONENSI *Hist. Fr. Lib. III. Cap. XXX.* Tum conciliorum decretis sancitum, ne mortuo rege quis regnum sumeret, nisi consensu maiorum & principum rite fuerit electus; & vt successor fatis functi necem vlcisceretur. CONCIL. TOLET. *IV. Can. LXXV.* TOLET. *V. Can. III.* TOLET. *VI. Can. XVII. XVIII.* Antiquas leges accepisse Gothos a *DICINEO*, easque *bellagines* adpellasse; auctor IORNANDES est. De *ENRICO* rege ISIDORVS *Era* 1317. *Sub hoc*, inquit, *rege Gothi legum instituta scriptis habere coeperunt; nam antea tantum moribus & consuetudine tenebantur.* THEODORICVS *edictum* promulgauit; *salua tamen*, quod ait, *iuris publici reuerentia, & legibus omnibus cunctorum reuerentia seruandis.* Quantum ad Gothicas laudes, SALVIANVS *de Gubernatione Dei Lib. V.* Gothorum iustitiam, mutuamque charitatem, *Lib. VII.* insignem castitatem, impense laudat. *Apud Gothos*, inquit, *impudici non sunt, nisi Romani.* Praesertim Ostrogothi multa laude humanitatis atque iustitiae claruere. CASSIODORVS *Lib. II. Var. Ep. XXIX.*

ciuitates, infraque Semnones, Albim inter Sueuumque amnem antiquitus coluerunt

Germaniæ orientalis pars aquilonaris.

LONGOBARDI,

qui & *Longobardi* a pluribus nominantur auctoribus. Nomen eorum ab *intactæ ferro barbæ* longitudine ſumtum eſſe, quicquid Diaconus dicat, & quicquid ex Tacito de Cattorum ſubmiſſa barba argumenti gratia adferatur, parum mihi perſuadeo. Magis abſona eſt vulgi fabula, quaſi voce cœlitus delapſa inditum ſit nationi nomen; idque cum Danubium traiicerent, & bellum contra Hunnos parantes, vxores ſuas, coma capitis ad maxillas mentumque ligata, in virorum habitum transformaſſent. Si quæ certa nominis exſtat cauſa, nec caſu forteque illud acceptum eſt, non aliunde credo illud captum, quam ab *enſibus latis*, aut incognito quodam armorum genere, quo Longobardi præ ceteris Germanis fuere vſi,

Nomen Longobardorum.

Sedes nationis non Tacitus deſcripſit, contentus dixiſſe, paucitate nobilitari, & plurimis ac valentiſſimis nationibus cingi. Inter

Sedes nationis.

ex Theodorici mandato ait; *Imitamini certe Gothos noſtros, qui foris prælia, intus norunt exercere modeſtiam.* Et idem THEODORICVS *apud* CASSIODORVM *Lib. VII. Ep. XXV.* *Sic*, inquit, *Gothos noſtros produximus, vt & armis ſint inſtructi, & æquitate compoſiti.* Maxime ergo Theodoricum, & Gothos, laudat PROCOPIVS *Lib. I. Bell. Goth. & Lib. II.* & CASSIODORVS *in Chron.* *Sub eius*, hic dicens, *felici imperio renouatas Vrbes, munitiſſima caſtella condita, conſurrexiſſe admiranda palatia, magniſque eius operibus antiqua miracula eſſe ſuperata.* Philoſophiæ ſtudiis iam antiquitus Gothos deditos fuiſſe, IORNANDES declarat. HIERONYMI *epiſtola ſupra citata* piam diuini verbi curam Gothis adſcribit. Recte ergo SIGEBERTVS GEMBLACENSIS *in Prolog. Chronici* Gothos noſtros adpellat: *Viribus vigentes, ingenio callentes, philoſophiæ quoque diſciplinis eruditos, antiquam barbariem exuentes, & quod humanitate & honeſtate aliis barbaricis gentibus præeminerent.* Litteras primos reperiſſe Gothos, cum IORNANDE Scandinauiæ laudum præcones contendunt. Si verum hoc, primi *Theodiſca lingua* Gothi ſcribere potuerunt: lingua enim hac vſos eſſe, nemini dubium eſt. Bene WALAFRIDVS STRABVS *Cap. VII. Ver. Eccleſ.* ſcripſit: *Gothi, qui & Getæ, eo tempore, quo ad fidem Chriſti perducti ſunt, in Græcorum prouinciis commorantes noſtrum, id eſt, Theodiſcum ſermonem habuerunt.* Ex plurimis pauca hic dedimus. Labor nouus plura exhibebit.

Longobardi. Inter has vtique Cherusci, Albi diuisi, & Semnones, fuere, & Hermunduri, & septem infra Longobardos populi. His omnibus cinctos esse, Tacitus testis est, qui in Itali bellis cum Cheruscis proximos fecit Longobardos, quique diserte medios inter Semnones, Hermundurosque, & septem ciuitatum fœdus, Longobardos constituit. Igitur *ad occasum* Albis diuisit Cheruscos Longobardosque; quod multis videtur, a Salæ confluentibus citerioribus, ad Hauelæ vlteriores confluentes. *Contra septentriones* putantur a Nuithonibus ad Viadrum, & a Reudingis ad Albim, continuati esse. Certe enim contra aquilonem septem fuere populi; sed id opinabile totum esse dixi, vter populus ad Longobardos præcipue pertigerit. Qui & aquilonare latus Longobardorum accuratius definire conantur, confluentes Hauelæ, & Foræ, amnium, ad ortum & occasum designant. *Versus orientem* solem Sidini & Burgundiones Viadro separati fuere. *In austri partibus* inter Albim & Viadrum amplissima Semnonum ciuitas Longobardos finiuit; vt & plurimis videatur, ad Salæ Vartæque confluentes vtriusque populi confinium iustum quærendum esse (s).

(s) *LONGOBARDI* vocantur a VELLEIO *Lib. II. Cap. CVI. Fracti Longobardi, gens etiam germana feritate ferocior.* PAVLVS DIACONVS semper, AETHICVS, & semel IORNANDES *de Regn. Successʃ. Longobardos* adpellarunt. PROCOPIVS varia vocabula adfert. Nunc ipsi sunt Λογγιβάρδας, nunc Λογγοβάρδοι, modo Λαγγοβάρδας, modo Λαγγοβάρδοι. Etiam PTOLEMAEVS agnoscit & Λαγγοβάρδους, & Λογγοβάρδους: vnde hoc saltem patet, non adesse idoneam rationem, cur magis Langobardi, quam Longobardi, dici debeant. TACITVS constanter Longobardos nuncupat, STRABO memorat λαγκοσάργους populum; cui vocabulo commode interpretes supposuerunt vocem Λαγκοβάρδοι. Nomen PAVLVS DIACONVS *Lib. I. Cap. IX.* cum ISIDORO *Etymol. Lib. IX. Cap. II.* de *intactæ ferro barbæ longitudine* interpretatur; & *Cap. VIII.* insulsam fabulam de nomine diuinitus accepto enarrat; sed eam ipse ridet. Alii vocem Germanicam *Boerden* afferunt, & volunt *Longobardos* vocatos esse, quod *latos agros* possederint. Nos accepimus nomen a *latis ensibus*, *langen-Barden*, siue *Streit-Aexten*; quibus illi fortassis, vt Saxones breuibus gladiis, præcipue vsi sunt. De his Longobardis ita TACITVS *Germ. Cap. XL*, narrat; *Contra*

Cisalbinæ Longobardorum sedes antiquiores.

Germania orientalis pars aquilonaris.

XXVII. Cis Albim Augusti æuo regionis partem tenuisse Longobardos, plurimi auctores testati sunt; indicta simul caussa, cur in vlteriorem ripam confugerint: quod nempe vim armaque Tiberii non sustinere potuerint. Definire antiquioris cis Albim sedis veros limites, valde censeo fore temerarium; quis enim veterum istius rei vel verbo simplici meminit? Interim quidam designant Oram amnem, quo Cisalbina Longobardorum tellus ad eius vsque confluentes fuerit a Cheruscide diuisa. Memorabilium in regione Longobardorum Transalbina nihil habemus; nisi quædam Ptolemæi memorauerimus loca, quæ ad cuiuspiam eruditi computationem in Longobardorum sedes priscas incidunt. Est *Argelia*, cuius positio in situm principis hodieque vrbis, *Berolini*, incidit; quæ &, siue villa, siue arx vetus, Longobardorum præcipuus fuisse locus censetur. *Calagia* putatur referri & nomine, & positura, vrbis *Colau*, quæ ad Spream amnem sita est. *Luppiam*, locum, cuius alio loco meminimus, idem auctor mauult in Longobardorum regionem transferre; cui magis conueniat cum Ptolemæi positione. Nos communem sequuti sententiam in Sigambris Luppiam quæsiimus, nihil morati Ptolemæi computum, sed in amnis vrbisque cuiusdam celebris simile nomen intuiti.

Memorabilia in Longobardis.

Cum

Longobardos paucitas nobilitat, quod plurimis ac valentissimis nationibus cincti, non per obsequium, sed præliis & periclitando tuti sunt. PTOLEMAEVS Sueuos Angelos a septentrionibus Longobardorum posuit: & paulo post Langobardos prope Angriuarios: quo indicare mihi duplices eorum sedes, & cis Albim, & trans flumen, videtur. Cheruscis vicinos fuisse, discimus ex TACITO *Ann. XI. Cap. XVII. Magno inter barbaros prœlio victor rex; de hinc secunda fortuna ad superbiam prolapsus, pulsusque, ac rursus Longobardorum opibus refectus, per læta, per aduersa, res Cheruscas adflictabat.* Ex generalibus notis singulares fines hosce CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. III. Cap. XXVI.* collegit: a *meridie* lineam a confluente Sala ad confluentem Viadrum atque Vartam; ab *occasu* Albim, a Sala confluente ad Hauelam; a *septentrionibus* Hauelam, & Rinum, atque Foram, amnes; ab *ortu* Sueuum, siue Viadrum. Quibus limitibus hodie *Marchia Media Brandenburgica*, & *Ducatus Magdeburgici* pars, dextræ Albis ripæ adposita, comprehenduntur.

Longobardi. Cum nouam hoc loco ſententiam profero, integrum cuilibet manet, vtri opinioni fauerit. Nonnulli veterem vrbem *Bardewick*, & pagum *Bardringau*, reſpexere, atque de Longobardorum quodam pago, fortaſſis & illam vrbem de quadam eorum villa, interpretati ſunt. Fortaſſis & pars Longobardorum ibi cis Albim egerit; ſed, cum ſileant omnes veteres, & olim extrema Cheruſcis, aut omnino Chaucis, illas terras occupauerit, ipſe nihil pro ſententia iſta dicere audeo (*t*).

Fabulæ de origine Longobardorum. XXVIII. De origine Longobardorum miras fabulas Proſper, Diaconus, Sigebertus, nobis narrarunt; quaſi antea egerint in Scandinauia, WINILIque fuerint adpellati, poſteaque demum ſub Theodoſii imperatoris æuum in continentem Germaniam traiecerint, Longobardorumque nomen acceperint. Sufficit autem ad commenta illa explodenda, legiſſe Velleium, Strabonem, Tacitum, atque Ptolemæum; & men-

(*t*) VELLEIVS *Lib. II. Cap. CVI. Fracti Longobardi, gens etiam Germana feritate ferocior: denique, quod nunquam antea ſpe conceptum, nedum opere tentatum erat, ad quadringenteſimum milliarium, a Rheno vsque ad flumen Albim, qui Semnonum Hermundurorumque fines præterfluit, Romanus cum ſignis perductus exercitus.* STRABO *Lib. VII.* Μέγιστον μὲν τὸ τῶν Σοήβων ἔθνος. διήκει γὰρ ἀπὸ τοῦ Ῥήνου μέχρι τοῦ Ἄλβιος. μέρος δέ τι αὐτῶν καὶ πέραν τοῦ Ἄλβιος νέμεται, καθάπερ Ἑρμόνδοροι καὶ Λαγκόσαργοι, (Λαγκοβάρδοι) νῦν δὲ καὶ τελέως εἰς τὴν περαίαν οὗτοί γε ἐκπεπτώκασι φεύγοντες. *Maxima quidem Sueuorum eſt natio: nam & a Rheno ad Albim vsque pertingit, & trans Albim habitant pars eorum, vt Hermunduri & Longobardi: atque nunc quidem hi fuga facta omnino in vlteriorem regionem ſe coniecerunt.* SVETONIVS *in Auguſto Cap. XXI. Germanos vltra Albim ſummouit.* Ergo Tiberio ad Albim bellante, Longobardi adhuc cis hoc flumen coluerunt: mox vi Tiberii perterrefacti trans Albim ſe receperunt. CLVVERIVS Albi & Ora eos cis Albim circumſcribit; adeoque ipſis *Marchiam Antiquam Brandenburgicam*, & *Dannebergenſis comitatus* partem, tribuit. MENSO ALTINGIVS *in Expoſitione Tabulæ* PTOLMAEI *Germ. Magnæ*, qui & cetera loca, quæ hoc loco meminimus, interpretatur, *Luppiam*, quærit in poſitione loci, *Bernewitz* nomine: idque demonſtratione quodammodo declarari poſſe contendit, cum inſigni nota Luppiam Ptolemæus affecerit. Pagus *Bardingau* vrbem *Bardewick* habuit, & ſatis ille in medii æui monumentis clarus eſt. Vetus etiam in Pomerania vrbs *Barth* eſt, eamque quidam cupiunt Longobardorum principem vrbem fuiſſe. Sed de ea re iudicent alii.

& mendacii aperti conuicta sententia exsibilabitur. At, sunt tamen, qui, licet non negent, Augusti iam ætate Longobardos ad Albim coluisse, defendere interim originem ex Scandinauia sumtam concupiscunt. Sed eadem probabilitate, qua illi affirmant sua, nos eadem audacter negabimus. Demus, ostendi in Scandinauia nominis Longobardorum vestigia; non protinus ea testabuntur Longobardorum sedes, aut inde susceptæ migrationi fidem facient. Si potius variarum Germanicarum gentium nomina in Scandinauia repererim, inuertere argumentum semper malim, & opinari; ex Germania demum, postquam impleta esset populis, multas in Scandinauiam missas esse colonias, quæ vetus præcipuæ gentis nomen singulariaque instituta intulerint. Magis id per rationes plurimas, quas alio loco copiose expediemus, probabitur, quam ex Scandinauia tot claros Germaniæ prodiisse populos. Quod monui tamen, cum de Gothis agerem, nolo prorsus omnes ex Scandinauia migrationes negare; modo rationes idoneæ tueantur affirmandas expeditiones. Qui enim in Scandinauiam traiecere, aut a Sarmatia, aut a Germania, Germanici populi; videntur vtique eodem ac illi in migrationes prono animo fuisse, nec putantur minus copia virorum ruente ætate abundasse (*b*).

Germaniæ orientalis pars aquilonaris.

Certa eorum historia;

XXIX. Certa Longobardorum historia primum eorum cum Romanis bella commemorat. Fractos vero a Tiberio, & vltra Albim submotos esse, Velleius, Strabo, atque Suetonius, vno testantur ore. Deinde cum Maroboduus Marcomannorum rex Boiohœmum occupasset, in eius ditione Longobardi aliquandiu fuere. Mox pertæsum est Maro-

ANN. V. C. IↃCCXLV. ANT. C. N. VI.

(*b*) Fabulas ipsas, qui cupit, legat in PROSPERT *Chronico*, in PAVLI DIACONI *Lib. I. Hist. Longob. Cap. II. III. VII.* & in SIGEBERT *Prolegom. ad Chronographiam*, vbi *de regno Winilorum.* *WINILI* haud dubie *Longobardi* dicti, quia Vandalici erant generis, & Vandali Vindeli, & VVinili, dici consueuere. Hoc Vandalicum genus ignorantes auctores, duplex nomen, antiquius *Winilorum*, & recentius *Longobardorum*, sunt commenti.

Longobar- Marobodui tyrannidis, adeoque cum Semnonibus ad Armi-
di. nium Longobardi defecerunt, coniunctisque armis de domi-
ANN. XVII. natione Maroboduum depulerunt. Inde, quod Tacitus ait,
licet plurimis ac valentissimis nationibus cincti essent, per-
rexere tamen non per obsequium, sed præliis & periclitando,
tuti esse. Ipsas vicinas gentes quandoque bellis eos laces-
sisse, illud argumento bellum est, quod contra Cheruscos pro
ANN. XLVI. Italo rege fortiter gesserunt. Marco imperante, cum omnis
Sueuia se quasi foras prorueret, Longobardi etiam per fines
incertos profecti sunt ad Danubium, eoque transmisso inua-
serunt prouinciam. Fugati a Vindice atque Candido, du-
ANN. CLXVI. cibus Romanis, pacem per legatos a Romanis impetrarunt;
ingloriique exin per bina, & quod excurrit, secula in regio-
nibus non facile indicandis exegere ætatem. Primus autem
ANN. CCCLXXXIX. *AGILMVNDVS* rex imperatore Theodosio effecit, vt ma-
gni rursum Longobardorum nomen fieret. Fortassis cum
ante in Germania ignotis bellis attenuata atque imminuta
esset Longobardorum ciuitas; tum maxime ea ex humilitate
reualuit, cum, quod ipsam iam olim paucitas nobilitasset,
plures ad fœdus & nomen admitterent populos, etiam auctior
ANN. viris vno electo rege fortius arma tractaret. *Rugiland*, siue
CCCCLXXXVII. Rugiorum terra, primum cessit Longobardis, cum Odoacher,
Herulorum rex, Feletheum Rugiorum regem vicisset; sed
plenius, cum *TATO*, rex ipsorum, Rodulphum Herulorum
ANN. regem prostrauisset. *AVDOINVS* rex duxit Longobardos
IↃXXVI. suos in Pannoniam, quæ Ostrogothorum abitu in Italiam ab
habitatoribus satis deserta erat. Bello de Pannoniæ posses-
sione cum Gepidis orto Audoinus Turisendum, regem Ge-
pidarum, profligauit; & post vtriusque regis obitum iterato
ANN. bello *ALBOINVS*, Audoini filius, Cunimundum, Turi-
IↃLI. sendi filium, internecino prælio exstinxit, omnemque Gepi-
darum nationem, funditus destructo eorum regno, per va-
rios populos dispersit. Ex Pannonia Alboinus copias ad

Narsetem, qui tum bellum cum Totila, Ostrogothorum rege, administrauit, auxilio submisit; qua occasione primum Italia Longobardis est cognita. Paulo post, euerso Ostrogothorum regno, Longobardos suos ipse Alboinus, per Narsetem inuitatus, in Italiam duxit, potensque Longobardicum condidit regnum; cuius historia est extra nostri instituti metas (*x*).

Germaniæ orientalis pars aquilonaris.

ANN. DLXVIII.

atque formula regiminis.

XXX. Reges seriori ætate Longobardos habuisse, modo vidimus. Hoc est incertum, an antiquiori æuo regium imperium paruæ eorum ciuitati placuerit; vtrum solis principibus, duceque bellico, contenta plerorumque Germanorum more egerit? Quantum iudico, donec *AGILMVNDVM* regem Longobardi eligerent, ducis cuiusdam auspiciis bella tractarunt. Regem adpellarunt vnum ex nobilissima sua familia, quam *ADELINGAM* vocarunt; eiusque noui regis iura atque auctoritatem solenniter descripserunt: cum fœdere aliarum ciuitatum aucti ad maiora ausa regio imperio opus futurum esse statuerunt. Sub regibus, præsertim Italia iam occupata, fuere duces & comites; illi prouinciis, hi iudiciis,

(*x*) Belli cum Tiberio gesti, & Longobardorum fugæ, paulo ante testes VELLEIVM *Lib. II. Cap. CVI.* STRABONEM *Lib. VII.* & SVETONIVM *in Augusto Cap. XXI.* vidimus. In regno Marobodui Longobardi fuerunt; sed ad Arminium cum Semnonibus defecere, quod memorat TACITVS *Ann. II. Cap. XLV.* Inde illud TACITI *Germ. Cap. XL.* indicat Longobardorum statum liberum. Per eos Italus rex contra Cheruscos præualuit, teste TACITO *Ann. XI. Cap. XVII.* Theodosio imperante primus ab eis rex *AGILMVNDVS* electus, teste PROSPERO *in Chron.* & PAVLO DIAC. *Lib. I. Cap. XIV.* Belli cum Rugiis ab Odoachro administrati, post quod Rugorum patria Longobardis cessit, & mox etiam deinceps a *TATONE* Rodulphus prostratus est, historiam enarrat PAVLVS DIACONVS *Lib. I. Hist. Longob. Cap. XIX. XX.* Bellum cum Gepidis ab *AVDOINO*, & deinde ab *ALBOINO*, gestum describunt PAVLVS DIACONVS *Lib. I. Cap. XXIII. & XXVII.* PROCOPIVS *Bell. Goth. Lib. IV.* & SIGEBERTVS, qui *ad An.* IↃXLVII. Longobardorum extremam victoriam adnotauit, cum ab aliis Annus IↃLI. memoretur. Narseti auxilia submissa ab Alboino, mox eius beneficio integra Italia Longobardis, & Alboino regi, concessa. PAVLVS DIACONVS *Lib. II. Cap. I. V. VI. VII.*

Longobardi. diciis, cum auctoritate præsidentes. Omnibus imperauit rex, sed ita, vt nunquam popularis libertas periclitaretur; sed modo imperium defensionem & propugnationem communis libertatis persequeretur. Nec minus, quam inter Gothos, bonæ leges inter Longobardos valuerunt. Eas autem
ANN. IↃCXLV. primus *ROTHARIS*, cum ante sola memoria & vsu seruarentur, publicis litteris consignauit; vt, cum Barbari, tum Romani, quod lex loquitur, quibus iuribus agere debeant, cognoscerent. Ex vetustissimis Longobardorum institutis pugnam vnius cum vno acceptam, & in iudicia introductam esse, vt ea grauissimorum criminum, si testes deessent, euitaretur suspicio; id extremum in Longobardis obseruare libet (*y*).

(*y*) VVARNEFRIDVS quidem *Lib. I. Cap. XIV.* memorat, antequam *AGILMVNDVM* eligerent, habuisse eos ducem *IBOREM* & *AGONEM*, quibus egressi sint ex Scandinauia. Sed cum eo loco solas fabulas VVARNEFRIDVS enarrat, nec huic eius narrationi valde fides haberi potest. Elegisse reges suos ex nobilissima familia, facile GOTFRIDO VITERBIENSI, licet recentiori auctori, *Chron. Parte XVII. ad Ann.* IↃCCLXXVII. vbi historiam Longobardorum percenset, creditur. *Omnes reges illi,* inquit, *fuerunt Adelingi, id est, de nobiliori prosapia, quæ apud illos dicitur Adelinga.* PAVLVS VVARNEFRIDVS *Lib. I. Cap. XIV.* in electione Agilmundi; is dicitur *filius Agonis, ex prosapia ducens originem Guningorum, quæ apud eos generosior habebatur.* De constituta Longobardica re publica ex legibus Longobardicis & PAVLO DIACONO alibi differetur. Leges dedit *ROTHARIS.* PAVLVS DIACONVS *Lib. IV. Cap. XLIV. Rotharis rex,* inquit, *Longobardorum leges, quas sola memoria & vsu retinebant, scriptorum serie composuit, codicemque ipsum edictum adpellari præcepit. Erat autem iam, ex quo Longobardi in Italiam venerant, annus septuagesimus septimus, sicut idem in sui edicti testatus est prologo.* Singularis Longobardorum consuetudo, singulari certamine caussas probandi, ex eorum legibus adparet. Conf. SIGONIVS *Lib. II. de Regno Italiæ ad An.* IↃCXXXVI. Ad laudes Longobardorum, qui alias feris fuerunt asperisque moribus, pertinet, quod PAVLVS DIACONVS *Lib. III. Cap. XVI.* scribit: *Erat sane hoc mirabile in regno Longobardorum; nulla erat violentia, nulla struebantur insidiæ: nemo aliquem iniuste angariabat: nemo spoliabat: non erant furta, non latrocinia: vnusquisque, quo libebat, securus sine timore pergebat.* Habitum corporis & priscum Longobardorum vestitum, descripsit IDEM *Lib. IV. Cap. XXIII.*

CAPVT V.

ORIENTALIS GERMANIAE PARTIS MEDIAE VARIAE NATIONES.

I.

Semnonum veræ ſedes trans Albim.

SUpra Longobardos ad Albim Viadrumque in auſtri partibus habitarunt

SEMNONES;

quos *Senones* Velleius compellauit. Nomen vnde ſit ortum? non facile expedierim: nec auctorem probauerim, qui incepto argumento, de quo paulo dicemus poſtea, in Scandinauiam Semnones transfert, & inde nomen coniicit. Sedes eorum in Germania Transalbina auctorum veterum teſtimoniis probatiores ſunt, quam contra quas temere ſenſeris. Ptolemæus incoluiſſe, ait, trans Albim Semnones a medio fluuio & ſuperiora ad vsque Sueuum amnem, qui ipſi eſt Viader. Diſerte Velleius, Albim, dixit, Senonum Hermundurorumque fines præterfluere; hoc eſt diſtinguere, confiniaque vtraque ſeparare: Non autem ſoli Hermunduri *Albi* ſunt a Semnonibus ſeparati; ſed *ad Sala confluentes* Cheruſcorum etiam Cattorumque limites aduerſa ripa habuit. Inde cum Semnones ad Arminium & Cheruſcos defeciſſent, facilis per illorum agros Cheruſcis vicinis via ad Hercynios montes regnumque Marobodui patuit. Nempe ad *meridiem* montes Hercynii Semnones clauſerunt; quibus ſuperatis eam quondam gentem Maroboduus ſuæ adiecit ditioni. *Ab ortu* Ptolemæus ad Sueuum amnem Semnones produxit: indeque ad Viſtulam Burgundionum ciuitatem poſuit. Quod vero Tacitus Semnonum laudat amplitudinem, nemo Burgundiones in magnis gentibus retulit; inde malunt interpre-

Semnones. terpretes vltra Viadrum ad Vartam vsque Semnonum fines protrahere: id probabili, non certo tamen, argumento. *Ab hiberno ortu* Marſingi ad Hercyniam, Burii ad Viadrum, occurſaſſe Semnonibus perhibentur: ſed non heic auſim iuſtum limitem regionum dirigere. Qui Varta diuiſos Semnones & Burgundiones arbitrantur, hi *ad æſtiuum ortum* hos Semnonibus continuant. *Contra aquilonem* Longobardi Semnones prætexuere: illos enim Albis ſequutus curſum Tacitus medios inter Semnones & ſeptem ciuitates conſtituit. Probabilem eſſe opinionem, vt a Salæ confluentibus ad Vartæ confluentes Semnones habitauerint, tum affirmauimus, cum de Longobardis inquireremus. Qui, quod Semnonibus Tacitus centum pagos tribuat, omnem Longobardorum regionem ſimul in Semnonum antiquam ditionem imputant, hosque ad Spream atque Hauelam & vltra coluiſſe contendunt; minime ſuam antiquitati contrariam ſententiam probare poſſunt. Longobardis ſua eſt aſſerta ſedes. Et Semnonum nunc ſatis probati fines ſunt; poſſuntque centum pagi Semnonum apud Tacitum in eodem haberi numero, quo centum pagos Sueuorum ſeu Cattorum Cæſar habuit (z).

LIll 3 II. In

(z) TACITVS *Germ. Cap. XXXIX. Vetuſtiſſimos ſe nobiliſſimosque Sueuorum Semnones memorant.* STRABONI *Lib VII.* in populis, qui fuerunt in Marobodui regno, nominantur Σέμνωνες; PTOLEMAEO *Lib. II. Cap. XI* Σέμνονες. VELLEIVS *Lib. II. Cap. CVI. Senones* adpellat; *Albimque flumen*, dicit, *Senonum Hermundurorumque fines præterfluere.* Vocabulum quidem poſterius omnes reprobant interpretes; & vitium librarii incuſant; me autem opinante facile id magis ſit genuinum, quam vulgare alterum, gentis nomen. De ſedibus præter VELLEIVM, qui Albim medium inter Hermunduros & Semnones conſtituit, audiendus PTOLEMAEVS. Τῶν δὲ ἐντὸς καὶ μεσογείων ἐθνῶν μέγιστα μέν ἐστι, τὸ δὲ τῶν Συήβων τῶν Ἀγγιλῶν. οἱ εἰσιν ἀνατολικώτεροι τῶν Λαγγοβάρδων ἀνατείνοντες πρὸς τὰς ἄρκτους, μέχρι τῶν μέσων τοῦ Ἄλβιος ποταμοῦ. καὶ τὸ τῶν Συήβων τῶν Σεμνόνων. οἵ τινες διήκουσι μετὰ τοῦ εἰρημένου μέρους πρὸς ἀνατολὰς, μέχρι τοῦ Συήβου ποταμοῦ. *Populorum introrſus mediterranea incolentium maximi ſunt iſti: Sueui Angili; orientaliores, quam Longobardi; vergúntque verſus ſeptentriones, vsque ad mediam Albin: dein Sueui Semnones, qui trans Albim colunt, ab dicta amnis parte verſus orientem ad vsque Sueuum flumen.* Quæ errat hoc loco PTO-

Clara in Semnonibus loca.

Germania orientalis pars media.

II. In Semnonibus *Bunitium* & *Budorigum*, loca Ptolemæo memorata, nonnulli inueſtigarunt. Mauult alius, quem ſupra ſequuti ſumus, Bunitium in Rugiis ex Ptolemæi poſitione quærere. Idem vero auctor Budorigum Semnonibus relinquit, vt tamen trans Viadrum remoueat, cum alii cis illum fluuium locauerint. Addit ex Ptolemæi celebribus Germaniæ nominibus, quæ in Semnonum cadant fines, *Lupfurdum*, *Stragonam*, *Lugidanum;* quibus omnibus inter Albim

LEMAEVS, non moramur. Obſeruamus vero, quod Anglos inter maximos populos numeret, & ad vsque medium Albis ſedes eorum proferat; videri reliquas ſex ciuitates ſocias ſimul præcipuæ nationis, Anglorum videlicet, nomine complexum eſſe. Ceterum recte *SEMNONES* PTOLEMAEVS trans Albim ponit, & Longobardis vicinos facit. Confinium Cheruſcorum ſimul & Hercyniorum montium creditur TACITVS *Ann. II. Cap. XLV. XLVI.* declarare. *Non modo Cheruſci ſociique eorum, vetus Arminii miles, ſumpſere bellum: ſed e regno etiam Marobodui Sueua gentes, Semnones ac Longobardi, defecere ad eum.* Deinde; *Non alias maiore mole concurſum, neque ambiguo magis euentu, fuſis vtrimque dextris cornibus. Sperabaturque rurſum pugna, ni Maroboduus caſtra in colles ſubduxiſſet. Id ſignum perculſi fuit: & transfugis paulatim nudatus in Marcomannos conceſſit.* Orientis fines, & modo PTOLEMAEVS ad Sueuum, ſeu Viadrum produxit, & ſtatim addidit Burgundionum ab ortu collimitium. *Καὶ τὸ τῶν Βεργυντῶν τὰ ἐφεξῆς, καὶ μέχρι τῦ Οὐϊςούλα, κατεχόντων. Dein gens Burgundorum, qui cetera tenent ad Viſtulam vsque.* Quo argumento contra PTOLEMAEVM ad ortum Semnones proferantur, commentatio exponit. Nempe ait TACITVS *Germ. Cap. XXXIX. Adiicit auctoritatem fortuna Semnonum. centum pagis habitantur: magnoque corpore efficitur, vt ſe Sueuorum caput credant.* Burgundiones vero TACITVS omnino ſilentio transmittit. PLINIVS & STRABO non admodum eorum magnitudinem celebrarunt. Limites ſingulares CLVVERIVS *Lib. III. Cap. XXV.* hos fere Semnonibus tribuit: ab *occaſu ſolis æſtiui* Albim, a Boiohœmo ad Salæ vsque confluentem; a *ſeptentrione* lineam, a Sala cum Albi confluente ad Vartam cum Viadro confluentem ductam; indeque ipſum Vartam amnem, ad oppidum vsque Poloniæ *Szrzoda:* ab *ortu biberno* lineam ab illo oppido ad Boiohœmica vsque iuga & fontem Giſerræ: & a *meridie* demum ipſa illa montium iuga a Giſerræ fonte ad Albim. Quibus hodie finibus continentur, *Poloniæ Maioris* pars, inter Vartam atque Viadrum, atque in ea magnifica vrbs *Poſenanium; ducatus Crosnenſis; regio Sternbergenſis; Sileſiæ* pars, qua oppida celebria, *Glogavv, Sagan, Sprottavv, Soravv; Luſatia; Marchia Brandenburgica* portio, qua oppida *Francford* & *Treuen-Prietzen; Anhaltini principatus, Saxoniæ* item *ſuperioris*, & *Misniæ*, partes trans Albim.

Semnonum bim Viadrumque locus fieri debeat, quorumque de locis hodieque claris commoda detur interpretatio. An *Semana silua* Semnonum referat nomen atque sedes? haud facile iudicauerim. Non foret tamen prorsus absonum, si putauerimus, Albim quondam in propinquam siluam Semnonum transiisse coloniam; indeque nomen natum esse. Quæ vrbes villæque Germanicam vocem *Sonnen* suo nomine in priscis Semnonum regionibus hodieque ostendunt; eas omnino coniecerim veras Semnonum testari sedes; sed a *sole* succedente ætate adpellatas esse, quod alia nominis origo vulgo ignoraretur. Habet ceteroquin clarus quidam auctor plurima nomina villarum, siluarum, montium, quæ omnia Semnonum veram regionem in *Scandinauia* indagandam esse declarent. Sed si nominum similitudo euincitur, minime inde colligi potest, quasi Semnones & ipsi ibidem egerint, vbi exstant æqualia nomina. Omnis antiquitas pro Semnonum Transalbina prouincia facit; nullus auctor Scandinauiæ Semnonum meminit: vnde merito sententia inconcinna ab historia iubetur facessere (*a*).

III. Verum sciri meretur, cur, præter alias illustres nationes, Semnones præsertim suæ Scandinauiæ iuerit assertum, ille Scandicarum laudum permirus ostentator. Nempe stat ipsi sententia, *beatissimam* quondam *tellurem*, *Deorumque & heroum omnium patriam*, *Scandinauiam* exstitisse. Omnia clara-

Causa, cur aliquis in Scandinauiam Semnones traduxerit.

(*a*) CLVVERIVS *Buuitium* atque *Budorigum* Semnonibus tribuit, sed vt hodierna locorum non indicet vestigia. *Buderigum* MENSO ALTINOIVS quærit in Posnariensis Palatinatus oppido, *Bukowiecz*. Idem *Lupfurdum* ponit ad traiectum vadosum Leipæ amniculi, vbi oppidum eiusdem regionis fere cognominis reperitur. *Stragonam* & *Lugidunum* idem ex PTOLEMAEI rationibus de oppidis *Sagan* & *Lignitz*, interpretatur. *Semana silua* supra ex PTOLEMAEO meminimus. Aemula *Semnonum* nominis in eorum priscis sedibus vocabula monstrant vrbes *Sonnenwald* in Lusatia, *Sonnenberg* in Sternbergensi agro ad Vartam; quasi *Semnenwald* & *Semnenberg* fortassis quondam adpellata. Semnones multis indiciis in Scandinauiam transtulir OLAVS RVDBECK *Atlant*, *Cap. XXIV. fol.* IↃXCIX. *sequ.* vbi etiam, quæ nostra persequitur commentatio, copiose ab OLAO exposita repereris.

clararum gentium incunabula in Scandinauia perveſtiganda esse, indeque illas in reliquum terrarum orbem prodiisse, arbitratur. Vult ad feram ætatem *ſummum dominum*, atque *regem*, egiſſe *in Scandinauia*, eiusque imperio omnes in Europa, & maxime in Germaniæ continenti, nationes regesque ſubfuiſſe; partem gentium, vt *Teutonos*, *Danos*, *Vitas*, *Dacos*, *Sarmatas*, *Slauos*, *Lydos*, quosque alios, ipſis ſuis nominibus, ſi ex Suecica lingua explicentur, *priſca ſeruitutis*, illi maximo Scandinauiæ imperatori quondam debitæ, notas oſtendere. Non inuenit, niſi Semnones noſtros, inter quos malit ſuum omnium rerum dominatorem verſatum eſſe: cum ſcilicet ea de illorum ſacro cultu Tacitus memorauerit, quæ, ſi ad Scandiæ ſupremum regem referantur, apprime huius gloriam augere atque probare poſſe, ipſi viſa ſunt. Ergo Semnonum nomen de *viris principibus* & *optimatibus* interpretatus eſt; quod Taciti Semnones ſe vetuſtiſſimos, & nobiliſſimos, Sueuorum memorauerint. Ergo & Semnones in Scandinauiæ regionem, quæ *Vplandia* hodie vocatur, & in qua ſemel ſui regis regum ſacram conſtituit regiam, tranſtulit, eosque comites & miniſtros maximi regum fuiſſe iudicauit. Iam, ait, omnem religioſum cultum Semnonum, cuius meminerit Tacitus, reſpicere venerationem, qua omnes nationes, miſſis quotannis legationibus, ſuum principem proſequutæ fuerint. Primum, inquit, in ſilua, auguriis patrum, & priſca formidine, ſacra, quæ prope *Vpſaliam*, vetuſtiſſimam vrbem, & principis quondam regiam, quærenda ſit, eſſe conuentum; cæſoque publice homine barbari ritus horrenda primordia eſſe celebrata. Inde, contendit, cultus, quem principi præſtiterint, rationes a Tacito deſcribi: neminem, niſi vinculo ligatum, ingreſſum ad regem eſſe, vt minorem, & poteſtatem numinis præ ſe ferentem; ſi quis forte prolapſus ſit, attolli & inſurgere haud fuiſſe licitum, ſed per humum euolutum eſſe. Poſtrema Taciti, maxime de rege, qui Deus vocetur,

Germania orientalis pars media.

Semnones. vocetur, accipienda esse cupit: quasi eo omnis superstitio respexerit, tanquam inde, hoc est, ex Scandinauia, initia omnis gentis; ibi regnatorem omnium Deum, regem videlicet omnium regum; cetera, in omni non solum Germania, sed & in Europa reliqua, subiecta & parentia. En Deus e machina; cum aliunde ille Scandinauiæ magnus rex nullam ex antiquitate auctoritatem sperare posset! Igitur e re fuit egregii opinatoris, suæ Scandinauiæ adserere Semnones, vt saltem sua mirari commenta posset impensius. Bellissimam fabulam iam existimet se legisse, qui ad seria festinantis breui iudicio de illis narratibus præstolatur (*b*).

IV. Historia nostrorum Semnonum videtur semper valdeque a bonis auctoribus deserta esse; si cum nuperis quibusdam Gallis priscum Gallorum nomen solis Cisrhenanis relinquemus. Si, quod satis probauimus, vetusti Galli, qui antiquitus in Italiam inuaserunt, Romamque diripuerunt, maxime Germani fuerunt, & ab extremis Germaniæ aduentarunt oris; tum saltem antiquissima Semnonum gloria adprobabitur, cum diserte in illis Gallis *Senones* memorentur, hique fuerint præcipui, quorum virtute Romanum nomen tantum non deletum est. Noui, omnes pro Gallis, & quidem Cisrhenanis, Senones, Romæ victores, communiter habere. Cum autem *Gallorum* nomen non minus *Germanorum*

Vetusta Semnonum gloria.

(*b*) Adfert OLAVS varia Sueo-Gothica vocabula, quibus diuersa gentium nomina seruitutis indiciorum damnare conatur. *Teutones* sunt ipsi *Serui*; *Lydi, obedientes*; *Dani* rursus *Serui maritimi*; *Vitæ, excubitores*; *Daci* iterum *serui, & famuli*; *Sarmatæ, regii homines*; *Slaui* ab oneribus portandis dicti, *infimi serui*. *Lydi* in Phrygia, & *Lybii* in Africa, *populi in seruitutem redacti*. Reperi nuper THORMODVM TORFAEVM *Rer. Norweg. eruditissima historia Part. I. Lib. I. Cap. VII.* *Noruegos* suos *Danosque* in RVDBECKIO egregie vindicasse, & non fine iniuria gentium nomina in pessimam ab eo partem versa esse, demonstrasse: nam & *Noruegos* de *infimæ sortis hominibus* RVDBECKIVS interpretatus erat. Et merentur profecto ceterorum etiam nationum laudes, vt data occasione illatas iniurias & alii eruditi scriptores vlciscantur.

norum antiquitus commune fuerit; cum *Hyperboreos* Græci, & ab extremo oceano aduenas Romani, illos *Gallos*, qui in Italiam penetrarunt, adpellauerint; cum *Senonum duces*, qui nominantur, Germanica nomina gesserint; cum ipsi *Senones* Germanicis moribus atque institutis fuerint vsi; cum vetus causæ consentiat rerum memoria; cum demum ipsos nostros *Semnones* Velleius prisco *Senonum* nomine compellauerit: per tot ego rationes iunctas non vereor, nostris Semnonibus captæ Romæ vetustam tribuere gloriam, hosque veros Senones dicere. Diuerso loco ex dignitate materiæ integra exponetur historia. Hic sufficit vindicasse Semnonibus claram expeditionem, quam cum aliis Germaniæ populis, fortassis cum Cimbris Teutonisque æuo antiquissimo peregere. Romano Semnones æuo nobilissimi quidem Sueuorum sunt habiti, nullis tamen rebus gestis, quantum nos Romana docet historia, valde illustrati sunt. Tiberius pugnando ad eorum peruenit fines, nunquam in eos transiit. Fuerunt deinde aliquandiu in Marobodui regno. Mox a Maroboduo ad Arminium defecere, & cum hoc contra dominum suum priorem bellum administrarunt. Exin audiri prorsus desiit Semnonum nomen. Semel, cum Probus bellaret cum Logionibus *SEMNONIS*, ducis, filiique eius, fit mentio; quod, vtrum societatem belli Semnonum cum Logionibus indicet, est incertum. Itaque Semnonibus, quod Cimbris, quod Teutonis, accidit; vt, cum ante summa gloria corruscassent, inglorii deinceps multa quiete consenuerint, & vel nomine tenus fuerint ignorati. Censeo, cum omnis Germania in gentium fœdera esset prona, tum etiam Semnones, suo posito nomine, in aliud fœderis insigne transiuisse. Si quæris illud fœdus: ingenue, illud me nescire, fateor. Opinabile tamen est, aut in *Longobardorum*, aut in *Burgundionum*, nomine *Semnones* demum delituisse. Vtraque nomina exiguos ante sonarunt ciuitates; vtraque inde quam maxime illustrata

Germania orientalis pars media.

ANN. V. C. CCCLXVI. ANT. C. N. CCCLXXXV.

Recentiora gentis fata.

ANN. V. C. IDCCXLV. ANT. C. N. VI.

ANN. XVII.

ANN. CCLXXX.

Semnones. illustrata sunt, & amplissima visa. Fœdera hic subfuisse, nemo non videt. Demus proinde Semnones aut Longobardis, aut Burgundionibus: non multum errabimus, nec quidquam statuemus veræ historiæ aduersum. Mittimus vero eos, quos diuersæ nationis societati tradidimus; cum æquabilia fere vno inter se nomine sociatorum populorum fata fuerint (*c*).

V. Ex solennibus Semnonum institutis, si sacra a Tacito descripta exceperis, nihil ad nostram memoriam peruenit. Sacra eorum Tacitus memorauit, & paulo ante pleraque ex eo, licet ea prorsus in alium sensum quidam auctor distorserit, narrauimus. Fuit silua auguriis patrum & prisca formidine sacra, in quam statuto tempore omnes eiusdem sanguinis populi legationibus coiuere, cæsoque publice homine celebrarunt barbari ritus horrenda primordia. Fuit & alia luco reuerentia. Nemo, nisi vinculo ligatus, ingressus eam est; vt minor & potestatem numinis præ se ferens. Si forte **Sacra Semnonum solennia.**

(*c*) Iam alibi persequuti sumus argumenta, quibus *SENONES* Galli videantur posse nostris *SEMNONIBVS* vindicari. De nominibus instisutisque Senonum, quæ Germanicam loquantur stirpem, alio loco agetur. Iam vero vetustior paulo sententia nostris Semnonibus captæ Romæ gloriam vindicauit. Conf. GOTFRIDVS VITERBIENSIS *Chron. Parte IX. ad An. V. C. CCCLXIV.* MVTIVS *Germ. Chron. Lib. I. & II.* PHILIPPVS MELANCHTON *in Vocab. Reg. & Gent. Germ.* HENR. BEBELIVS *de Vet. Germ. Encom. Cap. XIIX.* CONRADVS PEVTINGERVS *de Germ. Serm.* ANDR. ALTHAMERVS *in* TACITI *Germ. Cap. XXXIX.* omnes in PISTORII *Tomo II.* & SCHARDII *Tomo I.* collecti auctores. JOH. AVENTINVS *Ann. Boi. Lib. I. Cap. IX.* De Tiberii in Semnones vsque prolata expeditione VELLEIVS *Lib II. Cap. CVI. A Rheno*, inquit, *ad flumen Albim, qui Semnonum Hermundurorumque fines præterfluit, Romanus cum signis productus exercitus.* In Marobodui regno Semnones, *τῶν Σοήβων αὐτῶν μέγα ἔθνος Σέμνωνας*, STRABO *Lib. VII.* ostendit; & ab eo ad Arminium eos defecisse, atque cum Maroboduo deinceps bellasse, TACITVS *Ann. II. Cap. XLV. XLVI.* perhibet. Probi bellum cum *Logionibus*, in quo dux eorum *Semno* cum filio captus est, memorat ZOSIMVS *Lib. I.* *Σέμνωνα ζωγρήσας ἅμα τῷ παιδὶ τὸν τούτων ἡγούμενον. Semnonem, eorum ducem, vna cum filio viuum in potestatem red git.* Fœderis, quod Semnones complexum esse videatur, ratione paulo infra monebimus; videri extremum *Sueuicum* esse fœdus, quod *Sen nones* in Galliam simul atque Hispaniam rapuerit,

prolapsus est, attolli, & insurgere, non licitum fuit; per humum euoluti sunt. Eoque omnis superstitio respexit, tanquam inde initia gentis, ibi regnator omnium Deus, cetera subiecta & parentia. Quis ille fuerit in Semnonibus Deus, quem tanto cultu in præcipuo nemore coluerunt Sueui? non nisi ex initiis gentis, quorum meminit Tacitus, colligo. Puto summum Deum, qui in Marsis *Tanfana*, quique in sociatis ciuitatibus *Hertbum*, vocatus est, in cultu etiam fuisse apud Semnones, tanquam vnam gentis originem, conditoremque. Ceterum fidem Tacitus facit, vt Semnones sacrorum tenuerint principatum, ita & eosdem Sueuorum se caput credidisse, magnoque corpore effecisse, vt pro tali haberentur. Addit, centum pagis habitatos esse Semnones; quod, quomodo accipiendum sit, supra monuimus. Hæc scribenti vero in mentem occurrit, probabile esse, vt, cum SEMNONES se caput Sueuorum crediderint, nouissime ipsi, singulari suo posito cognomento, longe celeberrimam SVEVORVM in Galliam & Hispaniam cum Vandalis migrationem fecerint. Alias cum Semnonibus ciuitates videri in illo Sueuorum migrantium numero fuisse, non negabo; sed nemo eas iuste designauerit, quæ in Sueuorum, aut quæ in Longobardorum, Burgundionumque, fœdere patrium solum verterint. In bellis ducem Semnonibus præfuisse, illa Semnonis ducis memoria fere suadet. Rex Semnonum nullus nominatur; sed, quod a Maroboduo defecere, suadet, regii eos imperii fere impatientes fuisse. Cuicunque ast societati Germaniæ populorum extremum accesserint, constat regiam potestatem eos adprobasse; cum ea demum omnibus Germanicis nationibus communiter placuerit (*d*).

Germania orientalis pars media.

Semnones fortassis Sueui Gallici & Hispanici.

Res eorum publicæ.

VI. Inter

(*d*) Genuina TACITI *Germ. Cap. XXXIX.* verba adscribere visum. *Vetustissimos se nobilissimosque Sueuorum Semnones memorant. Fides antiquitatis religione firmatur. Stato tempore in siluam auguriis patrum & prisca formidine sacram, omnes eiusdem sanguinis populi legationibus coëunt, cæsoque publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia. Est & alia*

Burgundiones.

VI. Inter Vartam & paulo vltra Notesium amnes, infra Semnones & Burios, ponunt antiquitatis interpretes priscos

Burgundionum situs demonstratus.

BVRGVNDIONES;

quos variis vocabulis insigniri postea docebimus. Tam angustos eis limites adscribunt, quod exiguam existiment primitus fuisse ciuitatem, cuius ne Tacitus quidem, cetera accuratus Germanicarum rerum scriptor, meminerit. Sedes autem inter Logiones, Gothones, Carinos, atque Semnones, eis constituunt; quod eos Plinius in Vindelis cum Carinis atque Gothonibus coniungat; quod ipsi cum Logionibus atque Semnonibus, scribente Strabone, in Marobodui fuerint regno; quod & a Gepidis, Gothorum reliquis, legantur fuisse debellati, antequam illi in Sarmatiam migrarent; quod denique cum Logionibus Probo imperante ad Rhenum penetrauerint: quæ omnia doceant, reliquis regionum finibus aduersis gentibus occupatis, vtique esse concedendos Burgundionibus modo indictos agros. Ptolemæus a Sueuo amne ad Vistulam vsque suos *Buguntas*, quos nostros Burgundiones esse quilibet cernit, locauit. Sed diximus alibi rationes, cur Semnones ad Vartam vsque producere, & vltra demum Vartam Burgundiones ponere, placuerit. Succedente ætate Carinos Sidinosque in Burgundionum ciuitatem imputatos, Burgundionesque ista accessione auctos esse; non male a multis iudicatur. Hinc poterit peti causa, cur alioqui parua ciuitas tot migrationibus suscipiendis exinde suffecerit. Siquidem pars Burgundionum cum Gothonibus Vistulam transiit, & cum iis in Sarmatia egisse legitur; pars de-

 inde

luco reuerentia. Nemo, nisi vinculo ligatus ingreditur, vt minor, & potestatem numinis præ se ferens. si forte prolapsus est, attolli & insurgere haud licitum. per humum euoluuntur. eoque omnis superstitio respicit, tanquam inde initia gentis, ibi regnator omnium Deus, cetera subiecta atque parentia. Adiicit auctoritatem fortuna Semnonum. centum pagis habitantur: magnoque corpore efficitur, vt se Sueuorum caput credant.

inde cum Logionibus ad Rhenum penetrauit: & denique fatis exstitit magna Burgundionum, cui Cattorum Alemannorumque primum ager, mox Galliæ opima portio, cessit. Verum, qua ratione in Germania sancitis fœderibus modo prolatata eorum fuerit regio, modo coangustata; id distincte, & partite velle definire, cum omnis sileat historia, plus quam temerarium futurum esset (e).

Germania orientalis pars media.

Variatio Burgundionum nominis.

VII. Superare varia Burgundionum nomina, quibus passim auctores vtantur, iam modo diximus. Ptolemæus tot portenta nominum, quæ omnia videntur Burgundionibus deberi, affert, vt non inepte ex iis, nisi prorsus omnia librariorum manus vitiauerit, de solenni nominis priscos inter variatione iudicium feceris. Habet *Buguntas*, *Butuntas*, *Buntuntas*, *Corcontos*, & *Frugundiones*; quorum maximam partem in Germania, partem in propinqua Vistulæ Sarmatia, collocauit. Alii scriptores legunt *Burgundos*, & *Burgundios*, *Burgundos*, *Vrugundos*, & *Burgondos*, *Burguntiones* item, atque *Burgundiis*, ad Vistulam vsque habitantibus, modo ante audiuimus.

(e) PLINIVS *Lib. IV. Cap. XIV. Vindeli, quorum pars Burgundiones, Varrini, Carini, Guttones.* STRABO *Lib. VII.* in populis a Maroboduo superatis habet Λυΐους τὸ μέγα ἔθνος, καὶ Ζύμους, καὶ Βύτωνας, καὶ Μυγίλωνας, καὶ τῶν Συήβων αὐτῶν μέγα ἔθνος Σίμνωνας. Vitiata hæc vocabula commode castigarunt interpretes, & optimis coniecturis restituerunt Λουγίους, Γούτωνες, Βουργουνδίωνας; vnde cum simul sedes Lugiorum, quos STRABO vocat, & Semnonum respexeris, confinia *BVRGVNDIONVM* satis adparent. A Gepidis duce Fastida debellati Burgundiones, teste IORNANDE *de Rebus Geticis*. Ad Rhenum penetrasse cum Logionibus, ZOSIMVS *Lib. I.* habet. Vtrumque rursus Gepidarum & Logionum confinium declarat. PTOLEMAEI *Lib. II. Cap. XI.* testimonium de *Buguntis*, siue *Burgundiis*, ad Vistulam vsque habitantibus, modo ante audiuimus. Τὸ τῶν Βυγουντῶν (Βουργουντῶν) τὰ ἐφεξῆς καὶ μέχρι τοῦ Οὐιστούλα, κατεχόντων. *Semnones*, dixit, *habitant ad vsque Sueuum fluuium, & protenduntur*, addit, *ad Burgundos, qui cetera tenent, quæ inde subsequuntur, vsque ad Vistulam fluuium.* Iam his consideratis indiciis, CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. III. Cap. XXXVI.* recte eos concludi arbitratur, Varta Notesioque amnibus ad lacum vsque *Goplo*, & Asciburgium montem, qui inde ad austrum longe procurrat: vt adeo habitauerint *Maioris Poloniæ* inter dictos fluuios portionem. *Sidinorum Carinorumque* ciuitates simul *Burgundionum* fœderi accessisse, est credibile; sed, vt nouos iam fines Burgundionum comminiscamur, minime opus.

Burgun-dius. *Burguziones:* iterumque plerique sua nomina de Germanica gente interpretantur, solus Agathias suos Burugundos Scythicam nationem nominat. Diaconus *Wurgundhaim* regionem memorat, per quam Longobardi quondam peruaserint; & videtur ea Burgundionum sedes referre, qui fortassis & *Wurgundi* olim sunt adpellati. Est tamen optima vox *BVRGVNDIONVM*, quam & plerique auctores probarunt, & ipsa lex nationis tenuit. Vnde natum sit nomen; & quæ eius vis sit atque potestas? haud facile dixerim. Quidam Romani fabulam narrarunt, quasi Romanorum sint satu orti Burgundiones, & a crebris habitaculis, quæ *Burgos* vocauerint, nomen acceperint. Alius atque alius mutauit auxitque fabulam, vt fieri solet, vbi semel ad nugas ventum est. Acceperunt quidam *Burgundiones a Sugambris & Cattis* cis Rhenum traductis, qui reuersi in patriam & Romanis nominibus Sunicorum & Gugernorum rursum positis, nouum sumserint Burgundionum. Gallus aliquis Gallos fuisse affirmauit, & ante Plinii ætatem in Germaniam concessisse, vbi sumto ex Gallica lingua cognomento, fuerint Burgundiones dicti. Meræ nugæ. Possunt Burgundiones a *Burgis*, quos in limitibus suæ regionis posuerunt, adpellati esse; namque & finium regundorum inter eos curam impensam limitarium lapidum apud Ammianum facta mentio testatur: non est tamen opus, miras nominis populique origines temere comminisci, vt incertum vocabulum explicetur. Dissentiunt præterea eruditi *de genere Burgundicarum ciuitatum.* Sunt, qui Frugundiones Ptolemæi, & Burgundos Agathiæ, Scythas Sarmatasque fuisse contendunt; quod negant diuersi, & omnia vocabula memorata vnam eandemque Germanicam gentem respicere cupiunt. Lite accuratius examinata non dubito accedere Germanicum genus omnium Burgundionum adstruentibus. Scilicet insolens nihil est, Germanos Scythas vocari, quod modo in Gothis vidimus. *Gothica &*

ciuitas

De nominis origine.

Num Burgundiones Germaniæ & Burgundi Sarmatiæ diuersi?

ciuitas Burgundiones habiti ſunt, quod pars cum Gothis Viſtulam tranſiuiſſet; vnde eodem in numero cum Gothis eos relatos eſſe, nil mirum. Quod etiam Ptolemæus Frugundiones, ſiue Burgundiones, Agathias Burgundos, in Scythis numerarunt; ille diſſenſus auctorum in nominibus iam ſatis probat, non tam Scythicam eorum adpellationem ad ſignificandam gentis ciuitatem, quam ad ſignandam Scythicam ſedem, pertinuiſſe. Poſſe autem Burgundiones Scythas recte vocari, nec minus pro Germanis haberi, quod omnes Scythæ, nominis eorum poteſtate Germanica atteſtante, Germani fuerint; minime eam de Burgundionum genere deciſionem ingenioſo cuipiam viro conceſſerim (*f*). *Germania orientalis pars media.*

IIX. Re

(*f*) PTOLEMAEVS *in Germaniæ deſcriptione* nomen *BVRGVNDIONVM* varium adfert. Habet Βουγούντας, aut, quam vocem habent alii codices, Βυτούντας; vsque ad Viſtulam colentes. Paulo poſt ait: Ῥουτικλέιοι δὲ καὶ Βουτουντῶν Αἰλουαίωνες. deinde ὑπὸ δὲ τοὺς Βυγούντας Λόγγοι οἱ Ὀμανοί. *Inter Rutiklios & Buntuntas Aeluones. - - - Sub Buguntis vero Longi Omani.* Iterum, ὑπὸ τῷ Ἀσκιβουργίῳ ὄρει Κορκοντοὶ, καὶ Λοῦτοι οἱ Βοῦροι, μέχρι τοῦ Οὐιστούλα ποταμοῦ. *Sub monte Aſciburgio Corcontæ, & Luti, dicti Buri, vsque ad Viſtulam fluuium.* In Sarmatiæ deſcriptione ſic habet: Ἐλάττονα δὲ ἔθνη νέμεται τὴν Σαρματίαν, παρὰ μὲν τὸν Οὐϊστούλαν ποταμὸν ὑπὸ τοὺς Οὐενέδας, Γύθωνες· εἶτα Φίννοι· εἶτα Βούλανες· ὑφ᾽ οὓς Φρουγουνδίωνες· εἶτα Ἀυαρηνοὶ, παρὰ τὴν κεφαλὴν τοῦ Οὐιστούλα ποταμοῦ. *Minores autem nationes Sarmatiam incolunt, apud Viſtulam flumen ſub Venedis Gythones; dein Finni, dein Bulanes; ſub quibus Frugundiones; dein Auarini, apud fontem Viſtulæ.* Omnia profecto illa vocabula, quod ſitus indicant, vnam gentem *Burgundionum* notant. Fortaſſis varium in auctoribus gentis nomen PTOLEMAEVS legit, & de variis inde etiam populis illa diuerſa vocabula interpretatus eſt. Fortaſſis Burgundionum pars iam trans Viſtulam mouerat, vt adeo ibi eos PTOLEMAEVS recte poſuerit. Sane vero, cum Gythones & Auarinos retrahendos cis Viſtulam auctores cupiant, facile etiam, male trans Viſtulam a PTOLEMAEO poſitos eſſe Burgundiones, opinemur. Præter PTOLEMAEI crebram variationem, *Burgundiones* noſtros apud AMMIANVM *Lib. XIIX. Cap. II.* & *Lib. XXVIII. Cap. V. Burgundios*, & *Burgundos*, dictos reperimus. CL MAMERTINVS *Genethl. Maximiano Herculeo Cap. XVI. Gothi*, inquit, *Burgundios penitus exſcindunt. Rurſum pro victis armantur Alemanni.* Mox, *Burgundiones Alemannorum agros occupauere, ſed ſua quoque clade quæſitos. Alamanni terras amiſere, ſed repetunt.* AGATHIAS *Lib. V.* Βουργούνδους, *Burugundos*, in Scythis memorat. ZOSIMVS *Lib. I.* habet Οὐργουνδοὺς, &, interiectis aliquot

Burgundiones.

IIX. Re nulla memorabili in primis Burgundionum in Germania ditionibus occurrente, addimus illico nationis celebrium migrationum nouarumque sedium positarum enarrationem. Burgundionum ex antiquis, si exceperis Plinium capitibus, Βουργούνδους; *Vrugundos*, & *Burgondos*. OLYMPIODORO sunt Βουργουντίωνες, *Burguntiones*; PROCOPIO *Goth. Bell. Lib. I.* & AGATHIAE *Lib. I.* Βουργουζίωνες, *Burguziones*; & eidem AGATHIAE paulo post Βουργουνζίωνες, *Burgunziones*. DIACONVS *Lib. I. Rer. Longob. Cap. XIII.* *Wurgondaib, regionem, Longobardos aliquamdiu possedisse*, ait: vnde putatur gens etiam dicta esse *Wurgundar*. Optima vtique vox *Burgundionum* est, quam plerique agnoscunt auctores; MAMERTINVS *Panegyr. Maximiano Cap. V.* OROSIVS *Lib. VII. Cap. XXXII. & XXXVIII.* ISIDORVS *Lib. IX. Cap. II. & IV.* IORNANDES *in Geticis*, DIACONVS *in Longobarditis rebus* passim; GREGORIVS TVRONENSIS & cum eo omnes fere medii aeui historici. Quod praesertim ipsa vetus *gentis lex* nomen *Burgundionum* adprobat, non puto aliud vocabulum isti recte praeferri. Fabulosam originem *Burgundionum* indicare videtur AMMIANVS *Lib. XXIIX. Cap. V.* cum dicit; *quod iam inde temporibus priscis subolem se esse Romanam Burgundii sciunt.* Copiose eam exsequitur famam OROSIVS *Lib. VII. Cap. XXXII. Burgundionum*, inquit, *nouorum hostium nouum nomen, qui plus quam LXXX. M. vt ferunt, armatorum ripa Rheni fluminis insederunt. Hos quondam subacta interiore Germania a Druso & Tiberio, adoptiuis filiis Caesaris, per castra dispositos, aiunt, in magnam coaluisse gentem: atque ita etiam nomen ex opere praesumpsisse, quia crebra per limitem habitacula constituta Burgos vulgo vocant: eorumque esse praeualidam & perniciosam manum, Galliae hodieque testes sunt, in quibus praesumpta possessione consistunt.* Cum OROSIO iisdem probe verbis eandem fabulam narrat ISIDORVS *Lib. IX. Cap. II. & IV.* Notat CLVVERIVS LIPSII satis ingentem errationem, quod *Sigambros* atque *Cattos*, cis Rhenum ductos, de his *Burgundionibus* interpretatus est. Idem Galli cuiusdam, qui Burgundiones noluit Germaniae debere, ineptam opinionem quasi Burgundiones ex Gallia in Germaniam nomen antiquissimo aeuo intulerint, egregie perstrinxit, atque explosit. Qui praecipue diuersum genus Burgundionum, alterum Scythicum, quod AGATHIAS atque PTOLEMAEVS notent, alterum Germanicum, constituit, est HADRIANVS VALESIVS, cum *in Notis ad* AMMIANVM *Lib. XXVIII Cap. V.* tum in *Notitia Gall. voce BVRGVNDIA.* Notetur autem contra eum, quod AGATHIAS *Lib. I.* cum ZOSIMO *Lib. I.* hic Οὐρούνδους, ille Βουργουζίωνες, *Gothicam gentem* adpellent: vnde, cum idem ille AGATHIAS *Lib. V.* Βουργούνδους in Scythis referat, facile eius mens agnoscitur. Quod aliquis omnes *Scythas*, quasi *Schutzen* dictos, in Germanos adnumerare conatus est, non valde hoc loco moramur, sed eius, alioquin eruditi viri, veterum rerum inscitiae condonamus.

Res Burgundionum gestae, & variae migrationes.

Plinium & Strabonem, nullus meminit alius. Ille in *Vindelis* cum Carinis *Burgundiones* refert; hic, nomine *Mugilonum*, haud dubie corrupto, posito, eos in ditionem Marobodui regis cum Semnonibus & Longobardis imputat. Quid inde de Burgundionibus ad Antoninorum ætatem vsque sit actum; nusquam patet. Tum vero, licet silente historia, creduntur cum Gothonibus pars eorum solum patrium vertisse, & in Sarmatiam concessisse; vnde a præcipuo fœdere hi in Sarmatia cum Gothis agentes *Gothica gens*, & ab occupatis trans Vistulam sedibus *Scythica ciuitas*, dici consueuere. Claudii imperatoris ætatem circiter reliqui in patria regione olim facti a *Fastida*, Gepidarum rege, bello petiti fractique sunt. Vt victorum magna pars rursum videantur cum Gepidis in Sarmatiam mouisse; ita non videntur Burgundiones adeo prostrati bello cum Gepidis administrato fuisse, quantum quidem Iornandes cladem auget. Namque Probo regnante nobilem Burgundiones cum Logionibus ad Rhenum suscepere expeditionem; nec, licet victi a Probo, conquieuere ante, quam succedente exin ætate in Galliarum opimæ partis possessionem venissent. Existimo, iam tum eximio fœdere Sidinorum, Carinorumque, fortassis & Logionum partis, auctos fuisse Burgundiones; cum alioqui vix videatur credibile, permodicam ciuitatem, Gothorum migrationibus exhaustam, Gepidarumque bello attenuatam, tantis conatibus exstitisse parem. Siquidem Burgundiones, quantumuis negata Gallia, partem tamen Cattici agri occuparunt, satisque in eo diu perstitere: non id inique, quod alibi indicaui, Cattis ferentibus; qui potius ipsi videntur contra Alemannorum vim atque violentiam Burgundiones aduocasse auxilio. Mœno tum diuisi fuere ab Alemannis, partimque ab Hermunduris. Minor etiam Sala, qui in Mœnum excurrit, ad occasum inter Burgundiones & Alemannos fuit: de eo enim interpretari oportet salinas, quarum causa sæpe cum Aleman-

Germania orientalis pars media.

Ann. CCLXXX.

Burgundiones. Alemannis Burgundiones discordarunt. Aucta ætate crebro Burgundiones in Alemannorum agros transiuerunt, iisque insidere, cum maxime Alemanni in propinquam Rhetiam & Heluetiam inuaderent, cœperunt. Sæpe expulsi ex nouis regionibus, sæpius fortunam periclitati sunt. Extremum

ANN. CCCCVI. CCCCXIII. inclinante se Romana potentia, in Galliam Burgundiones cum aliis Germanicis gentibus penetrarunt, *GVNDICARIO* rege rerum summam tenente. Frustra primum varia eo-

ANN. CCCCXLIII. rum fuere conamina, donec ipse Aëtius, populi viribus contra alios hostes vsurus, regionem inter Rhodanum amnem & Alpes sitam ipsis concederet. Ipsi commode frequentibus bellis, quibus eo tempore omnis Gallia conflictata est, sunt vsi, & regni terminos egregie promouerunt; vt *SIGISMVNDO* rege quatuor omnino Galliarum prouincias prope integras ipsorum regnum complecteretur. Tandem ingruente Burgundici regni fato Franciæ succubuit Burgundia, &, euerso singulari regno, quod annos circiter

ANN. IƆXXXIV. XC in Gallia steterat, reliquæ Franciæ, seruato tamen ad nostram ætatem nomine, pars facta est. De primis Burgundionum trans Viadrum sedibus constat, eadem ætate, cum omnis Transalbina Sueuia in Romanas occupandas prouincias excurreret, verso ordine Sarmatiam in terras cis Vistulam effusam esse, & adeo cum regionibus reliquis Burgundionum & iam agros insedisse. (Status prisca Burgundionum regionis.) Quæ gens a Probi imperio, cum Burgundiones cis Albim atque Salam in Cattorum agros transgrederentur, inter Vartam & Notesium habitarit? oppido est dubium atque incertum. Fortassis, quod *VANDALI* ab ætate Probi iterum auditi sunt, in eorum nomen reliqui ex Burgundionibus, ex Carinis Sidinisque, & ex aliis incertis ciuitatibus, rursum imputati sunt; vt ideoque in priscis finibus VANDALIA reuiuisceret, & reflorescerct, vsque quo & ipsa ad publicas diuidendas intenta prædas, in Galliam atque in Hispaniam inuaderet,

deret, & demum in orbis diuersa parte nouas sedes figeret (g). *Germaniae orientalis pars media.*

IX. Bur-

(g) Ab Antonini temporibus Burgundiones in Sarmatia cum Gothis crebro versati sunt. Inde fortassis eos trans Vistulam PTOLEMAEUS reperit. ZOSIMUS sane & AGATHIAS, vterque *Lib. I. Hist.* eam ob causam Gothicam gentem Burgundiones adpellarunt. A Fastida, Gepidarum rege, pars Burgundionum prope ad internecionem deleta legitur, apud IORNANDEM *de Rebus Geticis.* Probi aetate cum Logionibus ad Rhenum perrupere Burgundiones teste ZOSIMO *Lib. I.* Maximiani aetate in Galliam prima vice Burgundiones exeurrerunt: mox cum Gothis & Alemannis varia bella administrarunt. CL. MAMERTINUS *Paneg Maximiano Cap. V.* & *Genethl. Cap. XVII.* In Cattico agro eos supra vidimus: monstrante eas sedes AMMIANO *Lib. XIIX. Cap. II.* Iuliani, & *Lib. XXVIII. Cap V.* Valentiniani aeuo. Valentiniano contra Alemannos auxilia missuri erant, sed decepti a Romano imperatore nequicquam suam expeditionem susceperunt; quod narrat loco dicto AMMIANUS, &, sine addita ratione aduentus eorum ad Rhenum, OROSIUS *Lib. VII. Cap. XXXII.* HIERONYMUS *Chron. ad Ann. CCCXLVII.* cum CASSIODORO *in Fastis.* In Alemannorum priscam regionem Burgundiones successisse cupiunt, postquam illi in Rhaetiam concessissent. Huc iam respexisse cupiunt MAMERTINUM *Genethl. Maxim. Cap. XVII. Burgundiones Alemannorum agros occupauere, sed sua quoque clade quaesitos. Alemanni terras amisere, sed repetunt.* Ea forsitan aetate initium factum occupandae regionis; vix autem quam quarto seculo properante ad finem plene eadem possessa videtur. De hoc autem aeuo contendunt PROCOPIUM *Goth. Rer. Lib. I.* recte scripsisse; Τῶν Θορίγγων Βουργουζίωνες οὐ πολλῷ ἄποθεν, πρὸς νότον ἄνεμον τετραμμένοι ὤκουν, Σούαβοί τε ὑπὲρ Θορίγγων, καὶ Ἀλαμανοὶ, ἰσχυρὰ ἔθνη. *Haud procul a Thoringis Burgundiones, ad austrum versus, incolebant: Suabi deinde supra Thoringos & Alemanni, valida gentes.* Crebro hisce in sedibus ab Hunnis eos vastatos fuisse, SOCRATES *Hist. Ecc. Lib. VII. Cap. XXX.* tradit. Haec & causa videtur fuisse, vt, miscentibus omnia Germaniae populis, & Burgundiones in Galliam inuaderent. OROSIUS *Lib. VII. Cap. XXXVIII.* adpellat *gentes copiis viribusque intolerabiles, quibus nunc Galliarum Hispaniarumque prouinciae premuntur, hoc est, Alanorum, Sueuorum, Vandalorum, ipsoque simul metu impulsorum Burgundionum.* Transgressi Rhenum primum Germaniae primae partem ad ripam Rheni insedere, quod TIRO PROSPER & CASSIODORUS *in Fastis* tradunt. Et OROSIUS *Lib. VII. Cap. XXXII.* de hoc primo ingressu loquitur: *Burgundionum esse praeualidam & perniciosam manum, Galliae hodieque testes sunt, in quibus praesumta possessione consistunt.* Mox variis fatis perculsi, & ab Aëtio atque Patricio, Romanis, nec non ab Vptato, Hunnorum rege, maxime adflicti, tandem Aëtii beneficio prouinciam obtinuerunt Maximo II & Paterno COSS. eodem PROSPERO, & CASSIODORO, testibus. *SIGISMUNDUS* rex amplissimos regni fines habuit, & quatuor Galliarum fere integras prouin-

Burgundiones.

Ordinatio rei Burgundionum publicæ.

IX. Burgundionum publica res ab omni æuo bene constituta atque ordinata eſt. Habuerunt reges magnæ auctoritatis; ſed qui ſemper noſſe conſueuere, quantum in ſe populo iuris ſit reliquum. Ita nec belli gerendi opportunitati quidquam defuit, nec libertati populari quidquam a rege metuendum fuit. Rex apud eos generali nomine *HENDINOS* adpellatus eſt, &, ſcribente Ammiano, ritu veteri a poteſtate facile deiectus eſt, quoties ſub eo aut belli fortuna titubauerit, aut omnino ſegetum copiam negauerit terra: magis, inquam, ſi contra leges ſtatuerit, aut publicam ſalutem læſerit. Contra ſacerdos inter Burgundiones omnium maximus *SINISTVS* vocatus eſt; & perpetuus, nulliſque diſcriminibus, vt reges, obnoxius exſtitit. Conſpirare ibi cum ſacerdote regem oportuit, & conſentire cum illo ad res publicas gerendas, ſi ſaltem dignitatem incolumem ſaluamque ſeruare voluerit. Poſtquam in Galliam Burgundiones conceſſere, longe melioribus inſtitutis vti cœptum eſt. Regis auctoritas, vt ante, genti placuit; ſed &, vt olim, non libera infinitaque poteſtas regibus permiſſa eſt. Eſt tamen ab illa diſceſ-

 ſum

cias poſſedit; Alpes videlicet Graias, Viennenſem primam, Lugdunenſem primam, paucis exceptis pagis, & Lugdunenſem quintam, nec non multas finitimarum prouinciarum ciuitates: quod patet ex *Epiſcoporum in Synodo Epaonenſi Anno* IↃXVII *habita ſubſcriptione.* Hæc pars Galliæ tum a Burgundionibus dicta eſt *BVRGVNDIA*; quo nomine iam vtitur CASSIODORVS *Var Lib. I. Epiſt. Vlt.* & GREGORIVS TVRONENSIS *Hiſt. Franc. Lib. II. Cap. XXXIII.* Clades Burgundici regni non vno impetu accidit. Sigiſmundo victo cæſoque iam magna Burgundiæ pars Francis ceſſit; pars altera Oſtrogothis in Italia. Vid. *ſubſcriptio Epiſcoporum Synodi Aurelianenſis Anno* IↃXXXIII. habitæ, & CASSIODORVS *Var. IIX. Epiſt. X. & Lib. XI. Ep. II.* Non recte tamen GREGORIVS TVRONENSIS *Lib. III. Cap. VI. XI.* & FREDEGARIVS *Epit. Hiſt. Cap. XXXVII. Burgundiam tunc in Francorum poteſtatem redactam eſſe,* dixerunt. Id enim demum accidit nouo bello, quo *GVNDOMARO* rege profligato Burgundiam Francorum reges diuiſerunt: quod MARIVS *in Chron. A.* IↃXXXIV. *contigiſſe ſcripſit.* VALESIVS *Rer. Franc. Lib. VII.* contendit plenam cladem Burgundici regni in annum IↃXXXII. incidere. De extrema *Vandalia,* niſi ex coniecturis, nil liquet.

suum superstitione, qua fortunæ quasi arbitrum suum regem habuerunt, & casus fortuitos ipsi imputarunt. Antiquitus electio regis videtur fuisse in vsu ; mox more Germanorum regiæ domus dignitatem perpetuare maluerunt, vt suam tamen minime desererent libertatem. Primas leges *GVNDOBADVS* rex Burgundionibus descripsit ; quæ, licet latæ, cum ad veram doctrinam natio accessisset, iustitiæ bonorumque certe morum antiquius studium Burgundionibus vindicant. Quod pertinet ad ipsos Burgundiones, procera præsertim eorum statura, virilisque corporum habitus, laudatur. Quidam scriptores superbiam eorum, edacitatem, animi duritiem, raramque ingenii docilitatem, vituperant. Veruntamen non desunt, qui insignis facilitatis, clementiæ, atque alacritatis, oppositas illis vitiis laudes iis attribuunt (*b*).

Germaniæ orientalis pars media.

X. Con-

(*b*) De regibus Burgundionum AMMIANVS *Lib. XXVIII. Cap. V. Apud hos*, inquit, *generali nomine rex adpellatur Hendinos, & ritu veteri potestate deposita remouetur, si sub eo fortuna titubauerit belli, vel segetum copiam negauerit terra : vt solent Ægyptii casus eiusmodi suis assignare rectoribus. Nam sacerdos apud Burgundios omnium maximus vocatur Sinistus : & est perpetuus, obnoxius discriminibus nullis, vt reges.* In Galliis constituto regno, videtur filiis successio in patriam dignitatem concessa esse ; quod cum ex historia Burgundiæ regum, tum ex SIGISMVNDI *Regis epistola ad Anastasium Aug.* apud AVITVM *Viennensem Episcopum, Epist. LXXXIII.* probatur ; cum dicit, *magis semper patrem auumque suum ambiisse, quod a principibus* (Romanis imperatoribus) *acciperent, quam quod a patribus attulissent.* Libertatem autem populi non a regibus oppressam esse, cum aliis GREGORIVS TVRONENSIS *Lib. II. Hist. Franc Cap. XII. XIII.* docet ; *Reges Burgundionum in consilio suorum omnia magni momenti peragere solitos.* A *GVNDEBALDO* rege Burgundiones leges acceperunt ; teste GREGORIO TVRONENSI *Lib. II. Cap. XXXIII.* Inde *lex* dicta *Gundobada* apud AGOBARDVM & in *Capitulari* CAROLI MAGNI : licet LINDENBROGII *codex legis* illius nomen *SIGISMVNDI* regis, qui instaurauit & emendauit legem, præferat. Proceram staturam Burgundionum, trucesque mores, SIDONIVS APOLLINARIS *Carm. ad Catulinum, & in Panegyr. Auito dicto*, descripsit. Egregie vero eos laudat OROSIVS *Lib. VII. Cap. XXXII. Prouidentia*, inquit, *Dei omnes christiani modo catholica fide nostrisque clericis, quibus obedirent, receptis, blande, mansuete, innocenterque, viuunt, non quasi cum subiectis Gallis, sed velut cum fratribus christianis.*

Marsigni, Gothini, &c.

X. Coniunxit Tacitus, antequam de Lygiis iisdem, quos ex aliorum more Logiones nominauimus, diceret, quatuor ciuitates; quas, cum ex ipsa positione Taciti mediæ inter Semnones & Logiones habitauerint, nos etiam, diuersum licet a Tacito ordinem tenentes, inter se copulamus & iungimus. *Non minus*, Tacitus, postquam Marcomannos Quadosque vidisset, inquit, *valent retro*

Quatuor ciuitatum coniunctio.

MARSIGNI, GOTHINI, OSI, BVRII;

qui *terga Marcomannorum Quadorumque claudunt.* De genere ciuitatum atque de sedibus hæc adiicit. Ex iis *Marsigni & Burii sermone cultuque Suevos referunt. Gothinos Gallica, Osos Pannonica lingua, coarguit, non esse Germanos; & quod tributa patiuntur. Partem tributorum Sarmatæ, partem Quadi, vt alienigenis imponunt. Gothini, quo magis pudeat, & ferrum effodiunt. Omnes hi populi pauca campestrium, ceterum saltus, & vertices montium, iugumque, insederunt. Dirimit enim scinditque Sueuiam continuum montium iugum; vltra quod plurimæ gentes agunt.* His rite examinatis, primum regiones illis populis tute generatim designantur, deinde etiam de genere disquirendi commoda datur occasio. *Ad ortum* Asciburgius mons, siue illud continuum montium iugum, quod Tacito teste Sueuiam diuisit, nostras ciuitates prætexuit, & vltra Lygii coluerunt. In *austri* partibus Marcomanni Quadique haud dubie continuarunt quatuor populos; hos enim ab illorum, quos Danubium sequutus viderat, tergo Tacitus diserte constituit. *Ad occasum* Luna, Ptolemæi silua, & Sudeti montes, inferiorique parte Semnones occursarunt. Contra *septentriones* rursum Semnones, & vltra Vartam amnem, Burgundiones, aquilonare quatuor natio-

Generales illarum ciuitatum fines.

nationum latus contexisse, ex iis constitit, quæ paulo ante docuimus (*i*). *Germaniæ orientalis pars media.*

Distinctiores sedes. XI. Nunc elaborabimus in eo, vt fines generatim indicti magis partite ex aliis auctoribus possint exponi, &, quantum fieri potest, singulis ciuitatibus suæ regiones tribui. Marsingorum; *MARSINGOS* Marcomannis auctores proximos fuisse cupiunt, quod primos eos Tacitus post Marcomannos nominauerit. Debile autem argumentum tam eos facile Quadis proximos fecerit, quam Marcomannis; nam Marcomannos Quadosque ante Tacitus coniunxit. Sicubi in prouincia, quam suis gentibus Tacitus reliquit, palustria campestriaque loca reperiuntur, ea Marsignis, siue *Marsingis*, quam vocem alii præferunt, ex vocabuli Germanica potestate malim dare. Iam, vt communem dixerim sententiam, ipse, nihil liquere, Buriorum; ingenue fatebor. *BVRIOS* inter Viadrum & Vartam locant, vt inter vtrumque fluuium incertis finibus Semnones, ad Asciburgium Logiones, illos medios accipiant. Et agnoscit Ptolemæus Burios, quos *Lugos Burios* adpellat; sed nec hos adeo accurate definit, vt de eorum sedibus possimus certi esse: nisi quod credibile sit, proximos Logionibus fuisse, quos omnino in eorum ciuitatem imputare videtur. An Osorum; *OSI* vtramque Viadri ripam infra Gothinos ab ortu ad Asciburgium, ab occasu ad Lunam siluam, Hercyniosque Boiohœmum cingentes montes, coluerint? non id magis, quam cetera,

(*i*) TACITVS *Germ. Cap. XLIII. Nec minus*, inquit, *valent retro Marsigni, Gothini, Osi, Burii; terga Marcomannorum Quadorumque claudunt. e quibus Marsigni & Burii, sermone cultuque Sueuos referunt. Gothinos Gallica, Osos Pannonica, lingua coarguit, non esse Germanos; & quod tributa patiantur: partem tributorum Sarmatæ, partem Quadi, vt alienigenis imponunt. Gothini, quo magis pudeat, & ferrum effodiunt. omnesque hi populi pauca campestrium, ceterum saltus & vertices montium iugumque insederunt. Dirimit enim scinditque Sueuiam continuum montium iugum, vltra quod plurimæ gentes agunt.* Vt ordo scriptionis TACITI, eiusque verborum vera interpunctio, commode statim percipiatur, non sumus grauati ipsum dare TACITVM.

Marsigni, Gothini, &c. cetera, clare a scriptoribus indicari inuenio. Vnicum argumentum video adferri, quod Quadi tributa imposuerint Osis, recte hos prope illos locari. Cum enim Gothinorum sedes prope Sarmatas sint probatiores, illis vtique a Sarmatis tributa esse imposita contendunt. Accipio rationem de vtraque natione, quæ merito prope Quados Sarmatasque quæritur, cum in horum fuerit quondam clientela. Sed adiuuat Ptolemæus egregie rationem, cum diserte infra Quados ferri fodinas & Lunam siluam collocat. *GOTHINOS* ferrum effodisse Tacitus ostendit. Non ergo dubium est, hanc eis deberi regionem, in qua suas ferri fodinas Ptolemæus habet. Sic & Gothini ex communi opinione proximi Sarmatis fuere; cum infra eos Osi parte australi Quadorum propriam regionem contingerent (*k*). *Gothinorum.*

XII. De

(*k*) *BVRIORVM, GOTHINORVM*que sedes idoneis argumentis prope sunt demonstrabiles: non item reliquæ *MARSINGORVM* & *OSORVM*. *Burios* PTOLEMAEVS adpellat Λούτους Βούρους, *Lutos Buros*, vbi omnes interpretes agnoscunt *Lugios Burios*; vnde patet, prope Lygios, quos Lugos, siue Lugios, vocauit PTOLEMAEVS, coluisse. *Gothinos*, TACITVS dicit, ferrum effodere. PTOLEMAEVS ait. Ὑπὸ δὲ τὸν Ὀρκύνιον δρυμὸν, Κούαδοι· ὑφ' οὓς τὰ σιδηρωρυχεῖα, καὶ ἡ Λούνα ὕλη. *Sub silua autem Hercynia Quadi; sub quibus ferri fodinæ & Luna silua.* Ergo coluerunt Gothini has ferri fodinas; vbi & Quadis atque Sarmatis simul vicini fuere *Osos* proximos Gothinis inde coniicimus, quod etiam tributa passi sunt. *Marsingos* ergo proxima Semnonibus loca manent. CLVVERIVS *Cap. XXXII.* tursum per multas lineas singulos populos circumscribit: sed potiora tantum monstrabimus. *MARSINGOS* ponit inter Viadrum & Boiohœmica iuga montium; linea a vico *Steinau*, ad Viadrum sito, ad oppidum *Frideberg*, in Boiohœmicis situm montibus, ducta eos a Semnonibus diuidens: vt itaque celeberrimam *Silesiæ* portionem, qua nobilissimum oppidum *Breslau* cum vicinis est vrbibus, & *comitatu Glacensi*, habitauerint. Hinc *BVRIOS* trans Viadrum locat, & linea a vico *Steinau* ad oppidum *Szrzoda*, Vattæ impositum, eos a Semnonibus, inde Varta flumine ad oppidum *Kolo* a Burgundionibus disterminat; quibus finibus iam *Poloniæ* exigua portio, & *Silesiæ* pars, continetur. *OSOS* supra Marsingos & Burios constituit ab vtroque Viadri latere, vt hinc *ad occasum* Maro amne & Boiohœmicis iugis, inde *ad ortum* Varta amne & Asciburgio monte, qui etiam Lygios a Buriis disclusit, fuerint finiti: quæ descripta regio hodie par-

Nomina gentium considerata.

Germaniae orientalis pars media.

XII. De genere nostrarum gentium cum Tacito inquisituris, prima merito de nominibus cura est. Marsignorum, siue Marsingorum, dissimulato nomine Ptolemaeus, alieno licet loco, *Maruingos* suos affert. Nisi vocabulum est corruptum, iudicarem prope, a Maro amne natum esse Maruingorum nomen, adeoque propius ad Marum videri Marsignorum sedes admouendas. Dio cum Buriis *Dacringos*, & cum iisdem Capitolinus *Latringes*, coniungit; quibus vocabulis vtrum Marsigni denotentur, penes alios iudicium esto. Aethicus, permirus geographiae scriptor, *Marnianos* in Germaniae populis numerat; quos plerique pro Marsignis accipiunt. Burios Taciti adpellant Dio *Burros*, & alio loco cum Capitolino, *Buros*; Ptolemaeus *Lutos Buros*, quae vocabula plerique mutant, & *Lugiorum Buriorum* nomina substituunt. Nomen profecto sonat *homines rusticos & agricolas*, si praesertim

tim est *Poloniae*, partim *Silesiae*, portio. GOTHINI denique a CLVVERIO supra Quados statuuntur, infra Osos, vt *ab occasu* Maro amne & Luna silua a Quadis, *ab ortu* initio iugi Asciburgiensis, Salaque flumine ad Vistulam confluentem, a Bastarnis, fuerint separati. Ab *austro* hos nouis saltibus montibusque a Quadis Sarmatisque diuisos fuisse, recte cernit. Eos PLINIVS *Lib. IV. Cap. XII.* Hercynio nomine notat. *Superiora*, inquit, *inter Danubium & Hercynium saltum, vsque ad Pannonica hiberna Carnunti, Germanorumque ibi confinium; campos & plana Iazyges Sarmatae, montes vero & saltus, pulsi ab his, Daci ad Pathissum amnem a Maro; siue is Duria est, a Sueuis, regnoque Vanniano, dirimens eos. auersa Bastarnae tenent, aliique inde Germani.* Hic ergo Hercynius saltus Gothinos, primum a Quadis, mox a Sarmatis, hisque expulsis a Vanniano regno & reliquis Quadis, diuisit: vnde priori tempore, antequam Sarmatae expellerentur, commode & Sarmatae & Quadi tributa imponere Gothinis Osisque potuerunt. Coniicit CLVVERIVS saltus atque montes a Boiohoemo, qua fons Mari est, in vniuersum *Hercynium saltum* a PLINIO adpellari, donec ad Pathissum amnem procurrant; separatim a PTOLEMAEO *Lunam* siluam nuncupari, qua sunt saltus montesque inter Marum atque Cusum; & in hac Luna silua Gothinos fodisse ferrum. Addit coniecturae, Gothinos silua hac atque iugo a Quadis, siue Vanniano regno, ad oppidum vsque *Richo*; inde primum a Sarmatis Iazygibus, mox ab iisdem Sueuis, siue Quadis, qui immigrarunt, ad vsque oppidum *Twardoszin*, fuisse submotos. Gothinorum haec patria *Poloniae*, *Silesiae*, atque *Morauiae*, exiguas portiones, quarum oppida in tabulis videantur, comprehendit.

Marsigni, Gothini, &c. tim vim Germanicam Ptolemaici nominis Lutorum Burorum expenderis. Gothini Taciti a Dione *Cotini*, a Claudiano *Gothunni*, nominati sunt. Quod Tacitus ait, quo pudeat, ferri fodinas eos coluisse, non prope dubito a *sordibus*, earumque Germanico vocabulo, nomen Gothinorum, seu *Cotinorum*, arcessere. Osorum nemo meminit alius; & obscuri cognomenti origo sine dubio ex Pannonica fuerit lingua. Genus Marsingorum & Buriorum Sueuicum Tacitus facile largitur. Osos & Gothinos alienigenas idem dicit; hos Gallos, illos Pannones: argumento idoneo a lingua & inde ducto, quod præter Germanorum morem tributa patiuntur. Et tanti sunt ambæ rationes, vt, licet ambiguitas Gallorum nominis non ignoretur, hic minime quidquam contra statuere audeam: præsertim cum ipse sim largitus, vt multi extra Germaniam Germani egerint, ita nec Germaniam ipsam prorsus ab alienigenis antiquitus vacuam fuisse (*l*). Genus singularum gentium proditum.

(*l*) Apud PTOLEMAEVM sunt *Μαρυίγγοι Maruingi*, verum cis Albim fluuium. IVL. CAPITOLINVS *in Antonino Phil. Cap. XXII.* enumerat populos, qui contra Romanos conspirarunt. Sunt ibi *Marcomanni*, *Narisci*, *Hermunduri*, & *Quadi*, *Sueui*, *Sarmatæ*, *Latringes*, & *Buri*. DIO *Lib. LXXI.* adpellat *Marcomannos*, *Quados*, *Naristas*, *Diacringos*, *Buros*. At IDEM *in Traiani rebus Burros* gentem nuncupat. AETHICVS in gentibus, quas occidentalis oceanus habeat, *Marnianos* affert. *Cotinorum* meminit DIO *Lib. LXXI.* cuius verba THEODOSIVS nobis seruauit. Κοτινοὶ δὲ ἐπηγγείλαντο αὐτοῖς ὅμοια. Ταῤῥύνιον δὲ Πατέρνον παραλαβόντες, ὡς καὶ ἐπὶ τοὺς Μαρκομάννους αὐτῷ συστρατεύσοντες, μόνον οὐκ ἐποίησαν τοῦτο, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν ἐκεῖνον δεινῶς ἐκάκωσαν, καὶ μετὰ ταῦτα ἀπώλοντο. *Cotini vero, quum similia Marco nuntiari iussissent, nacti Tarrunnium Paternum, tanquam in Marcomannos expeditionem cum eo suscepturi, non tantum id non fecere, sed etiam Paterno graue intulerunt damnum; ac deinceps ipsi quoque perierunt.* Hos *Cotinos* esse *Gothinos* non valde dubium est. Habet autem CLAVDIANVS *Gothunnos*, siue *Greuthungos*, quos magnæ instar nationis canit, vt censeam, Osos fortassis cum Marsingis, & Buris, se Gothinorum deinceps fœderi dedisse, vnde auctum horum nomen sit: aut, quod magis videtur, Gothicæ societati Gothini accessere, & præclaris facinoribus illustris Gothorum ciuitas esse meruerunt. *Paneg. IV. Consul. Honorii Vers. 622.*

Ausi Danubium quondam tranare
Gothunni.

Insignia vetustatis monumenta.

XIII. Ex multis Ptolemæi celebribus locis, quæ in nostrarum ciuitatum descriptas cadunt regiones, *Calisia* præsertim Buriis vindicatur, & de vestigiis vrbis hodieque celebris *Kalisch* accipitur. Diuersi tamen malunt *Arsonium* Ptolemæi de Kalisch interpretari, & prope Arsonium Calisiam, æstimata Ptolemæi positura, ponere. Vtrum Marsingis, an Osis, tribueris *Bergium*, *Redintouicum*, *Monosgadam*, Ptolemæi nomina? non satis constat. Vir aliquis eruditissimus interpretatur illa loca de vrbibus *Gots-berg*, *Raich-stein* & *Mitwalde*; quæ prope Græca sonant nomina, certe positioni Ptolemæi belle conueniunt. *Budorgis* videtur Osorum fuisse, & incidit locus in Silesiæ clarissimum oppidum, *Oppeln*. Gothinorum est *Filekia*, prope ad Viadri fontem; vbi nec deest hodie antiquum vocabulum. *Robodunum* ad eosdem spectat, & conuenit Ptolemæi positioni cum situ montis ferris fœcundi, quem *Ratibor* adpellant: nec dubium, quin antiquitus hisce in locis ferrum Gothini foderint. *Fons Albis* in Marcomannorum Marsingorumque, prout communiter hi locantur, confiniis reperitur. Nomen Ptolemæi *Deuona*, incidit in illum fontem, fidemque facit, eum fontem præcipue Diis antiquitus sacrum fuisse; namque, quod Ausonius declarat, eiusmodi fontes numini dicatos, aut additos diuis, qua

Germaniæ orientalis pars media.

Lib. II. in Eutropium vers. 153.

- - - *Ostrogothis colitur mistisque Gothunnis*
Phryx ager.

Et *ibidem vers. 196. 399.* eos memorat; & *vers. 576.* ita canit;

- - - *Legio pridem Romana Gothunni,*
Iura, quibus victis dedimus, quibus arua domosque
Prebuimus, Lydos Asiæque vberrima vastant.

Nisi TACITVS obstaret, putarem, Gothicam iam ab initio fuisse *Gothinos* coloniam, indeque nomen datum. Et FL. VOPISCVS *in Probo Cap. XIIX.* cum *Gepidis Gautunnos*, coniungit, cum quibus Probus bellauerit; imo AMMIANVS *Lib. XXXI. Cap. IV.* *Greuthungos* partem Gothorum fuisse diserte memorat: quod rursus suspensum me de Gothinorum origine tenet. Meam sane nominis notationem, quasi a sordibus *Koth* dictis, quas ferrum effodiendo tractauerint, acceperint *Gothinorum*, seu *Cotinorum* potius, cognomentum, non ipse valde ausim defendere.

Marsigni, Gothini, &c.

qua adpellatione Ausonius vtitur, *Diuonas* Celtæ consueuere adpellare. Reliqua Ptolemæi nomina, quæ fere singularem poscunt tractationem, silentio nunc transeo (*m*).

Historia ciuitatum quatuor hiulca.

XIV. Quod ad historiam institutaque solennia nostrorum populorum spectet, vix quidquam superat. Oportet Osi Gothinique æuo antiquissimo in Germaniam migrauerint, cum de nulla constet migrationis memoria. Fortassis Gothini, vt Germani in Sarmatia multi, ab initio statim perstitere in Germania; & deinceps seruitiis a Germanis oppressi in Galliam penetrare non vltra potuerunt. Quidam habet Gothinos pro Boiorum, ex Boiohœmo expulsorum, parte; quod, quantumuis sine teste statuatur, non inepte tamen opinari licet. Ad Gothicas ciuitates, licet nomen non admodum sit diuersum, nunquam Gothinos retulerim; cum, quod Gallica sunt vsi lingua, tum, quod tributa passi sunt; quæ facile, si Gothi fuissent, ob Gothicarum ciuitatum vicinitatem potuissent declinare. Ante Tacitum, quantum norim, ciuitatum nostrarum meminit prorsus nemo. Interim, quod in populis Maroboduo subiectis a Strabone Semnones, Logionesque, nominantur; non dubitauerim ego minores simul populos eius ditioni adscribere. Vt deinde Gothini in Sarmatarum, & in Quadorum clientelam Osi, peruenerint, est valde incertum. Marsigni & Burii egerint, quod videtur, liberi & ab omni alieno immunes imperio;

(*m*) *Calisiam* CLVVERIVS de *Kalisc*, Poloniæ celebri oppido; ALTINGIVS de eodem *Arconium* interpretatur, & *Calisiæ* positionem in vrbe *Brzeslüe*, haud longe dissita, quærit. *Gotsberg*, *Reichstein*, & *Mitwalde*, in Silesia & Comitatu Glacensi quærenda sunt. Debemus autem omnem horum PTOLEMAEI nominum expositionem MENSONI ALTINGIO, qui *Germaniæ Magnæ Ptolemaicæ tabulæ expositionem accuratissimam* dedit. Ratione *Deuonæ* egregia prorsus interpretatio illa est ex AVSONIO desumta, & ex rationibus PTOLEMAEI nobilissimo Albis fonti adcommodata. Ita AVSONIVS.

Diuona, Celtarum lingua, fons addite Diuis.

Accepit ergo PTOLEMAEVS, ad Albis fontem solennia a Germanis sacra fieri, locumque *Diuonam*, seu *Deuonam*, adpellari; protinus in tabulas id retulit, vrbemque Deuonam celebrauit.

Germaniae orientalis pars media.

perio; postquam Marobodui concidisset tyrannis. Licet enim Ptolemaei adpellatio ciuitatis Luto-Burorum, quos Lugios Burios interpretes esse cupiunt, clientelam quandam Buriorum videatur ostendere; nec nocuisse tamen patrocinia minorum gentium a potentioribus populis suscepta illarum libertati, ex aliis in Germania exemplis satis patuit. Sane libertatis argumentum est plenum, quod in validissima Sueuicarum gentium aduersus Antoninum conspiratione Burii simul nominentur cum Marsignis; quorum tamen vitiatum ibi apud auctores esse vocabulum supra diximus. Fortassis & Gothini eo tempore libertatem recuperarunt. Namque, Dione scribente, Marci ducem Paternum dolis circumuentum Gothini, quos ille Cotinos vocat, profligarunt: sed addit Dio, deinceps ipsi quoque perierunt (*n*). ANN. CLXVII.

Cui foederi videantur illae ciuitates se adiunxisse?

XV. Post Marci aetatem, cum vix semel atque iterum vnius harum ciuitatum nomen audiretur, ad ingentes Germanorum societates eas accessisse, est probabile. Est autem dubium atque incertum, vtrum foedus existimaueris tot gentium accessione esse auctum. Gothicae ciuitates in Sarmatia suffecerunt Gothici nominis amplitudini. Si Sueuis, qui ruente Roma in Gallias, atque in Hispaniam, penetrarunt, dederis Semnones; vix tum alias nationes ille Sueuorum exerci-

(*n*) CLVVERIVS *Gothinos*, quia Galli sint, pro expulsorum *Boiorum* parte habet, nec incommode prorsus, cum necesse sit, aliquo Boios concessisse; nemo vero norit, quo migrauerint. De *Burorum & Marsingorum*, falso tamen vocabulo citatorum, in reliquarum Sueuicarum gentium contra Romanos foedere partibus, CAPITOLINVM *in Marco Antonino Cap. XXII.* & de *Gothinis*, quos *Cotbinos* vocat, cum iisdem Romani nominis hostibus facientibus, DIONEM *Lib. LXXI.* fide dignum vtrumque testem paulo supra produximus. *Gothunnorum*, eorumque crebrarum in Romanas prouincias expeditionum, iam etiam ex CLAVDIANO mentionem fecimus. Quod monere hoc loco visum, CLAVDIANVS *de IV. Consul. Honorii vers. 625.* Gothunnorum ducem, memorat, *ODOTHAEVM*; qui Honorii aeuo validas copias in Romanorum solum traieceret; sed, quam ipse canit victoriam, repressus atque strenue profligatus erat. Nomen ducis, an Germanicum sit, adeoque fidem facere aptum, non tam Gallicam, quam Gothicam, gentem Gothinos fuisse? aliorum relinquo iudicio.

Marsigni, Gothini, &c. exercitus capiet. Vandalicum fœdus maxime aquilonares Germaniæ continentis populos habuit. Longobardis fortassis & Burgundionibus partes quædam nostrarum gentium non inuideri debent. Ad exiguas enim ciuitates, vt clara fierent nomina, integrasque complecterentur prouincias, plures confluxisse gentes, & ex gentibus, partes, veri est perquam simile. Namque non debemus opinari, quasi integræ semper Germaniæ nationes ad vnum alterumque fœdus accesserint; sed dilapsæ crebro, diuisæque in partes, modo in vnam, modo in alteram, societatem confluxere. Non & ergo abhorret a nostra sententia, si quis partes nostrarum ciuitatum in Sueuorum extremo exercitu, aut omnino in Vindelis, qui vtique ætate seriori sæpe videntur Danubio fuisse propiores, quæsierit. Meam adiicio opinionem, eam circiter ætatem, cum *BOIOARIORVM* nomen surgeret, videri Burios, fortassis & Marsignos, Danubium transmisisse, & in Noricum inuasisse. Semper hæreo in Boioariorum historia, quoties hos a Boiis Gallicis reperio deduci. Tot secula delituisse nomen, & obliuione plena fuisse inobscuratum; vno deinceps tempore quasi ab inferis rediisse, & reuixisse: parum hæc inter se conciliantur. Adde grauissimas calamitates, quibus Boii interiere. Considera locum, in quo Boioariorum nomen sera ætate floruit; qui profecto in ditione Romanorum semper fuit: in quam autem nullæ aliæ gentes, nisi Germani, tunc inuasere. Cerne Boiorum Boioariorumque nomina satis diuersa. Cogita, semper Gallos Boios dictos esse, nunquam Boioarios, nisi pro Germanis, habitos. Saltem, si parum postulo, cessabis, de solis Boiis Boioarios interpretari; & magis, fœdus quoddam plurium ciuitatum in Boioariorum nomen consensisse, cupies. Et si nomen consideraueris, non valde repugnabis, censeo, si *Burios* nostros cum *Marsignis* dixero cis Danubium in Noricum migrasse, & præcipuam capiendo Boioariorum nomini dedisse occasionem.

Coniectura de Boioariis.

nem. Sed paulo post illa causa fusius ac vberius disputabitur (*o*).

Germaniæ orientalis pars media.

Lygiorum XVI. Protentior in orientem Germaniæ regio, qua lunato Vistulæ cursu a Sarmatia, & Asciburgio monte Ptolemæi, siue Taciti continuo montium iugo, quod Sueuiam dirimit scinditque, a reliqua Germania diuiditur, amplissimam atque potentem

LYGIORVM

varium nomen, nationem quondam habuit. Gentem Tacitus *Lygios*, & alibi cum Dione *Ligios*, Strabo *Lugios*, Ptolemæus *Lugos*, Zosimus *Logiones*, vocarunt. Nominis originem nemo coniicere potest, cum Sarmatarum continuis in eorum regione sedibus, omnia ibi Germanicæ linguæ in fluuiis, siluis, montibusque, vestigia dudum obliterata sint. Si opinari licet, dictos putem Ligios, quasi *fœdere arcto inter se sociatos atque ligatos*; non vocabulo ex Romanorum, sed ex nostra desumto lingua, in qua solennis eius in arcto fœdere notando vsus est. (& nominis origo.) Conuenit & cum hac nominis origine Tacito, qui latissime patere ait Ligiorum nomen, in plures ciuitates diffusum; quas sane iusto fœdere sociatas inter se ligatasque fuisse, dubium esse potest nemini. Sedes populi Ligiorum facilius, quam ceteræ Germaniæ ciuitatum regiones, agnoscuntur: cum tria latera vnus Vistula fluuius concludat, vnum ad occasum latus mons Asciburgius firmet. Consentiunt Tacitus & Ptolemæus in magna hac prouincia Ligiis tribuenda, vt satis adeo de ea certi possimus esse. Contra *septentriones* itaque trans Vistulam Aestii coluerunt, & prope hos cis Vistulam Gothones; quos trans Ligios regnatos fuisse, Tacitus memorauit. Ad *ortum* & *meridiem* trans Vistulam Venedi Sarmatæ, & Peucini, Bastarnæue, Germani, Ligiis fuere contermini. Ad

occasum

(*o*) In coniecturis nulli auctoritati locus est: ad illas enim ideo confugimus, quia hæc deest. Ex CLAVDIANI *Lib. II. in Eutropium Vers. 143.* non inepte colligi, Gothinos, seu Gothunnos, sera ætate in Ostrogothorum castris militasse; iam id supra obseruaui.

Lygii. *occasum* Osi, Burii, Burgundiones, montibus fuere separati: de his enim loquutus Tacitus continuo addit narrationem de montium iugo Sueuiam dirimente atque scindente; vltra quod plurimæ gentes agant, in quibus latissime pateat, aut, quod Tacitus mihi videtur velle, omnium commune sit cognomentum Ligiorum nomen. De antiquis Ligiorum sedibus hactenus (*p*).

XVII. Ipso

(*p*) TACITVS *Germ. Cap. XLIII. Dirimit scinditque Sueuiam continuum montium iugum, vltra quod plurimæ gentes agunt. ex quibus latissime patet Lygiorum nomen, in plures ciuitates diffusum. Valentissimas nominasse sufficiat, Arios, Heluecones, Manimos, Elysios, Naharualos. - - - Trans Lygios Gothones regnantur.* Eundem populum TACITVS *Ann. XII. Cap. XXIX. XXX. Ligios* adpellauit. *Vis innumerâ Ligii, aliæque gentes aduentabant, fama ditis regni, quod Vannius XXX per annos prædationibus & vectigalibus auxerat.* Mox, *Iazyges obsidionis impatientes, & proximos per campos vagi, necessitatem pugnæ attulere, quia Ligius Hermundurusque illic ingruerat.* STRABO *Lib. VII.* in populis a Maroboduo victis habet Λουίους, quam vocem mutant interpretes, alteramque Λουγίους reponunt. STRABO addit μέγα ἔθνος; prorsus vt TACITVS ait, *latissime patet Lygiorum nomen.* PTOLEMAEVS *Lib. II. Cap. XI.* plures Lugiorum ciuitates agnoscit. Leguntur apud eum Λοῦτοι Ὀμανοὶ, Λοῦτοι Διδοῦνοι, Λοῦτοι Βοῦροι; sed vbique auferendum esse τὸ T, & restituendum τὸ Γ, vel id docet, quod exemplaria pleraque vocabula habent *Longi Diduni, Longi Omani,* Λόγγοι Διδοῦνοι, Λόγγοι Ὀμανοὶ; a quibus facilis via est ad vocem veram Λοῦγοι, *Lugi,* PTOLEMAEO restituendam. ZOSIMVS *Lib. I.* Λογίωνες, *Logiones,* memorat, ἔθνος Γερμανικὸν, cum quibus Probus Imperator feliciter bellum administrauerit. Fœdus Germanice etiam adpellamus *Lige;* quo suam societatem nomine pars vna Germaniæ principum superiore seculo contra *Vnionem,* quam vocarunt, insigniuit. Sedes Ligiorum perspicuas reddidit TACITVS, cum dixit, vltra iugum, quod Sueuiam scindat dirimatque, Ligios egisse. PTOLEMAEVS non satis hic sibi constat, sed maxime ea nomina, quæ ad Ligios pertinere videntur, turbat atque miscet. Interim cum Lugos Omanos, Lugosque Didunos, atque Lugos Buros, illos ad Asciburgium montem, & infra Burgundos, hos ad Vistulam, locet, ceteræ integritati iam PTOLEMAEI sensus ex TACITO recte restituitur. Coluerunt ergo *LIGII* ingens illud terrarum spatium, quod Vistula, contra tres cœli plagas circumfluus, & ab occasu montium ille tractus, a PTOLEMAEO Asciburgius adpellatus, complectitur. CLVVERIVS *Cap. XXXIII. versus septentriones* oppidum *Bydgosez,* & *ad meridiem* oppidum *Osswieczym,* vtrumque ad Vistulam situm, nominat; vnde medium flumen totum Ligios distinxerit a Sarmatia. Iam omne Ligiorum solum Sclauis Polonis cessit, nec quicquam Germaniæ nominis in eo tractu superat.

Lygiorum nomine complexæ ciuitates.

Germaniæ orientalis pars media.

XVII. Ipso Lygiorum communi nomine complexæ ciuitates atque gentes propriis adhuc nominibus discretæ fuere; & valentissimas ex iis Tacitus nominauit. Fuere *ARII*, *HELVECONAE*, *MANIMI*, *ELTSII*, *NAHARVALI*. Ptolemæus habet *LVGOS DIDVNOS*, *LVGOS OMANOS*, *LVGOS BVRIOS*, & *AELVEONES*; quorum nominum quædam cum Taciti nominibus conueniunt, quædam diuersa sunt. Namque & superfuere alia ciuitatum, a Tacito silentio transmissarum, nomina, ipso illo auctore teste. Qui velit distinctas singulis gentibus sedes adsignare, luderet operam; cum, exterminata dudum ex illa regione Germanica lingua, nihil sit reliquum, vnde liceat coniecturam capere. Quæ in Ligiorum descriptam regionem Ptolemæi loca cadunt; ex egregii eius interpretis æstimatione sunt *Carrodunum*, *Asanca*, & *Arsicua*, ad Vistulam amnem cum *Parienna*, *Setuia*, & fortassis *Eburo*, in mediterraneis. *Carrodunum* interpretatur vir eruditus de oppidi *Radom* positione. *Asancam* cupit in *Sandomir* vrbem quadrare. *Arsicua* positionem cum regiæ vrbis *Cracau* nomine situque optime conuenire ostendit. Aliquis *Pariennam* in Osorum Gothinorumque confinio ad Viadri amnis fontem constituit, & in nomine villæ *Parn* antiquum nomen quæsiit. Noster, quem sequimur, antiquitatis interpres Pariennam inter Arsicuam & Setuiam locauit; vt neget tamen reperiri locum, qui veteris nominis det indicium. *Setuiam* autem contra septentriones ab Arsicua pergentibus facile ostendit oppidum, quod hodieque *Setzuin*, seruato prisco cognomento, adpellatur. *Eburum* denique posita hodie in Sarmatarum Germanorumque confiniis villa *Byrum* iuste creditur referre (q).

Clara loca in Lygiis.

XVIII. Nostri

(q) TACITVS *Germ. Cap. XLIII. Ligiorum nomen in plures ciuitates diffusum. Valentissimas nominasse sufficiet, Arios, Heluecona, Manimos, Elysios, Naharnalos.* Apud PTOLEMAEVM sunt; Αἰλουαίωνες, *Aelueones*; Λοῦγοι Ὀμανοί, Λοῦγοι Διδοῦνοι, Λοῦγοι Βοῦροι, *Lugi Omani, Lugi Diduni, & Lugi Buri.* Nemo adhuc, & ne ipse quidem CLVVERIVS, diuersas singulis adsignare

Ligii. XVIII. Nostri Ligii rursum sunt in iis gentibus, quarum memoriam dudum inobscurauit obliuio; quarum imo historiam, cum adhuc audirentur, vix non plena contexit ignoratio. Prima Ligiorum mentio in Strabone, sed corrupto quodammodo nomine, occurrit; cum *Luios* suos, nostros sane *Ligios*, in ditionem Marobodui redactos memorat. Inde, regno Marobodui euerso, semper liberi Ligii egisse creduntur, ipsique in clientela minores quasdam ciuitates habuisse. Cum Vannianum regnum domesticis discordiis periret, vis innumera, Ligii, fama ditis regni, quod Vannius XXX per annos prædationibus & vectigalibus auxerat, aduentarunt, diuidendæ simul intenti prædæ. Ex Romanis imperatoribus cum Ligiis bellum administrauit præter Probum nemo. Tum vero, Zosimo scribente, *Logiones*, qui sane nostri sunt *Ligii*, cum vicinis Burgundionibus vsque ad Rhenum penetrarunt; vix a Probo cohibiti & repressi. Fœdus icerant sine dubio cum Burgundionibus, & cum Vandalis, qui omnes illius belli socii consortesque fuere. Dissociatis autem dolo Probi imperatoris nationum istarum causis, facilius singulæ victæ & profligatæ sunt. Post Probi æuum prorsus exoleuit Ligiorum nomen, nec a quopiam auctore vltra memoratum legitur. Cum fieri non potuerit, vt funditus euerteretur natio, nec quidquam eius rei Romani fama acciperent; non profecto exstinctam censeo ciuitatem, sed eo tempore in magni cuiusdam fœderis societatem receptam esse.

Gentis obscura facta fataque.

Ann. L.

Ann. CCLXXX.

sedes conatus est. At plerique tamen *Elysios* de *Silesiorum* nobilissima natione interpretari consueuere, quod prope nominibus vtrisque conueniat. Cum sedes vero prorsus differant, porro opus erat migrationem Elysiorum in vicinas regiones constituere, vt seruaretur sententia. Nos eius rei nihil decernimus. Quod TACITVS dixit; vltra illud iugum, quod dirimit sciditque Sueuiam, plurimas gentes egisse; ex quibus latissime patuerit Ligiorum nomen: inde opiner fere, plura PTOLEMAEI vocabula, quæ nemo interpretari nouit, cum Ligiis ponenda fore, vt TACITI satisfiat menti. Sed sibi alius, si volet, eam operam sumat. In PTOLEMAEI oppidorum adsignatione sequor denuo *illustrem* ALTINGIVM.

Germaniæ orientalis pars media.

Quale fuerit fœdus, ad quod Ligii accesserint; iterum ignoramus, quam quod maxime; & meræ sunt coniecturæ, quas hic oportet sequi. Fortassis pars ciuitatum, Ligiorum societate comprehensarum, cum Vindelis, siue Vandalis, quibuscum ante fecerant, extremam suscepere migrationem. Si dederis Sueuis, si & Burgundionibus, atque Longobardis, Ligiorum dederis partes, non magis contra dixero; cum vrgeat vtique minorum ciuitatum succedens amplitudo conquirere diuersas accessiones aliarum gentium, quibus factis illa demum nata est. Lubet Boioariorum meminisse. Nil cerno obstare, quo minus existimemus, cum Buriis Ligiorum partem in Noricum transgressam nouo Boioariorum nomine esse insignitam. Sane, quem Seneca alicubi miratur, assiduum humani generis discursum nusquam magis, quam in veteri Germania, licet conspicere & contemplari; noua vt vrbium atque ciuitatum olim iacta sint fundamenta; noua vt gentium, adde & fœderum, nomina, exstinctis prioribus, aut in accessionem validioris, nationis nempe aut fœderis, conuersis, orta sint. Qui vero continuus ciuitatum nostrarum discursus, & quæ perpetua nominum vicissitudo, debet vtique historia deficiente sobriarum commodarumque coniecturarum nobis fons esse (*r*).

Assiduum humani generis discursum præcipue vetus Germania monstrat.

XIX. Vt

(*r*) De *LIGIIS*, quos *Lugios* vocat, ad Marobodui regnum adductis, testis STRABO *Lib. VII.* est. Vanniana calamitas, quam adiuuerunt simul Ligii, descripsit TACITVS *Ann. XII. Cap. XXIX. XXX.* De Probi imperatoris cum Ligiis bello ita narrat ZOSIMVS *Lib. I.* Μάχας δὲ καρτερὰς ἠγωνίσατο πρότερον μὲν πρὸς Λογίωνας, ἔθνος Γερμανικὸν· οὓς καταγωνισάμενος, καὶ Σέμνωνα ζωγρήσας ἅμα τῷ παιδὶ τὸν τούτων ἡγούμενον, ἱκέτας ἐδέξατο, καὶ τοὺς αἰχμαλώτους, τὴν λείαν πᾶσαν, ἣν εἶχον, ἀναλαβὼν, ἐπὶ ῥηταῖς ὁμολογίαις ἠφίει, καὶ αὐτὸν Σέμνωνα μετὰ τοῦ παιδὸς ἀπέδωκε. *Acres etiam pugnas commisit, primum contra Logiones, nationem Germanicam: quibus deuictis, quum Semnonem eorum ducem cum filio viuum in potestatem redegisset, supplices factos in fidem recepit, & captiuis, omnique præda recuperata, quam habebant, certis eos conditionibus dimisit, ipso quoque cum filio Sem-*

XIX. Vt Ligii fuerint regnati, quibusque rationibus singulæ eorum ciuitates inter se sociatæ fuerint; id per summum omnium auctorum silentium vix vlla licet adsequi coniectura. Solus Zosimus belli a Probo contra Ligios administrati scriptor, *SEMNONEM* ducem ipsorum, eiusque filium, nominauit; qui vterque a Probo capti honorificeque rursum dimissi fuerint. An nomen *Semnonis* duci fuerit, vtrum natione *Semno*? vtrumque licet opinari, non definire. Nec constat inde, an uni imperium a Ligiis fuerit concessum, vtrum vero singulæ ciuitates singulares duces habuerint? Multa liceret vtique opinari, sed sine teste atque auctore non vacat in dubiis atque obscuris versari rebus. Ex populi præcipuis institutis, reliquis silentio dissimulatis, solorum *Ariorum* atque *Nabarualorum*, & rei inter hos sacræ, meminit Tacitus. *Arios*, ait, super vires, quibus enumeratos paulo ante populos antecedant, truces exstitisse, insitæque feritati arte ac tempore lenocinatos esse: nigra scuta, tincta corpora, gessisse, atque atras ad prælia noctes legisse, ipsaque formidine atque vmbra feralis exercitus terrorem inferre consueuisse; nullo hostium sustinente nouum ac velut infernum adspectum; cum scilicet primi in omnibus prœliis oculi vincantur. Apud *Nabarualos*, inquit, antiquæ religionis lucus, ostenditur. Præsidet sacerdos muliebri ornatu; sed deos interpretatione Romani *Castorem Pollucem*que memorarunt. Eius numinis nomen *ALCIS* fuit. Nulla simulachra, nullum

Formula rei publicæ Lygiorum.

Ariorum mores.

Nabarualorum sacra singularia.

none reddito. Statim postea addit ZOSIMVS bellum a Probo cum Vandalis & Burgundionibus administratum. Ad quem ceterum prouocamus, SENECA ipse meretur audiri. In *consolatione ad Heluiam matrem Cap. VI.* ita ait: *Assiduus humani generis discursus est. Noua vrbium fundamenta iaciuntur, noua gentium nomina, exstinctis prioribus, aut in accessionem validioris conuersis, oriuntur. Itaque vix inuenias vllam terram, quam etiam nunc indigenæ colunt. Permixta omnia & insititia sunt: alius alii successit.*

nullum peregrinæ ſuperſtitionis veſtigium adparuit: vt fratres tamen, vt iuuenes, venerati ſunt. Sed hæc quoque hactenus (*s*). *Germaniæ orientalis pars auſtralis.*

CAPVT VI.
ORIENTALIS GERMANIAE PARTIS AVSTRALIS HISTORIA.

I.

Hermunduroroum antiquæ ſedes.

VErſi ſiniſtrorſum nunc Danubium ſequimur, vltimumque in meridiem Sueuiæ latus, a valentiſſimis nationibus ocupatum, colluſtramus. Primi hic

HERMVNDVRI,

antiquiori æuo inter Salam Albimque ad Mœnum vsque, & Auguſti æuo ad vsque Danubium, coluerunt. HARVDES equidem, qui antiquitus ſupra Mœnum ad Danubium pertigere, nonnulli in ipſis Hermunduris referunt; vt adeo nunquam non Hermunduros Danubius habuerit. Sed verius Hermundurorum ad Danubium habitatio ab eo æſtimatur tempore, quo Maroboduus Marcomannos ſuos, ſimulque Seduſios, atque Harudes, in Boiohœmum transtulit, Hermundurisque, vt agros prolatarent, locum fecit. Tum a Vinde-

(*s*) Præter TACITI genuina verba ex *Germ. Cap. XLIII.* nil adnotamus. *Apud Nabarualos*, inquit, *antiquæ religionis lucus oſtenditur. Præſidet ſacerdos muliebri ornatu, ſed deos interpretatione Romana Caſtorem Pollucemque memorant. Eius numinis nomen Alcis. nulla ſimulacbra, nullum peregrinæ ſuperſtitionis veſtigium. vt fratres tamen, vt iuuenes, venerantur. Ceterum Arii ſuper vires, quibus enumeratos paulo ante populos antecedunt, truces, inſitæ feritati arte ac tempore lenocinantur. nigra ſcuta, tincta corpora, atras ad prælia noctes legunt: ipſaque formidine atque vmbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hoſtium ſuſtinente nouum ac velut infernum adſpectum. nam primi in omnibus præliis oculi vincuntur.*

Hermunduri.

Vindelicia & ſplendidiſſima Rhætiæ prouinciæ, quam Tacitus adpellat, colonia, Hermundurorum regionem Danubius diuiſit. Dextrum latus mixtum illud hominum genus, quod in locum Marcomannorum ſucceſſit, & ætate adultiore Alemannica ciuitas, clauſit. Siniſtro lateri Nariſci ad flumen Danubium continuati ſunt: iſtos nationum ſitus optimis quibusque auctoribus probantibus. Inferius Salam inter & Albim, ad fluuios confluentes, Hermunduri egerunt. Cis Salam Catti ad eosdem vsque confluentes Hermundurorum confines fuere: indeque graue bellum, ſcribente Tacito, ortum eſt, quod vterque populus nobiles ſalinas, quæ ſunt prope Salam amnem, vi traheret. Trans Albim Semnones contermini noſtris fuere Hermunduris; quo & ſenſu Velleius ait, Albim Semnonum Hermundurorumque fines præterfluere: ſiquidem ab vna parte Hermundurorum, ab altera Semnonum, fines occurrebant. Qua in auſtri partibus per Hercynios montes Albis peruadit, Marcomannorum limites Hermunduros finiiſſe, conſtat. Probabile eſſe contendunt, omnes Hercynios montes ad Gabretam vsque ſiluam ambiiſſe Hermunduros; indeque ex vtraque Mœni parte ad Radiacum & Redonitium amnes, eiusque confluentes, habitaſſe; demum Aeſchio amne, qui miſcetur Redonitio, & Brentio, qui in Danubium intrat, ab Alemannis fuiſſe ſeparatos (*t*).

II. Nomen

(*ſ*) *HARVDES* vidimus ſupra a dextro Marcomannorum latere. His cum reliquis copiis in Boiohœmum translatis, *HERMVNDVRI* verſus meridiem ad Danubium vsque progreſſi ſunt. Has ſedes indicat TACITVS *Germ. Cap. XLI. Propior, vt quomodo paulo ante Rhenum, ſic nunc Danubium ſequar, Hermundurorum ciuitas, fida Romanis, eoque ſolis Germanorum non in ripa commercium, ſed penitus, atque in ſplendidiſſima Rhætiæ prouinciæ colonia paſſim & ſine cuſtode tranſeunt; & cum ceteris gentibus arma modo caſtraque noſtra oſtendamus, his domos villasque pateſecimus, non concupiſcentibus.* Mox *Cap. XLII. Iuxta Hermunduros Nariſci, ac deinde Marcomanni & Quadi agunt. - - - Eaque Germaniæ velut frons eſt, quatenus Danubio prætexitur.* Alemannorum, & ante mixti hominum generis, confinium ex iis, quæ alibi diximus, iam probatum eſt. Nariſcos ſtatim ab Hermunduris TACITVS ad Danubium locat. Cattorum Her-

Nomen & genus Hermundurorum.

Germania orientalis pars australis.

II. Nomen Hermundurorum omnibus auctoribus idem est. Quod enim *Eumunduros* Strabo nominauit, & Ptolemaeus eodem, quo Tacitus Hermunduros, loco *Dandutos* locauit; vitio id haud dubie scribarum tribuendum est. Origo nominis non anxie circumspicienda est; facile reperitur. Fuere in Hermionibus Hermunduri; censeo, imo Hermionum fuisse praecipuos, & inde eorum natum nomen esse. *Hermiones* ab *Hermione* adpellatos esse, ex vetustis Germanorum carminibus Tacitus retulit: nec dubitemus ergo ad eundem Germaniae heroëm *Hermundurorum* referre nomen, adeoque desinamus cum aliis ineptas nominis sectari interpretationes. *SVEVORVM* nomen extremum in nostris stetit Hermunduris, eorumque regio seriori aetate praecipue SVEVIA dicta est; quod aliquoties iam docuimus. Postquam etiam Sueuia magnam partem cis Danubium in Vindelicia se explicuisset, Hermundurorum colonias eo missas maxime in caussa fuisse, vt Sueuiae nomen extra antiquum Germaniae finem constiterit, abunde patuit. Qui tamen Sueui quinto

Hermunduri extremi Sueui.

mundurorumque confinium, Sala interfluente, probat bellum ab his gentibus ob salinarum possessionem gestum, quod descripsit TACITVS *Ann. XIII. Cap. LVII.* Ex VELLEIO *Lib. II. Cap. CVI.* de Albi Semnonum Hermundurorumque fines praeterfluente constat. CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. III. Cap. XXVIII.* generalibus finibus, quos boni auctores probant, singulares limites, satis commodis coniecturis motus, adiecit. *Ab occasu* Salam amnem ad oppidum vsque *Salefeld*, hinc lineam ad Radiaci fontem, mox ipsum Radiacum Moenumque ad Redonitium vsque confluentem & oppidum *Bamberg*, hinc Redonitium & Aeschium amnes, dein Lineam ad oppidum *Kœnigsprun*, ac denique Brentium, qui in Danubium euoluitur, constituit; hisque finibus ab Alemannia Hermundurorum regionem diuidit. *Ab ortu* limite iuxta lineam ab *Ingolstadio* ad fontes Moeni a Nariscis dirimit Hermunduros; inde *ab ortu brumali* ad Albim vsque flumen Boiohoemicis iugis a Marcomannis; hinc *ab ortu aestiuo* ipso Albi ad confluentem Salam a Semnonibus. *Australem* limitem dat Danubium, a Brentio confluente ad oppidum *Ingolstadt*. His hodie finibus continentur, *Anhaltini principatus, ducatusque Saxoniae,* portiones inter Salam atque Albim; *Misnia* fere tota, parua excepta parte, quae trans Albim est; *Vogtlandia* tota; *Coburgiensis ducatus* pars; *Franconiae* pars ad laeuam Moeni ripam; *Palatinatus superioris* exigua portio; & *Sueuiae* demum exigua trans Danubium portio.

Hermunduri.

quinto ſeculo ineunte in Galliam & Hiſpaniam celebrem fecere migrationem, videntur magis Semnones, vicinæque fuiſſe gentes, quam Hermunduri; qui Vindeliciæ occupandæ dudum intenti tum erant, & demum ex voto rem geſſere. Non interim aduerſum me ſentient, qui cupient, ſimul cum Semnonibus Sueuorum Hermundurorum partem patrium ſolum vertiſſe, & in occidentales prouincias inuaſiſſe. Ipſe enim docui, in Germanicis rebus non eſſe veriſimile, vt integræ ſemper ciuitates ad vnum ſe fœdus adgregauerint; ſed fuiſſe potius hoc ex libertate, præſertim in Orientis Germania, vitium, vt crebro cauſam diſſociarint pagi, & diuiſi in partes, dilapſique, ad diuerſas gentium ſocietates acceſſerint *(b)*.

III. In

(b) STRABO *Lib. VII.* de *Sueuis* loquutus ait: *διήκει γὰρ ἀπὸ τοῦ Ῥήνου μέχρι τοῦ Ἄλβιος, μέρος δέ τι αὐτῶν καὶ πέραν τοῦ Ἄλβιος νέμεται, καθάπερ Ἑρμόνδοροι, καὶ Λαγκόσαργοι. A Rheno ad Albim vsque pertingit,* (Sueuorum natio) *& trans Albim habitant pars eorum, vt Eumondori* (Hermunduri) *& Langcoſargi.* (Langobardi) Impetire hic STRABONEM facere, quod cum Langobardis Hermunduros trans Albim ponat, quilibet cernit: ſed videtur intellexiſſe Salam, & dixiſſe Albim; prorſus vt TACITVS alium amnem, qui cum Albi confluit, pro ipſo Albi accepit. PTOLEMAEI *Lib. II. Cap. XI.* ſunt. Δαύδουτοι, *Danduti*; ſed eo ſitu, vt Hermunduros, agnoſcas. Hermunduros extremos Sueuos eſſe, iam ſupra oſtendimus. VOPISCVS *in Aureliano Cap. XXXIII. Gothi, Alani, Roxolani, Sarmatæ, Franci, Sueui, Vandali, Germani.* OROSIVS *Lib. VII. Cap. XV. Gentes immanitate barbaræ, multitudine innumerabiles, hoc eſt Marcomanni, Quadi, Vandali, Sarmatæ, Sueui, atque omnis pene Germania.* AETHICVS *Coſmographus; Oceanus occidentalis habet gentes, Gothos, Thuringos, Herulos, Marcomannos, Longobardos, Sueuos, Francos, Alamannos.* IORNANDES *de Rebus Geticis* ſimul *SVEVORVM* regionem deſcribit, vt facile agnoſcas *HERMVNDVROS* noſtros. Multa tamen in ea deſcriptione inconcinna occurrere, partimque ad æuum, quod ſignat, Leonis inquam & Glycerii imperatorum, partim ad antiquius, aut etiam recentius, reſpici, nemo valde mirabitur, qui IORNANDIS indolem perſpexit. *Danubium congelatum,* inquit, *Theodemir, Gothorum rex, cernens, pedeſtrem ducit exercitum: emenſoque Danubio, Sueuis improuiſus a tergo apparuit. nam regio illa Sueuorum ab oriente Baioarios habet, ab occidente Francos, a meridie Burgundiones, a ſeptentrione Thuringos, quibus Sueuis tunc iuncti Alemanni etiam aderant; ipſique Alpes Rhæticos omnino regentes.* Et PROCOPIVS *Goth.*

In Hermunduris vetustatis monumenta.

III. In antiquiori Hermundurorum Salam inter & Albim regione locus Ptolemæi occurrit *Canduum*. Examinata positione Ptolemæi, conuenire Canduo Ptolemæi cum *candida*

Germaniæ orientalis pars australis.

Lib. I. ad hos nostros Sueuos respexit. Τῶν δὲ Θοριγγων Βουργουζίωνες οὐ πολλῷ ἄποθεν πρὸς νότον ἄνεμον τετραμμένοι ᾤκουν· Σούαβοί τε ὑπὸ Θοριγγων καὶ Ἀλαμανοὶ, ἰσχυρὰ ἔθνη. *Haud procul Thuringis Burgundiones, in austrum versus colebant: iterumque sub Thuringis Suabi, & Alamani, valida gentes.* Burgundionum sedes, quas diuersis temporibus, antequam in Galliam inuaderent, in Alemannorum priscis finibus habuerunt, PROCOPIVS & IORNANDES his locis, quod facile patet, intelligunt. Huc & TABVLA ITINERARIA facit, quæ vocabulum SVEVIA super Rheni ripam inter Magontiacum atque Argentoratum depictam habet: non, quasi Rheni ripam tunc coluerint Sueui; sed quia e regione dictorum oppidorum vltra Alemannos vera Romanorum *Sueuia* constitit. Sic *Vandulorum, Lugiorum, Buriorumque*, nomina, supra etiam Marcomannorum Quadorumque vocabula, in Danubii ripa, illa TABVLA vetus exhibet; non, quasi tum Danubium illæ accoluerint gentes, sed quia a regione vnius alteriusque Danubii partis interiora Germaniæ habitarunt. Intulisse extremum *Sueuos Hermunduros* suum nomen in *Alemannorum*, qui omnem iam veterem Germaniam reliquerant, priscam patriam, indeque in Rhætiam et iam successisse; iam aliquoties monstratum est. Tum recte PAVLVS DIACONVS *Lib. II. Cap. XV. Liguria*, inquit, *vsque ad Gallorum fines extenditur. Inter hanc & Sueuiam, hoc est, Alemannorum patriam, quæ versus septentrionem est posita, duæ prouincia, hoc est, Rhætia prima, & Rhætia secunda, inter Alpes consistunt, in quibus proprie Rhæti habitare noscuntur.* Proprii Rhæti in Alpes se receperant. Alemanni Rhætias insederant. In Alemannorum veteres fines Sueui nostri successerant. Ceterum & Alemannos non raro Sueuos dictos esse, vidimus alibi. Et Sueuos, cum se cum Alemannis coniunxissent, in causa fuisse, vt promiscue *SVEVI* & *ALEMANNI* nuncuparentur, satis constat. Huc illud PAVLI DIACONI *Lib. III. Cap. XIIX.* facit; *Ex Suauorum, hoc est, Alamannorum, gente oriundus inter Longobardos creuerat.* Sed an nostri *Sueui* etiam ii sint, qui in Gallias quinto ineunte seculo inuaserunt? de eo dubito. Quippe reperio, a Romanis Sueuorum vocabulum nonnunquam cum vlterioribus Sueuiæ populis communicari, ceteros ad Danubium populos separatim nominari. Sic IVL. CAPITOLINVS *in Marco Antonino Cap. XXII. Gentes omnes*, inquit, *ab Illyrici limite vsque Galliam conspirauerant, vt Marcomanni, Narisci, Hermunduri, & Quadi, Sueui, Latringes, & Buri.* Breuius EVTROPIVS *Lib. VIII. Cap. VI. Marcomannicum bellum, quod cum his Quadi, Vandali, Sarmatæ, Sueui, atque omnis barbaria commouerat.* His locis haud dubie *Semnones*, Sueuorum nobilissimi, & *Ligii*, *Sueuorum* nomine accipiendi sunt, cum Hermundurorum nomen a CAPITOLINO singulatim sit additum. Puto igitur, cum Sueui in Gallias atque Hispanias inuaderent; maxime *Sueuorum* illo nomine *Semnones, Ligiosque*, & vlteriores *Sueuos*,

Hermunduri. *dida rupe, Weissenfels*, ad Salam claro oppido, indeque fortassis nomen esse natum, eruditus aliquis auctor constituit. Trans Salam etiam nobiles Salinæ, quæ hodieque *Halam* illustrant, in Hermundurorum fuere finibus. Vi autem flumen gignendo sale fœcundum traxere, ex vna parte Hermunduri, ex altera Catti; postulatæ a Cattis salinarum, quæ in finibus erant, partis certo argumento. Victis Cattis victores Hermunduri tutam salinarum possessionem soli tenuerunt. Ad Danubium, qua præterfluit Vindeliciæ & Hermundurorum fines, *Alcimœnin*, Ptolemæi locum, mauult aliquis locare, & de *Altmühl*, villa ad cognominem amnem sita, interpretari; quam de nobilissimo oppido *Vlma*, quod plerique faciunt, Alcimœnin accipere. In Alemanniæ celebribus locis, ex sententia communi, *Alcimœnin* Ptolemæi, & *Samulocœnin*, locum, quem vetus notauit tabula, commisimus, & vtrumque de *Vlm* sumus interpretati. Vt vero Samulocœnis relinquatur indicto situi; non cetera eos moror, qui Alcimœnin Hermundurorum regioni vindicant. De *fonte Albis* Tacitus memorauit, eum fluuium in Hermunduris oriri. Cum addat vero, flumen fuisse inclitum, & notum olim, nunc tantum audiri; facile ipsi error condonatur. Aut habuit Egram amnem, qui sane oritur in Hermunduris, pro Albi ipso; & Romano homini, licet alioquin accuratissimo, male id culpæ daretur. Aut oriri dixit Albim in Hermunduris, quod certo iam alueo, quique terminus esse sufficiat, fines Semnonum atque Hermundurorum præterfluxerit; nec tum error Taciti incusandus est, sed obscurius verbum explicandum. In Hermundurorum regione prælium ab Arminio cum Maroboduo commissum esse, pleraque suadent: quod defen-

Non Albis fons in Hermunduris.

Prælium Marobodui & Ar-

qui ante ad Danubium teste IORNANDE *de Rebus Geticis*, concesserant, intelligi. Ceterum illam Sucuorum in Galliam atque Hispaniam migrationem describunt ZOSIMVS *Lib. VI.* OROSIVS *Lib. VII. Cap. XXXVIII.* PROSPER *Aquitanus* & CASSIODORVS *in Chronicis*; ISIDORVS *in Chronico Vandalorum & Sueuorum*.

minii in Hermunduris. defendit Maroboduus bellum, non intulit; quod Semnones *Germaniae orientalis pars australis.* ipsi a Maroboduo defecerant; quod proximum Arminio in infestam prouinciam hoc iter fuit; quod victus Maroboduus primum castra in colles subduxit, mox in Marcomannos concessit. Et locus praelii procul dubio haud longe dissitus ab Hercyniis montibus fuit. Aegre tamen mihi persuadeo, posse iuste locum hodieque indicari, cum generatim tantummodo eum auctores definiuerint. Strabonem, qui trans Albim Hermunduros habitasse scripsit, lapsum esse per errorem; post ea, quae diximus, verbo duntaxat vno affirmare libet (x).

IV. Her-

(x) CLVVERIVS noster ne vnum quidem Ptolemaei locum Hermunduris adsignauit: sequuti ergo sumus MENSONEM ALTINGIVM. Ratione *salinarum*, quibus *Hala* nobilissima abundat, & de quarum possessione Catti Hermundurique pugnarunt, audiendus hic ipse TACITVS *Ann. XIII. Cap LVII. Eadem*, inquit, *aestate inter Hermunduros Cattosque certatum magno praelio, dum flumen gignendo sale fecundum, & conterminum, vi trahunt; super libidinem cuncta armis agendi, religione insita, eos maxime locos propinquare caelo, precesque mortalium a Deis nusquam propius audiri, inde indulgentia numinum, illo in amne, illisque siluis, salem prouenire, non vt alias apud gentes eluuie maris arescente vnda, sed super ardentem arborum struem fusa; ex contrariis inter se elementis, igne atque aquis concretum. Sed bellum Hermunduris prosperum, Cattis exitiosius fuit, quia victores diuersam aciem Marti ac Mercurio sacrauere, quo voto equi, viri, cuncta victa, occidioni dantur.* Non dubium est, maxime disceptasse Cattos Hermundurosque de vberioribus salinis, quas non habet Sala amnis, nisi insigne oppidum *Halam* praeterfluens. Siluae, quas TACITVS memorat, cursu tot centum annorum facile deletae sunt, vt nihil adeo repugnet TACITI narrationi, quod regio Halam ambiens raras habeat siluas. De *Albi* TACITVS *Germ. Cap. XLI.* dicit; *In Hermunduris Albis oritur, flumen inclitum & notum olim: nunc tantum auditur;* Errat vtique TACITVS; sed errandi facilis causa exstitit. Albis nempe oritur in extremis Boiohaemi versus orientem aestiuum finibus, in confinio Silesiae, qua oppidum haud procul situm *Schmiedeberg*, in valle, vulgo *Teuffels grund* dicta, quasi dicas *Vallem diaboli:* vbi ex monte profluit, qui vulgo vocatur *das Riesen-Geburge*, hoc est, *Gigantum iugum.* Locum paulo supra signauimus, cum *Deuonam* PTOLEMAEI de fonte Albis interpretaremur. *Albi* ergo longe ab iis finibus, quos Hermunduris dedimus, oriente; *Egrae* contra fons in Hermundurorum confinio, vna cum Salae ac Moeni fontibus, vno eodemque profunditur monte, qui vulgo accolis dicitur *der Fichtelberg*, quasi dicas *Piniferum montem*. Hunc *Egram* pro *Albi* accepit TACITVS; recteque de

Hermunduri. Ann. V. C. ∞DCCXLV. Ant. C. N. VI.

Eorum insignia fata;

IV. Hermundurorum res gestæ partem maximam latent obliuione obrutæ. Tiberium nouimus bellando ad eorum peruenisse fines: nec vero tam armis Romanorum fracti, quam beneuolentia eorum capti atque deliniti videntur, vt iis postea bene cuperent. Marobodui imperium Hermunduri etiam tolerarunt; nec ante, quod videtur, Maroboduum deseruerunt, quam rebus omnibus desperatis ad Romanos confugere is necesse habuisset. *Marobodui* destructo regno suum Hermunduri regem *VIBILIVM*, siue *Iubillium*, habuerunt; qui præcipue *Catualda* rege pulso, atque *Vanniano* regno subuerso, populoque ad bella impensius exercito, fortassis etiam Cattico bello reportata victoria, inclaruit. De sua ætate memorauit Tacitus, fidam amicamque Romanis fuisse Hermundurorum ciuitatem; eoque solis Germanorum non in ripa commercium fuisse, sed penitus in Romana prouincia, atque in splendidissima Rhætiæ prouinciæ colonia. Passim, ait, sine custode transeunt; & cum ceteris gentibus Germaniæ arma modo castraque sua Romani ostenderint, his domos villasque patefecere, non concupiscentibus. Sed iam Antoninorum æuo, nisi antea, desiit cum Romanis amice atque familiariter viui. Fuerunt Hermunduri in validissimo

Ann. L.

Ann. CLXVII.

Qqq q 3 Sueui-

illo, non de hoc, dixit, in Hermunduris oriri. Idem error PTOLEMAEO videtur imposuisse, qui in tabula fontem Albis non verum expressit, sed vnum reliquorum amnium, qui se miscent Albi, adsumsit. MENSO tamen ALTINGIVS, vbi Deuonam Albis fonti vindicat, veram etiam eius posituram PTOLEMAEO vindicare conatur. De prælio Arminii cum Maroboduo commisso ex CLVVERII mente commentatio præcipit. Hic pro eo, quod omnia coniecturis adsequi conatur, constituit locum prælii circa ea loca, vbi nunc oppida Misniæ visuntur *Zöficke* & *Chemnitz*. Illic, inquit, pugna commissa est. ex qua Maroboduus, animo perculsus, in colleis, circa oppida *Annaberg* & *Mariaberg* castra subduxit: nudatusque transfugis, cum rebus suis diffideret, in Marcomannos, id est, in Boiohœmum concessit. Coniecturæ CLVVERII non profecto leues aut infirmæ sunt. Facile tamen reperierim argumenta, quibus Semnonibus prælii locus contra CLVVERIVM vindicari posset: vnde saltem hoc probatur, esse adhuc dubium; vtrum in Semnonibus, an in Hermunduris, Arminius ac Maroboduus ingentem pugnam suam pugnauerint?

Sueuicarum gentium, quod maximam Romanis formidinem oppoſuit, fœdere. Exin infenſos hoſtes plerumque Romani Hermunduros experti ſunt, ægreque prouincias contra illorum, Marcomannorumque, & Quadorum, coniuncta arma tutati ſunt. Seriore ætate, cum Alemanni in Galliam inuaſiſſent, Hermunduri in Rhætiam irrupere, prouinciæque occuparunt partem. Non vltra tunc *Hermundurorum* nomine, ſed *Sueuorum* cognomine, fuere noti, cum longi laboris exoptata ferrent præmia. Inde eſt, quod plerique auctores Sueuorum in Galliam atque Hiſpaniam migrationem ſolis tribuunt noſtris Hermunduris, cum ipſi maxime Sueuica ætate adpellati fuerint. Ipſe non negaui, partem Hermundurorum cum Sueuis iſtis feciſſe; at iudicaui tamen, magis illam expeditionem a Semnonibus, vicinisque ciuitatibus, eſſe ſuſceptam, cum non conſtet alioquin, quo tot inſignes populi conceſſerint. Sueui extremi in Alemannicis agris, atque in Rhætiæ parte, conſtituti, in Francorum agere clientela tum cœperunt, cum proſtratis Alemannis pars maxima auſtralis Germaniæ victorem populum veneraretur (y).

Germania orientalis pars auſtralis.

ANN. CCCCVI.

ANN. CCCCXCIX.

V. Publi-

(y) De Tiberio, qui vsque ad Hermundurorum fines pugnando progreſſus eſt, ſæpe audiuimus VELLEIVM, *Lib. II. Cap. CVI.* Et Druſus ad vsque Hermuoduros peruenit, cum STRABO *Lib. VII.* dicat, inter Rhenum & Salam omnia armis eum peruagatum eſſe. *MAROBODVI* in regno Hermunduros nemo veterum oſtendit. Quod tamen VELLEIVS *Lib. II. Cap. CVIII.* de Maroboduo teſtatur; *Finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus iuris ſui fecit:* non ſoli Hermunduri videntur libertatem ſuam contra Marobodui vim defendere potuiſſe. Vndique deſerto Maroboduo, Hermunduri *VIBILIVM* Ducem habuerunt, a quo *CATVALDA*, Goto, qui in regnum Marobodui inuaſerat, pulſus eſt. TACITVS *Ann. II. Cap. LXIII.* Expulſis cum Maroboduo & Catualda, regibus, Sueuis Vannius rex a Tiberio datus erat, qui deinde videtur etiam Marcomannis Quadisque imperaſſe. Hunc Vannium *IVBILLIVS, Hermundurorum rex,* cum *Vangione* ac *Sidone* fœdere iunctus, poſt XXX circiter annos profligauit, regnoque expulit; idem, credo, nunc rex dictus, quem *Vibilii* nomine ante ducem Tacitus adpellauerat. Vid. TACITVS *Ann. XII. Cap. XXIX. & XXX.* Exinde diu amici Romanis Hermunduri fuere. Inde TACITVS *Germ. Cap. XLI.* dicit: *Hermundurorum ciuitas fida Romanis, eoque ſolis Germanorum non in ripa commercium, ſed penitus, atque in ſplendidiſſima*

Hermunduri. *& instituta publica.*

V. Publicum Hermundurorum ciuitatis statum ex iis, quæ narrata sunt, leuiter accipere licet. Patientes fuere regiæ potestatis Hermunduri; namque & in *Marobodui* fuerunt regno, & *Iubillium* habuerunt regem. Inimicos autem fuisse tyrannidi, & libertatis eximiam gessisse curam, bella suadent, quæ cum *Catualda*, atque cum *Vannio*, regibus, administrarunt; non ex alia causa, quam vt vicinas gentes seruitute liberarent, seque metu ipsos exsoluerent. Si Tacito credimus, qui admodum familiariter cum Romanis vixisse Hermunduros memorauit, mollioribus paulo, atque facilioribus, fuerunt moribus, quam Germani reliqui. Non tamen, quod Vbiis contigit, crebra cum Romanis consuetudine patria fracta est fortitudo atque virtus; sed tam hæc dein Romanis formidolosa atque horribilis visa est, quam ante grata & accepta eorum facilitas. Sero æuo non desinunt reges Sueuorum adpellari; conseruati in eis imperii regii fido argumento. Cum vero in Franciæ clientelam noua Sueuia traduceretur, non vltra regia dignitate vti licuit; sed Francico more dux, siue præses, quem Romani vocare consueuerant, prouinciam, cui tamen sua iura relicta sunt, administrauit (z).

VI. Se-

Rhetiæ prouinciæ colonia. (Augusta Vindelicorum) *passim, & sine custode transeunt; & cum ceteris gentibus arma modo castraque nostra ostendamus, his domos villasque patefecimus, non concupiscentibus.* Antonini æuo in valida gentium conspiratione diserte Hermunduros nominat CAPITOLINVS *in Antonino Cap. XXII.* *Sueuorum* nomine OROSIVS *Lib. VII. Cap. XV.* fortassis & EVTROPIVS *Lib. IIX. Cap. VI.* Sæpe inde cum *Sueuis* nostris, videlicet *Hermunduris*, bellum administrandum Romanis fuit; quod historia declarabit. Vd. VOPISCVS *in Aureliano Cap. XVIII. XXXIII.* AMMIANVS *Lib. XVI. Cap. XI.* *Sueuos Rhætias incursasse*, testatus. Bellarunt tamen & Sueuorum cohortes cum Romanis; vnde NOTITIA *Imperii Occid. in Præposit. Magistri militum præsent.* habet *præfectos gentilium Sueuorum in Lugdunensi III. & Aquitania I.* Conf. PANCIROLLVS *Comm. Part. II. Cap. LXXXVIII.*

(z) *VIBILIVS* dux, *Iubillius* rex, vnus, credo, Hermundurorum princeps. TACITVS *Ann. II. Cap. LXIII. Ann XII. Cap. XXIX.* Sero æuo reges Sueui suos habuerunt. *HVNNIMVNDVS & ALARICVS*, Sueuorum Reges, cum *Theodemiro*, Go-

Nariſcorum nomina & nominum origo;

VI. Secundi ab Hermunduris Danubium coluerunt

Germaniæ orientalis pars australis.

NARISCI,

quos Tacitus adpellat; quosque Ptolemæus *Variſtos*, ſiue, quod malunt auctores, *Nariſtos*, Dioque *Nariſtas*, nominat. Nomen nationis ab amne, qui eius regionem perlabitur, *Nanusque* dicitur, haud dubie acceptum eſt. Fortaſſis Nauus & Narus vocari conſueuit; aut, qui Nauiſci fuerunt compellati, fortaſſis mutata littera a Romanis ſunt Nariſci nuncupati. Ætate ſeriori in Nariſcorum regioni *ARMALAVSOS* veteres tabulæ, & *Armolaos*, Aethicus, poſuerunt: vt omnino nomen a Nariſcis mutatum, & hoc nouum aſſumtum, ſuſpicari liceat. Non mihi licuit noui nominis poteſtatem intelligere; nam quis *fœdam gentis paupertatem*, aut *ſqualidos populi mores*, vt inde lepidum vocabulum tractum ſit, probauit? donicum forte inciderem in antiquas Francorum leges, quæ meminere veſtium generis, cui fuerit *Armilauſæ* nomen. Certe hæc nominis interpretatio iuſta erit; dictos quandoque ſuperaddito cognomento Nariſcos eſſe Armilauſos, quod illo veſtium, aut pallii, genere præſertim vterentur. Vera

vera & vetus ſedes.

& vetus Nariſcorum ſedes ad *meridiem* Danubio ex vtraque amnis Naui parte prætexta eſt. Contra *ſeptentriones* Gabreta ſilua Hercyniique montes, ex Ptolemæi poſitione, Nariſcos diſterminarunt. Ad *ortum* rurſus Hercynios ſaltus, quos ſimul ſiluæ Gabretæ nomine Ptolemæus inſignire videtur, Nariſci Marcomannique habuerunt medios. Ad *occaſum* Hermunduri iuxta Nariſcos, Tacito teſte, coluerunt. Termini ex hoc latere ſunt incerti. At quidam tamen, a fonte Mœni amnis ad Pari amnis confluentes imputata via, veteres Hermunduros & Nariſcos diſtinguunt; iidemque, a Pari amnis conflu-

thorum rege, pugnarunt; teſte IORNANDE *de Reb Get. Alaricum*, Sueuorum regem, memorat EVGIPPIVS *Vita S. Seuerini. Cap. XXII.* In Francica clientela Suevi atque Alemanni Francico duci paruere, qui modo *Sueuiæ*, modo *Alemanniæ*, *dux* audis; ſed infra de eo inquiremus.

Narisci. confluentibus ad confluentem Aenum, Danubium fluuium Nariscis adsignant (*a*).

VII. Habet Ptolemæus duo loca, quorum positio in illam veterem Nariscorum regionem incidit. Sunt *Bibacum*, & *Brodentia*, a dextra Naui amnis ripa; quibus cum *Buchbach*, & *Loisingen*, oppidis non prorsus obscuris, plene conuenit. Loca insignia. Non absona est eorum sententia, qui in historia finium Nariscorum meminere pagi *NORDGOWA*, quem medium agnoscit æuum; eumque antiquos habitatores Nariscos, tum nomine, tum situ, prodere censuerunt. Alia Nariscorum nominis vestigia in propinquis terris. Cum Hermunduri in Alemanniam veterem, & in Rhætiam se proruerent, atque ex parte altera Sarmatis Boiohœmum cederet, satis iudico probabile esse, vt Narisci paulo secesserint ab alienigenarum confiniis, & in propinquos Hermundurorum agros concesserint, nomenque suum intulerint. Alii quidem de *Noricis*, qui transgressi Danubium in eam regionem immigrauerint, nomen-

(*a*) TACITVS *Germ. Cap. XLII. Iuxta Hermunduros Narisci, ac deinde Marcomanni & Quadi agunt.* Mox, *nec Narisci Quadiue degenerant.* PTOLEMAEVS *Lib. II. Cap. XI.* ὑπὸ τὰ Σούδητα ὄρη Οὐαριστοί. *Sub Sudetis montibus Varisti.* DIONI *Lib. LXXI.* dicti sunt Ναρίσται, *Naristæ.* Apud CAPITOLINVM *in Antonino Cap. XXII. Narisci* vocantur: *Palatinus* tamen *codex*, & quidam alii, agnoscunt, teste GRVTERO, vocem *Varistæ.* In TABVLA *itineraria*, eodem situ, quo egere *NARISCI*, legitur vox *ARMALAVSI*, inter Marcomannos & Alemannos. AETHICVS & iam in populis oceani occidentalis memorat *Armolaos.* Nominis interpretatio, quam adfero, nititur veterum legum auctoritate, vbi *Armilausarum*, pallii cuiusdam generis, fit mentio. Positio Nariscorum, quam TACITVS haber, iam memorata est. Ponit Nariscos sub montibus Sudetis, & addit statim, εἶτα ἡ Γαβρῆτα ὕλη. *postea Gabrita silua.* Explicata autem positio Sudetorum montium, & Gabritæ siluæ, Nariscorum nobis sedes manifestat. CLVVERIVS *Germ. Ant. Cap. XXIX.* ita Nariscos circumscribit. *A meridie* Danubius ab Aeni confluente ad *Ingolstadium* vsque Nariscos prætexuit. *Ab occasu* lineam hinc ad Mœni fontes dirigit; & *ab ortu æstiuo* Boiohœmicos saltus montesque constituit, quibus Marcomanni a Nariscis fuerint diuisi. Continentur vero his designatis Nariscorum finibus *Palatinatus Superior*, nunc iterum *Bauaricus*, cum *Landgrafiatu Leuchtenbergensi.*

nomenque dederint, illum pagum, & celebres quasdam vrbes in eo, interpretantur. Cum autem causa probabilis nulla subsit, vt potius Noricos in Germaniam ducamus, quam vt propinquos *Nariscos*, qui fortassis etiam *Norisci* fuerunt vocati, in vicinos immittamus agros; cum potius verisimilis superet causa, cur videantur Narisci relictis prioribus sedibus alio commigrasse: malo, iis motus rationibus, cum Nariscorum facere adsertoribus. Ergo testatur nobilissima vrbs, *Nurenberg*, de priscis conditoribus *Nariscis*, qui primam fortasse ibi contra Slauorum impetum fecerunt munitionem. Ergo & aliæ vrbes huius pagi, qui eius imitantur nomen, rectius ad nostros Nariscos, quam ad commentitiam Noricorum migrationem, in posterum referentur. Protendere imo magis coniecturam placet in *VARISCORVM* ciuitatem, quæ hodieque nomen priscum seruat. Et eam iudico veterem nostrorum *Nariscorum* esse prosapiam; cum maxime ipse Ptolemæus magis *Varistos*, quam *Nariscos*, probet: cum etiam ipsi quondam Narisci ad hodiernos prope Variscorum fines pertigerint (*b*).

Germaniæ orientalis pars australis.

Nariscorum acta.

IIX. Priscam Nariscorum gloriam satis Tacitus laudat, cum Marcomannicis descriptis laudibus statim breue subiicit elogium, quo Nariscos negat a Marcomannorum gloria degenerare. Marobodui regnum, forsan & Ariouisti regnum, Nariscos comprehendit; quæ quidem res ab auctoribus non diserte memoratur, sed per plurimas causas plenam fidem facere

(*b*) *Pagus NORDGAWE*, etiam *Noricus pagus* in medii æui monumentis adpellatur. Haud dubie tractum nomen ex opinione, quasi Norici Danubium, metu Hunnici belli, transgressi hunc pagum habitare cœperint. Inclyta *Noriberga*, censente BILIBALDO BIRCKHAYMERO, & ante eum CONRADO CELTE, celebri poëta, a *Noricis* inuenit nomen, quasi *Noricorumburgus*, vnde nomen nostrum *Norinburg*, & demum variante dialecto, *Nuren-berg*. Huic etiam opinioni accedit IOH. CHRIST. WAGENSEILIVS *in Comment. de Norib. Ciuit. Cap. II.* Nos facere malumus cum HERM. CONRINGIO, cui *in Epist. ad Casp. Sagittarium* magis videtur probabile, *Nariscos*, qui forsitan & *Norisci* dicti sunt, vrbis condendæ & denominandæ primam causam suppeditasse.

Nariſci. facere apta eſt. Maroboduo ex regno expulſo, non minus Nariſci, quam & Hermunduri, & Semnones, ſua libertate vſi ſunt. Quonam tum modo fuerint regnati; an rex, aut dux, ciuitati præfuerit? an in vicini cuiusdam populi fœdere fuerint? hæc omnia fruſtra quæruntur, cum ſileat omnis antiquitas. Semel Dio, ſemelque Capitolinus, meminere Nariſcorum; & hic præſertim in populis, qui contra Romanos Antoninorum æuo conſpirauerant, eos retulit. Inde vero accipimus, perrexiſſe Nariſcos fortiter agere, & bellis rem quærere: hiſtoria gentis parum adiuuatur. Quodſi ignorati paſſim nominis ea exſtitit cauſa, quod cito ad magnam quandam populorum ſocietatem Nariſci acceſſerint; ipſa quidem cauſa facile fidem habet, non tamen declarat, quodnam fœdus videatur Nariſcis placuiſſe. Vtcunque ſe res habuerit, ſiue cum Hermunduris, Sueuis, ſiue cum Marcomannis, ſiue cum aliis populis, Nariſci aliquandiu egerint; ſane ſera ætate proprium reſumſiſſe videntur nomen, & paulo de antiquis ſedibus, quod oſtendimus, ad occaſum, & contra ſeptentriones in Hermundurorum fines deflexiſſe. De *Armalauſorum* nomine nihil habeo dicere. Præter quod videtur Nariſcos denotaſſe, ignarum omnibus eſt, an ipſi Nariſci nomen adprobauerint; vtrum modo Romani ex veſtis genere præcipuo illud eis nomen impoſuerint? Vnum adhuc admonere viſum eſt, inepte putideque errare, aut iocoſe hiſtoriam ludere, eos, qui conſonanti inducti & innixi vocabulo, exiſtimarunt *Normannos*, ſiue *Nordmannos*, illos maximos maritimorum prædonum, noſtrorum *Nariſcorum* fuiſſe propaginem. Ergo in montibus ſaltibusque, quos incoluere noſtri Nariſci, nauigandi peritiam accepere, & in Nauo Danubioque didicere, vaſtum tentare oceanum. Ergo pauci Nariſci, per tot Germaniæ nationes itinere ad mare ſuſcepto, ſtatim vacuam ab habitatoribus regionem inuenere, & illico tam clari & inſignes omnium marium prædatores

Ann. CLXVII.

Inepta Nariſcorum de Nordmannis interpretatio.

euaſere. Ergo demum omnes boni auctores ſunt per errorem lapſi, qui Nordmannos Scandinauiæ vaſtæ veteres incolas vocarunt; qui, cum Taciti iamdum æuo claſſibus valuiſſent, vtique ad tractandum omne mare apti fuere atque idonei. Faceſſant commenta & ſomnia ab hiſtoria, ſileantque fabulæ, vbi de rebus certis, aut ſaltem probabilibus, inquirimus (c).

Germaniæ orientalis pars auſtralis.

Hercyniæ ſiluæ incinctorum camporum incolæ;

IX. Introimus in Hercyniæ ſiluæ incinctos campos, quorum fines ita ſaltibus montibusque ſunt circum circa a natura definiti, vt multum in terminis regionis inueniendis & indicandis hic quidem nobis minime laborandum ſit. Vetuſtiſſimos illi agri incolas, quantum rerum prodit memoria, habuerunt

BOIOS:

primi Boii;

a quibus ipſi adhæret regioni nomen, manetque adhuc nunc hodieque, vere quod cum Tacito dixerim, BOIEMI, ſiue Velleii vocabulo BOIOHOEMI, nomen; ſignificatque loci veterem memoriam; quamuis ſubinde mutatis cultoribus. Cum Boii habitarent illam prouinciam, qui populi diuerſi circumcirca ambientes coluerint mutarintque agros, prorſus fere ignotum eſt. Conſtat tamen de Heluetiis, & poſt

(c) TACITVS *Cap. XLII.* ſimpliciter dicit: *Nec Nariſci Quadique degenerant.* Statim enim ante de Marcomannis ita diſſeruerat; *Præcipua Marcomannorum gloria viresque, atque ipſa etiam ſedes, pulſis olim Boiis, virtute parta.* DIONIS *Lib. LXXI.* verba ſeruauit nobis THEODOSIVS, vnde conſtat, & illum, & CAPITOLINVM *in Antonino Cap. XXII.* Nariſcos in populis retuliſſe, qui contra Romanos conſpirauerunt. *Nariſcos*, ſiue etiam *Noricos* cis Danubium, nam de vtrisque opinio habetur, in clarum deinde nomen *Normannorum* euaſiſſe, vix per ſomnium aliquis concepiſſet, nedum auſus foret, ſibi aliisque id perſuadere. Cum tamen inuentus eſt, qui crederet, & ab aliis credi vellet indicare opinionem, viſum eſt, auctorem nominare, non viſum: cum non cenſeamus honeſtatem pati, vt ſimplicis erroris cauſa eruditorum lædatur fama. Hoc autem moneo, GVILIELMI *Apuli hiſtoricum poema, de rebus Normannorum, in Sicilia, Apulia, & Calabria, geſtis*, ad quod illius auctor opinionis prouocat, nihil minus velle, quam quod noſter poſtulat; ſed potius *Libri I. initio* origines Normannorum & ipſum nomen continuo ita interpretari, vt cupit hiſtoria.

Boii & Marcomanni.

post eos de Marcomannis, horumque sociis populis, eos a Rheno ad Hercynios usque montes, adeoque ad nostros pertigisse Boios. Quantum & videtur, tunc inter Salam & Albim Hermunduri, cis Salam Catti, siue Cæsaris Sueui, egerunt. Cis Danubium vtique Noricum iam floruit regnum, istudque Boiis proximum exstitit. Contra septentriones atque ad ortum probabilis quidem est veteris Sueuiæ positio; vt tamen nesciatur, an singulæ gentes eodem, quo Augusti Cæsaris æuo, modo distinctas sedes habuerint. Postquam, re alibi memorata, Maroboduus rex suos

MARCOMANNOS

ANN. V. C. DCCXXXIIX. ANT. C N. XIII.

secundi Marcomanni.

cum aliis populis, nempe cum HARVDIBVS, atque SEDVSIIS, in Boiohœmum, expulsis ex regione Boiis, transtulisset; aperta magis Romanis Germania, constitit satius, qui populi vndique Boiohœmi confines fuerint. Ad *meridiem* tunc Danubius, ab Aeno confluente ad confluentem Clunam amnem, Marcomannos Noricumque diuisit: diserte enim Tacitus Marcomannorum fines Danubium præterfluere ostendit. Ad *occasum* Narisci ad Danubium, Hermunduri ad Egræ, Salæ, Mœnique, fontes, Boiohœmum attigere. Infra Boiohœmum Semnones, partimque Marsignos, coluisse scimus. Ab *ortu* Quadi Marcomannos ad Danubium, Gothini Osique trans Lunam siluam, continuarunt (*d*).

(*d*) Regionem commode definit STRABO *Lib. VII.* Ὁ Ἑρκύνιος δρυμὸς ἐν χωρίοις ἐρυμνοῖς κύκλον περιλαμβάνει. ἐν μέσῳ δὲ ἵδρυται χώρα καλῶς οἰκεῖσθαι δυναμένη. *Saltus Hercynius in locis natura munitis magnum includit circulum: intra quem regio est habitationi egregie apta.* VELLEIUS *Lib. II Cap CVIII. incinctos Hercyniæ siluæ campos*, vocat; & TACITUS *Ann. II. Cap. XLV. Herciniæ latebras.* *BOIORVM* in Hercynio hoc saltu meminere CAESAR, STRABO, TACITUS. CAESAR quidem Boiorum non agnoscit nomen, sed ita ait *Lib. VI. Cap XXIV. Ac fuit antea tempus, quum Germanos Galli virtute superarent, & vltro bella inferrent, ac propter hominum multitudinem, agrique inopiam, trans Rhenum colonias mitterent. Itaque ea, quæ fertilissima sunt, Germaniæ loca circum Hercyniam siluam, quam Eratostheni & quibusdam Græcis fama notam esse video, quam illi Orciniam adpellant, Volcæ Tectosages occuparunt, atque ibi consederunt. Quæ*

Marcomanni

Germaniæ orientalis pars australis.

X. Cetera Marcomanni constanter quidem sunt proprio nomine apud Romanos compellati, donec gens ipsa audiretur. Cum vero Ptolemæus suo æuo Boiohœmum BAEMIS

gens ad hoc tempus iis sedibus se continet, summamque habet iustitia & bellica laudis opinionem. namque in eadem inopia, egestate, patientia, qua Germani permanent, eodem victu & cultu corporis vtuntur. Boios autem CAESAREM intelligere, & vitiatum haud dubie esse vocabulum, TACITVS docet; qui ad CAESAREM prouocans, *Boios* diserte nominat, & cui fauet regionis nomen perpetuo durans. Ait hic *Germ. Cap. XXVIII. Validiores olim Gallorum res fuisse, summus auctorum, diuus Iulius, tradit: eoque credibile est, etiam Gallos in Germaniam transgressos. Quantulum enim amnis obstabat, quo minus, vt quaeque gens eualuerat, occuparet, permutaretque sedes, promiscuas adhuc, & nulla regnorum potentia diuisas? Igitur inter Hercyniam siluam, Rhenumque, & Mœnum, amnes Heluetii; vlteriora Boii, Gallica vtraque gens, tenuere. Manet adhuc Boiemi nomen, significatque loci veterem memoriam, quamuis mutatis cultoribus.* Ergo & loco vocabuli *Volcæ Tectosages*, vtique reponenda in CAESARE vox vera, *Boii*, aut, quod opinatur CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. III. Cap. XXX. Boii, Celtica gens.* Ne enim CAESARI magis, quam TACITO fidatur, hoc facit, quod TACITI vocem adprobat STRABO, adprobat regionis æternum nomen, a priscis acceptum possessoribus. Sic STRABO *Lib. VII.* Boios meminit. *Φησὶ δὲ, καὶ Βοΐους τὸν Ἑρκύνιον δρυμὸν οἰκεῖν πρότερον. τοὺς δὲ Κίμβρους ὁρμήσαντας ἐπὶ τὸν τόπον τοῦτον, ἀποκρουσθέντας ἀπὸ τῶν Βοΐων ἐπὶ τὸν Ἴστρον καὶ τοὺς Σκορδίσκους Γαλάτας καταβῆναι.* Ait etiam (POSIDONIVS) *Boios quondam Hercynium saltum incoluisse; Cimbros autem, cum ad hæc loca se contulissent, ab iis repulsos, ad Istrum & Scordiscos Gallos descendisse.* A *BOIIS* nomen est prouinciæ *BOIEMI;* quam vocem TACITVS *Germ. Cap. XXVIII.* memorat. VELLEIVS *Lib. II. Cap. CIX. Boiohæmum* nominat, additque, *id regioni, quam incolebat Maroboduus, nomen est.* In *Boiohæmum Maroboduus MARCOMANNOS* transtulit. STRABO *Lib. VII.* ait; *ἐν οἷς ἐστι καὶ τὸ Βουίαιμον, τὸ τοῦ Μαροβόδου βασίλειον, εἰς ὃν ἐκεῖνος τόπον ἄλλους τε μετανέστησε πλείους, καὶ δὴ τοὺς ὁμοεθνεῖς ἑαυτῷ Μαρκομάννους. In quibus* (Sueuis) *est & Buiæmum, Marobodui regia: in quem locum is cum alios plures transtulit, tum Marcomannos gentiles suos. Boiohæmum* regionem hic STRABO *regiam Marobodui* vocat intuitu prouinciarum reliquarum, quas armis ille perdomuerat. VELLEIVS *Lib. II. Cap. CVIII.* dicit: *Nihil erat iam in Germania, quod vinci posset, præter gentem Marcomannorum, quæ Maroboduo duce excita sedibus suis, atque in interiora refugiens, incinctos Hercynia silua campos incolebat.* TACITVS *Germ. Cap. XLII. Præcipua Marcomannorum gloria, viresque, atque ipsa etiam sedes, pulsis olim Boiis, virtute parta.* Addit TACITVS; *Ea Germaniæ velut frons est, quatenus Danubio prætexitur.* Ex posteriore TACITI narratione constat, ad Danubium coluisse Marcomannos: quod etiam Antonini bella, quæ cum Marcomannis adminiſtrauit, factis atteſtan-

Boii & Marcomanni. MIS tribuat; inde satis liquere puto, consueuisse vicinas Germaniæ gentes *Marcomannos*, Boiohœmi nouos incolas, vulgo *Baemos* nuncupare: prorsus, vt nos, licet *Sarmatæ* demum in illam regionem successerint, *Bæmos* eos, siue *Boiohœmos*, adpellare hodieque adsueuimus. Memorat Ptolemæus quædam loca, quæ Bæmis ipsius debentur; vt incertum tamen sit, an quædam in Boiis iam tulerint nomen, vtrum omnia ab Marcomannis acceperint. Habet *Maroboduum*, vrbem; eandem haud dubie, quam Tacitus *regiam* adpellat *Marobodui*, & iuxta quam castellum fuisse situm idem scribit. Si Taciti historiam consideramus, facile persuademur, vt mediam in Boiohœmo vrbem Marobodui regiam exstitisse existimemus. Catualda namque fines Marcomannorum ingressus est, antequam irrumperet regiam, castellumque iuxta situm. Hac & mente non inepte Maroboduum Ptolemæi licebit de *Praga*, amplissima hodieque vrbe, & regia, interpretari. Quodsi autem Ptolemæi positionem consulimus, vtique diuersum sentire, & Maroboduum in montibus finibusque Boiohœmi, vbi hodieque ad Mari amnis fontes vicus *Marau* visitur, locare cogimur. Et datur sententiarum compositio commoda. Quod Catualda ante Marcomannorum fines ingressus est, quam irrumperet regiam Marobodui; accipi id debet de finibus Marcomannici regni, qui ad Vistulam omnino & Salam protendebantur. Ex patria igitur, quæ Gothonum terra fuit, Catualda in Marcomannorum ditionem & in regni inuasit fines; inde per Burgundiones, Burios, & Marsignos, corruptis primoribus gentis ad societatem, profectus,

Boemi Ptolemæo dicti.

Claræ vrbes atque villæ in Boiohœmo.

tur. Ceteri fines non indigent probatione, cum omnia superiora iis fidem faciant. Coluerunt *Marcomanni*, & ante *Boii*, integrum *Boiohæmum*, & extra Boiohœmum ad Danubium, *Austriæ* partem, quæ Boiohœmo subiacet. CLVVERIVS ripam Danubii iis tribuit, quæ est a *Hoffner-celle*, VIII M. P. supra *Passauiam* sito, ad oppidum vsque *Greim*. Hanc agrorum partem Boiohœmo coniungit; *ab occasu* montis iugo, quod a fonte Voltauæ ad dictum vicum excurrit; *ab ortu* amne Cluna, apud dictum oppidum Danubio se miscente.

profectus, tandem in regiam & castellum iuxta situm irrupit. Res & propemodum ipsa suadet, vt vrbs atque castellum, veteribus Sueuorum prædis seruandis destinatum, in montibus potius atque penitioribus Boiohœmi finibus, quam in media regione, fuerit locatum: cum maxime ob regni amplitudinem conuenerit in propiori subiectis gentibus versari loco. Eo puto consilio integram *Boiobœmum* Strabo *regiam* vocauit; quod regia esset prouincia, intuitu victarum atque subiectarum nationum, in quas reliqui Marcomannici regni fines prolati erant. Ex reliquis locis Ptolemæi, quæ, quod vidimus castellum atque vrbem Maroboduum regem fere contra morem Germanorum condidisse, tutius vrbes aut iustas villas nominabimus, nulla æque, ac Maroboduum, in litem adducta sunt. Conuenit *Melocauus* Ptolemæi cum vrbe *Elnbogen*, & *Setuacatum* cum *Klatau*, oppido, regia libertate insigni. *Locoritum* eo a Ptolemæo situ positum est, vt rite in *Pragam* nobilissimam quadret. *Segodunum* & *Furgisatis*, quantum positura Ptolemæi docet, haud dubie vrbibus satis claris *Czaslau* & *Islau*, huic quidem in finibus extremis posito oppido, dederunt initia *(e)*.

Germania orientalis pars australis.

XI. Suc-

(*e*) Ptolemaeus *Lib. II. Cap. XI.* ἡ Λοῦνα ὕλη· ὑφ' ἣν μέγα ἔθνος, οἱ Βαῖμοι, μέχρι τοῦ Δανουβίου. *Luna silua; sub qua magna gens Bæmi, vsque ad Danubium.* Et hic quidem *BOEMOS* fere in locum Quadorum locat, quos tamen modo etiam nominauerat. At satis liquet, errorem Ptolemaeo inde venisse, quod ante *Marcomannos* acceperat in incinctis Hercyniæ siluæ campis habitare; non vero norat, *Marcomannos* eosdem esse, quos vicinæ gentes a regione Boiohœmo *Bæmos* adpellare consueuissent. *Maroboduum*, regiam Maroboduí, Cluuerius de *Praga* interpretatur; Menso Altingius de *Marau* vico. Rationes vtriusque commentatio exponit. Strabonis *Lib. VII.* Βουίασμον, *Buiasmum*, siue Βουίαιμον, aut Βοίαιμον, quas voces Cluuerius laudat, non vrbem, sed regionem integram fuisse, iam ostendimus. Qui enim Maroboduus in vrbem transtulisset, cum alias gentes, tum præcipue Marcomannos suos? Reliqua Ptolemaei nomina Altingius exposuit, quem sequuti sumus.

Boii & XI. Succeſſionis diuerſarum gentium in noſtram regionem, & prope dixerim in Boiohœmicum nomen, breuis haec habetur hiſtoria. Omnis paſſim antiquitas *BOIOS* Gallos fuiſſe teſtatur, & incerta ætate, cum Gallorum res, quod Cæſar ait, adhuc validiores eſſent, in incinctos Hercyniæ ſiluæ campos conceſſiſſe. Si ex communi opinione tempus factæ conſtituero migrationis, Priſco Tarquinio Romæ imperante haud dubie facta fuerit. Tum enim omnis Gallia ſe foras legitur proruiſſe, & tum Germaniam petiiſſe, tum in Italiam inuaſiſſe. Cimbris migrantibus iam Boios Hercyniam incoluiſſe, id teſtatur, quod ad eos Cimbri deflexere; ſed ex finibus continuo a Boiis expulſi ſunt. Cæſare bella in Galliis gerente fortiter Boios egiſſe legimus. Non vero ſolum in Germania fuerunt Boii, ſed & in vicinis prouinciis, de quibus mox inquiremus. Augusti ætate inimicum Boiis fatum *Maroboduum MARCOMANNORVM* regem concitauit, vt longam Boiiorum turbaret poſſeſſionem. Iſte ductis Marcomannis, Seduſiis, Harudibus, crebris procul dubio præliis Boios fregit, reliquosque ex clade aut expulit, aut ſuæ ſubiecit dominationi. Si Galli fuere Boii, non mirum alienigenam demum gentem de poſſeſſione lautæ prouinciæ depulſam eſſe. Si Germani fuere, & communi tantum errore pro Gallis habiti; nec tum mirum eſſe puto, idem fatum, quod & alias Germaniæ nationes ciuilibus deleuit bellis, Boios etiam ſuſtuliſſe. Quo conceſſerint reliqui Boii, eſt ignotum; nec credibile, non ex priſcis ſedibus expulſos, ſed modo de imperio deiectos eſſe, quod cuipiam viſum eſt: tanta quippe populorum multitudo in Boiohœmum translata minime poterat Boiis locum relinquere. *Marcomanni*, noui *Bæmi*, ſiue *Boioboemi*, plurimis victoriis perpetuatam gloriam ad ſeram tulerunt ætatem. Fruſtra eos tentauit Tiberius. Arminius Maroboduum quidem vicit, eumque dein Catualda in exilium eiecit. Semper tamen ad bella promti &

Marcomanni.

Ann. V. C. CLXIII. Ant. C. N. DLXXXVIII.

Ann. V. C. DCCXXXIIX. Ant. C. N. XIII.

Ann. VI. Ann. XVII. Ann. XIX.

Succeſſionis populorum in Boiohœmum rerumque geſtarum hiſtoria.

Germaniae orientalis pars australis.

alacres Marcomanni, donec Roma ftaret, cum ea funt colluctati; fæpeque fuperiores, femper pares, ex bellis difceffere. Inclinatis Romæ viribus Marcomannicum etiam nomen exoleuit; &, vt obfcurum eft, quid de reliquis ex clade Boiis actum fit, vbique inglorii confenuerint, ita magis eft obfcurum, quorfum Marcomanni conceffesint. Putant plerique, ab Oftrogothis, Gepidisque, deletos effe Marcomannos. Scimus enim cum illis graviffima bella Marcomannos adminiftraffe. Alii arbitrantur, cum Gothis, aut cum Longobardis, pofito nomine, folum vertiffe patrium, & in diuerfas migraffe prouincias. Fortaffis & ad Rugiorum focietatem Marcomanni acceffere. Namque fi Rugiorum regio, quod auctores dicunt, Danubio eft a Norico diuifa, nefcio, vbi eam, nifi in Marcomannis Quadisque, ftatuerim. Quicquid eft, fcimus *SARMATAS* in locum Marcomannorum & antiquam Boiohœmum Boiorum quondam patriam, fucceffiffe, & maiori felicitate fuas fedes ad noftram vsque ætatem feruaffe. Tempus, quo Sarmatæ, præcipuo nomine *Czechi*, nobis *Bæmi*, feu *Boiohæmi*, dicti, in Boiohœmum intrauerint, adeo rurfus eft incertum, vt nil magis. Ego tamen arbitror, eam potiffimum Marcomannici nominis deleti exftitiffe caufam, quod Sarmatæ, cum omnia per maximas gentium migrationes turbarentur, fummaque mifcerentur infimis, arrepta occafione inuaferunt in Boiohœmum, veteribusque colonis pulfis, re a Germanis neglecta, certa, fed paffim ignorata, regionis poffeffione potiti funt: vnde rite fubductis rationibus non defierint Marcomanni audiri, quin Sarmatæ eorum occupauerint regionem. De Marcomannis continuo poft Boios coniecturas quasdam in medium proferam (*f*).

XII. Nimi-

(*f*) *BOIOS Gallos* CAESAR *Bell. Gall Lib. VI. Cap. XXIV.* licet apud hunc vitiato gentis nomine; TACITVS *Germ. Cap. XXVIII* &, fi qui alii Boiorum meminere, nuncuparunt, Migrationis ex Celtica factæ hiftoriam ex fama enarrauit T. LIVIVS *Lib. V. Cap. XXXIII. XXXIV. Prifco Tarquinio Romæ regnante, - - - Ambigatus, magno natu ipfe iam, exonerare*

Boii & Marcomanni. XII. Nimirum breuem nostræ regionis incolarum historiam dedimus, vt hac cognita, quæ illorum ratione sunt in controuersiam adducta, liceat commodius disputare. De *Lites de Boiis.*

 BOIIS

pragrauante turba regnum cupiens, Bellouesum ac Sigouesum, sororis filios, impigros iuuenes, missurum se esse, in quas Dii dedissent auguriis sedes, ostendit. Quantum ipsi vellent, numerum hominum excirent, ne qua gens arcere aduenientes posset. Tum Sigoueso sortibus dati Hercynii saltus: Belloueso haud paulo lætiorem in Italiam viam dii dabant. Sequuntur, quæ Italicam expeditionem respiciunt: alterius in Hercynios saltus susceptæ migrationis nulla vltra memoria. Cimbros ad Boios deflexisse, STRABO *Lib. VII.* ostendit. Boios in agrum Noricum transiisse, atque Noricum oppugnasse, mox se cum Heluetiis coniunxisse, & expeditionem cum iis in vicinam decreuisse Galliam; enarrat CAESAR *Bell. Gall. Lib. I. Cap. V.* mox eosdem cum Heluetiis victos esse a CAESARE, sed ob egregiam virtutem, petentibus Aeduis, in finibus eorum collocatos; IDEM *Lib. I. Cap. XXV. & XXIX.* exponit. Vbi *MARCOMANNI* ante egerint? diximus. Non profecto in *Morauia*, quod quidam cupiunt: male enim tunc VELLEIVS *Lib. II. Cap. CVIII.* dixisset; *Maroboduus vim regiam complexus animo, statuit, auocata procul a Romanis gente sua, eo progredi, vbi, cum propter potentiora arma refugisset, sua faceret potentissima.* Sane inter Danubium Rhenumque, recentia flumina, Marcomanni, quod ostendimus, egere: vnde cum ob metum Rhætici belli, in Boiohœmum concederent; in interiora omnino refugerunt. Vid. de Boiohœmi occupatione STRABO *Lib. VII.* VELLEIVS *dicto loco*, & TACITVS *Germ. Cap. XLII.* Fortassis iam Drusus eodem anno, quo cum Rhætis bellum administrauit, cum Marcomannis conflixit, & potitus victoria effecit, vt refugerent illi in interiora; aut incerta ætate deinceps, cum iam in Boiohœmo agerent, eos prostrauit. FLORVS sane *Lib. IV. Cap. XII. Marcomannorum spolia* in Drusi bellis memorat, & OROSIVS *Lib. VI. Cap. XXI. Marcomannos,* ait, *pene ad internecionem cecidit.* (Drusus.) *Boios* tantum de imperio deiectos esse, non ex regione expulsos, persuasit sibi *Eruditissimus* VELSERVS *Rer. Boi. Lib. II.* at idem eruditis persuadere non potuit. Marcomanni in Boiohœmo frustra petiti a Tiberio, teste VELLEIO *Lib. II. Cap. CIX. CX.* & ipso *MAROBODVO ad milites apud* TACITVM *Ann. II. Cap. XLVI. Se duodecim legionibus petitum, duce Tiberio, illibatam Germanorum gloriam seruauisse. mox conditionibus æquis discessum. Neque pœnitere, quod ipsorum in manu sit, integrum aduersus Romanos bellum, an pacem incruentam, malint.* Conf. TACITVS *Ann. II. Cap. LXIII.* vbi ipse Tiberius miris laudibus Maroboduum celebrat. Bellum *Arminii* cum *Maroboduo*, quo victus est, & *Catualda* motus, quibus e regno eiectus est, vide apud EVNDEM *Ann. II. Cap. XLIV. XLV. XLVI. & LXII.* Ab ea ætate vsque fere ad quintum seculum perpetuo Marcomanni ad Romanorum perniciem incubuerunt. Grauissimum fuit ætate Antoninorum Marcomannicum bellum; quod CAPITOLINVS *in Marco Antonino Cap. XIII. XIV. XXII.* & passim alibi; EVTROPIVS

BOIIS dubitatur; *vtrum alienigena gens, an Germanica fuerit ciuitas? vtrum Boii in Italia, in Gallia, in Pannonia, atque in Vindelicia, Germanos nostros Boios cognatione contigerint, an ab iis fuerint diuersi? vtrum demum Boioariorum recentior ciuitas veterum Boiorum sit prosapia, an gens concreta ex nouo fœdere?* Primam ego causam, satis arbitror, disputaui, cum de Heluetiis inquirerem. Omnes communiter auctores *Boios Gallos* vocarunt, & ex Gallia in Germaniam incinctosque Hercyniæ siluæ campos migrasse, iudicarunt, cum rebus Gallorum validioribus crebras hi quoquouersus colonias ducerent. Si dabimus, Gallos videri Boios, vnum hoc monemus, non esse necesse, vt demum ex Gallia commigrauerint in Germaniam, sed perstitisse fortassis in Germanis, cum reliquæ Gallicæ gentes Rheno separatas regiones occuparent. Gallicum genus potuit deinceps declarare sermonis, habitus, morumque, cum Gallis conuenientia. Namque, si origo Boiorum Gallica ab illustri Gallorum migratione petenda fuerit, valde metuo communi opinioni. Ita illa insignis Gallorum expeditio, quod alio loco luculenter exponetur, descripta est, vt maxime Germanis, extremam colentibus Germaniam, parum Gallis Cisrhenanis, ea videatur vindicanda esse. Vix colligitur, vt per Germaniam, valentissimis abundantem populis, patuerit Gallis iter in Hercyniam siluam. Expedite autem omnia fluunt, cum Germanos dicamus ab extremo oceano quoquouersum exercitus suos ablegasse. Tum venerit fortassis colonia in Hercyniæ siluæ incinctos campos; eaque succedente ætate pro Gallica fuerit gente

Germaniæ orientalis pars australis.

Num Boii indigenæ aut alienigenæ?

Lib. VIII. Cap. VI. & omnes eius ætatis scriptores memorant. Extremum, quod IORNANDES *de Rebus Geticis* suadet, a *Gothis Gepidisque Marcomannorum* gens deleta est. Historia nostra omnia accurate olim tradet. Vid. si placet CZECHERODIVS *Marte Morauico Lib. I. & II.* vbi Marcomannicorum bellorum series exposita. *Slauorum* aduentum in orientis Germaniam iam meminit IORNANDES *de Rebus Geticis,* qui Seculo sexto vixit. Ex eius narratione videtur adparere, iam quinto seculo Sarmatas in Germaniam proximam inuadere cœpisse. Nil tamen certum liquet.

Boii & Marcomanni.

gente habita, quod vulgo tota migratio *Gallis* esset attributa, & ambigua nominis Gallorum acceptio plurimis ignorata. Quisquis ergo e re tua duxeris, alienigenas Boios ostendere, Gallosque, & Cisrhenanorum Gallorum fratres, eos arbitrari; caue quæso migrationis factæ recitare memoriam, & statue potius, in ipsa Germania quosdam Gallos permansisse: sic tuebere facile Gallicam Boiorum, Gothinorum, Heluetiorumque, originem, dummodo linguæ morumque conuenientiam docueris. Quodsi defenderis Boiorum ex Gallia in Germaniam æuo Tarquinii Prisci susceptam migrationem, non ægre feres, semel admissa migratione nos, indicto auctorum errore, & monstratis melioribus rationibus, verisimilioribus saltem argumentis, Boios in Germanicam ciuitatem imputaturos (*g*).

Variæ Boiorum ciuitates diuersis in regionibus coluerunt.

XIII. Quod de *Boiorum variis ciuitatibus* in diversissimis sitis regionibus quæritur; num omnium vnum genus? plene id affirmatur. Siue Galli fuerint Boii, siue Germani, quodcunque demum placuerit, certe vnius nationis distinctæ fuerunt ciuitates; & siue ab initio alicubi commoratæ sunt, siue postera ætate aliquo commigrarunt. De hoc dubitatur

 valde,

(*g*) Annalium Boicorum scriptores, LIVII narratione nixi, non fere audent de *Gallica Celtica*que, sed sumto verbo angustiore sensu de Celtica in Gallia, dubitare origine. Ita VELSERVS, BRVNNERVS, ADELZREITERVS, omnes in *Gallos BOIOS* cum Romanis referunt scriptoribus. Vnus IOHANNES AVENTINVS *Ann. Boic. Lib. I. Cap. III* non dubitauit *Germanicam originem* Boiis vindicare; licet in eo probando negotio totus in fabulis hæserit. Magis commodis autem rationibus *Illustris* COCCEIVS *Iur. Publ. Prud. Prolegom. & Cap. III.* Boiorum Germanicam stirpem probauit; & *Ill.* LEIBNIZIVM *in erudita præfatione ad* ADELZREITERI *Annales* non tantum nouæ opinionis fautorem, sed & patronum, atque propugnatorem, habuit. Poteram & ego ex POLYBIO atque LIVIO, qui *Boios Italos & Asiaticos* describunt, & præsertim ex reliquis eorum nominibus, multa conferre, quæ satis plane Germanicum Boiorum genus probare apta forent. Cum nihil ast decernere decreuerim, vtramque opinionem memorasse sufficit.

valde, vnde primum venerint, & quando? Cum ſolis rem liceat adſequi coniecturis, meam accipe ſententiam. Praeter noſtros Boios fuerunt *Boii in Tranſalpina Gallia*, quorum Caeſar meminit. Hi procul dubio ex Germania in Noricum, & ab Heluetiis aduocati in Galliam, profecti ſunt; an ex Germania ſero, vtrum antiquiſſimo aeuo? non ſatis conſtat. *Boii Ciſalpini* longum tempus in Italia peregerant, maximisque damnis crebro Romanos affecerant, antequam ex regione armis Romanorum eiicerentur. Non dubitauerim, hoſce Italos Boios noſtris rurſum vindicare Boiis, & migrantibus Germanis horum ſe adiunxiſſe partem, adeoque in Italiam inuaſiſſe, ſtatuere. Si omnino mauis, cum nolim prorſus Gallos Cisrhenanos ab ingentis migrationis ſocietate excludere, ex Gallia Boios cum Germanis feciſſe, ſociataque cauſa mouiſſe in Italiam, libere opinare. Migrationis tempus accipe ex Liuio; ſed, vt alios atque alios populos poſt priores aduentaſſe in Italiam memineris, & iuſtum Boici aduentus tempus non poſſe definiri noris. *Boios in Pannoniam* ex Italia demum refugiſſe, veri habetur ſimile; namque reliquos ex clade aufugiſſe ex Italia nouimus. Ab Italis etiam Boiis plerique illos deducunt, quos variato paulisper nomine *in Aſiam* vsque penetraſſe, legimus. Fortaſſis & cum iis Gallis, quos alii auctores diſerte Cimbrorum Teutonorumque partem vocarunt, qui Delphico templo direpto in Aſiam peruenerunt, Boii Aſiatici, *Toliſtoboii* dicti, abierunt. Extremum *Boios in Vindeliciae Noricique confiniis* quidam auctores reperere. Hoſce, cum, quo Boii ex Boiohoemo diſceſſerint, auctorum ſciret nemo, plerique de illis exſulibus Boiis interpretati ſunt. Res non caret probabilitate, licet plene nondum perſuadeat. Certe noſtra manet adſertio, vbicunque Boii in antiquitate egerint, vnius omnes fuiſſe generis; praeter tenuem migrationum memoriam, & linguae,

Germaniae orientalis pars auſtralis.

Boii & Marcomanni.

linguae, & morum, in Boicis ciuitatibus conuenientia, rem simul attestante (*b*).

XIV. Extre-

(*b*) BOII multis locis iidem fuere. Primi nostri *in Boiohaemo Boii;* a quibus regio dicta *der Baier*, siue *Boien-Haim*, id est, *Boiorum sedes*, aut *patria:* vnde vocabula *Boihaim*, *Böhaim*, & denique *Bömen*. *Boios in Gallia* Caesar in Æduis, in quibus eos ipse locauerat, & PLINIVS inter Carnutes & Senones in Celtica Gallia, memorant. Vid. VALESIVS *Notitia Gall.* vbi *Boii Gens Celtica*. *Boii in Italia*, siue *Gallia Cisalpina*, mox post Elitouium, qui cum manu Germanorum Bellouesi fauore in Italiam intrauerat, & ipsi eo migrarunt, teste LIVIO *Lib. V. Cap. XXXV.* Mox grauissima bella *Romanorum* cum *Boiis* successere, & demum clades internecina a Scipione Nasica, aliisque Romanis ducibus, accepta. Vid. POLYBIVS *Lib. II. Cap. XX. XXIV. XXXI XXXIII.* LIVIVS *Lib. XXI. Cap XXV. Lib XXXI. Cap. X. Lib. XXXIII. Cap. XIIX. Lib. XXXV. Cap. XL Lib. XXXVI. Cap. XL.* Iidem post cladem extremam C. Lucio Salinatore, & M Valesio Messala Coss. Anno V. C. DCLXIV. in Noricum ad Tauriscos se recepere: quod testatur STRABO *Lib. V. & VII.* cum IVLIO OBSEQVENTE *de prodigiis*. Cum his in Noricum profectis *Boiis* alii, qui iam *in Pannonia* vicina egerant, in vnum haud dubie foedus coaluerunt. Hos *Boios* intelligit CAESAR *Lib I, Cap. V* *Boios*, vbi inquit, *qui trans Rhenum incoluerant, & in agrum Noricum transierant, Noreiamque op ugnarant, receptos ad se socios sibi* (Heluetii) *adsciscunt*. Exstincti hi Boii sunt CRITASIRO rege, in bello, quod contra *Borrebistam*, Dacorum regem, infeliciter adminiftrarunt; teste STRABONE *Lib. VII.* vnde vnam eorum memoriam nomen, *deserta Boiorum*, quae memorant STRABO *Lib. VII.* & PLINIVS *Lib. III. Cap. XXIV.* consetuauit. *Asiatici Boii* sunt *Tolistoboii* adpellati, & cum *Tectosagibus* omnem Asiam turbarunt; tandem & ipsi a Romanis victi. Conf. POLYBIVS *Excerpt. Legat. XXXIII.* & LIVIVS *Lib. XXXVIII. Cap. XVI.* qui fortissimos omnium Gallograecorum fuisse eos scripsit. Forte inde nomen interpretationem capiat, vt compellati fuerint *Tolistoboii*, quasi dixeris *animosissimi & ferocissimi Boiorum*, nostra lingua, *die tollesten Boier*. Incurrit hoc loco in mentem, quod cum *Boiis Tectosages*, in Asia semper coniunctos reperio, forte eos iam in Boiohoemo coniunctos egisse, indeque expeditiones in Asiam suscepisse. Recte ita sibi CAESAR *Lib. VI. Cap XXIX.* constabit, cum loco vocum *Volcae Tectosages*, reponamus *Boii Tectosages*; & reliqua mens CAESARIS expeditissima erit. Sic itaque lego; *Itaque ea, quae fertilissima sunt Germaniae loca, circum Hercyniam siluam - - - Boii Tectosages* (Volcae Tectosages) *occuparunt, atque ibi consederunt*. Extremi *Boii in Norico & Vindelicia* laudantur ab omnibus nouis scriptoribus Boicariae rerum, & hos, cupiunt, esse exsules ex Boiohoemo Boios: quae quidem sententia eo mihi probatur, quod putem adflictam gentem a Romanis in clientelam & partem prouinciae suscepram esse, non putem iustae instar nationis in Vindelicis inde Boios egisse. Quicquid rei est, hos Boios in Vindelicia vetustas prope ignorat. SETHVS CALVISIVS *in Historia Aere-*

Boii veteres non Boioariorum fuere parentes.

Germaniae orientalis pars australis.

XIV. Extremum plane nego, *Boioarios recentiores veterum Boiorum satu fuisse ortos*; quantumuis magna contentione id ab auctoribus adfirmari videam. Excisi sunt Boii ex Italia, & quota pars internecinam effugerit cladem, non satis constat. Excisi sunt Boii ex Pannonia, eorumque modo memoriam nomen *desertorum Boiorum* in Pannonia seruat. Eorum, qui in Vindelicia egere, semel tantum historia Aureliani Cæsaris meminit. Arbitror, hos in clientela Romanorum egisse; vt aliis barbarorum in Gallia, Thracia, atque in Pannonia, Romani sæpenumero agros colendos concessere. Hic tamen Boiorum numerus minime tantus fuerit, vt Boioariorum ciuitati condendæ post duo & amplius secula suffecerit: si vel nullis bellis exiguum Boiorum pagum attritum & consumtum, quod maxime alioqui videtur, statuerim. De Boiis, vetustissimis Boiohœmi colonis, nil opus est meminisse, cum communiter pro iis Vindeliciæ Boios auctores accipiant. Gallicorum Boiorum prope cum sono nominis periit memoria; & Asiaticos Boios illico a Romanis in ditionem esse redactos, scimus. Hæc igitur fata Boicæ nationis, quondam clarissimæ, mox humilis, demumque prorsus prostratæ, & fractæ, nos prohibent ab adsensione, qua quidam suam sententiam adprobari postulant. Nec etiam persuadent, quæ proferuntur, argumenta. Boici & Boioariorum nominis non tantam reperio cognationem, quanta multis

Boiorum & Boioariorum nomen.

liani in Chronologia ad Annum CCLXXIV. hæc ex Vopisco notat; *Aurelianus inde ex Roma ad bellum Vindelicum discessit, ibi Boios egressos ex saltibus suis, & populantes oram Vindelicam, repulit.* Vellem codicem Vopisci nossem, qui hæc verba agnosceret. Ipse in Vopisco *in Vita Aurel. Cap. XXXV.* lego; *His gestis ad Gallias profectus Vindelicos obsidione barbarica liberauit*: & Cap. XLI. *Ille Vindelicis iugum Barbaricæ seruitutis amouit.* Nulla adest Boiorum mentio; & fide Calvisii sola adhuc nititur, *Boios* Vopiscvm memorasse. Esse omnes hos Boios eiusdem generis, vel solus Polybivs & Livivs docere apti sunt, cum eosdem omnium mores corporisque eundem habitum referant: sed migrationum iam ad rem probandam memoria sufficit.

Boii & Marcomanni.

multis videtur. *Boii* dicti ſunt forſitan, quaſi *pueri alacres, & fortes;* quam habet ſignificationem Germanica vox *Boy*. Malim autem *Boioariorum* nominis vim poteſtatemque in Germanico vocabulo *Bauern*, quod colonos ſonat, quærere: ab agricultura enim, quam reliqui Germani negligentius curarunt, natum eſſe nationis nomen, minime id probroſum aut ignominoſum genti videri debet. Sedes æquales extremorum Boiorum, & Boioariorum, nihil probant. Et Venedi Vandali adpellati ſunt, & Vandaliam antiquam prorſus inſederunt: at nemo tamen, vt non per ingentem labatur errorem, Vandalos veteres in iis quærat, qui ſuccedente ætate eo ſunt nomine inſigniti. Domeſtica, quæ a multis prædicatur, memoria, maxime fallax eſt; nec vetuſtatem probat, ſed ſimulat. Fuit æuum, quo quidlibet ſibi otioſa ingenia in vetuſtate licere arbitrata ſunt. Tum Sicambros a Troianis, a Sicambris Francos, a Phrygibus Friſios, a Sacis & Saſſonibus Saxones, a Cimmeriis Cimbros, a Thyrigetis Thuringos, deducere placuit. Num nos morabimur illas nugas, quod iam magnam ætatem ferant? Et liceat ergo communem deſerere opinionem, licet iam plus mille annos habeat: cum ſcilicet non dignam, qua fidem apta ſit facere, edat rationem (*i*).

XV. Sed

(*i*) Non *Boii* *BOIOARII* ſunt, quippe vbique propemodum deleti, ſaltem vbique eorum nomen exſtinctum. Conf. HADR. VALESIVS *Rer. Francic. Lib. XXIV. ad annum* ID CCC XXV. qui egregie ex interitu omnium Boiorum coniicit, non eſſe *Boios Boioarios*que eundem populum. At id dixere duo ſatis vetuſti auctores: IONAS, *Monachus Bobienſis, in Vita S. Euſtaſii, Abbatis Luxouienſis, circa An.* ID CXXV. *Ad Boios, qui nunc Bauocarii vocantur, tendit* (S. Euſtaſius) *eosque multo labore imbutos, fideique lineamentis correptos, plurimos eorum ad fidem conuertit:* & *vetus* AVCTOR, *qui non multo post* IONAM *de vita B. Salubrii ad Amſtrudam Abbatiſſam eius filiam* narrationem compoſuit, *gentem Boioariorum in extrema Germania ſitam eſſe, atque ab Oroſio, doctiſſimo hiſtorico, Boios priſco vocabulo adpellari,* affirmauit. Verum horum auctorum teſtimonium nihil probat, quum nouus tum error facile iis imponere potuit. Conſueuerat eo ſeculo

Nati Boioariorum nominis rationes.

XV. Sed vnde, inquis, BOIOARII nati, si Boios deserimus? Salua res est, dummodo rite rationes subducamus. Non Boiorum reliquos prorsus prohibuimus a Boioariorum societate, sed negauimus tantum, Boioarios solo Boiorum satu ortos esse. Sic olim explosimus opinionem in Reudingis Taciti Thuringos, qui succedenti claruerunt ætate, quærentium; licet ipsi censuerimus, partem Reudingorum sociatarumque ciuitatum videri se postera ætate Thuringico fœderi adiunxisse. Boioariorum nouam nationem ex fœdere quodam veterum Germaniæ ciuitatum concreuisse arbitror. Natum illud videtur, cum Marcomannicum aliaque nomina exspirarent: iam enim Honorii Cæsaris ætatem circiter Boioarios auditos esse, luculento auctoris testimonio contra communem opinionem probatum est. *Burios* in hoc fœdere fuisse, & forsan primam nomini accipiendo dedisse occasionem, supra constituimus. Vt ad nostros redeamus *Marcomannos*, nihil cerno obstare, quo minus nouos Bæmos, seu Boiohœmos, in Boioariorum fœdere præcipuos fuisse existimemus. Eodem prope æuo cœpit Boioariorum, & desiit Marcomannorum, nomen audiri. Vbi primum stetisse creditur Boioariorum ciuitas, prope ea regio Marcomannorum fines exstitit. Nempe est opinio, primitus Nariscorum finibus Boioarios insedisse. Iam ante statuimus, Nariscos tum in interiora refugisse, cum ab alienigenis gentibus Marcoman-

Germaniæ orientalis pars australis.

quælibet nominum similitudo obseruari, & ex ea trahi coniectura. Istiusmodi leues coniecturas nos sequeremur, quod magnam ætatem ferant? At hodie omnes credunt, *Boioarios* veterem *Boiorum* gentem perpetuasse. Nec iste omnium consensus opinionem friuolam defendere aptus est. Sane AVENTINVS, VELSERVS, BRVNNERVS, ADELZREITERVS, reliqui, non dubitant fere, Boios veteres nostros esse Boioarios. At, dixerim pace clarissimorum ingeniorum, vix suadent, nedum persuadent, eorum argumenta, quibus nituntur. Iam itaque alii, maxime nuper LEIBNITZIVS in eruditissima Præfatione ad ADELZREITERVM, communem deferuere sententiam, & agnouere, non magis probari posse, a *Boiis Boioarios* esse oriundos, quam a *Cimmeriis Cimbros*, a *Sacis Saxones*.

Boii & Marcomanni. comanni ex Boiohœmo eiecti essent. Adde, in illorum locum videri Marcomannos exules, forsan & Burios, successisse, nouumque Boioariorum nomen, quod hi Burii, illi Bæmi, adpellarentur, sumsisse. Si & *Nariscos* admiseris in fœderis societatem, in re dubia, solisque constante coniecturis, non tuæ opinioni refragabor. Sexto seculo ineunte Boioarios in Noricum & Vindeliciam inuasisse, amplasque regiones ferro flammisque crebro peruastatas cœpisse possidere, vulgo affirmatur. Tum Boioarios, qui nomen tamen, cum adhuc trans Danubium agerent, sumserunt, Boiorum in Norico & Vindeliciæ finibus, si omnio superarunt, accessione esse auctos, non negabo. Sed hoc licet dato, iam dudum vulgaris opinio, subrutis fundamentis, concidit (*k*).

XVI. Ad rem reditum ab re necessaria digressio iam poscit: quæ enim alia Boioariorum intuitu sciri debent, diuerso dabuntur loco. Boiorum Marcomannorumque, Boiohœmi incolarum, statum publicum historia prodit. *Boiorum* quidem Italiæ atque Asiæ duces tantum & reguli fuisse videntur: eorum autem, qui in Pannonia commorati cum Dacorum rege Bœrobista bella administrarunt, rex *CRITASIRVS* nominatur. Probabile prope est, præfuisse etiam *Boiorum res publica.*

Boiis

(*k*) Creditum olim, primum IORNANDEM *de Rebus Geticis* prodidisse *BOIOARIORVM* nomen in Suauorum regionis descriptione, quam paulo supra dedimus. Docuit autem *Celeberrimus* LEIBNITZIVS, RVTILIVM CLAVDIVM MVNATIANVM, qui, vt ipse iudicat, Roma Anno V. C. cIↄcLXIX. id est, ex VOSSII computo Anno CCCCXVII. præfecturam vrbicam administrauit, in suo *itinerario*, vel *de reditu libro*, eorum meminisse, nomine *Boioarii.* Nos coniicimus, *Burios* & *Marcomannos* in nouum fœdus nomenque conspirasse. Inuenio iam VORBVRGIVM ita opinatum esse, *Baiobaros* dictos esse, quasi *Baiobemi-Baurios*, siue *colonos*: vt ergo iam ille mecum senserit, licet diuerso modo suam proponat sententiam. Quidam ex *Boiis* & *Auaribus* nomen Boioariorum conflatum esse arbitrati sunt; sed eos aliosque opinatores absurdos Annalium Boicorum scriptores satis iam confutarunt. Migrationes Boioariorum, quarum meminimus, non nisi domestica Boioariorum memoria probantur: nisi quod de regione ipsorum IORNANDES tradit, & PAVLVS WARNEFRIDVS, quos alio loco audiemus.

Germaniæ orientalis pars australis.

Boiis noſtris reges, cum propinqui in Pannonia Boii regium imperium adprobauerint. Si magis placet, crediderim duces tantum rexiſſe Boios noſtros: fortius etenim reſtituros fuiſſe contra Marcomannos, ſi vnus rex rerum ſummam gesſerit. De præcipuis Boiorum moribus parum conſtat, quod magis Gallicum quam Germanicum Boiorum genus comprobet: vnde & placuit dubitanter admodum de vero genere eorum iudicare. *Marcomannis*, quibus hac in cauſa *Quados* Tacitus adiungit, ſemper reges manſerunt; & primum quidem ad Taciti memoriam ex gente ipſorum, nobile *MARO-BODVI* & *TVDRI* genus, deinde vero adhuc Tacito florente externi. His, ait Tacitus, vis & poteſtas ex auctoritate Romana fuit; vt raro tamen Romanis armis, ſæpius pecunia, fuerint adiuti. Poſt Tacitum perpetuata, vt ante, regum poteſtas legitur; non hæc vero, vt ante, ex Romana auctoritate: cum infenſiores Marcomannis hoſtes non Roma deinde haberet. Iura regia inter Quados atque Marcomannos auctorum noſtræ memoriæ prodidit prorſus nemo. Non tamen ſupra libertatem vtramque voluiſſe gentem regnari, adeoque reges multis adhuc exceptionibus, & prope precario iure parendi, imperitaſſe; hiſtoria haud obſcure indicat. Eſt *MAROBODVVS*, illuſtris rex, de imperio deiectus, cum tyrannum ageret. *CATVALDA* idem habuit fatum; nec mitius *VANNIVS*, vtriusque nationis imperator. In Quadis Ammianus, non ſecus ac in Alemannis, *regales*, hoc eſt, regum filios, & nepotes, imperii hæredes, *ſubregulos*, aliosque *optimates*, & *iudices*, agnoſcit. Quæ ſingularium ſtatuum ordinatio, & commode videtur poſſe de Marcomannis ſimul intelligi, & probe conſtitutam reliquam rem publicam generatim indicare (*l*).

Marcomannorum ſimulque Quadorum regiminis formula.

XVII. Modo

(*l*) Ex *Boiicis* ducibus LIVIVS *Lib. XXXIV Cap XLVI. BOIORIGEM*, *regulum eorum*, laudat IDEM *Epit. XCIV. DEIOTARVM*, *Gallogræcia tetrarcham*, memorat, quem Boium principem fuiſſe cupiunt. POLYBIVS in *Excerptis legation XXXIII. EPOSOGNATVM*, Toliſtoboiorum prin-

Quadi

XVII. Modo memorata natio

QVADORVM

vltima australis Germaniæ exstitit, & cum Marcomannis, dicente Tacito, Germaniæ velut frons, quatenus Danubio prætexitur. Coluisse Danubium ab ortu post Marcomannos, clarissime Tacitus ostendit: vnde errant maxime, qui *Silesiorum* Sarmaticum, & *Quadorum* Germanicum, vocabulum commisere, & vtriusque conuenientia æstimata Quados ibi locarunt, vbi hodie agunt Silesii. Prima Quadorum propriaque sedes a confluente Cluna ad Marum pertigit. Ad *occasum* Hercynius saltus Marcomannos & Quados diuisit; vnde extra saltum Quadorum gens, contermina Getis, habitare Straboni dicitur. Ad *ortum* Marus amnis, idemque contra *septentriones*, vbi in Hercyniis montibus oritur, Quados disclusit. Hos *Quados priores* Plinius intelligit, cum Dacos Maro amne a Sueuis regnoque Vanniano dirimi ostendit; in eo tamen lapsus per errorem, quod regnum Vannianum, cum constaret de primis Quadis, solo Maro finiri arbitratus est. Nempe Van-

Quadorum sedes.

 niano

cipem, meminit. De *CRITASIRO rege* narrat STRABO *Lib. VII.* Mores Boiorum in Germanorum institutis simul enarrabimus, &, prorsus ipsis cum Germanicis conuenire, ostendemus. De *Marcomannorum Quadorumque* regibus ita TACITVS *Germ. Cap. XLII.* *Marcomannis Quadisque,* inquit, *vsque ad nostram memoriam reges manserunt ex gente ipsorum, nobile Marbodui & Tudri genus: iam & externos patiuntur. Sed vis & potentia regibus ex auctoritate Romana. raro armis nostris, sæpius pecunia, iuuantur.* *MAROBODVI* genus Marcomannis, Quadis *TVDRI* familia, imperabat. Post TACITI æuum reges Marcomannoram quidem nominantur; vix autem nomina proferuntur. *ATTALVS, Marcomannorum rex,* cuius filiam *Pipam* Gallienus duxit, memoratur A. VICTORI *de Cæs. Cap XXXIII & Epit. Cap. XLVII.* Alii in historia olim occurrent. Ius regium in Marcomannis *Maroboduus* nimium affectauit; VELLEIVS *Lib. II Cap. CVIII.* sed is etiam deinde ex regno expulsus, & de occupata tyrannide deiectus, est: TACITVS *Ann. II. Cap. XLVI. & LXII.* quod & fatum habuit *CATVALDA*, & post eum *VANNIVS.* *Ann. II. Cap. LXIII. & Ann. XII. Cap. XXIX.* In Quadis *regem GABINIVM* AMMIANVS *Lib. XXIX. Cap. VI* ostendit. De regalibus, Subregulis, Optimatibus eorum, quorum & nomina memorat, vid. IDEM *Lib. XVII. Cap. XII.*

Quadi posteriores. niano constituto regno prolatari cœperunt Quadorum agri ad Cusum vsque amnem, longe vltra Marum in orientem. Inter hæc flumina, Marum & Cusum, siue is Vagus est, Danubium vltra, barbari, Maroboduum & Catualdam comitati, leguntur locati esse, dato rege Vannio gentis Quadorum. *Nouos* hosce *Quados* contra septentriones iugum montium, quod Plinius Hercynium vocat, & in quo suas ferri secturas Ptolemæus sternit, finiuit. Nec hisce contentus agris Quadorum populus paulo post tertia vice protulit ditionem ad Granuam vsque & Sarmaticos montes. Hos Quados Ammianus & Antoninus imperator intellexere, cum prope Bregetionem, & ad Granuam amnem, Quados ostendissent. Ptolemæus etiam hoc sensu Germaniam a meridie duabus Pannoniis obiacere dixit; cum ad Quados posteriores respiceret, qui aduersam inferiori Pannoniæ ripam demum obsederunt. Porro meminit Ammianus *Transiugitanorum*, quos vocat, *Quadorum*. Eos trans Hercynios montes in Osorum, forsan & Gothinorum, regione quærendos esse, omnia declarant. Heic tamen speciatim agros definire, minime negligentia auctorum nobis permittit *(m)*.

Germaniæ orientalis pars australis.

XVIII. Pto-

(*m*) Duo argumenta habent, qui *QVADOS Silesios*que eosdem cupiunt. Primum continuari Marcomannis Quados aiunt; quos habitasse in Silesia necesse sit, cum Marcomanni in Morauia egerint. Deinde idem notari volunt Germanica voce *Quaat*, quod Sarmatica *Zle*, nempe *Malum*, seu *improbum*: vnde dubium non sit, Silesios a Sarmatis vocatos esse, quos Quados Germani antiquitus nuncuparint. Absona vtraque argumenta, qui vel leuiter historiam legerit, facillime refutauerit. Nec imo ipsi Sarmatæ illam Silesiorum vocis notationem vnquam admittunt. De *Quadis* nostris ita TACITVS *Germ. Cap. XLII.* *Iuxta Hermunduros, Narisci, ac deinde Marcomanni, & Quadi, agunt. - - - Nec Narisci Quadique degenerant. Eaque Germaniæ velut frons est, quatenus Danubio prætexitur.* PTOLEMAEVS *Lib. II. Cap. XI.* ait: Ὑπὸ δὲ τὸν Ὀρκύνιον δρυμὸν Κυάδοι. Ὑφ' οὓς τὰ σιδηρορυχεῖα, καὶ ἡ Λοῦνα ὕλη. Ὑφ' ἣν μέγα ἔθνος, οἱ Βαῖμοι, μέχρι τοῦ Δανουβίου. *Sub silua Hercynia autem Quadi. Sub quibus ferri minera, & Luna silua. Sub qua gens magna Bæmi, vsque ad Danubium.* Magna quidem positionum hic adest confusio, sed vicinitas tamen populorum satis patet. Nempe a septentrionali latere Quadorum ferri secturas ostendimus

Quadi.

XVIII. Ptolemæus quædam nominat loca, quæ in Quadis quærere conuenit; quæ, si vrbes atque castella dicemus, more Romanorum in finibus posita, non valde errabimus: Clara in Quadis loca.

in Luna PTOLEMAEI, Hercynia PLINII silua. Quos & *Bæmos* hic PTOLEMAEVS adpellat, hi sunt *Marcomanni*, a regione, quam incoluere, Bæmi dicti. STRABO *Lib. VII.* magnam passus est deprauationem scriptionis, eo in loco, quem frequenter, ratione victarum a Maroboduo gentium, considerauimus. Ibi habet Κολδύλως gentem, quam omnino intra Hercyniam siluam ponit: mox addit autem, alios extra siluas habitare, Getis finitimos. Qui totus locus, si rite inspiciatur, non cum aliis dubitabo in CLVVERII *Germ. Ant. Lib. III. Cap. XXXI* ire sententiam, qui & Κολδύλως mutat in Κυάδυς, & hos in iis ponit nationibus, qui extra siluam Getis contermini egerint. Nempe tot nationes in Hercynia iam posuit STRABO, vt Κολδύλως, quos vocat, minime incincti Hercyniæ siluæ campi admiserint. Ita ergo lego: Πλὴν τάγε τῶν Σηύβων ὡς ἔφην ἔθνη τὰ μὲν ἐντὸς ὤκει, τὰ δὲ ἐκτὸς τῦ δρυμῦ, καθάπερ τὰ τῶν Κυάδων, ὅμορα τοῖς Γέταις. *Enimuero Sueuorum, vt ante dixi, gentes aliæ intra* (siluam Hercyniam) *habitant, aliæ extra saltum, vt Quadorum gens, contermina Getis.* Hanc Getarum, simul & Sarmatarum Iazygum, quos Metanastas PTOLEMAEVS, Vagos Sarmatas alii adpellant, vicinitatem PLINIVS *Lib. IV. Cap. XII.* ita indicat: *Superiora inter Danubium & Hercynium saltum, vsque ad Pannonica hiberna, Carnunti, Germanorumque ibi confinium. Campos & plana Iazyges Sarmatæ, montes vero & saltus pulsi ab his Daci, ad Pathissum amnem, a Maro, siue is Duria est, a Sueuis regnoque Vanniano dirimens eos. Auersa Bastarnæ tenent, aliique inde Germani.* Monstrat recte prope *Quados Dacos*, quibus vero expulsis *Iazyges* eam regionem occupauerint. Male vero *Vannianum regnum* terminat *Maro*, cum vsque eo priores Quadi habitauerint; illud vero ad *Cusum* pertigerit, qui *Vagus*, siue *Wage*, est. Hoc TACITVS ostendit *Ann. II. Cap. LXII. Barbari vtrumque* (Maroboduum & Catualdam) *comitati, ne quietas prouincias immixti turbarent, Danubium vltra inter flumina Marum & Cusum locantur, dato rege Vannio, gentis Quadorum.* Male etiam Germanorum initium a Maro Pannonicisque hibernis Carnunti, orditur: nisi dixeris, antiquiorem eum statum respexisse, fortassis etiam prioribus Quadis regnum Vannianum dedisse, quia forsitan iam ante Vannius reliquorum Quadorum rex fuit. Alioquin manifestum est ex historia longe ad orientem vltra Marum Germanos coluisse. Namque omnino ad Granuam Quadi postea pertigere: vnde illud MARCI *Imperatoris in Vita sua Lib. I.* Τὰ ἐν Κυάδοις πρὸς τῷ Γρανύᾳ. *Quæ in Quadis facta ad Granuam.* AMMIANVS *Lib. XVII Cap. XII. His, ait, in barbarico gestis Bregetionem castra commota sunt, vt etiam ibi belli Quadorum reliquias, circa illos agitantium tractus, lacryma vel sanguis exstingueret.* *Bregetio* autem ab aduerso est confluentis cum Danubio Granuæ. Ita recte PTOLEMAEVS *Lib. VIII.* dixit, *Germaniam terminari a meridie Rhætias*

Germaniæ orientalis pars australis.

bimus: cum præsertim in Boiohœmo locata oppida, iamdum viderimus. Habet *Medoslanium*, quod vtique prioribus Quadis tribuendum est, vt de vestigiis loci adhuc tamen controuersia superet. Quidam *Medoslanium* de *Znaim*, celebri oppido, interpretatur. Rectius alter Medoslanium quasi Medossanium accipit, & prope Danubium in vrbe *Meissan* & positionem Ptolemæi, & nomen vetustum, agnoscit. *Celemantiam* cui Quadorum generi, an priori, vtrum posteriori, vindicare velint; vulgo de eo auctores controversantur. Ex conuenientia nominis *Celemantiam* videtur *Kalminz*, vicus haud procul Teiæ fontibus, hodie referre. Sed positione æstimata trans Marum in posterioribus Quadis Celemantia magis locanda est, vbi *Braumau*, Morauiæ vicus, occurrit. *Eburum* & *Robodunum*, Ptolemæi celebria loca, nos positura obseruantiores Gothinis & Lygiis supra dedimus. Memorari tamen debet, a quopiam *Eburum* pro *Olmütz*, & *Robodunum* pro *Brin*, celeberrimis hodie Morauiæ

Morauiæ nomen.

regionis oppidis, accipi. Quod ad ipsam pertinet *Morauiam*, nomen prouinciæ a *Maro*, seu *Moro*, quem Plinius vocare videtur, fluuio, qui regionem peruadit, esse acceptum, facile quiuis videt: vt male adeo *Marcomannos* aliqui aduocent, vt *Morauorum*, & *Morauia*, nomina interpretentur. Occupauit Morauia succedente æuo inferiorem Quadorum & priorum, & posteriorum, sedem; & vocabulum tulit, post-

Norico, & duabus Pannoniis. ἀπὸ μεσημβρίας, Ῥαιτίᾳ, καὶ Νωρικῷ, καὶ δυσὶ Παννονίαις. *Transiugitanos Quados* memorat AMMIANVS *dicto* iam modo *loco*. Fines Quadorum fuere vbique *ad meridiem* Danubius, *ad occasum* primum Cluna amnis, dein Boiohœmici montes ad Marum vsque orientem; *ad ortum* primo Marus, deinde promotis finibus, Cusus, siue Vagus, & rursus prolatatis terminis Granua amnis; *contra septentriones* vbique iugum montium, in quo PLINIVS Hercynium saltum sternit, ad oppidum vsque *Twardofzin*. Continentur hodie istis finibus *Austria* pars trans Danubium, *Morauia Marchionatus* pars maxima, *Hungaria* Transdanubianæ eximia portio.

Quadi. postquam Slaui Sarmatæ in Quadorum habitationem successissent. Qua Marus Danubio confluit, de *insulis Danubianis* sciri debet, eas recte posterioribus Quadis, adeoque Germanicæ ripæ, vindicari: sua enim præsidia & castella cis Danubium in Pannonica tantum ripa condita Romanos habuisse reperimus, & est tamen opinio, insulas eos fuisse firmaturos præsidiis, si eæ ad ipsos spectassent. An credi possit, Ptolemæi nomen *Racatarum*, quos iuxta Danubium Bæmis suis conterminos facit, clarissimam nostram *Austriorum* nationem iam olim designasse; quod Austrii æuo seriore a Sarmatis vocabulo prope consonanti compellati fuerint? meum iam non erit definire (*n*).

XIX. De rebus Quadorum multa Romanorum historici meminere, quæ historia nostra copiose, si otia fuerint, persequetur. Videntur singulares suos reges ante Quadi habuisse, quam cum Marcomannis vni imperatori parerent. Nobile *Tudri* genus, quod Tacitus cum nobili *Marobodui* genere coniunctum simul celebrat, recte putatur solis Quadis imperasse, cum Maroboduus auitum inter Marcomannos teneret regnum. Qui deinceps acciderit, vt sæpe vno rege & Marcomannorum, & Quadorum, natio vteretur; non constat, nec magis, quoties singulares reges constituerint. Marcomannis Romæ fauentibus, & Quadi non alieno fuerint a Romanis animo; vt ipsos omnino reges ab iis æqua volun- Quadorum acta & fata.

(*n*) In PTOLEMAEI nominum interpretatione fere vbique sequimur MENSONEM ALTINGIVM, sed nec CLVVERII sententiam silemus, licet ea fere accuratione semper ab ALTINGIANA superetur. In PLINIO *Lib. IV. Cap. XII.* non pauci codices agnoscunt nomen *Mori* amnis: vnde *Morauiæ* cognomentum. Insulas amnicas Quadorum fuisse, debeo eruditæ coniecturæ CLVVERII; & eidem Ῥακάται PTOLEMAEI sunt *Austrii*.

voluntate acciperent. Aeuo autem Antoninorum grauissimum exarsit bellum, Quadis præcipue & Marcomannis facientibus, & cum iis omnibus Sueuicis conspirantibus ciuitatibus; illudque ad seram vsque ætatem mille formidines Romanis opponere aptum fuit. Persæpe Quadi Romanos eo adegere imperatores, vt penderent tributa mundi vniuersi, quo nomine intolerantissime ipsi gloriabantur, domini. Sæpe & quidem victi sunt a Romanis, & durissime habiti: quod Marci Antonini, Aureliani, Probi, Constantii, Valentiniani, aliorumque imperatorum, palmæ testantur. At nunquam tamen fracti aut perdomiti integram suam post grauissimas clades virtutem ostenderunt, donec Roma suis fungi fatis inciperet. Eo vsque proprio nomine cogniti Quadi fuerunt, & prope semper in Marcomannorum fœdere, quod antiquitus coluerant. Quinto autem ineunte seculo cum Marcomannis rarius Quadicum audiri nomen cœpit: ad aliud gentium fœdus transitionis tum factæ idoneo argumento. Marcomannos arbitrati sumus cum Gothis migrasse, & partem fortassis in Boioariorum nouum nomen cum Buriis, aliisque nationibus, consensisse. Cum solis standum sit coniecturis, non errauerit, qui æque ac Marcomannicam ciuitatem, sic Quadicam, in plures dilapsam esse partes, & ad diuersas confluxisse societates, censuerit. Certe Gepidæ, Rugii, Heruli, atque Longobardi, Romano exspirante imperio, tumultuarias ibi occuparunt, verterunt, atque commutarunt, sedes, vbi paulo ante Quadi egerant: vt sit prorsus statuendum, vnum alterumque illorum nominum Quadicum simul comprehendisse. Sarmatas extremum in Marcomannorum, Quadorumque, successisse regiones, iam supra monuimus. Vt sint singula acta, vtque sit de dubiis agrorum possessionibus tum certatum, cum omnes Germaniæ populi ad Romam adfligendam a fato quopiam essent exciti & experrecti;

Germaniæ orientalis pars australis.

Ann. CLXVII.

Quadi. recti; minime id licet distincte atque partite, apte vt sua constet ratio geographiæ, enumerare (o).

Uuu u 2 CAPVT

(o) Ex TACITO *Ann. XII. Cap. XXIX.* videtur liquere, aut *VANNIVM* simul Marcomannos regnasse, aut *IVBILLIVM* Hermundurorum regem; alioquin enim haud dubie Marcomannicæ gentis foret facta mentio. Deinde, vt Marcomanni, Romanorum amici fuere Quadi, vt & reges a Romanis acciperent. Habet SPANHEMIVS *Diss. IX.* rarissimum numum ex museo Seguiniano; qui auersa parte Antoninum Pium, altera legatum imperatoris & nudam regis figuram exhibet, cum inscriptione, REX QVADIS DATVS. Et CAPITOLINVS *in Antonino Philos. Cap. XIV.* *Quadi*, inquit, *amisso rege suo, non prius se confirmaturos eum, qui erat creatus, dicebant, quam id nostris placuisset imperatoribus.* In validissima Germaniæ, maxime Sueuiæ, gentium contra Romanos conspiratione, quam Antonini æuum vidit, vbique *QVADI* præcipui hostes nominantur. IVL. CAPITOLINVS *in Antonino Cap. XXII.* EVTROPIVS *Lib. VIII Cap. VI.* OROSIVS *Lib. VII. Cap. XV.* DIO CASSIVS *Lib. LXXI.* Semper deinde cum Marcomannis Quadi communem contra Romanos causam habuerunt. Iam Commodus videtur pacem ab eis pecunia redemisse. LAMPRIDIVS *in Commodo Cap. III. Bellum, quod pater pene confecerat, legibus hostium addictus remisit, ac Romam reuersus est.* Gallieni æuo in Pannonias Quadi inuaserunt. EVTROPIVS *Lib. IX. Cap. VI.* OROSIVS *Lib. VII. Cap. XXII.* Aureliani ætate cum Marcomannis Quadi Romam terruerunt. VOPISCVS *in Aureliano Cap. XVIII.* Contra Constantium rursus Quadi, fœdere tum cum Marcomannis, tum cum Sarmatis, coniuncti, insurrexere. AMMIANVS *Lib. XVII. Cap. XII.* Contra Valentinianum præcipue graue bellum a Quadis motum est: de quo AMMIANVS *Lib. XXIX. Cap. V.* ait: *Quadorum natio motu est excita repentino, parum nunc formidanda, sed immensum quantum antehac bellatrix & potens, vt indicant perpetrata, quoniam proclinia, obsessaque ab iisdem ac Marcomannis Aquileia, Opitergiumque excisum, & cruenta complura perceleri acta procinctu.* Inter extremos omnino tumultus, quibus Romanum imperium quinto ineunte seculo conquassatum est, Quadi res suas fortiter egisse leguntur; HIERONYMO *Epist. III. ad Hel. & Epist. XI. ad Acher.* teste. Exinde Quadorum nomen exoleuit, parumque eius auctores meminere. Adiicimus hoc, vt Quadi Marcomannique acerrima cum Romanis bella administrauerint, ita non defuisse tamen, qui ipsos apud Romanos ex vtraque natione mererent stipendia. NOTITIA *Imperii Occid. sub dispositione Magistri peditum præsentalis, in Auxiliis Palatinis* memorat *Honorianos Marcomannos seniores, & Honorianos Marcomannos iuniores:* & rursus, *sub dispositione Magistri equitum præsent. in Vexillationibus Comitatensibus Equites Marcomannos:* & iterum *sub dispositione Ducis Pannoniæ primæ Tribunum gentis Marcomannorum.* PANCIROLLVS autem *Comm. Parte II. Cap. XXI. XXVI. & LXXXI.* eundem semper errorem errat, & Marcomannos de Morauis vbique interpretatur. NOTITIA *Imperii orientis, sub dispositione Ducis Thebaidos,* in minore latereulo, memorat *Alam primam Quadorum.* Vid. PANCIROLLVS *Comm. P. I. Cap. CXLIV.*

CAPVT VII.

TRANSMARINAE GERMANIAE VETVS CONDITIO.

I.

Transmarinæ priſcæ Germaniæ conditio.

EX Sueuia, quæ cis maria orientis omnem Germaniam comprehendit, in *TRANSMARINAM SVEVIAM* actutum transmittimus, eiusque vetuſtam conditionem nobilesque gentes exploramus. Vaſta vtique hæc eſt, & ampliſſima Germaniæ antiquæ, quæ ſuperat, noſtramque manet commentationem, portio. Sed facit veterum communis ignoratio extremarum contra ſeptentriones terrarum, vt vix liceat paucis priſcam noſtræ trans maria Germaniæ conditionem deſcribere. Dedit illam generalem ignorantiam regno Arſacis acrior Germanorum, quam Tacitus prædicat, libertas; quæ non permiſit, vt interioris ſtatus plenior ad Romanos peruenerit, horumque ambitionem accenderet, notitia. Vix ad Albim ſemel atque iterum Romana claſſis adducta eſt, Romanusque peruaſit exercitus. De reliquis contra aquilonem ſitis terris vix fando quædam Romani, eademque dubia, incerta, & ſemiplenæ vix notitiæ ſufficientia, acceperunt. Nec ea fuit olim, quicquid obſtrepat aliquis auctor, poëtasque ſuos Græcos, ſuumque Platonem, memoret, circumnauigatamque crebro omnem ſeptentrionalem Germaniam arbitretur, nauigandi Romanis Græcisque peritia, vt tam longe diſſitas regiones ipſi claſſibus adire potuerint, & certiora per commercia accipere. Ipſa imo barbaricarum rerum negligentia & incuria, quam in Græcis atque Romanis obſeruare licet, ſi vel fuiſſet licitum, prohibuiſſet, quo minus ignotum ſolisque fabulis peruulgatum

Germania Transmarina. tum tentassent oceanum. Nobis quidem facile erat futurum veram heic ignotæ olim telluris conditionem prodere, erroresque veterum emendare. Sed vetera indagaturos non noua decet dare, aut aliena antiquitati supponere. Decebit priscorum auctorum, licet erraticas, audire sententias, verioraque docere ex eo æuo, quo sunt omnia plenius cognita; non simulare absolutam in veteribus nostræ Transmarinæ Germaniæ cognitionem (*p*). **Ratio eam considerandi.**

II. Fuit nostra *Transmarina Germania* plurium insularum nomine antiquitus cognita. Aquilonarem Germaniæ limitem Tacitus designaturus, *cetera*, ita inquit, *oceanus ambit, latos sinus & insularum immensa spatia complectens. A Germania*, & ait Plinius, *immensas insulas non pridem compertas cognitum habeo.* Ptolemæus non minus agnoscit insulas; sed veram Transmarinæ Germaniæ amplitudinem, quam qui vnus, maxime ignorauit. Inter illas insulas eas, quæ vere sunt insulæ, & a Teutonis habitatæ, supra descripsimus. Maiores, eæque perperam pro talibus acceptæ, superant insulæ, nunc a nobis antiquis insigniendæ nominibus. Plinius, antiquarum narrationum diligens scriptor, præter complures insulas sine nominibus; quæ sunt procul dubio illæ immenso **Opinio plurium insularum.** **Insularum nomina a Plinio prodita.**

 numero

(*p*) *SCANDINAVIAM* non hoc loco ex curiosis recentium auctorum obseruationibus, sed ex Græca Romanaque auctoritate, illustrabimus. Si ceteri fontes, vnde possit exponi regionis illius fida vetustas, quales memorat OL. RVDBECK *Atlant. Cap. I.* eruditis plene probari possent; ex aliis vtique commentationibus plura accipi posse, non nego. Quando autem *Clarissimus* RVDBECKIVS *Cap. VII.* demonstrare conatur, Scandinauiæ statum quam optime Aegyptiis, Græcisque, Phœnicibus, ipso commerciorum & nauigationum vsu iam antiquissimo æuo cognitum fuisse; in eo, vt pace eruditi viri dixerim, quam maxime fallit & fallitur: quod perspicuum facile esse potest, quibus antiquitas non prorsus est inexplorata. Cum etiam *Cap. XXVI* celeberrimam Argonautarum & Orphei expeditionem in Scandinauiam susceptam sibi persuasit; raram credo eruditorum, qui gustauerunt bonam antiquitatem, adsensionem merebitur. Non prorsus quidem ignotam fuisse Græcis Romanisque Scandinauiam, iam modo cernimus. Ast, quam hæc leuia sunt & exilia!

numero ante littora Transmarinæ Germaniæ in ſeptentrionali oceano ſtratæ minores inſulæ: duas nominat maiores, duasque incompertæ amplitudinis diuerſas inſulas. Clariſſima apud ipſum, &, qui eum ſequuntur, auctores, inſula nominatur *Germania Transmarina.*

SCANDINAVIA;

quam alibi ipſe *Scandiam*, & Iornandes, qui ſuo adhuc æuo inſulam eſſe arbitratus eſt, *Scanziam*, adpellauit. Ipſe Plinius incompertæ, ſed ſummæ, magnitudinis Scandinauiam eſſe, ex eo coniecit, quod portionem eius, quod ſit notum, Hilleuionum gens D incolat pagis. Altera, nec minor opinione, inſula

FINNINGIA

ipſi dicitur. Quibus duabus diuerſo loco adiicit inſulas BERGOS & NERIGON; ex qua in Thulen nauigetur. Hoc vt adiiciam, quatuor iſtis nominibus integram *Transmarinam Germaniam*, licet continenti, quod veteres ignorarunt, tractu, comprehendi, & facile a nobis agnoſci, manifeſto liquet. Propria *Scandinauia* atque *Finningia* vni hodie regi parent; & prior peninſulæ pars nouis nominibus nobis cognita eſt. *Nerigon* vel ſuo nomine *Norvegia* clariſſimum regnum indicat: & ſi coniicere licet, *Bergos* prouincia olim adpellata eſt, quæ hodieque nobiliſſimum Norvegiæ emporium *Bergen* oſtendit (q).

III. Vt

(q) TACITVS *Germ. Cap. I. Cetera oceanus ambit, latos ſinus & inſularum immenſa ſpatia complectens; nuper cognitis quibusdam gentibus ac regibus, quos bellum aperuit.* PLINIVS *Lib. II. Cap. CVIII. A Germania immenſas inſulas non pridem compertas cognitum habeo.* Et POMPONIVS MELA, & SOLINVS, & Græci omnes, non niſi inſulas a Germania agnouere. PTOLEMAEVS *Lib. II. Cap. XI.* habet *quatuor inſulas Scandias dictas, vnam vero earum, quæ maxima ſit.* Τέσσαρες αἱ καλούμεναι Σκάνδιαι, τρεῖς μὲν μικραί. Μία δὲ μεγίστη τῇ ἀνατολικωτάτη. PLINIVS, præter eas, quæ nomina non habent, quatuor inſulas memorat *Lib. IV. Cap XII. Incipit inde clarior aperiri fama ab gente Ingæuonum, quæ eſt prima inde Germaniæ. Seuo mons ibi immenſus, nec Riphæis iugis minor, immanem ad Cim-*

Germania Transmarina.

III. Vt moremur in nominibus rebusque antiquis, ceteris nominibus prope ignoratis, reliqui auctores vnam tantum Germanicarum insularum maximam, Scandinauiam, in medium proferunt; ita, vt videantur generali illo nomine reliquas simul comprehendisse: prorsus vt nos hodie solemus antiquo Scandinauiæ vocabulo ita vti, vt vniuersam Transmarinam Germaniam complectatur. Eo puto sensu accipienda erunt Græcorum vetustissima nomina, quibus Scandinauiam consueuerunt designare. Plinio scribente, Pytheas *ABALVM* & *BASILIAM*, eandemque immensæ magnitudinis insulam Xenophon Lampsacenus, & Timæus *BANNOMANNAM*, nominarunt. Licet ab iisdem auctoribus plures adpellationes adferri cernamus, non tamen est

Scandinauiæ generali nomine compellatæ, Græca nomina.

brorum vsque promontorium efficit sinum, qui Codanus vocatur; refertus insulis. Quarum clarissima Scandinauia est, incomperta magnitudinis; portionem tantum eius, quod sit notum, Hilleuionum gente 1ↄ incolente pagis, qua alterum orbem terrarum eam adpellat. Nec est minor opinione Finningia Cap. XVI. Sunt, inquit, *qui & alias insulas prodant: Scandiam, Dumnam, Bergos, maximamque omnium Nerigon, ex qua in Thulen nauigetur.* Ex PLINIO SOLINVS *Cap. XXIII. Mons Seuo, ipse ingens, nec Riphæis minor collibus, initium Germaniæ facit: hunc Ingæuones tenent, a quibus primis post Scythas nomen Germanicum consurgit.* Mox; *Scandinauia insula e regione Germaniæ.* ISAACVS VOSSIVS vult & iubet, vt in POMPONIO *Lib. III. Cap. VI.* loco *Codanoniæ* insulæ ponamus *Scandinauiam*; vocem *Scandinouiæ* ipsa etiam præstare voce *Scandinauiæ*. Sed vt cum eo sentiamus, Teutonisque eripiamus Codanoniam, ipse quidem imperando non impetrat. IORNANDES hanc Scandinauiam insulam *Scanziam, in libro de Rebus Get.* semper adpellat; PAVLVS DIACONVS PLINII vocabulo *Scandinauiam; de Reb. Longob. Lib. I. Cap. II. Vnde sit nomen SCANDINAVIAE,* siue *Scandia?* plurimæ coniecturæ sunt. Non inueni autem, quæ valde placere possit. A *scandendis nauibus* quidam; alii a *Scantzen, castellis*; alii a *Sitonibus*, aut *Sicconibus*, aut *Sconiis*, populis; Scandinauiæ nomen petiere. Ab *Asuenaze*, Germanorum patre, quod putant, præcipuo, aliquis vocabulum accepit: nonnulli Sueo-Gothicas voces aduocarunt, vt interpretarentur nomen. CLVVERIO, & cum eo aliis, *Scaniorum* populus placuit, & inde nomen deriuarunt. Conf. OL. RVDBECK *Atlant. Cap. XVI.* VERELIVS *in Not. Hist. Heruör. Cap. I.* IOH. LYSCHANDER *Ant. Dan. Serm. III.* THORM. TORFAEVS *Hist. Rerum Norueg. P. I. Lib. I. Cap. I.*

est dubium, vnum generale Scandinauiæ nomen varia illa aut vitiata, aut variis ex rationibus variata, cognomina referre: semper enim de eadem videntur loquuti esse auctores insula. Vnam & sane Scandinauiam ingentem Hecatæus, teste Stephano, *ELIXONAM, INSVLAMQVE HYBERBOREORVM*, compellauit; eademque certe est, quam Diodorus ex aduerso Scythiæ, quæ ipsi supra Galliam, siue Germaniam nostram, est, positam dixit esse, & *Basiliam*, nomine iam prolato, nuncupari. De Græcorum nominum rationibus non inquirimus, cum rei obscuritas omnes prope excludat coniecturas. Minimum probamus opinosi cuiusdam auctoris coniectationes liberiores, quibus omnia illa vocabula de Scandinauiæ laudibus atque elogiis interpretatus est; quasi non regio foret, quæ cum prisca Scandinauia comparari possit, adeoque vni huic omnes antiquitatis deberentur laudes. Ipse equidem non dissentio, quo minus ex nostra lingua illa Scandinauiæ nomina orta esse videantur. Sed vt certam ipse ignoro originem, ita saltem fastosam atque affectatam eius curam non adprobo (*r*).

Germania Transmarina.

Difficilis nominum interpretatio.

IV. Placet

(*r*) PLINIVS *Lib. IV. Cap. XIII.* quædam nomina Græcorum tradit. *Exeundum deinde est, vt extera Europæ dicantur; transgressisque Riphæos montes littus oceani septentrionalis in læua, donec perueniatur Gades, legendum. Insulæ complures sine nominibus eo situ traduntur, ex quibus ante Scythiam, quæ adpellatur Baltia,* (alii codices *Bannomanna* vocem agnoscunt, & sunt, qui veram esse vocem arbitrantur 1) *abesse a Scythia diei cursu; in quam veris tempore, fluctibus electrum eiiciatur, Timæus prodidit. Reliqua littora incerta signata fama. - - - - - - Xenophon Lampsacenus, a littore Scytharum tridui nauigatione, insulam esse immensa magnitudinis Baltiam tradit. eandem Pytheas Basiliam nominat. Feruntur & Oonæ; in quibus ouis auium & auenis incolæ viuant. aliæ, in quibus equinis pedibus homines nascantur, Hippopodes adpellati. Panotiorum aliæ, in quibus nuda alioquin corpora prægrandes ipsorum aures tota contegant.* En fabulæ cum verarum insularum nominibus! Easdem illas fabulas memorauit tamen POMPONIVS MELA *Lib. III. Cap. VI. Quæ Sarmatis,* inquit, *aduersa sunt ob alternos accessus recessusque pelagi, & quod spatia, queis distant, modo operiuntur, modo nuda sunt, alias insulæ videntur, alias vna & continens terra. In his esse Oeonas, qui ouis auium palustrium & auenis tantum alantur: esse equinis pedibus Hippopodas, & Panotos, quibus magna*

Germania Transmarina.

IV. Placet tamen illius affectatæ originum curæ intuitu paulum hic de cursu digredi, &, antequam veteres memorare pergamus sententias, de nuperis quibusdam dicere opinionibus, ex quibus multo insigniores tituli ex antiquitate Scandinauiæ deberi creduntur. Constituitur primum præcipuam totius terrarum orbis regionem Scandinauiam quondam fuisse: eo primos homines diuino adflatu beatiores concessisse; indeque demum omnes clariores ciuitates,

Specimen affectatæ nominum Scandinauiæ priscorum curæ.

aures, & ad ambiendum corpus omne patulæ nudis alioqui pro veste sint, prætorquam quod fabulis traditur, auctores etiam, quos sequi non pigeat, inuenio. Porro PLINIVS *Lib. XXXVII. Cap. II.* noua affert Scandinauiæ Græca nomina. *Pytheas*, inquit, *Germaniæ genti accoli æstuarium oceani Mentonomon nomine, spatio stadiorum VI. CIↃ. ab hoc diei nauigatione insulam abesse Abalum: illo vere fluctibus aduehi: & esse concreti maris purgamentum. incolas pro ligno ad ignem vti eo; proximisque Teutonis vendere. Huic & TIMAEVS credidit: sed insulam Baltiam nominauit.* Et SOLINVS *Cap XXII.* ait: *Auctor est Xenophon Lampsacenus a littore Scytharum in insulam Balthiam triduo nauigari, eius magnitudinem immensam & pene similem continenti:* post quæ sequuntur eædem ex PLINIO fabulæ de Oonis Hippopodibus, & Panotiis. *BASILIAE* nomen affert etiam DIODORVS SICVLVS *Lib. V.* Τῆς Σκυθίας τῆς ὑπὲρ τὴν Γαλατίαν καταντικρὺ νῆσός ἐστι πελαγία κατὰ τὸν ὠκεανὸν, ἡ προσαγορευομένη Βασίλεια. *Ex aduerso Scythiæ, quæ supra Galliam est, insula in oceano est, quam Basiliam vocant.* De *ELIXONA* insula STEPHANVS hæc habet: Ἐλίξοια, νῆσος Ὑπερβορέων, οὐκ ἐλάσσων Σικελίας, ὑπὸ ποταμῷ Καραμβύκᾳ. οἱ νησιῶται Καραμβύκαι, ὡς Ἑκαταῖος. *Elixona, insula Hyperboreorum, haud minor Sicilia, sub flumine Carambyce. Vnde insulani Carambycæ; teste Hecatæo.* Quia Carambyces Obius sit, multi malunt hanc Elixonam de *Noua Zembla*, seu *noua Terra*, interpretari. Ego putem Scandinauiam nostram intelligi, licet situs non iustus fuerit ab HECATAEO designatus. OLAVS RVDBECK *Atlantica Cap. IX. Insulæ Hyperboreorum* nomen Scandinauiæ vindicat, & interpretatur de *insula gentis nobilissima natorum hominum. Cap. XI. Basiliam* accipit pro *regum & deorum insula:* nec id ex Græca, sed Sueogothica, quod contendit, lingua. *Cap. XII.* de *Balthia* agit, quam *fortium virorum habitationem* sonare ait. *Cap. XIII Bannomanna* nomen probat, & indicari putat veterem *Manni*, Germanorum conditoris, *sedem:* vnde, nomen *Manheim* rectius esse, existimat. *Cap. XIV. Osericta* nomen, quod etiam PLINIVS *Lib XXXVII. Cap. II.* memorat, *Deorum insulam*, referre, docet: & *Elixonam* HECATAEI *beatorum insulam.* Interpretationis penes alios esto iudicium.

tates, omnes principes, omnesque in vniuersum gentium deos, prodiisse. Terram tanta gloria ornatam apud orientis populos & Graecos peruagatissimam fuisse, & in praecipua veneratione habitam; ex priori adsertione elicitur. Tum omnes in vetustate gloriosos beatae cuiusdam & dominatricis nationum insulae titulos, licet fabulis obuolutos atque tectos, in vnam quadrare nostram Scandinauiam, decernitur. Cum ita suam maximis laudibus celebret Plato *ATLANTICAM*; hanc de Scandinauia non interpretari solum, sed & ostendere placet, examussim Platoni locorum naturam, finiumque distantiam, imo ipsam solennium, publicorumque adeo aedificiorum conditionem, cognitam atque exploratam fuisse. Quod adiecit Plato, ingentem insulam vi fluctuum mari mersam esse, id dicis causa a Platone scriptum putatur, nihilque velle aliud, quam intermissas Graecorum in Scandinauiam nauigationes notare. Praeter Atlanticae laudes Scandinauiae debitas, *OGYGIA* etiam, quam Homerus cecinit, in censum venit; primumque conciliatur Atlanticae a Platonis, aliorumque auctorum, scriptis, peruulgatae, deinde Scandinauiae nostrae. Fabulae multae heic de veris Scandinauiae regum principumque rebus gestis libere accipiuntur. Qui sequuntur *HYPERBOREORVM INSVLAE, SCYTHIAE, BASILIAE*que, *GALLIAE*, atque *SVEVIAE*, tituli verae nostrae debentur Scandinauiae; parsque nominum a nobis iam ante tradita est. Non probo tamen *Hyperboreorum* nominis interpretationem, quasi *principes homines*, & quos Germanico vocabulo *ex alto loco genitos* adpellamus, designaret: cum constet, aquilonares gentes Graeco vocabulo Hyperboreos nuncupatas esse. Nec probantur valde allata hac occasione Basiliae, Baltiae, Bannomannae, aliaque nominum interpretamenta ambitiose conquisita; licet de diuersa nominum origine non valde aliunde constet. Pars etiam nominum prolatorum in Scandinauiam

Germania Transmarina.

nauiam

Germania Transmarina.

nauiam quadrare quidem censetur; non autem soli deberi Scandinauiæ, nec solam denotare: quod Scythiæ, Galliæ, Sueuiæque, adpellationum respectu debet obseruari (s).

Antiquitatum Scandinauiæ fastosa inuestigatio.

V. Referuntur in reliquis Scandinauiæ, iisque ambitiosioribus, compellationibus *OSERICTAE* porro, & *ELIXONAE*, nomina, Plinio & poëtis incerto sensu memorata; quæ, aliorum scilicet comparatis opinionibus, de *Deorum sede* & *beatorum insula* placet interpretari, & *Scandinauiæ* multis rationibus adserere. Secundum eandem opinionem Scandinauia dicta est *CODANONIA*; nec vltra, quod constituimus nos supra, Teutonorum præcipua insula illud seruabit adnomen. Teutonorum sociis Cimbris *Cimbrica* quidem *chersonesus* linquitur; sed gens terraque simul continenti Germaniæ eripitur, & in Scandinauiam transfertur. *GOTHIAE* nomen præcipuum Scandinauiæ fuisse, sed vulgo in alterum Codanoniæ vocabulum versum esse, statuitur. *VLTIMA THVLE*, quicquid vni Procopio omnis reclamet antiquitas, non minus Scandinauia esse adpellata iudicatur. In Scandinauia doctæ illæ coniectationes, quas aceruatim iam memorabimus, *Hesperidum hortos*, *mala aurea*, horum *custodem draconem*, & *Elysios campos*, quæsierunt; vnaque cum illis *Acherontem*, *deos*que *inferos*, atque *Tartarum*, in eadem prouincia reperere. Quot cecinerunt fere Græci Romanique poëtæ fabulas, tot nouas Scandinauiæ laudum accessiones mirabiles accepere opiniones. *Orpheus* & *Argonautæ* vere in Scandi-

(s) Non, censeo, quicquam muto *clarissimi Atlanticæ* AVCTORIS mentem: si præter opinionem in quibusdam paulo diuersus fuerit auctoris sensus, absit scriptis iniuria. Præstantiam Sueoniæ, & qua ratione antiquissimo æuo fuerit habitata, & reliqua, persequitur *Cap. III. IV. V. VI.* PLATONIS *in Timæo ATLANTICAM Cap. VII.* & HOMERI *OGYGIAM Cap. VIII.* *Scandinauiæ* vindicat. *SCYTHIAE* nomen *Cap. X.* & *GALLIAE*, seu *Galatiæ*, & *Galganiæ*, vocabula *Cap. XVIII.* item *SVEVIAE* cognomentum *Cap. XXIV.* exponit, & suæ *Scandinauiæ* adserit: quam variis id argumentis, apud ipsum vide: ea enim hic tradere velle, operæ foret & nimiæ, & qua delectaturos lectores meos non quidem satis confido.

Scandinauiam fecere expeditionem, & omni Europa circumnauigata in patriam redierunt. Egregiam videris Orphei narrationum, & priscarum Scandinauiæ rerum, concentum atque consensum demonstrari. *Aurea mala*, poëtis celebrata, virtutum Scandinauiæ insularum fuisse symbola & indicia existimantur. Vt demum *sedis deorum* & *insula beatorum* titulus rite possit Scandinauiæ vindicari, *omnis deorum generatio* ex illa producitur, nominumque docetur explicatione, reges, heröesque Scandinauiæ, a Græcis ceterisque nationibus pro diis esse habitos. In Scandinauia natæ litteræ, & artes, & scientiæ omnes, perhibentur. Non vetus exstitit populus, qui gloriam tulerit, quem non primum habuerit Scandinauia. Prodiisse putatur *Troianos* inde, & veteres *Gallos*, & *Cimbros* atque *Teutonos*: hos imo clarissimis expeditionibus insigniores superare, quas ipsi *dii* ex Scandinauia susceperint, indeque Græcis mira comminiscendi materiam suppeditauerint (*t*). Sunt profecto incomparabiles priscæ Scandinauiæ cum

Germania Transmarina.

(*t*) Idem RVDBECKIVS *Cap. XIV.* de *OSERICTA*, & *Cap. XV.* de *ELIXONA*, seu *Elixoia*, agit. *Cap. XVII. CODANONIAM*, atque *GOTHIAM*, de *Scandinauia* interpretatur. *Cap. XXI.* in extremis Scandinauiæ *CIMBRICAM CHERSONESVM*, & *Cimbros*, quærit. *Cap. XIX. THVLES* nomen vindicatur. *Caput XXIII. Hortos Hesperidum, Camposque Elysios*; *Caput XXXIX. Mala Aurea*; & *Caput XXII. Acherontem, Inferos*, & *Finem terræ*, in *Scandinauia* reponit. *Orpheus* & *Argonautæ* in Scandinauiam profecti sunt, vindice *Cap. XXVI.* In *Capite XXVII. Dii & reges veterum Sueonum*, eorumque nomina exponuntur, & singulatim *Cap. XXVIII. SATVRNVS*, siue *Boreus*; *Cap. XXIX. IOSVR*, siue *IVPITER*; *Cap. XXX. NEPTVNVS*; *Cap. XXXI. Odinus*, siue *PLVTO*; *Cap. XXXII. Hermodus*, siue *MERCVRIVS*; *Cap. XXXIII. HERCVLES*; *Cap. XXXIV. APOLLO.* Natæ sunt *litteræ in Sueonia*; quod docet *Cap. XXXVIII. Caput XXXVI. Troianos* & *Phryges*; *Caput XXXVII. Gallos*; & *Caput XXXV.* ipsos *Deos* expeditionem ex Scandinauia in ceterum terrarum orbem suscepisse, tradit. Et de expeditionibus quibusdam Scandinauiæ incolarum in ipsas remotissimas terras facilis RVDBECKIO fides fuerit. Qantulum enim tunc parum mare, aut amnes obstabant, quo minus, vt Scandinauiæ gentes eualuerant, longe lateque terras peruagari, occuparent permutarentque sedes promiscuas adhuc, & nulla regnorum potentia diuisas? Quis hodie credidisset, extre-

Germania Transmarina.

cum ex nominibus, tum ex illuſtribus factis, coaceruatæ laudes; quas ipſi, quippe priſcæ noſtræ Germaniæ ſimul proprias, noſtris concelebrare litteris non dubitaremus, ſi ingenium atque eruditionem ſufficere liberioribus opinionibus probandis arbitraremur. Nunc vero, plurima vbiuis obſtante dubitatione, nec parum aduerſante atque repugnante in multis antiquitate, ſuas ſibi ſententias ſeruent fœcunda ſagaciaque ingenia; nobisque permittant, vt ſuſpiciamus & miremur lepidam atque feſtiuam quarundam antiquitatis partium enumerationem: non, vt de portentis opinionum ſoli adſentiamur liberæ, nec vnquam probatæ teſtatæque, adſertioni, aut poſtulent, aut iubeant.

Marium Scandinauiam alluentium nomina.

VI. Rurſus ad veterem fidamque rerum memoriam noſtra reuocatur commentatio, & de priſcis Scandinauiæ finibus eſt ſollicita. Hos maria vndique dedere, ſi antiquos auctores audimus, qui inſulas Scandinauiam, reliquaque nomina, referre arbitrati ſunt. A meridie *Codanum ſinum*, ſiue *Sueuicum mare*, nouerant Germaniæ continens, & Scandinauiam, diuidere. Non male cenſetur, a Baltiæ Græco nomine mari demum *Baltici* hæſiſſe nomen; licet ſeriſſima modo ætas iſtud vocabulum audierit. Protendi autem Germaniæ ſinum longe contra ſeptentriones, fuit opinio: vt adeo crederetur Scythiam & Sarmatiam ad ortum, Scandinauiamque ad occaſum, interfluere, oceanumque *Amalchium* contingere. Plinius, qui Finningiam ſpeciatim memorat, inter Sarmaticum littus & Scandinauiam nouam hanc inſulam poſuit; vt ita eius ex opinione bis Germaniæ ſinus contra aquilonem,

mos Sueones, per tot regna, totque prouincias, tot exercitibus obſtantibus, ad Pontum vsque, & ad ipſam prope paludem Mæotim, fuiſſe peruaſuros; & diuerſiſſima inde via ingenti circumitione in noſtram reuerſuros Germaniam? Et, quod nemo crediſſet, factum eſſe cernimus. Quid ſperemus vero de antiquitate, quæ prona ad migrationes quam quæ maxime erat, & cui migrandi commoditates erant plurimæ? Non id tamen plane perſuadere, vt RVDBECKII narrationes veræ vicem hiſtoriæ ſubeant, nemo non intelligit.

lonem, & ad Amalchium mare, proruperit. Vnam finus partem, quæ Sarmaticum alluit littus, singulari vocabulo *Venedicum sinum* a Ptolemæo compellatum, videri esse, transeundo rursus monemus. A septentrionibus *Amalchium* & *Cronium mare*, vnoque nomine *septentrionalem oceanum* dictum, Scandinauiam, imo & naturam, quod Tacitus ait, finiisse, constans fuit veterum sententia. Ad occasum *Morimarusa* mari, quod Scandinauiam ambiit, nomen præcipuum fuit. In eo proiectas duas insulas ex Plinii opinione intelligere oportet, quæ Bergos & Nerigon veteres adpellarunt. Hactenus falsi suæ opinionis veteres, quod plures insulas in Transmarina Germania numerarunt; cum vere nomina sibi continuarentur, & nisi lacubus aut fluentis a Sarmatiæ continente, & inuicem, non separata essent. Cetera, siue regionum nomina Plinii, siue fines maribus constitutos, respiciamus, satis bene veteribus fuisse explorata perspicimus (b).

Germania Transmarina.

Positura Scandinauiæ ex veterum opinione.

VII. Quod ad posituram Scandinauiæ, si generale nomen accipimus, pertinet, omnes quidem contra septentriones infra, aut, quod alii malunt dicere, supra Germaniam, & a Sar-

(b) Dictum de *septentrionali oceano*, eiusque variis nominibus, in Germaniæ aquilonari limite. PLINIUS *Lib. IV. Cap. XIII.* SOLINUS *Cap. XXII.* affert Græca vocabula. *Codanus sinus*, quem POMPONIUS *Lib. III. Cap. III. & VI.* adpellat, *Balticum mare* ab HELMOLDO & ADAMO BREMENSI nominatur; nouo quidem, sed, quod *Scandinauia* consueuit *Baltia* dici, non vetustati incongruente vocabulo. *Venedici sinus* nomen in PTOLEMAEO Sarmatiam describente est. Contra *Germaniæ sinum*, *Mareque Sueuicum*, adpellat TACITUS *Germ. Cap. XXXVII. & XLV.* IDEM non raro absolute *Oceanum* hoc mare vocat; *Germ. Cap. XL. Est in insula oceani castum nemus: Cap. XLIII. Protinus ab oceano Rugii.* Eum & IORNANDES *de Rebus Get.* sequutus, nondum hic doctus, peninsulam, non insulam Scandinauiam esse, *Septentrionalem oceanum*, *Germanicumque mare*, sinum nuncupauit. De mari Scandinauiam ambiente ita TACITUS *Germ. Cap. XLV. Trans Suionas aliud mare pigrum ac prope immotum, quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides; quod extremus cadentis iam solis fulgor in ortus edurat, adeo clarus, ut sidera hebetet. Sonum insuper emergentis audiri, formas Deorum & radios capitis adspici, persuasio adiicit. Huc vsque, & fama vera tantum natura.*

Germania Transmarina. a Sarmatiæ latere occiduo, Scandinauiam constituerunt; intuitu tamen distantiæ a Germania, aut ab Scythia, plurimum dissensere. Pars Græcorum abesse *Baltiam* a Scythia diei cursu credidere, pars tridui nauigatione a littore Scytharum illam insulam esse, arbitrati sunt. Nisi *Elixona*, Hyperboreorumque insula, nouam terram, serissimo æuo demum inuentam, denotat, fuere etiam, qui Carambicis fluuii, siue is Obius est, ostiis obiacere Scandinauiam putarunt. Ex Pythea Plinius, *Abalum* insulam diei nauigatione abesse a Guttonum æstuario, memorauit. Iornandes, suo adhuc æuo æque ac veteres veræ Scandinauiæ conditionis ignarus, Vistulæ ostiis oppositam suam habet *Scanziam*; quo nomine ab ipso Scandinauiam notari, alibi dictum est. *Scandiarum* suam maximam Ptolemæus ita designat, vt clarissime Scandinauiam cernamus. Labitur autem per errorem, cum latitudinem eius vix vltra Cimbrorum proferat promontorium, & longitudinem Vistulæ prope ostiis terminet. Alii auctores, licet amplitudine insulæ non penitus explorata, rectius tamen in uniuersum de ea iudicarunt. Dixere, immensæ esse magnitudinis, licet fere incompertæ, insulam. Xenophon Lampsacenus, Plinio teste, *Scandinauia* seu *Baltia* magnitudinem immensam, & pene similem continenti, prædicauit. Plinius, licet quatuor diuersarum insularum nomina ex priscis proferat narratibus, non minus tamen omnium magnitudinem, si Bergos insulam exceperis, laudat; veramque adeo nostræ Transmarinæ Germaniæ, si insularum miseris nomen, faciem repræsentat. Vnus ergo Paulus Diaconus Ptolemæi errore abreptus est, vt non nimiæ amplitudinis insulam Scandinauiam dixerit; cum interim id videatur ex vero traxisse, non insulam esse Scandinauiam, sed continenti Scythiæ iunctam terram: quod equidem verum quam ridiculo verborum ambitu in medium protulerit, cum Scandinauiam *Amplitudo Scandinauiæ ex veterum sententia.*

non

non tam in mari esse positam, quam marinis fluctibus circumfusam, censuerit, patet omnibus (x).

Germania Transmarina.

Vetus Scandinauiæ distributio.

IIX. Qua ratione fuerit Scandinauia vetus diuisa, quotque præcipuas nationes habuerit, vix frustillatim licet in priscis monumentis legere. Si Plinii quatuor insulas capimus, aut Bergos insula transmissa, tres reliquas potiores; habemus generalem quondam immensæ Scandinauiæ, ipsique genuinæ telluris faciei conuenientem, partitionem. Prima pars interior *SCANDINAVIAE* proprio nomine videbitur adpellanda esse; vocabulo fortassis a *Scaniis*, primis post Germaniam Scandinauiæ, proximisque Codanoniæ Teutonorum, incolis, desumto. Altera exteriorque & mari circumfluo præcincta, pars erit *NERIGON* nuncupanda: nomine hodieque in ingenti illo tractu terrarum perdurante. Si autu-

(x) Græcorum de Scandinauiæ distantia atque situ opiniones tradidit PLINIVS *Lib IV. Cap. XIII. & Lib. XXXVII. Cap. II.* cum SOLINO *Cap. XXII.* Apud PTOLEMAEVM *Lib. II. Cap. XI.* maxima eius Scandinauia ponitur iuxta Vistulæ fluminis ostia: *μία δὲ μεγίστη καὶ ἀνατολικωτάτη κατὰ τὰς ἐκβολὰς τοῦ Οὐϊστούλα ποταμοῦ*: nec is magnitudinem eius nimiam celebrat. PTOLEMAEI positioni & IORNANDES *de Rebus Geticis*, & PAVLVS WARNEFRIDVS *Hist. Longob. Lib. I. Cap. II.* sua videntur debere; hic, dum Scandinauiam non magnam insulam esse arbitratur; ille, cum hæc dicit: *Est in oceani arcto salo posita insula magna, nomine Scanzia, in modum folii cedri, lateribus pandu post longum ductum concludens se; eius ripas influit oceanus. Hæc a fronte posita est Vistulæ fluuii, qui Sarmaticis montibus ortus, in conspectu Scanziæ septentrionali oceano trisulcus illabitur, Germaniam Scythiamque disterminans. Hæc ergo habet ab oriente vastissimum lacum, in orbis terræ gremio: vnde Vagi fluuius, velut quodam ventre generatus in oceanum vndosus euoluitur. Ab occidente namque immenso pelago circumdatur: a septentrione quoque innauigabili eodem vastissimo includitur oceano, ex quo, quasi quodam brachio exeunte, sinu distento, Germanicum mare efficitur.* PAVLVM VVARNEFRIDVM vera accepisse, sed turbide atque confuse, hæc eius verba *Lib. I. Cap. III.* declarant: *Hæc ergo insula, sicut retulerunt nobis, qui eam lustrauerunt, non tam in mari est posita, quam marinis fluctibus, propter planitiem marginum, terras ambientibus circumfusa.* Cetera prolata ex locis supra exscriptis iam declarantur.

Germania Transmarina. Si autumaueris, *BERGOS* compellatione superiorem Nerigonis partem, vbi opulentum nos emporium Bergen conspicimus, antiquitus venisse; minime me contradicentem habebis. Tertia autem maiorque Scandinauiæ portio *FINNINGIA* erit, ingenti sinu ab occasu a propria Scandinauia diuisa, sed eidem contra septentrionem iuncta, & ab ortu Sarmatiæ continuata. Alio loco Plinius, *Seuonem*, immensum montem, nec Ryphæis minorem iugis, immanem ad Cimbrorum vsque promontorium efficere sinum, qui Codanus vocetur, memorauit. Hoc Seuone recte ingens montium iugum denotari, interpretes cupiunt; quo media scindatur Scandinauia, Sueciaque vbiuis prope a Noruegia separetur. Seuone igitur, erroribus Plinii silentio transmissis, suo restituto loco rursus bifariam habemus Scandinauiam diuisam, & addita Finningia trifariam. Hic demum bellissime conueniet Tacito cum Plinio ceterisque scriptoribus, & demum generalis quædam populorum Scandinauiæ distributio accipietur. Habet Tacitus primum *Suiones*, ipso in oceano, post Gothones, Rugios atque Lemouios. Illi ergo superiorem atque interiorem Scandinauiam coluerunt supra Seuonem montem. Parte tamen maxime septentrionali iidem attigere mare, quod pigrum ac prope immotum Tacitus adpellat, & trans Suiones suos constituit. Suionum ciuitatibus *Sitonum* gentes continuari, inde Tacitus ait. Igitur trans Seuonem illæ egerunt, in terrarum tractu, quem Plinius insulam credidit esse, & Nerigon nuncupauit. Denique *Fennos* Tacitus singulatim cum Venedis, Peucinisque, citauit; quod forsan nouerat, his illos continuari, nec tam insulam esse Scandinauiam, quam insulæ similem. Quicquid est, Plinii Finningiam Fennorum Taciti patriam esse, nemo dubitabit; adeoque non incommode trifariam, & nationem, Tres Taciti præcipui in Transmarina Suecuia populi.

& terram, immensæ Scandinauiæ, ex ipsa veterum opinione, nemine reclamante, habemus distributam (y). *Germania Transmarina.*

IX. Suionum nunc ciuitates, Sitonumque gentes, quas vtrasque Tacitus memorat, simulatque Finnos propius consideraturis, est ad alios eundum auctores, vt nomina ciuitatum generalibus nominibus complexarum exquiramus. Et quantum attinet ad Suiones, opera nostra non erit frustra, sed facile gentes reperiemus, quæ ibidem coluerunt, vbi ciuitates Suionum locauit Tacitus. Fennorum etiam quosdam populos, nisi in antiquis, in proximis tamen hisce, scriptoribus laudatos deprehendemus. Soli sunt Sitones, quorum nec nomen vsquam alibi legitur, nec ciuitatum, quas videantur habuisse, sit mentio. In

SVIONVM

Suionum ciuitates; Scandii;

natione primi creduntur SCANDII, siue *Scanii*, fuisse; iidemque proximam Germaniæ & australem Scandinauiæ partem habitasse. Nomen equidem in vetusto auctore non legitur. At suadet nomen regionis hodieque superstes, habuisse quondam eam populum, cui Scaniorum fuerit nomen. Putem etiam, ab hoc populo Romanis magis cognito Scandinauiæ, & Scandiæ, regionis generale adnomen acceptum esse. Fortassis, quos Ptolemæus in australi Scandinauiæ parte *Dauciones* adpellat, *Scandiones* sunt; hoc ab eo vocabulo, vt sæpe consueuit facere, ex altero Scaniorum formato, atque producto. Ad occasum in superiori Scandinauiæ parte infra Scandios, seu Scanios, a Teutonum latere, HILLEVIONES, magna amplaque gens, habitasse videntur. Plinius habet gentis nomen, quod & Pomponii *Hermiones*, & Ptolemæi *Leuoni*, vitiata forsan vocabula, videntur referre. Nationem Hilleuionum D incoluisse pagis, quod Plinius ait, magnam quidem mouet dubitationem, vt tam angustam Hille-

Hilleuiones;

(y) Diuisionis Scandinauiæ veteris ex PLINIO *Lib. IV. Cap. XIII. XVI.* & ex TACITO *Germ. Cap. XLIV. XLV.* argumenta petere licet.

uionis. Hilleuiones regionem, qualem dedimus, habuerint. At fuit fortaſſis commune eorum nomen ſimul & Scaniis, & Gutis, aliisque auſtralis Scandinauiæ habitatoribus; quorum ſane nomina nonnulla Ptolemæus recenſet: idem vero fuerit proprium ſingularis ciuitatis, quæ definita modo regionis tenuerit ſpatia, vbi hodieque Hilleuionum nominis occurrunt crebro veſtigia. An Hilleuiones incerta ætate in Sarmatiæ littora, & extremas Aeſtiorum ſedes, traiecerint, terræque *Liuoniæ* nomen dederint? non inepte quæritur, ſed ægre deciditur. Si potius Ptolemæi vocabulum *Leuonorum*, quam alterum *Hilleuionum*, adprobamus; quis enim dixerit, vtrum ſit integrius, minusque corruptum? non leuis ex gentis adpellatione capitur coniectura, & ad affirmandam quæſtionem profertur (z).

(z) TACITVS *Germ. Cap. XLIV.* *Suionum*, inquit, *hinc ciuitates ipſo in oceano. præter viros armaque claſſibus valent.* *SCANDIORVM* nomen nusquam occurrit. Sunt autem forſitan Δαυκίωνες PTOLEMAEI, quos in Scandiæ meridiali parte ponit, *Scandii.* PLINII de *HILLEVIONIBVS* locus ita habet, *Lib. IV. Cap. XIII.* *Sueo mons ibi immenſus, nec Riphæis iugis minor, immanem ad Cimbrorum promontorium efficit ſinum, qui Codanus vocatur, refertus inſulis; quarum clariſſima Scandinauia eſt, incompertæ magnitudinis; portionem tantum eius, quod ſit notum, Hilleuionum gente 1Ↄ incolente pagis, quæ alterum orbem terrarum eam adpellat.* Hilleuiones haud dubie POMPONIVS *Lib. III. Cap. III.* *Hermiones* dixit: *In eo* (Codano ſinu) *ſunt Cimbri & Teutoni: vltra vltimi Germaniæ, Hermiones.* Cur enim OL. RVDBECK *Atlant. Cap. XVI.* Hermionum defendat, atque in Scandinauiam transferat, nomen; ſatis ipſi rationis fuit; nobis minimum. PTOLEMAEVS *Leuonos* memorat in hac populorum Scandinauiæ enarratione: Καλεῖται ἰδίως καὶ αὐτὴ Σκάνδια· καὶ κατέχουσιν αὐτῆς τὰ μὲν δυτικὰ Χαιδεινοί· τὰ δ' ἀνατολικὰ Φαυόναι καὶ Φιραῖσοι· τὰ δὲ μεσημβρινὰ Γοῦται, καὶ Δαυκίωνες. τὰ δὲ μέσα Λευῶνοι. *Vocatur & hæc proprie Scandia. & tenent ipſius occidentalia Chadini: orientalia vero Fauonæ & Firæſi; meridionalia Gutæ & Dauciones. media autem tenent Leuoni.* Hic quidem in mediis locat *Leuonos*, PLINIVS *Hilleuiones* magis in Scandinauiæ initiis; ſed in remotioribus PTOLEMAEO facile error condonatur. Regio *Halland* creditur *Hilleuionum* nomen hodieque oſtendere, cum capite regionis *Halmſted*; prorſus vt *Scaniorum* nomen durare putatur in *Scania* prouincia, *Schonen* vulgo dicta. Vtramque autem nationem latioribus finibus conſediſſe, quam quos nomen reliquum indicat, omnino eſt credibile.

Gutæ; X. Referuntur porro in Sueonibus GVTAE Ptolemæi, quos Gutos Procopius nominat. In meridiana Scandinauiæ parte illi diserte a Ptolemæo locantur, vbi hodie supersunt frequentes Gutarum vocabuli notæ. Fines definire nec Gutis licet, nec licuit ceteris ciuitatibus: tanta est Scandinauiæ priscarum rerum obscuritas. Numerosissimam suos Gutos gentem Procopius compellauit. Minime tamen testata hæc nationis amplitudo Gothicis ex Scandinauia in Germaniam migrationibus probandis sufficit; quæ res est alio loco declarata. Seruat suos Scandinauia Gutas, licet probabilius videatur, ex Germania partem Gothicarum ciuitatum in Scandinauiam traiecisse, quam ex Scandinauia tot agmina populorum immania prodiisse. Manent *Gutæ* ceterorum *Gothorum* consanguinei, licet parentes horum illos esse, nunquam concesserim. Credi fortassis possunt Gutarum Scandinauiæ insignia facta; licet de iis parum fidæ superet memoriæ. Forsitan pars horum *Gutarum* in propinquam Cimbricam Chersonesum expeditionem incerto suscepit æuo, nomenque *Iutiæ* intulit. Forsan aliæ coloniæ Gutarum traiecere, cum Gothorum gloria fama percrebesceret, in Sarmatiam, & victricibus cognatisque ciuitatibus sociis armis accessere. Si litteras & scientias primi Gothi habuere, non repugnabo, vt eæ in Scandinauiam peruaserint, & cum natione, linguæ sanguinisque commercio iuncta, fuerint communicatæ. Quantumuis igitur Gutarum Scandinauiæ extollatur gloria; modo ex incerto eam augeri obseruetur: nihil cetera ego de eius recuso curiosa consideratione (*a*). *Germaniæ Transmarinæ.*

XI. Plures

(*a*) PTOLEMAEO sunt Γῦται; PROCOPIO *Rer. Goth. Lib. II.* Γαυτοί. Hæc de iis dicit: Οὕτω μὲν Θουλῖται βιοῦσιν· ἓν ἔθνος δὲ πολυάνθρωπον οἱ Γαυτοί εἰσι. *Hoc quidem modo Thulitæ vitam degunt. quorum gens vna numerosissima sunt Guti.* IORNANDES *de Reb. Geticis* memorat *Gautigoth, acre hominum genus, & ad bella promtissimum:* nec dubium est, *Gautigoth* esse *Gutas* PTOLEMAEI, *Gutos* PROCOPII; & enim IORNANDES eos ponit in Scandinauia, & cum Finnaithis, quos vocat, coniungit. Habitarunt haud dubie *Gutæ Gutique* in iis terris, quæ *Gothiæ* nomen adhuc

Germania Transmarina. XI. Plures vtique Suionum ciuitates singularibus vocabulis cognitas fuisse, quam quas protulimus, nemo dubitat; qui aut Suionum nationis a Tacito adsignatos amplissimos fines respexerit: aut qui saltem Sueuicarum gentium numerum cogitauerit; ex quo vtique est necesse, plures in Scandinauia Sueuicos populos statuere. Interim, quod suppleamus antiquæ memoriæ defectum, vix vltra habemus; si duo triaue Ptolemæi, eaque maxime dubia, vocabula protulerimus. Nempe propiorum Romanis regionum faciem atque statum bella aliquantum aperuere; de reliquis vix vnum atque alterum fando accepere Romani: vnde non mirum, Ptolemæi ciuitatum nomina non nisi in australem quadrare Scandinauiam. Habet adhuc Ptolemæus in Scandiarum maxima FAVONAS, atque FIRAESOS, orientis partes colentes. Firæsos coniiciunt auctores ibi habitasse, vbi durat in omne æuum incolarum vocabulum. De Fauonibus, cui tribuantur regioni, nemo inquirere potuit. Qui primi a Ptolemæo memorantur CHADINI, ab eo ad occasum solis locantur. Rursus vero omnes latet, an vsque in Sitones, qui occidentales Scandinauiæ partes coluerunt, Chadini fuerint reiiciendi, an Suionum exteriorem oram habitauerint? LVPIONES in Sarmatis Ptolemæus nominauit. Vix autem dubito, illos Lupiones de nostris *Lappionibus* interpretari, & Suionum in ditionem simul imputare. Vt paucis de infima Suionum sede dicamus, eius gentium quidem nullus auctor meminit; sed tamen in Iornande, Procopio, & recentioribus scriptis, reperimus, vnde eius sedibus demus incolas. SCRITOFINNI, seu *Scretofenna*, memorantur prope pigrum mare, quod Tacitus nuncupat, egisse. Vt eos Suionibus tribuam, facit Tacitus, qui Suionum ciuitates ad vsque septen-

Fauonæ atque Firæsi; Lupiones; Scritofinni.

gerunt. Est *Ostrogothia* atque *Vestrogothia*. *Sudergothiæ* nomen non adeo peruulgatum. Est vero & insula *Gothland*, ab *Ostrogothiæ* latere; est *Gotteborg*, nobilis vrbs atque portus in *Vestrogothia*.

ſeptentriones extremos producit. Manet tamen incertum, an iam antiquo æuo aut Lupiones, aut Scritofinni, eas ſedes habuerint, quos eis ſuccedenti æuo auctores dederunt; vtrum demum paulo ante eorum memoriam in nouam regionem ex Finningia & Sarmatia immigrauerint? Sane Fennorum generis fuiſſe Scritofinnos, vel nomen indicat. De Fennis autem dicetur poſtea (*b*). *Germania Transmarina.*

XII. Suio-

(*b*) OL. RVDBECK *Atlant. Cap. XXIV.* omnes prope Germaniæ populos, quotquot TACITVS in Sueuia eiuſque viciniis poſuit, & *Cap. XX.* vbi *VERGION* nomen Scandinauiæ vindicat, omnino Vangiones, cis Rhenum colentem gentem, quia eos *Vargiones* PTOLEMAEVS adpellauerit, in Scandinauiam ſuam tranſtulit. Nos, qui eius delectari fabulis non poſſumus, conquerimur raras Scandinauiæ gentes antiquitati cognitas eſſe. *FIRAESI* videntur ii eſſe, qui incolunt regionem, cui *Fiering* vulgare nomen eſt. *LVPIONES* etiam TABVLA *itineraria* hoc legit ſitu: LVPIONES SARMATAE. VENADI SARMATAE. BASTARNI. Cum PTOLEMAEO ergo in Sarmatis Lupiones refert. Hodie etiam Lappiones, qua Ruſſis, qua Suecis, quaque Danis, parent, maximam partem Slauicæ, hoc eſt, Sarmaticæ, originis cenſentur eſſe. PROCOPIO *Lib. II. Rer. Goth.* memorantur Σκριθίφινοι, qui ſunt Σκριθίφινοι, *Scritifinni*; & iisdem moribus ab eo deſcribuntur vixiſſe, ac *Fenni*, apud TACITVM. IORNANDES *de Reb. Get.* in Scantziæ deſcriptione hæc habet: *Alia vero ibi gentes Scretofenna: qui frumentorum non quæritant victum; ſed carnibus ferarum atque auium viuunt. Vbi tanta paludibus fœtura ponitur, vt & augmentum præſtent generi, & ſatietatem ac copiam genti.* Et PAVLVS DIACONVS *Lib. I. Cap. V. Huic*, inquit, *loco Scritofinni* (*ſic enim gens illa nominatur*) *vicini ſunt, qui etiam æſtatis tempore niuibus non carent, nec aliis, vtpote feris ipſis, ratione non diſpares, quam crudis agreſtium animantium carnibus veſcuntur; de quorum etiam hirtis pellibus ſibi indumenta coaptant. Hi a ſaliendo iuxta linguam barbaram, etymologiam ducunt. Saltibus enim vtentes arte quadam ligno incuruo ad arcus ſimilitudinem, feras aſſequuntur.* Ab ADAMO BREMENSI & SAXONE GRAMMATICO *in Operis Præf. in confinio Sueonum vel Nordmannorum contra boream habitare Scritefinni* dicuntur. In *priuilegio* LVDOVICI *imperatoris Archiecclesiæ Hammaburgienſi conceſſo*, ſunt *Scredeuindon*; & *in confirmatione Ansgarii, Archiepiſcopi Hammaburgienſis*, *per* GREGORIVM *IV. Scrideuindan*: atque *in litteris* INNOCENTII II. *ad Adalberonem Archiep. Hammab.* ipſa regio *Scridiuindia*. Hodieque adhuc hi *Scritofinni* ſibi ipſis, & vicinis Suecis Daniſque, vocantur *Skrikfinner*, vel *Skrikfinder*. Quantum iudico ex poſitione auctorum, in extremis Scandinauiæ oris ad TACITI pigrum ac prope immotum mare, quod ſit trans Suiones, habitarunt in confiniis Norwegiæ & Ruſſiæ Lappionum. Quondam magna gens fuerit; nunc minor nomen tenet.

XII. Suionum nominis, quantum licuit coniecturis quibusdam in obscuram antiquitatem prospicere, amplitudine & complexione visa, generalis nominis & nationis historia paulo est accuratius exponenda. *SVIONVM* vocabulum præter Tacitum auctorum meminit vetustorum nemo. Succedentis æui scriptores non Suiones, sed *Sueones*, adpellarunt. Nomen ortum creditur ab *ætate iuuenili*, quam armis Scandinauiæ incolæ statim dederunt. Alii tractum putant vocabulum a *siluarum excidione*, quæ persimili nomine a Gothis fuerit compellata. Primos incolas Scandinauiæ, arbitrantur, siluis excindendis, parandisque agris, dedisse operam; vnde *Suionum*, & *Sueonum*, manauerit cognomentum. Qua gloria Suiones antiquitus eminuerint, prorsus est incertum. Siquidem non nos moramur incertas fabulas, aut lapidum, quam vulgo ostentant, memoriam. Veterum auctorum nemo Suiones nouit: non autem nisi monumenta prisca, fideque digna, nos hic curamus. Præter viros armaque classibus Suiones valuisse Tacitus scripsit. Sed commercia eis cum Germanis & Sarmatis fuere, nunquam cum Romanis; vnde & exilis Scandinauiæ rerum Romanis fuit notitia. Colonias quandoque Suiones in Sarmatiam atque in Germaniam transmisisse, qui Germanorum nouit morem, dubitabit nemo. Et suadent Sarmaticarum rerum, Germanicorumque bellorum, historiæ, crebras Suionum nauigationes accidisse. At audax foret, qui sine teste auderet fictam rerum priscarum narrationem bonæ antiquitati supponere. Iornandes, Suionum nomine exolescente, vnius nationis duplex nomen affert, sed male de diuersis gentibus interpretatur. Habet SVETHANS, & alio vocabulo SVETHIDOS. Vtrumque vocabulum successisse Suionum cognomento, &, vt hoc, commune ceterarum ciuitatum fuisse, satis liquet. Cum *Suethidorum* autem, seu *Suedorum*, nomine conseruatum adhuc esse alterum Sueonum, ante monuimus.

Suionum nominis potestas.

Historia Suionum.

Quo

Quo nomina ciuitatum singularia abierint? ignoratur fere; sed quædam abiisse, minime mirum videri debet. Nomen nomini, ætasque succedit semper ætati; rerum humanarum perpetuo discursu illam mutabilitatem postulante. Sunt imo hodieque Scandiorum, Hilleuionum, Gutarum, Firæsorum, Lupionum, atque Scritofinnorum, conspicuæ nominum reliquiæ: parum oblitterata moramur vocabula. In NORMANNIS, qui omnia maria ætate seriore habuerunt infesta, nostros etiam Suiones, seu Sueones, fuisse, arbitror. Non quippe soli *Dani*, nec soli *Norvegi*, tot suscipiendis maritimis expeditionibus suffecere, sed vtique *Sueones* in societatem armorum suscepti sunt. A Normannorum igitur rebus gestis prima incipit Suionum certa historia. Huius autem ordinem persequi, non nostrum permittit institutum (*c*).

Germania Transmarina.

Suionum status publicus.

XIII. Suionum veterem publicumque statum perpaucis Tacitus attigit; vt tamen ex eo multum de moribus accipere liceat. *Est*, inquit, *apud illos*, Suiones inquam, *& opibus honos; eoque vnus imperitat, nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi.* Nempe classibus valens populus & prædationibus, & commerciis, opes collegerat. Sed maxima regiarum videtur opum vis fuisse, quod forsitan opima spoliorum pars regi deberetur, & oneribus publicis non carerent commercia. Per opes videtur regia potestas stabilita esse, iisque iuribus firmata, vt iam frustra esset auitæ libertatis memoria. Quin imo tam adductum Suionibus regimen fuit,

(*c*) Nominis *SVIONVM* interpretationem debeo JOH. LOCCENIO *Antiquit. Sueo-Goth. Lib. I. Cap. I.* Alii habent alia. EGINHARDVS *in Vita Caroli*, & cum eo alii, *Sueones* nuncuparunt. IORNANDIS *de rebus Get.* vocabula *Suethans*, & *Suethidi*, quos diuersarum instar nationum meminit, prope accedit ad hodiernam gentis adpellationem, qua dicuntur *Suedi*, seu *Sueci*. *NORMANNOS* Suiones complexos esse, nemini dubium est. Sed solos, exclusis Danis, tales dictos esse, minime CLVVERIVS *Cap. XLI.* probare potis est; nomine Normannorum a PONTANO Danis commode ex optimis auctoribus vindicato.

Suiones. fuit, vt *nec arma*, dicente Tacito, *vt apud ceteros Germanos, in promiscuo, sed clausa sub custode, & quidem seruo*, fuerint: quia subitos hostium incursus prohiberet oceanus; otiosæ vero armatorum manus facile lasciuirent. Diuersorum statuum reliquam rationem Tacitus prodit, *enimuero* adiiciens, *neque nobilem, neque ingenuum, ne libertinum quidem, armis præponere regia vtilitas est.* Fuisse regnum iure hæreditario, nemo ambiget. Qui enim sine vllis rexit exceptionibus, nullo precario iure parendi, næ ille a populo electus non fuerit; namque ius parendi precarium vix non semper regis sequitur electionem. Antiquissimum igitur, & verum, regnum in Suionibus deprehendimus; idque imperium & dominium, in ceteris Germanorum nationibus longissime disiuncta, plene comprehendit. At generalis hæc notio regum, quam vetustas tradit, minime sufficit ad nomina priscorum regum, quæ passim proferuntur, comprobanda. Ignorata ea omnino sunt Romanorum monumentis. Domesticorum autem lapidum, & priscarum cantionum, fidem nemo adhuc satis defendit (*d*).

XIV. *Suionibus Sitonum* gentes fuisse similes, Tacitus testatur: recteque adeo horum publicæ rationes coniunguntur cum illis. Itaque & Sitones regnati sunt, vt Suiones, aspere dureque. Hoc vno distulere, quod cum Suionibus nisi vir non imperaret, Sitonibus etiam fœmina dominaretur. *In tantum*, inquit Tacitus, *non modo a libertate, sed etiam a seruitute*, Sitones *degenerant.* *Sitones*, vt hoc ex rebus no- *Sitonum rei publicæ constitutio.*

uis

(*d*) Taciti *Germ. Cap. XLIV.* hæc verba sunt: *Suionum hinc ciuitates, ipso in oceano, præter viros armaque classibus valent. - - - - Est apud illos & opibus honos. eoque vnus imperitat, nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi. nec arma, vt apud ceteros Germanos, in promiscuo, sed clausa sub custode, & quidem seruo: quia subitos hostium incursus prohibet oceanus. otiosa porro armatorum manus facile lasciuiunt. enimuero neque nobilem, neque ingenuum, ne libertinum quidem, armis præponere regia vtilitas est.*

nis adiiciamus, si illi sunt *Noruegi*, ad feram ætatem adducti- *Germania Transmarina.* us, quam *Suiones*, qui succedenti æuo *Suethidorum*, seu *Suedorum*, & *Suecorum*, nomen gessere, regnati sunt; & crebra muliebris dominatus superant exempla. Contra Suecos inter, nescio quo consilio, & quo tempore, admodum regia potestas a populo circumscripta est; & circumscripta in nostrum vsque durauit æuum, quo vetustissima iura regiæ maiestati reddere est collibitum. *Forma nauium, quali hodieque Americani vtuntur.* De nauibus Suionum atque Sitonum ex Tacito accipimus: formam nauium eo differre a reliquis, quod vtrinque prora paratam semper appulsui frontem agat; nec velis ministrentur, nec remos in ordinem lateribus adiungant. *Solutum*, ait, *vt in quibusdam fluminum, & mutabile, vt res poscit, hinc vel illinc remigium.* Morem, ferunt, eundem hodieque a septentrionalis Americæ seruari incolis. Si, quod putatur, Normannorum coloniis quondam illa tellus impleta est, non mirum auitarum nauigationum populum amantem, atque tenacem perstitisse. Ex singu- *Singulares vtriusque gentis mores.* laribus Suionum Sitonumque moribus nihil veteres nouere. Si auctores audimus succedentis æui, præter Germanorum morem omnes passim plurimis nuptiis ambiri consueuere. Eam volunt causam esse, quod adeo Scandinauia viris abundauerit, & in ducendas colonias fuerit prona. Non interim minus, quam in Germanis reliquis, seuera illic fuisse matrimonia creduntur: durissima pœna & adulteriorum & stuprorum rem testante (*e*).

XV. Dici

(*e*) De *SITONIBVS* ita TACITVS *Germ. Cap. XLV.* loquitur: *Suionibus Sitonum gentes continuantur. Cetera similes, vno differunt, quod femina dominatur: in tantum non modo a libertate, sed etiam a seruitute degenerant.* De nauibus vtriusque nationis *Cap. XLIV Præter viros armaque*, inquit, *classibus valent. forma nauium eo differt, quod vtrinque prora paratam semper appulsui frontem agit: nec velis ministrantur, nec remos in ordinem lateribus adiungunt. Solutum, vt in quibusdam fluminum & mutabile, vt res poscit, hinc vel illinc remigium.* Memini me in *Itinerario* LAHONTANI nauium Americanorum septentrionalium parem prorsus descriptionem reperisse. Saltem non probaret, sed illustraret tamen, istud HVGONIS

Sitones. XV. Dici de Sitonibus cœptum eſt; nunc amplius perſequi argumentum viſum. Coluerunt Sitonum ciuitates:

SITONES,

quod rationibus probe ſubductis omnino videtur, trans montem Seuonem; qui Suiones, Sitonesque, donec extremum aquilonem contingeret, diuiſit, inde totus Suionum in ditione ad orientem procurrit. Ad occaſum & auſtrum Sitones vndique oceanus finiit; de cuius nominibus alibi inquiſiuimus. Quot fuerint *Sitonum gentes*, quo nomine Tacitus de Sitonibus loquutus vtitur; quibusue diſtinctæ adpellationibus, nemo veterum memorauit. CHADINOS ſuos Chadini; Ptolemæus in occidentem Scandinauiæ reiecit; vt fere videantur in Sitonibus referendi eſſe: nihil tamen liquet. BERGIOS putem Sitonum ſuperiorem populum adpellatum Bergii; eſſe; nanque inſulam Bergos Plinium in medium protuliſſe accepimus: & ſolent regionum atque incolarum nomina plerumque inter ſe congruere. Fortaſſis, quod Nerigon altera inſula a Plinio adpellata eſt, pars Sitonum nationis NORVEGI, Noruegi; ſiue Plinii vocabulo conuenienter *Nerigi*, iam antiquitus dicti ſunt; vnde demum vnius ciuitatis proprium cognomentum generali Sitonum nomini exoleſcenti ſucceſſerit. Quod Sitones ad vsque extremum ſeptentrionem oceani oras coluiſſe exiſtimo, Fennorum etiam partem in eorum ditionem imputare non dubito. Nempe hodieque trans Seuonem Noruegiæ regio *Findmark* adpellatur; & ex

GROTII opinionem, qui Americæ ſeptentrionalis incolas non incommodis coniecturis a Normannis deducit. Sueones plures ſimul nuptias ſero adhuc æuo celebrare eſſe ſolitos, ADAMVS BREMENSIS teſtatus eſt. *Inſola*, inquit, *mulierum copula modum neſciunt, quisque ſecundum facultatem virium ſuarum duas, vel tres, aut amplius, ſimul habet; Diuites & principes abſque numero, nam & filios ex tali coniunctione genitos habent legitimos.* At nihilominus ſeuera illic & caſta fuiſſe matrimonia, idem ADAMVS BREMENSIS teſtatur; & vid. LOCCENIVS *Antiquit. Sueo-Goth. Lib. II. Cap. XXIX.*

Diacono liquet, Fennorum ciuitatem, quam vero male *Scritosinnos* nuncupat, illum terrarum incoluisse tractum: vt recte adeo hos Fennos, quos MARCHOFINNOS compellauerim, Sitonum gentibus adnumerari posse iudicem. An autem Taciti iam æuo illi Fenni aquilonarem Scandinauiæ portionem incoluerint; vtrum postea ætate seriori nouas occupauerint sedes? incertum supra reliquimus. Meminit Diaconus profundissimæ aquarum voraginis, quæ bis in die fluctus absorbeat, & rursus euomat, vsitatoque nomine *Vmbilicus maris* vocetur. Eam esse in oceano, regionis Findmark occiduum latus alluente, pluribusque insulis & scopulis consito, vulgoque *Maelstrom* nominari, nouimus: ipsis & antiquissimis mortalibus eam non prorsus fuisse ignoratam, obseruamus. Quod bonæ coniecturæ de Sitonum ciuitatibus suppeditarunt, tantum est (*f*).

Germania Transmarina.

Marchiofinni.

Vmbilicus maris.

XVI. Res

(*f*) TACITVS *Germ. Cap. XLV. Suionibus*, inquit, *Sitonum gentes continuantur:* ergo non in media Scandinauia, quam Suiones ad extremum vsque oceanum tenuerunt, sed ab occiduo latere Suionum ab oceano, coluerint. Hoc egregie defendit THORM. TORFAEVS *Hist. Rerum Norueg. Lib. I. Cap IX* contra PONTANVM & RVDBECKIVM, quorum alter *in Chorogr. Daniæ descriptione*, alter in *Atlant. Cap. XXIV.* Sitones in media reposuerunt Scandinauia: ostenditque ibidem, *Sitones* lingua patria sonare *Maris accolas*, & regionem fortassis *Sidam* adpellatam esse, quasi *maris oram*. Cum etiam ingens illud Seuonis iugum, quod veteres memorarunt, integram prope Scandinauiam distinguat, & Suionum vero & Sitonum populos separatim TACITVS describat; coniectura idonea, vt trans montem Sitones locentur, accedit ceteris dictis. De *NERIGONIS* & *NORVEGORVM* nomine erudite inquisiuit TORFAEVS *Lib. I. Cap. VI. & VII.* a cœli borea plaga dictum & regionem, & gentem, esse arbitratus. Quod pertinet ad regionem *Findmark*, Sitonibus ea recte tribui videtur, quia & Sitonum populos, quorum amplitudinis non deest in paucis TACITI verbis indicium, ad extremum vsque aquilonem cum Suionibus coluisse, credibile est. Eius regionis incolas notat PAVLVS DIACONVS *Lib. I. Cap. V.* quem locum ante vidimus; sed *Scritofinnos*, seu *Scritobinos* vocat, cum, si hodiernum regionis nomen respicimus, *Marchofinni*, aut *Findmarchi*, fuerant adpellandi. Ponit siquidem PAVLVS *Cap. VI.* non procul a regione suorum Scritofinnorum illam profundissimam aquarum voraginem, quæ *Maelstrom* dicitur, & haud longe a Findmarchia distat: & reliquorum auctorum Scri-

Sitones. XVI. Res gestas antiquiorum Sitonum, æque ac Suionum facta fataque, multa diu obscurauit obliuio. Quod coniecturæ suadent idoneæ, non minor exstitit Sitonum virtus potestasque, quam Suionum: vtraque enim gens, teste Tacito, classibus valuit, & regnum iuste habuit constitutum. Et ergo fallitur, quod transeundo noto, qui contra Tacitum, integram Suionibus Scandinauiam tribuit, illosque in plurimas ciuitates distinguit, quarum sint vna *Sitones*; quos *Sigulones* Ptolemæus adpellet. Adeo de Sitonibus distincte Tacitus loquutus est, vt bene constet, non ciuitatem Suionum eum describere, sed gentes memorare, Suionum ciuitatibus parum inferiores. Porro Sigulonibus suis diserte Ptolemæus in Cimbrica chersoneso sedem tribuit, vt, nisi temere omnem antiquitatem turbare placeat, non transferre eos in Scandinauiam, minimum cum Sitonibus committere, liceat. Si quas Sitones antiquiori ætate migrationes suscepere; nihil de iis constat. Reperio quidem *Sithoniam*, Macedoniæ littoralem regionem iuxta Aegæum mare, in Herodoto laudari. Quam vero hic vetus est historicus, nolim ego antiquiorem migrationem Sitonum ex Scandinauia in Sarmatiam, indeque ex Sarmatia in Macedoniam, constituere: sed, aut forte parile nomen regioni contigisse, arbitrari; aut Sitonum nationis partem in prima ex orientis regionibus migratione, in via perstitisse, Sithoniamque habitasse, statuere. Non procul a Sithonia Getarum mox visemus populos. Cum Getæ populique Scandinauiæ consanguineæ videantur esse gentes: quid prohibet, quo minus etiam eorum in Macedonia coloniam quæramus, indeque capiamus nomen? Penitus extremum in Scandinauia Sitonum exspirasse nomen, docet historia. Id quando primum factum sit, nemo per summam

Sitonum historia.

Sithonia regio.

tosinni ab altera prorsus oceani parte ab ipsis collocantur. Ipsius voraginis descriptionem, additasque fabulas, lege, si placet, in VVARNEFRIDI *Lib. I. Cap. VI.*

Germania Transmarina.

Normannorum nomen.

rerum Scandinauiæ priſcarum obſcuritatem perſpicit. Nomen autem, quod Sitonum nomini videtur ſucceſſiſſe, illud NORMANNORVM fuit; quod cum ipſis omnino Suionibus, ſaltem littoralibus communicatum eſſe, oſtendimus. Quam nauigationibus ingentem peperere Normanni gloriam, non iam noſtrum eſt declarare: omnis eius teſtis eſt hiſtoria. Partem interim maximam illorum bellis partorum decorum noſtris Sitonibus eſſe vindicandam, quilibet cognoſcit. NORVEGI gens Sitonum ſeriori ætate adpellari cœpere: dubium, an vetuſto ciuitatis, quod opinati ſumus, nomine in commune nationis inſigne verſo; vtrum caſu, conſimili *Normannorum* vocabulo, *Noruegorum* nomine adſumto? Noruegici regni conditionem vetuſtiorem partim expoſuimus; partim, quod fabulis fere domeſtica illius regni memoria ſcatet, prorſus ſiluimus (*g*). Recentiora & certiora tradere, noſtræ commentationis modus non permittit.

Fennorum ſedes;

XVII. Tertius Scandinauiæ populus, quique inſignem Scandinauiæ partem, aut, quod veteres exiſtimarunt, ſingularem,

(*g*) *Sithoniam* HERODOTVS *Lib. VII.* memorat, & ante *Ampelos* dictam eſſe tradit. Eam regionem *Sithonibus*, ſiue *Sitonibus*, Scandinauiæ nomen referre acceptum, poſtulauit ROB. SCHERINGHAMVS *de Angl. gentis Orig. Cap. XVII. Sithonios* gigantes, quorum meminerit LYCOPHRON, Geticum & nomen, & genus portendere docuit. Et VIRGILIVM *Ecl. X. Verſ. 66.* non fruſtra *Sithonias niues* adpellaſſe putes, ſed fama aliquid accepiſſe de Sithoniorum origine. Sic canit;

Sithoniasque niues hiemis ſubeamus aquoſæ.

Sithonis & meminit OVIDIVS *Epiſt. II. Verſ. 6.*

Nec venit Actæas Sithonis vnda rates.

Suæ ceterum adeo certus eſſe ſententiæ ſibi SCHERINGHAMVS viſus eſt, vt omnino *Orpheum*, a *Sithonia* oriundum vatem, Getham Gothumque inde dixerit, quia Getica ciuitas ex Scandinauia in Sarmatiam profecta Sithoniam incoluerit. Nos coniecturas non prorſus adſpernati ſumus, ſed potius adiuuimus, quantum potuimus. NORMANNORVM nomen Sitonibus ex profeſſo vindicat, ſimulque nomen egregie illuſtrat, idemque eſſe ac Græcum nomen *Hyperboreorum*, docet TORFAEVS *Hiſt. Norueg. Lib. I. Cap. VIII.*

Fenni. rem, nec minorem ipſa Scandinauia inſulam, habitauit, nomine

FENNORVM,

Tacito, *Finnorum* Ptolemæo, & Plinio etiam, quod vox ipſius *Finningia* ſuadere videtur, fuit cognitus. Plinius diſerte regionem Fennorum indicat, & Finningiam ex populo adpellat; quo hodieque nomine ſatis ingens terra gaudet. Tacitus, vt Fennos Germanos eſſe adſtruat, prorſus ſedes eorum ſilentio diſſimulat. Magno autem errore Ptolemæus labitur, qui Finnos ad ſuperioris Viſtulæ ripam reiicit, & inter Gythones atque Butanes conſtituit: quod equidem Aegyptio homini, per obſcuritatem rerum ſuæ ſæpe falſo opinionis, facile condonatur. Proprius igitur Fennorum ager quondam fuit Finningia; & cum reliqua, quod ſerior ætas docuit, Scandinauia contra ſeptentriones, & cum Sarmatia ad ortum ſolis, continens. Magnam fuiſſe Fennos gentem, & nomen eorum late diffuſum docet, & quod Plinius non minorem opinione Finningiam, ſi Scandinauiam reſpexeris, eſſe dixit. Non dubito proinde & Fennis dare ciuitates, licet eas in alieno conſtitutas ſolo iam ante in medium protulerim: ſingularia enim Fennorum in Finningia nomina nulla reperio. & ciuitates. Erunt SCRITOFINNI, Suionibus ſubiecta ciuitas, Fennorum generi vindicandi. Erunt MARCHOFINNI, quos ex regione Findmark compellauimus, in Fennis referendi; licet & ipſi Sitonum, adeoque alieno, imperio paruiſſe videantur. Quodſi etiam FINNAITHAE Iornandis, quos in Scandinauia collocauit, diuerſa a Fennis fuit ciuitas; nil prohibet, quo minus nouam Fennorum coloniam illos eſſe iudicemus. Potuere autem antiquiſſimo æuo Fenni tam lata terrarum ſpatia occupaſſe; licet, quod in Suionum Sitonumque mox redigerentur ditionem, eorum non meminerint auctores. Si mauis, poſteriore demum tempo-

Germania Transmarina.

tempore ex Finningia longius contra ſeptentriones eos proceſſiſſe; nil tuam moror ſententiam, cum maiorem alterius probabilitatem non cernam. Fortaſſis licet ipſam Ptolemæi poſitionem Finnorum excuſare, cum migrationum a Fennis alio ſuſceptarum fida habeamus teſtimonia. Potuit Fennorum pars in Sarmatiam, quacum vtique Finningia continens fuit, tranſire, lautiorumque ſedium poſſeſſionem, aut armis, aut incerto nationum beneficio, accipere. Hiſtoria hæc noſtra, ſolis illuſtranda coniecturis, minime idoneam earum inuentionem reſpuit (*b*).

Fennorum genus Germanicum adſtruitur.

XVIII. De genere Fennorum eſt controuerſia, quam haud difficulter decideris. Plinius atque Ptolemæus non obſcure in Sarmatis eos numerant. Tacitus de genere Venedorum atque Fennorum inquirens, tam intricatis obſcurisque verbis ſententiam prodit, vt prorſus incertum maneat, Fennos vtrum Venedos velit haberi in Germanis. Quod tamen communis teſtataque ſententia, Venedorum reſpiciens cultum atque ſermonem, his Sarmaticam vindicet ciuitatem, non in ambiguo dubito pronuntiare pro Fennis, hosque in Germanicam ciuitatem imputare. Siquidem & lingua, quam hodieque Fenni ſeruant, perſimilis Germanorum ſermoni reperitur, & priſci eorum, quos Tacitus deſcripſit, licet fœdi mores, multum tamen ex Germanorum traxere inſtitutis. Ita illos Tacitus percenſet: *Fennis mira*, inquit, *feritas, fœda paupertas: non arma, non equi, non penates. Victui herba, veſtitui pellis, cubile humus: ſola in ſagittis ſpes, quas inopia ferri oſſibus aſperant. Idemque venatus viros pariter ac fœminas alit. Paſſim enim comitantur, partemque prædæ petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriumque ſuf-*

(*b*) TACITVS *Germ. Cap. XLVI. Fennorum nationes* celebrat. PLINIVS *Lib. IV. Cap. XIII. Nec*, inquit, *eſt minor opinione Finningia. Enningia* hoc loco vocabulum plures codices habent; at recte *Finningiæ* vocem critici reſtituerunt PLINIO. Hodie *Finnland* regio dicitur, eamque haud dubie integram proprii Fenni habitarunt.

Fenni.

ſuffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur. Huc redeunt iuuenes, hoc ſenum receptaculum. Id beatius arbitrantur, quam ingemere agris, illaborare domibus, ſuas alienasque fortunas ſpe metuque verſari. Securi aduerſus homines, ſecuri aduerſus deos, rem difficillimam adſequuti ſunt, vt illis ne voto quidem opus ſit. Integrum horum morum ordinem conſiderantes, interiorum Germanorum mores, licet Fennorum cultu cœloque paulo aſperiores & duriores, cernimus. Sunto ergo Fenni Germani, lingua & animo, ab ipſo Tacito deſcripto, cauſam firmisſime contra diuerſorum auctorum opiniones defendente (*i*).

Fennorum rationes publicæ ignoratæ;

XIX. Rem publicam Fennorum non Tacitus memorat; vt tamen ex eius de moribus eorum narratione colligere iudicium liceat. Non rex Fennis, puto, imperauit, vt Suionibus, vt Sitonibus. Seruientibus quippe multis votis eſt opus, nec ſecuritas aduerſus reges tyrannosque populo præſtatur: ſecuri autem Fenni aduerſus homines, imo aduerſus deos, adſequuti erant, ut ipſis ne voto quidem opus eſſet. Credo, procul a bellis Fennos egiſſe, ſine ducibus, ſine principibus; honeſtatem legum inſtar, bonosque mores magiſtratus loco, habuiſſe. Libertas iſta abſoluta atque perfecta conuenit cum Taciti narratione eximie: omnes regiminis, quascunque acceperis, formulæ illi reclamant atque repugnant. Hiſtoria Fennorum, licet prorſus ſit inculta atque deſerta, tantum tamen nobis declarat, diutiſſime ſua liber-

& prorſus etiam deſerta hiſtoria.

(*i*) TACITVS *Lib. de Germ. Cap. XLVI. Peucinorum Venedorumque, & Fennorum, nationes Germanis an Sarmatis adſcribam dubito.* Mox ea ſequitur *FENNORVM* deſcriptio, quam integram commentatio noſtra tradit. Ei cum deſcriptione Scritifinnorum, quam PROCOPIVS *Rer. Goth. Lib. II.* habet, prorſus conuenit. Ad mores Finnorum pertinet illud IORNANDIS *de Reb. Get. Finni mitiſſimi, Scantziæ cultoribus omnibus mitiores.* Paulo ante nomen *Finnaithæ* minoratum eſt in IORNANDE, & dubium, vtrum ſingularis notetur *Fennorum* ciuitas, an ipſi *Fenni* diuerſis ſint nominibus a IORNANDE compellati?

libertate Fennorum nationem gauisam esse; non, nisi sero æuo, in vicini Suionum, siue hi Sueci sunt, regni ditionem esse redactam. Hoc potens Suecorum regnum a longo tempore cum Fennis maximam Scandinauiæ complecti partem; solumque exteriorem ad oceanum septentrionalem terrarum tractum Noruegiæ non minus celebri regno comprehendi; aliquoties iam est dictum: & historia regnorum istorum, faciesque illarum regionum, nostro æuo peruagatissima, non vltra nostrum, antiquis rebus Germaniæ peruestigandis destinatum, studium morator (*k*) *Germania Transmarina.*

Fabulosæ infra Scandinauiam insulæ. XX. Quæ infra Scandinauiam, aut Scythiam, insulæ fama leui antiquis fuere cognitæ, nihil ad nos spectant: cum & fabulosa omnia, vel teste Tacito, sint, quæ veteres de iis fama acceperant; & insuper in Germanis illarum regionum incolas retulerit nemo; potius Plinius post fabulas memoratas Ingæuonum demum gentem nominet, quæ sit prima inde Germaniæ (*l*).

(*k*) *FINNINGIA*, seu *Finnonia*, libera mansit ad vsque S. Erici tempora. Ab Erico circiter An. CIↃCL. armis deuicta, & in potestatem Suecorum redacta est. *Conf.* LOCCENIUS *Hist. Suec. Lib. III.*

(*l*) Sub finem libri de Germ. TACITUS; *Cetera iam fabulosa*, inquit, *Hellusios & Oxianos ora hominum vultusque, corpora atque artus ferarum gerere, quod ego, vt incompertum, in medium relinquam.* Plures eiusmodi de insulis fabulas ex POMPONIO *Lib. III. Cap. VI.* ex PLINIO *Lib. IV. Cap. XIII.* & ex SOLINO *Cap. XXII.* iam supra enarrauimus.

LIBER

LIBER VI. DE GERMANIS EXTRA FINES VETERIS GERMANIAE.

CAPVT I.

GERMANICORVM IN SARMATIA ET CIS ISTRVM POPVLORVM CONSIDERATIO.

I.

Ergo Germaniæ antiquæ hic finis est. Sed memores nos promiſſi, continuo adimus ad Germanos, qui extra Germaniæ regionem in alieno ab omni æuo habitarunt. Horum historia cum ipſius Germaniæ gentium notitia, vt abſoluta perfectaque ſit noſtra Germaniæ antiquæ commentatio, copulari atque coniungi vtique postulat. Cum vero æternum Germania colonias in vicinas duxerit regiones, non eas conſtat, a nobis nunc reſpici, quæ labante Romana dominatione Galliarum, Hiſpaniarum, Britanniæ, Italiæ, ipſius imo Africæ, impetrarunt poſſeſſiones. Meminimus earum, cum ipſas cerneremus in Germania victrices nationes: & ingentium prouinciarum iam manet notitiam, turbatam nouis poſſeſſoribus geographiam, quan-

Germaniæ extra Germaniam conſiderationis directio;

quantum liceat, extricare. A nobis animis tanquam oculis lustrabuntur Germanici populi, ab omni memoria in Sarmatia, atque in Gallia, commorati. Horum plerorumque nullas in ipsa Germania sedes reperimus. De Gallicanis quidem Germanis liquet, eos ex Transrhenana Germania cis Rhenum migrasse, pulsisque Gallis lautissimarum regionum occupasse possessionem: sed vbi ante in patria egerint, an cis Visurgim Albimque, vtrum trans ea flumina? de omnibus hisce nihil habemus, quod liqueat. Sarmaticorum Germanorum notitia, altera Gallicanorum, adhuc obscurior est minusque explorata. Bastarnas, Aestios Geticasque ciuitates, vere Germanicas gentes esse omnes nouimus: ex Germania in Sarmatiam mouisse, a nemine memoriae proditum reperimus. Et creditur tamen vulgo priscarum migrationum intestatae famae; quasi prodiisse omnes Germanos ex Germania necesse sit, tumque demum tellus Germania nominari coepta sit, cum omnes vno sanguine, vnaque lingua, coniuncti populi in eam coiuissent. Nostram alibi sententiam diximus, & per partes dicemus, dum in Sarmatia nostrorum cognationes maiorum nunc visitabimus. Nempe ex Finningia in vastam Sarmatiam primum ibimus, &, quantum fieri poterit, accurate regiones a Germanis habitatas describemus; vt tamen summae obscuritatis accusatione summae ignorantiae censuram in antecessum deprecari, non raro necesse habeamus. Ex Sarmatia trans Istrum ituri hinc illinc vagabimur, lucemque nostrae conquiremus antiquitati. Cis Danubium Pannoniae, Noricum, Vindelici atque Rhaeti, non nisi prostrata Roma in firma stabilique Germanorum possessione coepere esse: ante expeditionibus tantum & tentaminibus crebris actum est. Quod tamen medio aeuo in Germaniae complexionem illae prouinciae venerunt, dignum est, simul paucis veterem earum statum hic expediisse; cum maxime nostra historia sit multum lucis ex eius consideratione

Germania extra Germaniam.

& ordo.

ne

Aestii. ne impetratura. Tum Rheno transmisso primum Heluetiorum, Rauracorumque, agros spectabimus, quod ea etiam accessione medio æuo Germania est aucta. Extremæ curæ Cisrhenani Germani relinquentur, ex duplici ratione accuratius describendi; quod & veri fuerunt Germani, & maxima regionum, quas possederunt, pars hodieque in nostra est relata Germania.

II. Ergo iam dextro Sueuici maris littore, vt cum Tacito loquamur, Aestiorum genus;

AESTIORVM

gentes alluuntur. Genus nationis Germanicum nemo vnquam dubitare ausus. Ritum habitumque Sueuorum iis fuisse, diserte Tacitus testatur, adeoque nominatim eos in Germanos refert. Quod vero linguam Britannicæ propiorem idem Tacitus memorauit, simulque Aestios frumenta ceterosque fructus patientius, quam pro solita Germanorum inertia, laborare; inde aliunde aduenisse eos in has oras, fama & constans est opinio. Suadet nomen Aestiorum, cui Coniecturæ ex nomine Aestiorum de gentis prioribus sedibus. bellissime conuenit cum *Istæuonum* vocabulo, & magis cum reliquis *Ostionum* & *Ostiæorum*, quæ Græcis in vsu sunt; fuisse Aestios ex Istæuonum numero, & fortassis ad Rhenum habitasse, vbi per commercia crebra & Britannicæ adsueuerint linguæ, & agriculturæ laborumque maiori patientiæ. Qui vero per tot nationes trans Vistulam migrauerint, & qua compulsi necessitate illam susceperint migrationem? nemo docere est aptus; vnde & ipsa famæ valde vacillat titubatque fides. Nisi obstaret vetustiorum habitatorum huius maritimæ oræ, Venedorum inquam, testata memoria; dicerem ego, Aestios ad Germaniæ constitisse limitem, cum ceteri Istæuones Rheno propinquas regiones occupatum irent: linguam commerciorum frequentatione paulisper variatam esse. Nunc hæreo in argumento, & quid demum constituerim,

rim, ignoro. Sunt Germani Aestii, licet incertum sit, vt pulsis Venedis eorum maritima regione insederint. Cum classibus & commerciis Aestios valuisse, ex linguæ variatione liceat coniicere; demus Britannorum ope, cum a Gallis, aut si mauis, ab ipsis Germanis Rhenum crebro transmittentibus, bellis peterentur, nauigationem suscepisse, non sane intutam valde, aut periculosam, cum littora vbique legere licuisset: ita venisse in Venedorum patriam, & expulsis priscis colonis nouam terram incoluisse. Vbi scilicet coniecturis est agendum, eas accipere opus est, modo sobrias, modo modestas. *Aestiorum* nomen ex orientis terris interpretari luberet, vt quasi orientales Germaniæ populi *Aesti* & *Aisti*, sic enim etiam nomina habentur, forent adpellati; nisi semel referre in *Istæuonibus*, seu *Ostiæis*, *Aestios* placuisset, & Istæuonum nominis prorsus diuersam superare originem, vel Tacito solo teste, nossemus. Potuit tamen, postquam orientis terras Aestii cœpissent incolere, ex sedium ratione singulare ciuitatis excogitari vocabulum; a quo commune totius nationis nomen non valde fuisse alienum, id vero forte casuque accidere potuit. Theodoricus rex *Hæstos* in epistola nostros Aestios vocauit; nec inde tamen melior coniectura colligitur. De nomine & genere Aestiorum hactenus (*a*).

Germania extra Germaniam.

III. Quod

(*a*) TACITVS *Germ. Cap. XLV. Ergo iam dextro*, inquit, *Sueuici maris littore Aestiorum gentes alluuntur: quibus ritus habitusque Sueuorum, lingua Britannicæ proprior.* Videtur turbatus hoc loco TACITI sensus esse, cum post Suiones Aestios, indeque Sitones consideret. Si *Suionum Sitonumque* memoriam coniunxeris, & deinde posueris *AESTIOS*, expeditiora erunt omnia. Ex nomine coniecturas tradit PYTHEAS apud STRABONEM *Lib. I.* vbi nomen Ὠστιαίων, *Ostiæorum*, apud Rhenum fluuium occurrit. STEPHANVS vero de iisdem Ostiæis ex PYTHEA & aliis Græcis hæc habet: Ὠστιώνες, ἔθνος παρὰ τῷ δυτικῷ ὠκεανῷ, οὓς Κοσσίνους Ἀρτεμίδωρος φησι. Πυθέας Ὠστιαίους. τούτων δ' ἐξ εὐωνύμων οἱ Κοσσῖνοι λεγόμενοι Ὠστίωνες, οὓς Πυθέας Ὠστιαίους προσαγορεύει. *Ostiones, gens ad occiduum oceanum: quos Cossinos vocat Artemidorus; Pytheas vero Ostiæos. Ab horum vero latere sinistro sunt Cossini, dicti Ostiones, quos Pytheas Ostiæos adpellat.* Reliquis admodum turbatis verbis, solum accipimus Ostionum & Ostiæorum vo-

Aeftiorum fedes.

III. Quod ad fedes eorum pertinet, generatim eæ fatis funt cognitæ, fed fines fingillatim definire, quibus a Venedis fuerint diftincti, oppido eft difficile. Ab *occafu* & contra *feptentrionem* Sueuicum eos mare, tefte Tacito, alluit. Equidem Ptolemæus *Venedicum finum* adpellat, quem nos cum Tacito dicimus *Sueuicum*; idemque omnem hunc finum a Venedis accoli memorat. Plinius etiam videtur Venedos maris Sueuici habere accolas. Hic vero, cum a Finningia incipiat populos enarrare, recte primos Venedos nominat, qui paruam maris a Finningia partem obfederunt. Alter errat quam maxime, fi eius refpexeris ætatem, vbi Aeftii omnem a Viftula ad Turuntum vsque maris oram tenuerunt: errore tamen non haufto temere, fed inde concepto, quod quondam Venedi maritimum littus infederunt, antequam de poffesfione ab Aeftiis depellerentur. Siquidem Venedorum fedes Venedici maris nomen oftendit; nominaque fimul vrbium, vicorum, amnis, Venedorum vocabulum referentia adprobant. Eft etiam certum argumentum, Venedos fuccinum quon-

cabulum: quod ad occiduum oceanum a STEPHANO poni, non nos morator, cum Germaniæ etiam pars ab Amifia amne in occidentem imputari confueuerit. Ceterum hos *Oftiaos* effe *Iftæuones*, quos proximos Rheno facit PLINIVS *Lib. IV. Cap. XIV.* & quos memorat TACITVS *Germ. Cap. II.* non valde dubitandum eft. Aeftios noftros Theodoricus rex *Haftos* vocat apud CASSIODORVM *Variar. Lib. V. Epift. II. Haftis Theodoricus rex.* IORNANDES bis eorum *in libro de Rebus Get.* fed diuerfis vocabulis adlatis, meminit; quæ teftimonia & fitum gentis, a TACITO indicatum, comprobabunt. *Ad littus*, inquit, *oceani, vbi tribus faucibus fluenta Viftulæ fluminis ebibuntur, Vidioarii refident, ex diuerfis nationibus aggregati. Poft quos ripam oceani item Efti* (male apud nonnullos *Itemefti*) *tenent, pacatum hominum genus omnino.* Deinde de Gothorum Daciam tunc incolentium expeditionibus loquutus, ait: *Haftorum quoque fimiliter nationem, qui longiffimam ripam oceani Germanici infident, idem ipfe* (Hermanricus rex) *prudentia virtute fubegit, omnibusque Scythiæ & Germaniæ nationibus ac fi propriis laboribus imperauit.* De iisdem noftris Aeftiis EGINHARDVS *in Vita Caroli: Hunc finum Codanum multæ circumfident nationes. Dani fiquidem, & Sueones, quos Normannos vocamus, feptentrionale littus, & omnes in eo infulas tenent. at littus auftrale Slaui, & Aifti, & aliæ diuerfæ incolunt nationes.*

quondam in ora maris legisse, quod Græci, de Eridano fluuio in *Venedis* aliquid accipientes, statim *Venetos* Italiæ intellexerint, in iisque & Eridanum, qui iam Padus est, constituerint, & succinum ab eis legi, prodiderint. Ptolemæi autem ætate dudum Aestii in Venedorum locum successerant, quod Aegyptium hominem ignorasse, & ex vetustis memoriis Venedos prope Venedicum sinum posuisse, inique ferre non decet. Ad Vistulam vsque, sed eius alueum, qui ad orientem prospicit, Aestii habitarunt. Testis Tacitus, testisque est Theodoricus rex, qui solos omnium succinum inter vada, atque in ipso littore, legere Aestios testati sunt: sed nusquam magis, quam prope Vistulam, illud reperiri nouimus. Iornandes & clarius statim post Viridarios, quorum sedes quondam monstratæ sunt, Aestios collocauit. Ad *austrum* partim Vistula finiit Aestios, partim, quod ex coniectura habetur, Bug amnis ad confluentem Vistulam. Ad *ortum* iisdem finibus Aestios quondam a Venedis fuisse diuisos, quibus hodie Liuonia est a Russia distincta, inde colligitur, quod eo vsque Germanicum nomen protentum est. Leuem coniecturam & debilem non tamen ipse ausim defendere. Extremam Liuoniæ partem, cui *Estoniæ* nomen est, ab *Aestiis* quondam habitatam esse, multo iudicatur tutius. Nomen enim antiquum, in regione perdurans, non inepte ad probandas veteres populi sedes adducitur. De reliquis minutis limitibus non inquirimus, cum frustra in obscurissima causa indulgeatur ingenio (*b*).

Germania extra Germaniam.

IV. Aesti-

(*b*) De generalibus sedibus testantur TACITI, IORNANDIS, EGINHARDI, testimonia. *VENEDORVM* ante sedes fuerunt: indeque *Venedici sinus* nomen: vnde de antiquo statu recte PTOLEMAEVS *Lib. III. in descriptione Sarmatiæ*; Κατέχει δὲ τὴν Σαρματίαν ἔθνη μέγιστα, οἵ τε Οὐενέδαι παρ' ὅλον τὸν Οὐενεδικὸν κόλπον· καὶ ὑπὲρ τὴν Δακίαν Πευκῖνοί τε καὶ Βαστάρναι. *Incolunt Sarmatiam gentes maxima ista: Veneda apud omnem Venedicum sinum: & supra Daciam Peucini ac Bastarnæ.* Superant in eo tractu nomina, oppidi ad Treideram flumen, *Wenden*; amnis in Curonia & vrbis cognominis *Windau*; vici ad hunc amnem *Vschewende*: fida prisco-

Aestii. IV. Aeſtiorum gentes plures fuiſſe, Taciti ſola prodit locutio: vix enim pluratiuo numero vnius nationis gentes memorat, quin plures ciuitates alii auctores oſtenderint; quod Suionum, Sitonumque, exemplo conſtitit. Plinius a Finningia orſus gentes enarrare; *quidam*, inquit, *hæc habitari, ad Viſtulam vsque fluuium, a Sarmatis Venedis, Scyris, Hirris, tradunt.* Si recte cum erudittiſſimis ingeniis coniicio, Scyri, Hirrique, fuere Aeſtiorum ciuitates, quas Plinius, Aeſtiorum nomine ſilentio transmiſſo, eodem, quo Tacitus Aeſtios, loco poſuit. SCYROS habitaſſe prope Viſtulam inde colligimus, quod ad Gothonum pars acceſſere ſocietatem, cum illi transgreſſi Viſtulam per terram eorum, patria lingua, Iornande ſcribente, *Ouin* dictam, peruaderent. Inde Scyri crebro cum Gothis, cum Alanis, ſiue Maſſagetis, egere, & diuerſe ab auctoribus ſunt in Gothicis relati ciuitatibus. HIRRI vbi coluerint, auctorum prodit nemo, nec ſupereſt veræ ſedis indicium. Si duo tantum Aeſtiorum pagi fuere, nec

Aeſtiorum ciuitates; Scyri; Hirri.

rum habitatorum indicia. Alibi de *Eridano* in Venetis ex Græcorum commentis dictum. PLINIVS *Lib. IV. Cap. XIII. Nec eſt*, inquit, *minor opinione Finningia. Quidam hæc habitari, ad Viſtulam vsque fluuium, a Sarmatis, Venedis, Scyris, Hirris, tradunt.* Hic recte PLINIVS cum *Finnis* coniungit *Venedos*, qui parua ſui parte inter Fennos & Aeſtios ſinum adhuc attigere. Nam *Scyros* & *Hirros* fuiſſe Aeſtiorum ciuitates, ſtatim declarabitur. CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. III. Cap. XLIV.* His fere finibus Aeſtios circumſcribit: *ab oriente*, qua Venedi occurrebant, Liuoniæ terminis, ad amnem vsque Litauiæ Sacrum, qui infra Vilnam vrbem in Viliam flumen incidit, inde Vilia ipſo, & mox aduerſo Mämelio, ad confluentem vsque Nemenium; hinc linea ad confluentem vsque amnis, qui infra Maſſouiæ oppidum *Nur* Bugi miſcetur: *ab auſtro*, qua Peucini fuerunt contermini, Buge & Viſtula, ad Brogium amnem confluentem: *ab occidente*, qua Gothones proximi fuerunt, eodem Viſtula, &, vbi is in cornua ſcinditur, alueo eius maxime orientali: *a ſeptentrionibus* Sueuico, ſiue Baltico, quod hodie vocatur, mari, ad oſtium vsque Naturæ amnis, vltra quod Venedi coluerunt. Regiones his finibus continentur, *Pruſſia; Litauiæ* pars in læua Mæmelii ripa; *Maſſouiæ* pars dimidia, dextris Bugis Viſtulæque ripis adfixa; *Samogitia; Curonia; & Liuonia:* in qua extrema prouincia durat gentis nomen in aquilonari regione, *Eſten* vulgo compellata.

Germania in Sarmatia.

Liuonorum & Prussorum nomina.

nec ceterarum ciuitatum periere nomina, vtique Hirros locare in extremis regionibus necesse erit, cum Scyros probabili coniectura ad Vistulam admouerimus. His *Hirris* deinceps fortassis *Leuonorum*, seu *Hilleuionum*, Scandinauiæ colonia admista est; indeque *LIVONORVM*, & *Liuoniæ*, natum nomen videtur. Vnde *PRVSSORVM*, quod nomen Scyris aut superioribus Aestiis, successit, ortum sit vocabulum? non tam facili adsequor coniectura. Nihil *Bruckeri* ad Prussos, quod supra confutauimus commentum, nec *Brutii*, *Itali*, quam inepte, cum *Prussorum* nomine committuntur. *Boruscos*, Ptolemæi populum prope Ryphæos montes locatum, malim adsumere, vt *Prussorum*, seu *Borussorum*, gentis originem accipiam. Quantumuis enim delirare alicui videantur, qui ad Boruscos Ptolemæi prouocent; magis tamen delirat, qui oppido vanas haud raro amplectitur opinationes, & contra bonas deinde inuehitur coniecturas. Nil decernam quidem, sed non inepte tamen statui existimo, contracti ad angustiores terminos Aestiorum nominis hanc maxime exstitisse causam, quod peregrina gens immigrauerit in agrorum partem, eorumque sibi vindicauerit possessionem. *Aesti* quidem Caroli Magni adhuc æuo in priscis durarunt sedibus: sed id æuum inter & succedens, quo *Prussorum* nomen auditum est, migratio quædam accidere facile potuit; quæ, nisi fugere Aestios in remotiora coëgit loca, saltem permistæ alienigenis nationi nomen diuersum indidit (*c*).

V. In

(*c*) *SCYRI* in Gothorum exercitu fuere, & cum iis fœdere iuncti. PROCOPIVS *Rer. Goth. Lib. I.* Ἐτύγχανον δὲ Ῥωμαῖοι χρόνῳ τινὶ πρότερον, Σκίρρους τε καὶ Ἀλανοὺς, καὶ ἄλλα ἄττα Γοτθικὰ ἔθνη, ἐς ξυμμαχίαν ἐπαγαγόμενοι. *Romani vero paulo ante hæc* (de ætate Zenonis in oriente, Augusti in occidente, loquitur) *Scirros, Alanosque, & alias nonnullas Gothicas gentes, in societatem adsciuerunt.* IORNANDES *de Rebus Get. Scyri*, inquit, *& Satagarii, & ceteri Alanorum, cum duce suo, nomine Candax, Scythiam minorem, inferioremque Moesiam, accepere.* Male IORNANDEM culpat CLVVERIVS, quod in Alanis nominauerit Scyros, cum in Gothos fuissent referendi:

Aestii. V. In Aestiis memorabile nihil reperimus, cuius antiqui auctores meminerint, si succini exceperimus collectionem. Illud a solis Aestiis legi, Tacitus testatus est, & post eum Theodoricus rex in epistola adprobauit. Sed, inquis, Gothones vidimus succinum colligere, proximisque Teutonis vendere. Accepimus de insulis Electridis, ad quas dilabatur Eridanus; easque Gothonibus adsignauimus. Rursum alias Electridas, seu Glessarias, insulas in Germanicum mare sparsas Plinius memorauit; idemque diuersam Glessariam, a Succino militiæ adpellatam, a barbaris Austraniam dictam, propius Germanicum littus. Non ergo soli Aestii succinum collegere, sed & Gothones, & insularum incolæ; quin & Indos succinum legisse auctores testantur. Enimuero nec Tacitus, nec Theodoricus rex, animi falsi sunt. Illi quidem Gothones incoluerunt Electridas insulas, ad quas

Memorabilis in Aestiis succini collectio.

 Vistula

quippe ipsi Alani Gothica gens erant, & fortassis cum his arctiore fœdere Scyri iuncti fuere, quam cum reliquis Gothis. Paulo post tamen IORNANDES ait: *Hunimundus, Sueuorum rex, immemor paternæ gratiæ, post aliquod tempus conceptum dolum parturiens, Scyrorum gentem incitauit, qui tunc supra Danubium considebant, & cum Gothis pacifice morabantur, quatenus scissi ab eorum fœdere, secumque iuncti, in arma prosilirent, gentemque Gothorum inuaderent.* Nempe libere omnes Gothicæ ciuitates, Rugii, Heruli, Burgundiones, Alani, sic & Scyri, egerunt; comprehensæ quidem generali Gothorum fœdere, vnde Gothicum nomen sæpe cum iis communicatum: sæpe tamen dissociantes causam suam, & cum ipsis Gothis ex arbitrio bella administrantes. SIDONIVS APOLLINARIS *Carm. VII. Sceros* nominat;

- - - Pugnacem Rugum, comitante Gelono
Gepida trux sequitur, Scerum Burgundio cogit.

Migrasse cum Gothis Scyros, cum ex narratione IORNANDIS *de Rebus Get. Filimero* duce pars Gothorum Vistulam traiiceret, & in terras, *Ouin* dictas, perueniret, satis idonea coniectura suadet. Transierunt haud dubie ex Gothonum terra in proximam Sarmatiam, quam Scythiam IORNANDES vocat: vnde terræ, *Ouin* dictæ, non alibi, nisi in Prussia, paludibus lacubusque creberrimis præpedita atque inuia, quam tunc Scyri habitasse putantur, quæri possunt. Post Scyrorum, qui pagus Aestiorum fuerunt, abitum facile ab aliis pagis eorum regio insessa est: vt nullum adeo Aestiorum nomen ceperit detrimentum, sed perpetuo longissimam ripam maris Sueuici, quod IORNANDES dixit, insederit. Ad coniecturas de *Liuonorum* & *Prussorum* nominibus nil addo.

Viſtula minorque Eridanus amnis dilapſus eſt. Illi & viden- tur præcipuum emporium prope Eridanum habuiſſe, vnde Græcis mercatoribus Gothonum præcipue innotuit nomen. Sed fortaſſis negligentius tractarunt ſuccini collectionem, quam vt ei multum impendiſſent operæ. Forſitan ab Aeſtiis demum accepere ſuccinum, quod ipſi per commercia tradidere. Fortaſſe nobiliſſimum ſuccinum in Aeſtiorum tunc vno littore legi ſolitum; vt illud ſoli ita legere dici potuerint Aeſtii. Licet enim in inſulis, quas Gothonibus dedimus, non exigua hodie optimi ſuccini vis reperiatur; nihil id de antiquo teſtatur tempore. Si & Gothones in ſua terra Aeſtiorum manibus ſunt vſi, vt legeretur ſuccinum; rurſus recte Tacitus ſenſit. Quod aliæ inſulæ fuerint Gleſſariæ dictæ, ſuccinum ibi collectum teſtatur: ſed hodierna teſte experientia minime diuerſarum regionum ſuccino cum eo conuenit, quod in priſco Aeſtiorum littore legitur. Succinum illud, quod Gleſum vocarunt, triplici modo ab Aeſtiis colligi ſolitum, veteres declarant; & hodierni adeo moris initia antiquiſſima oſtendunt. Legerunt ſuccinum inter vada, ex æſtuariis, atque foſſis, illud ſcite expiſcari docti. Legerunt illud in littora marinis fluctibus expulſum; qui fuit modus colligendi ſuccinum expeditiſſimus. Si Philemoni Græco apud Plinium fidem habemus, conſueuit etiam in Scythia, id eſt in extremis Sarmatiæ littoribus, quæ Aeſtii incoluerunt, foſſile haberi electrum, & ex terra duobus locis erui. Sane hodieque ipſam littoris humum ſcrutantur periti, & eruunt ſuccinum ex terra, non minus, quam reliquum, æſtimabile. Attulerunt ſuum ſuccinum Aeſtii in Pannoniam, quod Plinius dixit, vnde Veneti, Hadriatici maris accolæ, illud accepere, primique rei famam fecere. Cum luxuria Romana ſuccino nomen dediſſet, mercatus ille admodum frequentatus eſt. Miſſus quondam eques Romanus a Iuliano, curante gladiatorium munus Neronis principis, ad id in ipſa Aeſtiorum

terra

Germania in Sarmatia.

Triplex ſuccinum legendi modus.

Mercatus ſuccini.

Aestii.

terra comparandum, illeque illa commercia & littora peragrasse a Plinio dicitur. De natura ortuque succini multa miraque veteres meminere; nec nisi falsa Tacitus nouit. Rectius Germani *Glesum*, quam Romani per errorem, quasi arborum succum proximum mare hauriret, lapsi *succinum*, adpellarunt. Et ipsi tamen Aestii, Theodorico adhuc scribente rege, ignorarunt, vnde istud glesum nascatur; vnde &, Tacito dicente, diu inter cetera eiectamenta maris iacuit, donec luxuria Romanorum, sed antiquius puto Græcorum, nomen daret. Serissimo æuo vera glesi, siue succini, natura certis indubiisque argumentis demum explorata est: sed ea persequi non nobis hic licet (*d*).

Priscorum opiniones de succini natura.

(*d*) Tacitus *Germ. Cap. XLV. Et mare scrutantur, ac soli omnium succinum, quod ipsi Glesum vocant, inter vada atque in ipso littore legunt. Nec, quæ natura, quæue ratio, gignat, vt barbaris, quæsitum compertumue. diu quin etiam inter cetera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria nostra dedit nomen. ipsis in nullo vsu, rude legitur; informe perfertur; pretium mirantes accipiunt.* Addit de succini natura & generatione. *Succum tamen arborum esse intelligas: quia terrena quædam atque etiam volucria animalia plerumque interlucent, quæ implicita humore, mox durescente materia, cluduntur. Fœcundiora igitur nemora lucusque, sicut orientis secretis, vbi thura balsamaque sudantur, ita occidentis insulis terrisque inesse crediderim; quæ vicini solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labantur, ac vi tempestatum in aduersa littora exundant. Si naturam succini, admoto igne, tentes; in modum tædæ accenditur, alitque flammam pinguem & olentem: mox vt in picem resinamue lentescit.* Et meretur hoc loco Theodorici *regis epistola* legi: *Hastis Theodoricus rex. Illo & illo legatis vestris venientibus, grande vos studium notitiæ nostræ habuisse cognouimus; vt in oceani littoribus constituti cum nostra mente ligemini. Suauis nobis admodum & grata petitio: vt ad vos perueniret fama nostra, ad quos nulla potuimus destinare mandata. Amate iam cognitum, quem requisistis ambientes ignotum. nam inter tot gentes viam præsumere, non est aliquid facile concupisse. Et ideo salutatione vos affectuosa requirentes indicamus succina, quæ a vobis per harum portitores missa sunt, grato animo fuisse suscepta: quæ ad vos oceani vnda descendens, hanc leuissimam substantiam, sicut & vestrorum relatio continebat, exportat. Sed vnde veniat, incognitum vos habere, dixerunt: quam ante omnes homines patria vestra offerente, suscipitis. Hoc, quodam Cornelio scribente, legitur in interioribus insulis oceani, ex arboris succo defluens* (vnde & succinum dicitur) *paulatim solis ardore coalescere. fit enim sudatile metallum teneritudo perspicua; modo croceo colore rubens, modo flammea clari-*

Aestiorum res celebriores.

VI. Facta nostræ nationis fataque frustra exquirimus: omnis eam silet antiquitas, &, quæ nouit, iam modo sunt exposita. Rarum ferri, frequentem fustium, vsum eis fuisse Tacitus memorauit. Frumenta, eodem teste, ceterosque fructus, patientius, quam pro solita Germanorum inertia, labora-

Germania in Sarmatia.

tate pinguescens; vt, cum in maris fuerit delapsa confinio, æstu alternante purgata vestris littoribus tradatur exposita. Quod ideo indicauimus indicandum; ne omnino putetis notitiam nostram fugere, quod occultum creditis vos habere. Proinde requirite nos sæpe per vias, quas amor vester aperuit. Legitur hoc succinum, immenso Sueuici maris hodieque tractu, per Pomeraniæ, Prussiæ, atque Liuoniæ, littora, sed maxime in Prussiæ littore; & omnium maxima copia in ea regione, quæ vulgo incolis dicitur *die Sudavv*, *Regiomontio* oppido contermina. Triplicem modum legendi succinum veteribus non ignotum fuisse, CLVVERIVS commode declarat. TACITVS habet binos modos; *inter vada, atque in ipso littore, legi.* PLINIVS *Lib. XXXVII. Cap. II.* ex PHILEMONE ostendit tertium modum: *Philemon*, inquit, *fossile esse dixit; & in Scythia erui duobus locis: candidum atque cerei coloris, quod vocatur electrum: in alio loco fuluum, quod adpellatur sualternicum.* Eodem loco PLINIVS paulo post dicit: *Mithridates dixit, in Germaniæ littoribus esse insulam; vocarique eam Osericttam, cedri genere siluosam. inde defluere in petras.* Supra ab OLAO RVDBECK *Osericttam* pro *Scandinauia* haberi accepimus. Quia autem insula esse in Germaniæ littoribus legitur, non dubitarim eam cum CLVVERIO interpretari aut de aliqua minorum insularum, quas Vistulæ habent ostia, aut de *Oesel*, insula, cui nomen *Osericttæ* conuenit: quæ & potuit in Germaniæ littoribus sita esse dici, quia Aestii, Germanica gens, omnem illum maris tractum tenuerunt. De mercatu succini PLINIVS *Lib. XXXVII. Cap. III. Affertur*, inquit, *a Germanis in Pannoniam maxime prouinciam. inde Veneti primum, quas Græci Henetos vocant, rei famam fecere, proximi Pannoniæ, id accipientes circa mare Adriaticum. Pado vero annexa fabulæ videtur causa, hodieque Transpadanorum agrestibus feminis, monilium vice succina gestantibus; maxime decoris gratia, sed & medicinæ; quando tonsillis creditur resistere, & faucium vitiis, vario genere aquarum iuxta illos infestante guttura, ac vicinas carnes.* 1OC *fere M. P. a Carnunto Pannoniæ abesse litus id Germaniæ, ex quo inuehitur, percognitum nuper. Vidit enim eques Romanus, missus ad id comparandum a Iuliano, curante gladiatorium munus Neronis principis: qui hæc commercia & littora peragrauit; tanta copia inuecta, vt retia, arcendis feris, podium protegentia, succinis nodarentur: arma vero & libitina totusque vnius diei apparatus esset e succino. Maximum pondus is gleba attulit XIII. librarum.* De natura succini vide plurimas opiniones veterum in PLINIO *Lib. XXXVII. Cap. II. & III.* Conf. IOH. PHIL. HARTMANNVS *in historia succini Prussici.*

borarunt. Suo æuo Iornandes pacatiſſimum hominum genus Aeſtios adpellauit. Quæ conciliata inter ſe docent nos, alienos a bellis Aeſtios, quantum potuerint, coluiſſe pacem, ſaltem nunquam aliena odia prouocaſſe. Mirum itaque non eſt, inter belligerantes Germaniæ populos nunquam Aeſtiorum nomen occurrere; ſuis enim intenti laboribus, ſine cupiditate, ſine impotentia, magnitudinem ſuam, inſtar Chaucorum, iuſtitia tueri maluere. Non refugiſſe tamen prorſus arma, ſed contra hoſtes fortiter ſua defendiſſe, Tacitus teſtatur, de ſuperſtitione, qua confiſi ſecurius inter hoſtes poſſe verſari crediderint, mentionem faciens. Equidem Scyros, Aeſtiorum partem, cum Gothis feciſſe, armaque infeſta circumtuliſſe, vidimus. Sed egreſſa ex ciuitate gens, & armis in Gothica ſocietate adſueta, minime domeſticam turbare pacem, aut publicæ tranquillitati deditam nationem irritare, apta fuit. Vt Scyri, in diuerſa gentium fœdera dilapſi, audiri deſierint, docet hiſtoria. Aeſtiorum nationem ad Theodoricum regem miſiſſe legatos cum donis conſtantem oratum amicitiam, ſupra vidimus. Laudauit rex bonam voluntatem, optimaque quæuis liberaliter eſt pollicitus. Caroli Magni æuo poſtrema Aeſtiorum occurrit memoria, & paulo poſt Pruſſorum Liuonorumque in Aeſtiorum locum ſucceſſere nomina. Vt vocabula hæc videantur nata, ante diſputauimus: ſed contra coniecturas ſtatuere, modo digniores adferantur rationes, cuilibet eſt integrum. Reges nullos vnquam Aeſtii habuiſſe videntur, ſed Germanicam libertatem perfecte planeque defendiſſe. Nec enim Tacitus, cum Gothonum, Rugionum, Lemouiorum, Suionum, atque Sitonum, reges memoraſſet, quidquam de Aeſtiis addidit; nec Theodoricus ad regem, quod vtique, ſi fuiſſet rex, facturus erat, ſed ad populum Aeſtiorum, epiſtolam exarauit. Ad ſacrorum ſingulares rationes pertinet, matrem deorum eos eſſe veneratos. Inſigne ſuperſtitionis formas aprorum geſtarunt.

Status Aeſtiorum publicus.

ſtarunt. Id pro armis omniumque tutela ſecurum Dei cultorem etiam inter hoſtes præſtare creditum eſt (e). *Germania in Sarmatia.*

Venedi gens alienigena.

VII. Aeſtios trans Viſtulam ad auſtrum, ad orientem, atque contra ſeptentriones,

VENEDI

continuarunt. Ptolemæus *Venedas*, Iornandes *Winidas*, & *Venetos*, alii *Vinidos*, eos vocarunt. Gens Germanica non fuit, ſed Sarmatica; genus hoc & lingua, & odio in Germanos impenſiſſimo, & moribus atque inſtitutis publicis, teſtantibus. Tacitus itaque falſus eſt admodum opinionis, cum, ambigue licet, inter Germanos retulit Venedos; quod domos figant, & ſcuta geſtent, & pedum vſu ac pernicitate gaudeant; quæ omnia diuerſa ſint Sarmatis, in plauſtro equoque viuentibus: quaſi non alii præter Germanos populi domos fixerint, ſimilibusque vixerint inſtitutis. Melioribus euincentibus argumentis, Venedi Sarmatæ ſunt, & pro talibus ab omni memoria habiti atque accepti. Habitaſſe eos

Eius ſedes;

antea Venedicum ſinum, vidimus; pulſos ab Aeſtiis incerto fato. Tum, qui ante ad Ptolemæi quatuor fluuiorum oſtia coluerant, duorum tantummodo amnium tenuerunt fontes, & inter reliqua duo oſtia Aeſtios Fennosque intermedii habitarunt. *Chronus* fuit & *Rubo*, hodie *Niemien* & *Dwina* dicti amnes, qui in poſteriore Venedorum regione orti per medios Aeſtios in Oceanum ſunt delapſi. Ab his fluuiis longe lateque per Sarmatiam Venedi fuere ſparſi, vt Baſtarnas ab auſtro, Fennos ab ſeptentrionibus, contingerent. Inter *Turuntum* vero, & *Cheſinum*, qui creduntur fluuii eſſe *Wielka* & *Wol-*

(e) TACITVS *Germ. Cap. XLV. Aeſtii matrem Deum venerantur. inſigne ſuperſtitionis, formas aprorum geſtant. Id pro armis, omniumque tutela, ſecurum Dei cultorem etiam inter hoſtes præſtat. Rarus ferri; frequens fuſtium vſus. Frumenta ceterosque fructus patientius quam pro ſolita Germanorum inertia laborant.* cetera. Scyri eo bello, quem Hunimundi, Sueuorum regis, inſtigatione contra Gothos ſumſerunt, pene prorſus deleti ſunt, teſte IORNANDE *de Rebus Get. imperante in oriente Leone Thrace.*

Venedi. & *Wolchowa* a Russis compellati, & per lacus in Venedicum sinum demum excurrentes; plane Venedis ad sinum Venedicum fuere sedes. Hinc Turunto Aestii, illinc Chesino, vbi per Ladogam lacum flexo ad occasum cursu in Venedicum intrat mare, Fenni diuisi fuerunt. Ceteros alienigenæ nationis fines non moramur (*f*).

IIX. Inuasisse hosce Venedos in ipsam Germaniam, omnemque prope eius Transalbinam portionem occupasse, pluries memoratum est. Tempus facti prope ignoratur, vt illis seculis parum condendæ nostrarum rerum historiæ ingenia bona operam dederunt. Quod tamen Iornandes meminit *Venedorum, peccatis Germanorum facientibus vbique desævientium* — *& succedens in Transalbinam Germaniam irruptio.*

(*f*) TACITVS *Germ. Cap. XLVI. Peucinorum Venedorumque, & Fennorum, nationes Germanis an Sarmatis adscribam dubito: quamquam Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, sermone, cultu, sede, ac domiciliis, vt Germani agunt. sordes omnium ac torpor. ceterum connubiis mixtis nonnihil in Sarmatorum habitum fœdantur. Venedi multum ex moribus traxerunt. Nam quicquid inter Peucinos Fennosque silvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia & domos figunt, & scuta gestant, & pedum vsu ac pernicitate gaudent, quæ omnia diuersa Sarmatis sunt, in plaustro equoque viuentibus.* PTOLEMAEO *Lib. III. Cap. V.* sunt Οὐενέδαι παρ' ὅλον τὸν Οὐενεδικὸν κόλπον. *Venedæ apud omnem Venedicum sinum:* & paulo post, Παρὰ τὸν Οὐιστούλαν ποταμὸν ὑπὸ τοὺς Οὐενέδας Γύθωνες. εἶτα Φίννοι. εἶτα Βούλανες. ὑφ' οὓς Φρουγουνδίωνες. *Ad Vistulam amnem sub Venedis Gythones; dein Finni, dein Bulanes; sub quibus Frugundiones.* PLINIVS *Lib. IV. Cap. XIII. Nec est minor opinione Finningia. Quidam hæc habitari ad Vistulam vsque fluuium a Sarmatis, Venedis, Scyris, Hirris, tradunt.* IORNANDES *de Rebus Get. Introrsus*, inquit, *illi Dacia est, ad coronæ speciem arduis Alpibus emunita: iuxta quarum sinistrum latus, quod in aquilonem vergit, & ab ortu Vistulæ fluminis, per immensa spatia, venit, Winidarum natio populosa consedit.* Paulo post eosdem *Winidas*, quos dixerat, *Venetos* nuncupat. *Post Herulorum cædem idem Hermannicus in Venetos arma commouit.* Ex testimoniis his, quantum libet vagas *VENEDORVM* nosse sedes, facile accipitur. Si vnquam leui causæ TACITVS fidem dedit, hæc est, cui Venedorum Germanicam originem credidit. Recte PTOLEMAEVS, PLINIVS, IORNADES. Sed magis certum testimonium, diuersissima Venedorum lingua, diuersissimi mores, æternaque eorum aduersus Germanos odia, perhibent.

desæuientium; indé opinio est seculo quinto, saltem *sexto,* cœpisse in propinquiora Germaniæ loca immigrare, donec optimam eius partem plene possiderent. Ante illam in Germaniam nostram expeditionem, Hermanrici Gothorum regis armis Venedos deuictos fuisse, adeoque in huius egisse clientela, Iornandes scripsit. Idem, licet ab vna stirpe omnes descendant, in tria tamen nomina Venedos esse diuisos, vt sint *SCLAVI, ANTES, VENEDIque*, prodidit. Hæc præcipua nomina per varias familias atque loca rursus mutari, alio loco non dissimulat; vt ipsa tamen vocabula minorum ciuitatum sileat. Res Venedorum, siue Sclauorum, seu Slauorum, gestas antiquiores plane temporis inuoluit obscuritas. Male enim aliquis, cum vidisset *Venedos* a Vandalorum sedibus occupatis *Vandalos* compellari, historiam Venedorum ex Vandalica suppleuit; longum historiarum ordinem ex alieno conquirens. Postquam autem Venedi in Germania sedes posuere, sæpius quidem eorum meminere annales, vt vix tamen absoluta gentis sperari queat historia. De eorum nominibus variis in Germania acceptis inferius commodior occurret agendi locus (*g*).

Germania in Sarmatia.

Venedorum tres ciuitates.

Non Venedi Vandali sunt.

Bastarnarum &

IX. Supra Venedos in Sarmatia longe lateque sparsus Germanicus populus,

BASTAR-

(*g*) Ex vno IORNANDE *de Rebus Get.* de variis Venedorum generibus, & de eorum in Germaniam impressione, docemur. Post illa de VVinidarum natione populosa dicit; *quorum nomina licet nunc per varias familias & loca mutentur, principaliter tamen Sclauini & Antes nominantur. Sclauini a ciuitate noua, & Sclauino Rumunense, & lacu, qui adpellatur Musianus, vsque ad Danastrum, & in boream Viscla tenus, commorantur. hi paludes siluasque pro ciuitatibus habent. Antes vero, qui sunt eorum fortissimi, qui ad Ponticum mare curuantur, a Danastro extenduntur, vsque ad Danaprum: quæ flumina multis mansionibus ab inuicem absunt.* Occasione expeditionis Hermannici contra Venedos susceptæ, hæc addit: *Nam hi ab vna stirpe exorti tria nunc nomina reddidere, id est, Veneti, Antes, Sclaui: qui, quamuis nunc ita facientibus peccatis nostris vbique desæuiunt, tamen tunc omnes Hermannici imperiis seruiere.* Vtrum horum generum, an ex omnibus coloniæ, in Germaniam nostram inuaserint? non quisquam facile iudicauerit.

Bastarna.

BASTARNAE, qui & PEVCINI sunt,

Peucinorum nominis significatio.

habitarunt. Vtrumque nomen generale totius nationis esse, Plinius, Tacitus, atque Ptolemæus, suadent, qui eundem populum modo Bastarnas, modo Peucinos, promiscue nominant. Strabo nationem Bastarnas vocauit, ciuitatem Bastarnicam Peucinos. Bastarnæ, qui etiam *Basternæ, Bastarni, Batarnæ*, ab auctoribus adpellantur, vnde nomen acceperint? nemo docet. Quod Plinius Bastarnas quintum Germanorum genus vocat, quodque cetera quatuor vocabula Tacitus a patribus familiarum, priscisque Germaniæ principibus, adsumta testatur; non ego inde vereor Bastarnarum adnomen similiter ad veterem quendam, sed ignotum, Germaniæ heroëm referre. *Peucinos* dictos esse a *Peuces* insulæ possessione, vulgo creditur. Quod vero non soli insulæ incolæ eo nomine venere, sed passim omnes Bastarnæ, magis nomen cum Peuce insula communicatum, quam ab ea acceptum, contenderim: qui enim insulam Peucen vocarunt, antequam Peucini in eam immigrassent, ad illud æuum haud dubie respexere, quo Peuces insulæ nomen fuit cognitum, & antiquius insulæ vocabulum ignorarunt. Sed vnde iam Peucinorum adnomen natum sit, nullus iudico. Habet Ptolemæus *Peucem* montem, quem deinde *Peucinos montes* nuncupat. Magis crediderim ab hoc monte, aut ab his montibus, nomen integro populo adhæsisse; compellatæ enim Carpiorum ciuitatis a Carpate monte infra reperiemus exemplum. Peucini a Zosimo *Peucæ*, a Suida *Peucestæ*, & a Iornande *Peuceni*, dicti sunt. De genere Bastarnarum seu Peucinorum frustra dubitari, paucis moneo. Plinius diserte quintum genus Germanorum Peucinos, constituit. Pondera rationum adiicit Tacitus, quibus probetur validissime, *Bastarnas Germanos*, minime Sarmatas, Scythasue, esse.

Genus Bastarnarum Germanicum.

Germania in Sarmatia.

Egisse, ait, sermone, cultu, sede, ac domiciliis, vt Germanos. Ergo lingua cum Germanis communi vsi sunt, communibus moribus atque institutis; quæ cultus vocabulo Tacitus notare videtur. Posuerunt, vt Germani, certiores sedes, accuratiusque eas descriptas habuerunt, villisque simul, & vicis, imo quandoque & vrbibus distinctas: quæ omnia aliena a Sarmatis, in plaustro equoque, sine tectis, sine focis, viuentibus, passimque æternum circumuagis. Quando ita *Scythas* Sarmatasue Dio *Bastarnas* vocauit, non errasse ille, cum Prætorem in Pannonia egisset, credendus est; sed voluisse tantummodo sedes populi, non genus indubium, notare. Sic Cæsar Cisrhenanos Germanos Gallos vocauit, licet ipse illorum Germanici generis nobis memoriam prodiderit. Qui *Bastarnas* nostros *Gallos* dixere, Polybius, Liuius, Plutarchus; non magis nostram morantur sententiam. Gallos dixit Polybius, quod ea ætate Gallicum vocabulum cum Germanis semper fere communicaretur. Reliqui Polybium sequuti sunt, & eius vocabulo vsi. Omnes ita suos hosce Gallos Bastarnas descripsere, vt clare videris, non veros Gallos, sed Germanos, intelligere (*b*).

X. Ter-

(*b*) *BASTARNAE* plerisque auctoribus adpellantur. APPIANO *de Bell. Mithridat. sunt* Βαστέρναι, *Basternæ*; TABVLAE *Itineraria* BLASTARNI pro BASTARNI, VALERIVS FLACCVS *Argonaut. Lib. VI. Bastarnas* vocat. Idem generale nomen *Bastarnarum* & *Peucinorum*. TACITVS *Cap. XLVI. Germ. Peucini*, ait, *quos quidam Bastarnas vocant.* PLINIVS *Lib. IV. Cap. XIV. Peucini, qui & Bastarnæ.* Et *PEVCINORVM* nomen varium reperitur. ZOSIMO *Lib. I.* Πεῦκαι, *Peucæ*; SVIDAE, Πευκέσται, *Peucestæ* sunt. IORNANDES *de Rebus Get.* vocat *Peucenos, ab insula Peuce.* Genus Bastarnarum vix aliquis dubitasset, nisi dubitanter de eo TACITVS sensisset. Dicto *Cap. XLVI. Peucinorum*, inquit, *Venedorumque, & Fennorum nationes Germanis an Sarmatis adscribam, dubito: quamquam Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, sermone, cultu, sede, ac domiciliis, ut Germani agunt. sordes omnium ac torpor. ceterum connubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur.* PLINIO autem *Lib. IV. Cap. XIV.* in quinque generibus Germanorum diserte vocantur, *quinta pars Peucini, qui & Bastarnæ, supra dictis contermini Dacis.* STRABONI *Lib. VII.* audiunt, ἐν τῇ μεσογαίᾳ Βαστάρναι μὲν τοῖς Τυρεγέταις ὅμοροι καὶ Γερμανοῖς, σχεδὸν

Bastarnæ.

X. Terminos nostris Bastarnis constituere nunc tentabimus. Coluisse eos prope Vistulæ fontes, teste Plinio, nouimus. Inferius etiam ad Vistulam habitarunt, supra Venedos; si Ptolemæo habemus fidem, Bastarnas indeque Peucinos infra Daciam collocanti. Carpatica iuga iidem Bastarnæ insederunt, vnde & Bastarnicarum Alpium nomen occurrit in tabula. Ipsas ad Carpates sedes, Plinius, Ptolemæus, atque Tacitus, satis probant. Ostia Istri atque Peucen insulam

Bastarnicarum regionum fines.

τε καὶ αὐτοὶ τοῦ Γερμανικοῦ γένους. *In mediterraneis Bastarnæ Tyrigetis atque Germanis contermini, ac fere ipsi quoque Germanici generis.* Sed *Scythas* vocant *Bastarnas*, PTOLEMAEVS *in Sarmatia descriptione*; vbi, quia Vistula finit Germaniam, Bastarnæ & Peucini sunt Sarmatæ Scythæque. DIO *Lib. XXXVIII.* τοὺς Σκύθας τοὺς Βαστάρνας, *Bastarnas Scythas*, adpellat: & *Lib. LI.* clare dicit: Βαστάρναι δὲ Σκύθαι τε ἀκριβῶς νενομίδαται. *Bastarnæ inter Scythas vere nominantur.* Imo etiam *Gallos Bastarnas* nonnulli vocant. POLYBIVS *Excerpt. Legat. LXII.* quos Bastarnas modo vocauerat, statim deinde Γαλάτας adpellat. LIVIVS *Lib. XL. Cap. LVII.* Bastarnas Scordiscis Gallis lingua & moribus æquales esse, dixit: & *Lib. XLI.* passim, *Lib XLII. Cap LI.* Gallos disertè nuncupauit, qui Bastarnæ erant. PLVTARCHVS *in Vita Aem. Pauli* de Perseo; Ὑπεκίνει καὶ Γαλάτας τοὺς περὶ τὸν Ἴστρον ᾠκημένους, οἳ Βαστάρναι καλοῦνται. *Sollicitauit & Gallos circa Istrum colentes, qui Bastarnæ vocantur.* Idem vero PLVTARCHVS paulo post ita Bastarnas describit, vt Germanorum mores clarissime genus probarent, nisi iam aliunde de eo perspicue constitisset. Hæc dicit: Ἧκον μὲν γὰρ αὐτῷ δεηθέντι Βαστάρναι, μύριοι μὲν ἱππεῖς, μύριοι δὲ παραβάται, μισθοφόροι πάντες, ἄνδρες οὐ γεωργεῖν εἰδότες, οὐ πλεῖν, οὐκ ἀπὸ ποιμνίων ζῆν νέμοντες, ἀλλ' ἓν ἔργον, καὶ μίαν τέχνην μελετῶντες, ἀεὶ μάχεσθαι, καὶ κρατεῖν τῶν ἀντιταττομένων. ὡς δὲ περὶ τὴν Μηδικὴν καταστρατοπεδεύσαντες ἐπεμίγνυντο τῆς παρὰ τοῦ Βασιλέως; ἄνδρες ὑψηλοὶ μὲν τὰ σώματα, θαυμαστοὶ δὲ τὰς μελέτας, μεγάλαυχοι δὲ καὶ λαμπροὶ ταῖς κατὰ τῶν πολεμίων ἀπειλαῖς, θάρσος παρέστησαν τοῖς Μακεδόσι, καὶ δόξαν, ὡς τῶν Ῥωμαίων οὐχ ὑπομενόντων, ἀλλ' ἐκπλαγησομένων τὴν ὄψιν αὐτῶν, καὶ τὴν κίνησιν, ἔκφυλον οὖσαν καὶ δυσπρόσοπτον. *Veniebant enim ei roganti Bastarnæ, decem millia equitum, par numerus peditum, qui prolapsorum equitum vacuos capiebant equos; omnes mercenarii, homines, qui nec agriculturam, nec nauiculariam nossent; nec pecore pascendo vitam tolerare: verum vnum opus, vnam meditarentur artem, perpetuo præliari, & vincere acie hostem. Hi postquam in Medica vnis castris fuerunt cum Macedonibus commisti, proceris corporibus viri, mirabili exercitatione, grandiloqui, & mirifice aduersus hostes minaces; confirmauerunt Macedonas, opinionemque præbuerunt illis, fore vt exhorrescerent, nec tolerarent Romani conspectum eorum & iactationem trucem & horridam.*

Peucinos tenuiſſe, tanto auctorum conſenſu traditur, vt *nihil* *Germania*
ſit certius. Hæc tamen vicina Ponto loca ab Alexandri Ma- *in Sarmatia.*
gni demum ætate Peucinos occupaſſe, memoria veterum colonorum Triballorum a Strabone prodita docet. Sæpe Baſtarnarum ciuitates in Romanas cis Danubium prouincias inuaſiſſe, nos item hiſtoria docet. Regiones tamen ab eis inſeſſas demonſtraturis non licet ad tumultuarias poſſeſſiones reſpicere. Trans Iſtrum deſcriptæ regiones, ab *ortu* Pontum Euxinum oſtiaque Iſtri habuere. Ad *auſtrum* Baſtarnas, ſeu Peucinos, primum Iſter ad Hieraſſum confluentem, deinde ipſe Hieraſſus fluuius, mox Carpatum montium iugum, diſterminauit. Ad *occaſum* videntur Baſtarnæ ad Aſciburgii montis initia pertigiſſe, mox Viſtula fluuio ad Apri vsque confluentem a Ligiis fuiſſe diuiſi. Contra *ſeptentriones* Aprum amnem conſtituunt, indeque Tyram: vt vero maneat incertum, qui alii limites Venedos aliosque Sarmatas, & noſtros Baſtarnas ſeparauerint. Easdem ſedes infra Daciam Sclauinis & Antibus Iornandem tribuere reperimus. Tum ergo non inepte cenſetur, Baſtarnas in interiorem Daciam conceſſiſſe, ibique ad noſtrum vsque æuum Germanicam linguam, cultumque, licet poſito nomine, conſeruaſſe. Pars vero Baſtarnarum iam antea cum Gothis inita ſocietate patrium ſolum verterat: reliquos parua regione facile capiente (*i*).

XI. Ba-

(*i*) PLINIVS *Lib. IV. Cap. XII. Superiora inter Danubium & Hercynium ſaltum, vsque ad Pannonica hiberna, Carnunti. Germanorumque ibi confinium. Campos & plana Iazyges Sarmatæ, montes vero & ſaltus pulſi ab his Daci, ad Pathiſſum amnem, a Maro, ſiue is Duria eſt, a Sueuis regnoque Vanniano dirimens eos. Auerſa* (a Viſtulæ fonte) *Baſtarnæ tenent, aliique inde Germani.* PTOLEMAEVS habet Baſtarnas ſupra Daciam, ad Pontum, & ſupra Amadocem lacum. *In Sarmatiæ deſcriptione;* Κατέχει δὲ τὴν Σαρματίαν ἔθνη μέγιστα, οἵ τε Οὐενέδαι παρ' ὅλον τὸν Οὐενεδικὸν κόλπον, καὶ ὑπὲρ τὴν Δακίαν Πευκῖνοί τε καὶ Βαστάρναι. *Incolunt autem Sarmatiam maximæ gentes, Venedæ apud omnem Venedicum ſinum, & ſuper Daciam Peucini ac Baſtarnæ.* In eadem deſcriptione habet Πεύκην ὄρος, *Peucem montem*, quem ponit ὑπὲρ τὴν Ἀμάδοκα λίμνην, *ſuper Amadocem lacum*; ex quo quum flu-

Bastarnæ. XI. Bastarnarum multas fuisse gentes, primus Strabo memorauit: & Plinius, cum eos quintum Germanorum genus vocauit, idem tacite indicauit. Ptolemæus etiam, licet non nominet Bastarnicas gentes, multa tamen nomina eo loco adfert, vt satis cernas, Bastarnicos fuisse pagos. Quidam horum singularium populorum suis sedibus facile tribuentur: alios nulla opera licebit vni magis, quam alteri regioni, tradere. Habet Strabo ATMONOS, SIDONES, & PEVCINOS. *Atmonorum* situm demonstrare nemo aptus est. *Sidones* proximos Vistulæ fuisse, inde auctores colligunt, quod Ptolemæus eos omnino cis Vistulam in

Bastarnarum præcipuæ gentes;

Atmoni;

Sidones;

uium in Borysthenem cognominem deducat, qui hodie Bugis vulgo *Bog* est, noua Peucinorum in confinio *Podoliæ*, *Volhiniæ*, & *Russiæ*, sedes ex montis nomine probatur. In Moesiæ descriptione idem ait: Κατέχουσι δὲ τῆς κάτω Μυσίας, τὰ μὲν δυσμικὰ Τριβαλλοὶ· τῶν δὲ ἀνατολικῶν τὰ μὲν ὑπὸ τὸ στόμα τὴν Πεύκην Τρωγλοδῦται, τὰ δὲ στόματα Πευκῖνοι. *Incolunt Mysiæ occidentalia Triballi; orientalia sub ostio Peuces Troglodytæ, ipsa vero ostia Peucini.* A Dacis Carpate monte Bastarnas diuisos fuisse, adeoque illum coluisse montem, præter PLINIVM atque PTOLEMAEVM testis est TACITVS *Germ. Cap. I. Germanos a Sarmatis Dacisque, mutuo metu, aut montibus, separari*, docens; vbi montes haud dubie Carpatici, Dacos & Bastarnas dirimentes, intelliguntur. IORNANDES *in Rebus Get.* in descriptione Daciæ, ab eius aquilonari latere ponit Bastarnas. Occurrit inde in TABVLA *Itineraria* nomen ALPES BASTARNICAE, vt Carpatem montem notet. Alexandri M. æuo Triballos *Peucen* insulam, & proxima trans Istrum Getas, coluisse STRABO *Lib. VII.* declarat. CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. III. Cap. XLIII.* ex LIVIO *Lib. XL. Cap. LVII.* coniecturam idoneam de tempore capit, quo ergo Bastarnæ ad Peucen insulam peruenerint. Seriore æuo post Philippi, Macedonum regis, bellum cum Romanis, omnes Peucinos & Bastarnas ad Pontum agnoscunt. APPIANVS *in Bell. Mithridat.* OVIDIVS *Lib. II. Tristium Vers. 198.* VALERIVS FLACCVS *Argonaut. Lib. VI.* DIO *Lib. XXXVIII. & LI.* multique plures. Regiones, quas tam late diffusi Bastarnæ coluerunt, omnes hodie a Slauis possidentur, a quibus ipsis videntur Bastarnæ partim expulsi esse, partim cum aliis Germaniæ fœderibus, suo posito nomine, confluxisse. Sane iam IORNANDES agnoscit Venedos in eorum priscis sedibus. *Introrsus*, inquit, *in libro de Reb. Get. Dacia est ad coronæ speciem Alpibus* (quondam Bastarnicis dictis) *emunita. iuxta quorum sinistrum latus, quod in aquilonem vergit, & ab ortu Vistulæ fluminis per immensa spatia venit, Winidarum natio populosa consedit. quorum nomina licet nunc per varias familias & loca mutentur, principaliter tamen Sclauini & Antes nominantur.*

Peucini; in Germania locauerit. *Peucini* Strabonis illi Iſtri oſtiorum, Germania
vt diximus, ſunt accolæ. Ex Ptolemæi vocabulis *Auarini* in Sarma-
locantur ad Viſtulæ amnis fontem; ſub iis *Ombrones*, dein tia.
Anatrophracti; dein *Burgiones*; dein *Arſieta*; dein *Saboci*; dein *Piengita*, & *Bieſſi*, apud Carpatem montem. Rurſus alibi idem Ptolemæus inter Peucinos ac Baſtarnas *Carpianos*
Carpiani; locat. CARPIANI, quos multi alii auctores *Carpos* vocarunt, ſine dubio in Baſtarnis fuere, & a monte Carpate accepere nomen.
Borani; BORANOS meminit Zoſimus, & cum Carpis coniungit, vt nouam Baſtarnicam gentem cernas,
Burgiones. prope Iſtrum, quod Zoſimus dicit, habitantem. BVRGIONES Ptolemæi non ego magis dubitarim in Baſtarnis referre: cum Germanicum vocabulum Germanos eſſe prodere videatur. Non eſt inepta coniectura hos Ptolemæi Burgiones eoſdem eſſe, quos alibi *Visburgios* nominat: hos enim in Germania ab eo poni, qui Ptolemæi nouit confuſam gentium poſitionem, non miratur. Visburgii autem ſedes ad Viſtulam vel ſolo teſtari nomine videntur. Reliqua vocabula Ptolemæi, licet vtique Baſtarnicas gentes ſonent, non moramur, cum vbi terrarum fuerint ſtatuenda, prorſus hodie ignoretur (*k*).

XII. Quæ

(*k*) STRABO *Libr. VII.* de regione inter Iſtrum & Borysthenem loquutus, interiora, vti ſupra accepimus, Baſtarnis, Germanici generis genti, tribuit, & addit; ὄντες ὡς πλείω φῦλα διῃρημένοι. καὶ γὰρ Ἄτμονοι λέγονταί τινες, καὶ Σιδόνες, οἱ δὲ τὴν Πεύκην κατασχόντες τὴν ἐν τῷ Ἴστρῳ νῆσον Πευκῖνοι. *in plures ſunt diuiſi gentes. nam alii Atmoni nominantur, alii Sidones, Peucini vero inſulam Iſtri Peucen obtinentes.* PTOLEMAEVS *Lib. II. Cap. XI.* Σύδωνες habet, ad Viſtulam ſub Lutis Buris: inde coniectura de STRABONIS Sidonibus. PTOLEMAEVS *in Sarmatiæ deſcriptione*, præter Baſtarnas, infra Venedos, ſupra Daciam, ab eo collocatos, paulo poſt hæc habet: Εἶτα Ἀυαρηνοὶ παρὰ τὴν κεφαλὴν τοῦ Οὐιστούλα ποταμοῦ, ὑφ' οὓς Ὄμβρωνες. εἶτα Ἀναρτοφράκτοι. εἶτα Βουργίωνες. εἶτα Ἀρσιῆται. εἶτα Σαβῶκοι. εἶτα Πιεγγῖται, καὶ Βιέσσοι παρὰ τὸν Καρπάτην ὄρος. *Deinde Auarini apud fontem Viſtulæ amnis, ſub quibus Ombrones; dein Anartophracti; dein Burgiones; dein Arſieta; dein Saboci; dein Piengita, & Pieſſi apud Carpatem montem*, & mox: καὶ πάλιν μεταξὺ Πευκίνων καὶ Βαστάρνων, Καρπιανοί. *Atque rurſum inter Peucinos ac Baſtarnas Carpiani. BVRGIONES* haud dubie iidem ſunt ac

Bastarnae. XII. Quæ oppida Ptolemæus in Sarmatia in medium profert, Baſtarnis recte tribuimus, cum quod poſitio ſuadeat, tum quod, teste Tacito, contra Sarmatarum morem ſede atque domiciliis vt Germani Baſtarnæ egerint. Siue itaque villæ fuerint, ſiue iuſtæ vrbes, quam cauſam non diſputabimus, eorum fuit ***Carrodunum***, ***Metonium***, ***Clepidaua***, ***Vibantauarium***, atque ***Eractum***. ***Carrodunum*** diuerſum ab altero, quod in Ligiis vidimus, *Leopolis* initia, quod plures iudicant, monſtrat. ***Metonium Robatyn*** haud procul Tyræ ripa, & ***Clepidauam Kaminekum***, caſtellum loci prope natura inexpugnabile, interpretantur. ***Vibantauarium*** & ***Eractum*** in vrbium ***Bar***, & ***Row***, poſitura inquirunt. Nominum occaſionem & originem examinent alii. Clepidauam a Dacis conditam eſſe, ex vocabulo non male coniicitur. Carrodunum fortaſſis a carris, quibus ſe Baſtarnæ, vt Germani, munire conſueuerunt, compellatum eſt. Ad ipſos Baſtarnas vt iterum tranſeam, ex iis nobis hi viſi ſunt Germanis eſſe, qui non ex Germania demum in Sarmatia migrarunt, ſed ſemper in Sarmatia ab ortu vſque nationis commorati ſunt. Digna hæc nobis cauſa eſt, ab æuo antiquiſſimo Baſtarnas ſuas ſedes tenuiſſe, quod antiquiſſimi mortalium Germaniam, ſiue, quam voca-

Clara in Baſtarnis loca.

Baſtarnæ ſemper in Sarmatia morati ſunt, non ex Germania in Sarmatiam venerunt.

Ὀυισβούργιοι ὑπὲρ τὸν Ὀρκύνιον δρυμόν. *Visburgii ſupra Orcynium ſaltum;* quos idem PTOLEMAEVS habet in Germania. Fortaſſis *Visburgii* dicti, quaſi *Wiſſelburger*, quod Viſtulam accolerent; id ex CLVVERII coniectura. *CARPOS* plurimi auctores memorant. ZOSIMVS *Lib. I.* ſub Gallieni imperio cum eis *Boranos* coniungit. Βορανοὶ δὲ καὶ Γότθοι, καὶ Κάρποι, καὶ Ὀυρουγοῦνδοι, (γένη δὲ ταῦτα περὶ τὸν Ἴστρον οἰκοῦντα.) *Borani, & Gothi, & Vrugundi* (*gentes hæ ſunt ad Iſtrum colentes.*) OROSIVS *Lib. VII. Cap. XXV.* ſub Diocletiano, *Per eosdem duces*, inquit, *ſtrenue aduerſus Carpos Baſtarnasque pugnatum eſt.* POMPONIVS LAETVS de eodem Diocletiano: *Diocletianus, rebus toto orbe compoſitis, Europam repetiit; vbi iam Scythæ, Sarmatæ, Alani, & Baſtarnæ, iugum ſubiuerant, vna cum Carpis, Sueuis, & Quadis.* IORNANDES *in Reb. Get.* de Oſtrogotha, Gothorum rege. *Sed & Carporum*, inquit, III. CIↃ *addidit, genus hominum ad bella nimis expeditum.* PTOLEMAEVS ceterum in Sarmatia Βούλανες inter Finnos & Burgundiones habet; qui fortaſſis ſunt *Borani* ZOSIMI.

vocarunt, Celticam, ad vsque Pontum protulerunt. Nulla autem probabilis vrget ratio existimare, tot colonias paulo post primam Germaniæ occupationem potuisse reuerti in Sarmatiam, & tanta terrarum insidere spatia. Recentiores migrationes excludit memoriæ Bastarniarum vetustas, & quod omnes auctores eorum ex Germania aduentum sileant. Si sane constituamus, magnam Germanorum partem in Sarmatis permansisse, cum ceteræ Germanorum familiæ in Germaniam perrexissent; expeditius & patentius omnis historia priscæ Germaniæ declarabitur. Nihil interim Bastarnarum Geticarumque ciuitatum Germanicum turbare genus, quod videantur semper in Sarmatia egisse, nunquam Germaniæ incoluisse regionem; id vero est, quod superiore loco speciatim demonstrauimus (*l*). *Germania in Sarmatia.*

Bastarnarum vetera decora.

XIII. Bastarnicæ gloriæ documentis valde veteribus Germanicam abundare historiam, modo monuimus. Bellarunt cum Romanis centum prope annis ante, quam Cimbrica illos terruerant arma. Tum Philippo Macedonum regi contra Dardanios & Romanos cis Istrum auxilio sunt profecti: deinde etiam Perseum bellantem adiuuerunt. Dardanii, vt Galli Cæsari, Romanis multa renuntiarunt de Bastarnarum

An. V.C. IↃLXXIV. Ant. C. N. CLXXIX.

An. V.C. IↃLXXXV. Ant. C. N. CLXVI.

(*l*) Miratus sum PLVTARCHVM *in Mario* dicere, ex veterum sententia, τὴν Κελτικὴν διὰ βάθος χώρας καὶ μέγεθος, ἀπὸ τῆς ἔξωθεν θαλάσσης, καὶ τῶν ὑπαρκτίων κλιμάτων πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα κατὰ τὴν Μαιῶτιν ἐπιστρέφουσαν, ἅπτεσθαι τῆς Ποντικῆς Σκυθίας, *Celticam longitudine ac latitudine terrarum ab oceano & septentrionalibus plagis ad orientem versus lacum Maeotim vergere, & ad Ponticam Scythiam pertinere.* Desino mirari, cum præter Celtici Gallicique nominis complexionem infinitam, tot Germanicas nationes, in Sarmatia ad Pontum vsque colentes, reperio. Hos *Germanos*, *Celtas* maxime dictos, haud dubie PLVTARCHVS & post eum alii respexere, cum Celticæ tantam magnitudinem tribuerent. ipsum PAVLVM DIACONVM *Longob. Hist. Lib. I. Cap. I.* eo animo ita scripsisse, constat: *Fit, vt tanta populorum multitudines Arctoo sub axe oriantur: vt non immerito vniuersa illa regio Tanai tenus, vsque ad occiduum, licet & propriis loca in eo singula nuncupentur nominibus, generali tamen vocabulo Germania vocitetur.* Nihil vero id recentiorum iuuare commenta, qui fines Germanicæ regionis antiquissimos omnem Sarmatiam complexos somniarunt; iam supra declaratum est.

Baſtarnæ. narum multitudine, ingentibus corporibus, ſummaque in periculis audacia; eaque & Theſſalii, Polybio memorante, ſuo teſtimonio confirmarunt. Romani vero Aulum Poſthumium ſtatim miſerunt, vt de Baſtarnis inquireret. Antiquius cum Dacis leguntur bellaſſe, eosque viciſſe; & eo exiſtimo tempore illos agros, illasque villas, quæ nomine Dacos conditores teſtatæ ſunt, Dacis eripuere, hosque intra Carpates montes coëgerunt. Poſt Macedonica bella centum prope

An. V. C. IↃCLXV. Ante C N. LXXXVI. annos ignoratos Baſtarnas rurſum Romani in Mithridatico bello repererunt. Transmiſſo enim mari non pauca Baſtarnarum auxilia in eius verſabantur exercitu. Inde propiora Romanis cum Baſtarnis fuerunt bella, poſtquam ad Iſtrum

An. V. C. IↃCCXXIV. Ante C.N. XXVII. propius Romana prouincia pertingere cœpiſſet. M. Craſſus cum Baſtarnis Auguſti bellauit auſpiciis, victoriaque potitus eſt. Dacica bella Baſtarnas etiam implicuerunt: propinquo enim nationis cognatæ ſuccurrere periculo e re Baſtarnarum videbatur eſſe. Licet autem Dacia debellata, Baſtarnæ tamen nunquam Romanorum ſubierunt iugum. Mox Ba-

An. CLXVII. ſtarnæ cum Sueuicis gentibus contra Antoninos fecerunt: nec prope deinceps Romanus imperator fuit, cuius non tentaſſent arma. Probus fertur Baſtarnas viciſſe, victorumque

An. CCLXXX. C. millia in Thracia poſuiſſe, qui omnes fidem ſeruauerint, donec Probus imperaret. Eo autem mortuo belliſſima hiſce fuit occaſio Romanas cis Iſtrum deprædandi atque depopulandi prouincias. Cum Gothis, quam primum ingens iſtud fœdus gentium ſurgeret, Baſtarnas plerumque egiſſe, aliquoties dictum eſt. Maxime Carpi atque Borani, Baſtarnici pagi, in exercitu Gothorum fuiſſe, omniumque expeditionum atque victoriarum participes, leguntur. In hoc, cenſeo, nomine extremum Baſtarnarum nomen deliteſcere cœpit. Cum *GOTHI* in Italiam, Galliam, Hiſpaniam, atque in omnis orientis prouincias, inuaderent, ſenſim pedetentimque Baſtarnicum nomen periit; cum illis Gothis in diuerſa, po- Extrema Baſtarnarum fata

 ſito

ſito nomine, dilapſi populi idoneo argumento. Tum Sclaui Anteſque in priſcas Baſtarnarum ſedes in Sarmatia inſediſſe, Iornandes nos docuit. Quo minus vero dubitemus, reliquos Baſtarnarum in Daciam, a Sclauinis pulſos, conceſſiſſe, ibique per varias duraſſe viciſſitudines, Germanica in priſca Dacia hodieque vigentia inſtituta faciunt: quæ ſi Baſtarnis tribueris, nihil hiſtoriæ contrarium ſtatueris; ſi Caroli coloniam in Daciam ductam memoraueris, fabulam magis, quam fidam hiſtoriam, narraueris (*m*). *Germania in Sarmatia.*

XIV. Præ-

(*m*) Cum Dacis bellum antiquum, ſed ignoti temporis, memorat IVSTINVS *Lib. XXXII. Cap. III. Daci*, inquit, *ſoboles Getarum ſunt: qui, cum Orole rege aduerſus Baſtarnas male pugnaſſent, ad vltionem ſegnitiæ, capturi ſomnum capita loco pedum ponere iuſſu regis cogebantur; miniſteriaque vxoribus, quæ ipſis antea fieri ſolebant, facere. Neque hæc ante mutata ſunt, quam ignominiam bello acceptam virtute delerent.* Bellum Baſtarnarum cum Romanis in Philippi, Perſeique, Macedoniæ regum, cauſa meminere POLYBIVS *Excerpt. Legat. LXII.* LIVIVS *Lib. XL. XLI. XLII.* PLVTARCHVS *in Aemilio Paulo* OROSIVS *Lib. IV. Cap. XX.* Bellum Mithridaticum iterum Baſtarnas oſtendit. Teſte APPIANO, ipſe rex per Pelopidam, legatum ad Romanos miſſum, iis renunciare iuſſit, ſe Baſtarnas cum aliis gentibus, qui Tanain, & Iſtrum, lacumque Mæotin, accolant, amicos habere, ad omnia iuſſa exſequenda. Mox idem APPIANVS auxilia Mithridatis contra Romanos enarrat, in quibus ſunt Βαστέρναι τὸ ἀλκιμώτατον αὐτῶν γένος, *Baſtarnæ, omnium reliquorum fortiſſimi* Oſtendit item cum Mithridate Baſtarnas IVSTINVS *Lib. XXXVIII. Cap. III.* Craſſi cum Baſtarnis bellum breuiter indicat *Epit.* LIVII *CXXXIV. Bellum contra Baſtarnas & Moeſos, & alias gentes, a M. Craſſo geſtum refertur.* Copioſius de eo bello DIO *Lib. LI.* narrat. De bello Dacico mox inquiremus. In validiſſima gentium contra Romanos conſpiratione diſerte *Baſtarnas* adpellat & *Peucinos*, ſeparatim vtrumque IVL. CAPITOLINVS *in Vit. Anton. Cap. XXII.* Sub Gallieno ſe mouiſſe Carpos & Boranos, Baſtarnicas ciuitates, & Romanam rem adflixiſſe, imo iam ante ſæpius in Romanas prouincias excurriſſe, ZOSIMVS *Lib. I.* memorauit. Probus Baſtarnas victos in Romanum ſolum tranſtulit, qui aliquandiu fidem ſeruarunt; VOPISCVS *in Probo Cap. XIIX.* ZOSIMVS *Lib. I.* Diocletiano & Maximiano imperantibus fortiter aduerſus Baſtarnas & Carpos bellatum eſt; OROSIVS *Lib. VII Cap. XXV.* EVMENIVS *Paneg. Conſtantio Cap. X.* AVRELIVS VICTOR *in Diocletiano.* Cum *Gothis* autem plerumque *Baſtarnas* atque *Peucinos* communem contra Romanos geſſiſſe cauſam, omnia prope citata teſtimonia ZOSIMI, OROSII, VOPISCI, & EVMENII, teſtantur; vbi perpetuo ferme cum Baſtarnis Gothi iunguntur, iiſdem intenti expeditionibus. Ex CLAVDI-

Bastarna. XIV. Præcipui Bastarnarum mores parum ab auctoribus proditi sunt. Vt Germanos multi historici, ita Plutarchus, Bastarnas in Macedonum castris proceris corporibus viros eminuisse, scripsit; mirabili exercitatione, grandiloquos, & mirifice aduersus hostes minaces, fuisse. Tacitus prorsus sermone, cultu, sede, ac domiciliis, vt Germanos, egisse memorauit: at connubiis tamen mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum fœdatos esse. Postrema Taciti verba valde exercuerunt interpretum ingenia. Quidam, verbo Taciti *ceterum* in alterum *procerum* mutato, censuerunt proceres consueuisse contra Germanorum mores connubiis mixtis ambiri. Alii nescio quam turpitudinem Bastarnarum somniarunt, omnique morum castitate ipsis negata, fœdis nuptiis tantum eos delectatos esse, arbitrati sunt. A nomine hi *Bastarnarum* ex fœdis istis moribus acceptum esse vocabulum Germanicum *Bastarte*, quo nothos nec legitimos liberos notamus, opinantur. Ego rectissime sibi constare Tacitum cerno, &, quod velit, clare significare. Dubitans, vtrum Peucinos in Germanos aut Sarmatas referat, affert rationes, cur possint pro Germanis haberi: addit tamen idonee, si aliquantum Sarmaticos ostendant mores, id inde esse, quod vtantur connubiis mixtis, hoc est, quod non cum suis tantum fœminis, sed & cum Sarmaticis, iungant connubia; propter hasce peregrinas nuptias nonnihil eos in Sarmatarum habitum fœdari. Ceterum insignis in Bastarnis nobilitas fuit, eaque, vt reliquis Germanis, ipsis in ingenti pretio fuit: vnde, qui mirabun-

De moribus Bastarnarum.

Status in Bastarnis publicus.

ANO *de IV. Consul. H norii Vers. 449.* apparet, Honorii adhuc æuo cum Bastarnis bellum Romanis fuisse. Ita canit;

- - - Iuratur Honorius absens
Imploratque tuum supplex Alamannia nomen,
Bastarnæ venere truces.

Et *de laudibus Stilichonis Lib. I. Vers. 94.*

- - - Quis enim Mysos in plaustra feroces
Reppulit, aut sæua Promoti cæde tumentes
Bastarnas vna potuit delere ruina?

Extrema gentis Bastarnarum fata inexplorata sunt.

rabundus quasi in sordida gente magnificos ridet proceres, mirabiliter errat. Valerius Flaccus poëta *TEVTAGONVM* eorum ducem nominat. Non reperio & vsquam regis ipsorum fieri mentionem: vt adeo solis ducibus rerum inter ipsos summam delatam fuisse crediderim. An ciuitates singulares respublicas separatas habuerint, vno tantummodo fœdere inter se iunctæ; vtrum vna publica res omnes gentes sociauerit? non licet satis adsequi coniecturis: interim Carporum Boranorumque militia prius prope mihi persuaserit (*n*).

Germania in Sarmatia.

XV. Tertius in vasta Sarmatia populus, quem contra multorum sententiam satis firmis argumentis Germaniæ ciuitati vindicauimus,

GETA-

(*n*) Insignis locus PLVTARCHI *in Aemilio* integer a nobis supra exscriptus est. TACITVS *de Germ. Cap. XLVI.* fatetur, se dubitasse, an Germanis, vtrum Sarmatis, adscriberet Bastarnas, quia connubiis cum Sarmatis vicinis mixtis nonnihil in eorum habitum fœdati sint. At vicit melior ratio, & ostendit, esse omnino Germanos Hic sensus verborum TACITI verus est. *Peucinorum, Venedorumque, & Fennorum, nationes Germanis an Sarmatis adscribam, dubito: quamquam Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, sermone, cultu, sede, ac domicilsis, vt Germani agunt. sordes omnium ac torpor. ceterum connubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur.* Aliquis non minus explodit vulgarem lectionem *procerum*, sed inepta prorsus addita interrogatione; *Qui enim illi in gente sordida magnifici proceres?* Quasi vero sordes ac torpor sordidam gentem notarent; nec TACITVS veram Germanorum indolem, quam descripsit *Germ. Cap. XV. XVII & XX.* istis verbis Bastarnis tribuere voluisset? Prorsus & male connubia mixta habentur pro vagis & Germanicæ castitati, laudatæ a TACITO *Cap. XVIII*, aduersis; cum modo notare debeant, crebro cum Sarmatis Bastarnas connubia iungere consueuisse. Sed vide etiam, vt fortem, ita inprimis nobilem, Bastarnarum gentem. VALERIVS FLACCVS *Argon. Lib VI.* canit;

Illinc iuratos in se trahit Aea Bastarnas:
Quos duce Teutagono crudi mora corticis armat.

LIVIVS *Lib. XL. Cap. LVII. Conto nobilis is erat Bastarna.* Imo & DIO CASSIVS *Lib. LI.* in bello a Crasso cum Bastarnis administrato, memorat omnino regem eorum *DELDONEM*, quem cæsum scribit. Vbi vero rex; vbi duces; sane ibi nobilitatis ceteræ non deest ordo. Negare commentarionem reges Bastarnis fuisse, ne morator beneuole lector. Vna DIONIS, quam fecit, & quam forte nunc reperi, mentio non valde reliquis coniecturis obstrepet.

GETARVM

Geticarum ciuitatum nomina.

generali nomine cognitus eſt. Græci Getarum fere ſolo nomine vſi ſunt, quo & orientis terras, & verſus occidentem, colentes Geticas ciuitates compellarent. Romani vero hos conſueuere magis DACOS, ſiue *Dacas*, adpellare; reliquis *Getarum* vocabulum non inuiderunt. Getæ, vt ad orientem immenſas quondam terras incoluerunt, variis nouis ſunt diſtincti vocabulis. Erant MASSAGETAE, THYRSAGETAE, & fortaſſis DAHAE, atque SACAE. Getici vocabuli vim atque poteſtatem alio loco inueſtigauimus. *Maſſagetæ* creduntur dicti, quaſi *maiores Getæ*. Iidem, teſtibus Ammiano, Dione Nicæo, & Nicephoro, deinceps ALANORVM nomine ſunt notati, quos in ciuitatibus Gothicis omnes auctores adnumerarunt. *Dacorum*, a quibus *Dabarum* vocabulum, nam & Dacas Dacos promiſcue nominarunt, parum alienum eſt, vix prodideris nominis originem. Et apud Romanos quidem ſeruus modo Dauus, modo Dacus, vt apud Græcos Geta, dictus eſt. Sed cum antiquitus ſerui ex natione nanciſcerentur nomina, male iudicat, qui eam putat poteſtatem Dacici eſſe vocabuli, vt *ſeruum* notaret. Non magis *Thyrſagetarum*, quos *Thuſſagetas* Plinius vocauit, adnomen intelligitur. Enimuero nec eſt ea vetuſtiorum gentium adpellationum ratio, vt curioſis ſemper liceat ambiguam illarum diuinare originem, aut incertam vocabulorum ſignificationem interpretando explicare (*o*).

XVI. Pri-

(*o*) *GETARVM* ſummum nomen varias ciuitates complexum Geticas; STRABO *Lib. VII.* prorſus, vt illud Gothorum, quod Getarum ſucceſſit nomini. Mox ad Tanain, ad Pontum, ad Iſtrum, in Moeſia, in Thracia, in Aſia, in Scythia, *Getas* cernemus. Et *DACI* Getæ ſunt, maxime Græcis, & antiquius; nec raro Romanis, & ſerius. Audi ZONARAM *in Gallieno*. Αὐρή-λιος δὲ ἐκ χώρας ὢν Γετικῆς, τῆς ὕστερον Δακίας ἐπικληθείσης, καὶ γένους ἀσήμου. *Aurialus ex Getica regione, quæ poſtea Dacia dicta eſt, obſcuro genere ortus.* Audi PLINIVM *Lib. IV. Cap. XII.* de Danubio & eius oſtiis narrantem; *Ab eo*, inquit, *in plenum quidem omnes Scytharum ſunt gentes; variæ tamen littori oppoſita tenuere; alias Getæ, Daci Romanis dicti, alias*

Geticarum ciuitatum variæ sedes.

XVI. Primum iam in Geticis nostris ciuitatibus de eorum diuersis sedibus, deinde de primis gentis initiis, simulque perpaucis loco commodæ repetitionis de genere earum, in- *Germania in Sarmatia.*

qui-

Sarmatæ. Genus Dacorum habet ex TROGO POMPEIO IVSTINVS *Lib. XXXII. Cap. III. Daci quoque Getarum soboles sunt.* Romani poëtæ, Dacico licet suscepto nomine, frequenter *Dacos Getas* nuncuparunt. HORATIVS *Lib. III. Od. XXIV.* OVIDIVS semper Getarum; nunquam Dacico vocabulo vsus. MARTIALIS *Libr. VII. Epigr. LXXIX. Lib. VIII. Epigr. XI. Lib. IX. Ep. XLVI.* vid. etiam XIPHILINVS *ex* DIONE *in Domitiano. MASSAGETAE, DAHAE, SACAE, THYRSAGETAE,* in Scythis plerumque referuntur, quia in Scythia egerunt. PLINIVS *Lib. VI. Cap. XVII. Vltra sunt Scytharum populi. - - - multitudo populorum innumera: & quæ cum Parthis ex æquo degat. Celeberrimi eorum Sacæ, Massagetæ, Dahæ.* Sic STRABO *Lib. XI.* οἱ μὲν πλείους τῶν Σκυθῶν ἀπὸ τῆς Κασπίας θαλάττης ἀρξάμενοι, Δάας προσαγορεύονται. τοὺς δὲ πρὸς ἕω τούτων μᾶλλον Μασσαγέτας καὶ Σάκας ὀνομάζουσι. *Plerique Scytharum, qui a Caspio mari incipiant, Dææ adpellantur. qui vero his orientaliores sunt, eos Massagetas & Sacas vocant.* DIODORVS SICVLVS *Lib. II. Cap. XLIII.* ἀφ᾽ ὧν (Σκυθῶν) τοὺς μὲν Σάκας προσαγορευθῆναι, τοὺς δὲ Μασσαγέτας, τινὰς δὲ Ἀριμασπούς. *a quibus Scythis quidam Sacæ cognominantur, quidam Massagetæ, alii Arimaspi. Thyrsagetæ* a POMPONIO MELA *Lib. I. Cap. XXI.* memorantur. *Iuxta* (Gelonos) *Thyrsagetæ Turcæque vastas siluas occupant, alunturque venando. MASSAGETAE* *seriore æuo dicti ALANI.* IVLIANVS *imperator* ipse testis *in oratione ad milites apud* AMMIANVM *Lib. XXIII. Cap. V. Vt Lucullum transeam vel Pompeium, qui per Albanos & Massagetas, quos Alanos nunc adpellamus, hac quoque natione perrupta vidit Caspios lacus.* Rursum AMMIANVS *Lib. XXXI. Cap. II. ad Alanos peruenit, veteres Massagetas.* NICEPHORVS GREGORAS *Hist. Rom. Lib. VI.* τῷ Βασιλεῖ πέμπουσί τινες τῶν ὑπὲρ τὸν Ἴστρον Μασσαγετῶν ἰδιωτικὴν πρεσβείαν, Ἀλανοὺς ἡ κοινὴ τούτους καλεῖ διάλεκτος. *Massagetarum nonnulli, quos communis dialectus Alanos vocat, priuatam legationem mittunt.* PROCOPIVS *in Hist. Goth. exordio* Massagetas Alanos in Gothicis gentibus diserte adnumerat. Quin ipse IORNANDES, quem nemo *Gothum* fuisse negat, qui *in libro de Rebus Get.* profitetur, se maiorum suorum res gestas descripturum, *Alanus* fuit; ipso in dicto libro familiam stirpemque suam enumerante. Si ergo Alani Gothi fuere; nec de Massagetis quisquam recte dubitabit, in Gothicum eos fœdus transiisse, & inde Alanorum suscepisse nomen. CLAVDIANVS *in Rufinum Lib. I. Vers. 310.*

- - - mistis descendit Sarmata Dacis,
Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax
Massagetes, cæsamque bibens Mæotida Alanus.

Et addit *Vers. 316.*

Nam tua cum Geticas strauisset dextra cateruas,

a Da- quirimus. Vt distinguamus Getas ad Istrum atque in Europæa Sarmatia habitantes, ceterosque Asiaticam Sarmatiam incolentes; illic Daci Getæque, hic Massagetæ, Thyrsagetæque, cum Dahis, Sacisque, si & hi recte in Getis numerentur, egerunt. Ab occidente ad orientis demum terras ituri, a Bastarnis primum in DACIAM, quod prouinciæ Dacorum nomen exstitit, incidimus. Hanc Daciam a *septentrionibus* Carpates montes a Bastarnarum terra diuiserunt. Quod in Bastarnis quædam vrbes reperiuntur, quarum nomina cum Dacicis vocabulis congruunt, infra etiam Carpatem montem quondam Dacorum coluisse partem, censeo; pulsos a Bastarnis ea victoria, quam Iustinus prodidit memoriæ. Ad *occasum* Tibiscus amnis a Sarmatis Metanastis Dacos separauit. *Meridianum* latus Ister clausit; idemque *orientis* latus, ex quo flexus in septentrionem se conuertit, firmauit. Trans Hierassum fluuium Getæ habitarunt, & ad Tyram, qui ceteroquin in Daciæ finibus habetur, magis Bastarnæ quam Daci. Pagos Dacorum fuisse multos, Ptolemæus ostendit; plerosque ignobiles, quique præter nomen nihil adferunt. Ad Danubium habet *Saldensios*, *Ciagisos*, *Piephigos*; in medio tractu *Albocensios*, *Potulatensios*, *Burridensios*, *Cotensios*, & alios. In septentrionalibus *Anarti*, quos *Anartes* Cæsar adpellat, magis sunt memorabiles; & post hos, in medio relictis *Teuriscis*, *Iassii*; quos vetus meminit statuæ Antonino Pio dicatæ

rum.

Daciæ fines;

ciuitates diuersæ;

Vlta ducis socii lethum, parsque vna maneret
Debilior facilisque capi: tunc impius ille
Proditor imperii, coniuratusque Getarum
Distulit instantes eluso principe pugnas.

Bina CLAVDIANVS gentis nomina, vetus & recentius, memorat: mox vno *Getarum* nomine omnes simul comprehendit. Massagetarum nomen ita ISIDORVS interpretatur: *Massagetæ ex Scytharum origine sunt, & dicti Massagetæ, quasi graues, id est, fortes Getæ. Nam sic Liuius argentum graue dixit, id est Massas.* Quod de latina voce addit, ineptum prorsus est; Alterum probant auctores, sed nomen ex Gothica lingua interpretantur.

Vrbes villæque propriæ. *Germania in Sarmatia.* dicatæ inſcriptio. Villas, vicosque, & vrbes etiam, Daci coluerunt; quo ipſo cum Baſtarnis a Sarmatarum genere diſtinguuntur, & vt Germani egiſſe, cernuntur. Regia fuit celeberrima *Zarmiſogethuſa*, ſeu *Sarmizægethuſa*, ad amnem ſita Sargetiam; quem, auerſo alueo, theſauris defoſſis, induxit *DECEBALVS*, rex Dacorum, quum a Traiano premeretur. Barbarum vrbis nomen nec tum deletum, cum colonia inſigni oppidum augeretur, & *Vlpia Traiana*, *Auguſtaque Dacorum*, nomine veniret. Vrbs tot antiquitus ornata decoribus, leuis hodie eſt vicus, *Varbel* dictus. Alia, ſiue villarum, ſiue vrbium, nomina, vere Dacica, nominat Ptolemæus: ſupra, aut quod nos infra dicimus, *Apulum*, ſiue *Albam Iuliam*, *Marcodauam*, deinde *Comidauam*, atque in ortum magis æſtiuum *Sandauam*, ac iuxta Hieraſſum amnem, qui Pruth videtur eſſe, *Petrodauam*; de qua eruditi ſuſpicantur, eſſe *municipium Iaſſiorum*, quod & nomine & ſitu conuenit cum *Iaſſy*, regia Walachorum. Non moramur alia obſcuriora vrbium Dacicarum vocabula; nec Romanarum, quas hi debellata prouincia trans Iſtrum duxerunt, coloniarum veſtigia. *Nomen Gothiæ.* GOTHIAM, ſiue Gothorum terram, ruente æuo veterem Daciam eſſe adpellatam, ex ſuperioribus iam eſt acceptum (*p*).

XVII. G...

(*p*) Poſitio *DACIAE*, quam damus, omnes fere auctores adprobant: præſertim PTOLEMAEVS *Lib. III. Cap. VIII. de Dacia.* EVTROPIVS *Lib. VIII. Cap. II. Dacia prouincia trans Danubium facta. - - - Ea prouincia decies centena millia in circuitu tenet.* Ciuitates Daciæ memorantur a PTOLEMAEO, vt nequeant vero certis adſignari ſedibus. *Anarti maxime*, ab eodem, *ſeptentrionales vocantur, ſi ab occidente incipimus.* *ἀρκτικώτατοι μὲν ἀρχομένοις ἀπὸ δυσμῶν Ἄναρτοι*: vnde prope Tibiſcum coluiſſe eos neceſſe eſt. CAESAR *Bell. Gall. Lib. VI. Cap. XXIV. Hercynia*, inquit, *ſilua oritur ab Heluetiorum, & Nemetum, & Rauracorum, finibus, rectaque fluminis Danubii regione pertinet ad fines Dacorum & Anartium.* *Iaſſii* ſub Hieraſſo fluuio ortum verſus habitarunt. Inſcriptio ſtatuæ Antonino Pio dicatæ apud GRVTERVM cum dedicatoris nomine præfert PRAEF. M. DACORVM IASSIOR. id eſt, *præfectus municipii Dacorum Iaſſiorum.* Cum oppida gentium nomina induerent, non dubitarim, munici-

Getæ. XVII. *Getæ*, quorum & regio GETIA adpellatur, ab oriente Dacos continuarunt; & trans Istrum, vbi diuisisse eos Hierassus videtur amnis, & cis Istrum, qui ingens fluuius Daciam a Getia, quæ cis Istrum fuit, disiunxit. Fines Getarum in vtraque regione definire vix potest quisquam; cum vtro- Getiæ ad Istrum conditio.

Eee ee 2 bique

pium esse *Iassi* adpellatum, illudque referre caput VVallachorum, cui hodieque *Iassy* nomen est. Regia Dacorum barbaro nomine a PTOLEMAEO *Lib. III. Cap. VIII.* Ζαρμιγέθουσα βασίλειον, *Zarmigethusa regia* vocatur, mox *Lib. III. Tab. IX.* plenius ab eo scribitur Ζαρμισογέθουσα τὸ βασίλειον, *Zarmisogethusa regia*: Antiqua scriptura posteriori vocabulo accedit, in lapide Antonino Pio posito apud GRVTERVM *fol. CCLVII. Inscr. I.*

IMP. CAES ANTONINO
PIO. AVG. COLONIA
SARMIZAEGETHVSA.

Veteri nomini additum nouum, idque geminum, *Vlpia Traiana & Augusta Dacica* Inscriptio apud GRVTERVM *fol CCCCXXXVII. Num. I.* coniungit hæc omnia nomina;

COLONIA. VLPIA. TRAIAN
AVG.DACICA.SARMIZGETVSA

Maiestatem coloniæ, cui vix in prouinciis par exstitit, pretiosa ruinarum fragmina, quæ vicus *Varghel* crebra dedit, posteris ostenderunt. De Sargetia flumine defossis thesauris inducto DIO CASSIVS *in principe Traiano* narrauit. Oppida reliqua PTOLEMAEI vix aliquis interpretari ausus est. *Colonia Apulensis*, quæ ex lapidibus & ex VLPIANO *Lege I. Dig. de Censibus*, cognita est, vulgo accipitur pro *Alba Iulia*, vulgo *Weissenburg* dicta. Nomen vero *Alba Iulia*, quam videtur antiquum, non monumento vllo antiquitati vindicari potest. Conf. CELLARIVS *Notitia Orb. Ant. Lib. II. Cap. VIII. in Dacia.* Seriore æuo alii atque alii populi Dacia insedere, postquam ab Aureliano ea barbaris prædæ data esset, & abducti ex ea populi in Moesiam collocati, quæ *Aureliani Dacia* adpellata est; teste VOPISCO *in Aureliano Cap. XXXIX.* EVTROPIVS, qui Valentis æuo vixit *Lib. VIII. Cap. II.* de ea Dacia ita loquitur; *Daciam, Decibalo victo,* (Traianus) *subegit; prouincia trans Danubium facta in his agris, quos nunc Taiphali habent, & Victophali, & Theruingi.* Gothicæ ciuitates fuere, sæpe scriptoribus memoratæ: vnde recte nomina ex Teutonica lingua exposuit BARTHIVS *Aduers. Lib. XI. Cap. XXIX.* GOTHIAE proinde commune nomen Daciæ prouinciæ obtigit, a Gothis & Gothicis ciuitatibus, eius possessoribus: cuius rei testimonia supra ex CAPITOLINO, AETHICO, ISIDORO, multisque aliis monumentis, in Gothis dedimus. IORNANDES *in rebus Geticis*, præter *Gothiæ* nomen, etiam alterum *GEPIDIAE*, a Gepidis nouissimis incolis inditum, affert, & simul confinia gentium eius ætatis, qua Dacicum adhuc regnum, quod Gothicum nominat, floruit, memorat. *Hanc Gothiam*, inquit, *quam Daciam adpellauere maiores, (quæ nunc, vt diximus. Gepidia dicitur,) tunc ab oriente Roxolani, ab occasu Tamazites, a septentrione Sarmatæ & Bastarna, a meridie amnis Danubii fluenta, terminant.*

bique cum aliis permisti gentibus habitauerint, nec ius singularis prouinciæ acquisierint. Vt alias cis Istrum vrbes villasque patrio more condiderint; ita nullum tamen nomen adeo plane Germanicam prodit gentem linguamque, quam illud *Nouioduni*, Ptolemæo & Marcellino memoratum. Cis Istrum illud oppidum fuit, idemque haud dubie, quod Iornandes alicubi *ciuitatem nouam*, quod sonat Germanicum vocabulum, compellauit. Getia, quæ fuit cis Istrum, inferiori Mœsiæ, quæ Romana erat prouincia, addita antiquitus fuit. Quidam in ipsa Thracia eam referre maluerunt. Eadem succedente ætate ex Getis, gente, quod semper Scythiam incoluerat, non male Scythica dicta, SCYTHIA MINOR nominata est (q). Ad antiquiores *Massagetarum*, *Thyrsagetarum*-

Germania in Sarmatia.

Scythia minor.

(q) *GETAE* maxime ad orientem dicti; ad occidentem a Romanis *DACI* dicti. STRABO *Lib. VII.* Γέγονε δὲ καὶ ἄλλος τῆς χώρας μερισμὸς, συμμείνας ἐκ παλαιοῦ· τοὺς μὲν γὰρ Δάκους προσαγορεύουσι, τοὺς δὲ Γέτας· Γέτας μὲν, τοὺς πρὸς τὸν Πόντον κεκλιμένους, καὶ πρὸς τὴν ἕω. Δάκους δὲ τοὺς τ' ἐναντία πρὸς Γερμανίαν καὶ τὰς τοῦ Ἴστρου πηγάς. Et addit: οὓς οἶμαι Δάους καλεῖσθαι τὸ παλαιόν· ἀφ' οὗ καὶ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ἐπεπόλασεν αὐτῶν οἰκετῶν ὀνόματα Γέται καὶ Δᾶοι· τοῦτο γὰρ πιθανώτερον, ἢ ἀπὸ τῶν Σκυθῶν, οὓς καλοῦσι Δάας. *Est & alia regionis diuisio, quæ ab antiquo perdurauit; vt alii Daci, alii Getæ adpellentur: Getæ, qui ad Pontum & orientem vergunt; Daci, qui in diuersum, ad Germaniam & Istri fontes: quos puto antiquitus esse Dauos adpellatos. Vnde etiam apud Atticos in vsu fuerint seruorum nomina, Getæ ac Daui. hoc namque probabilius est, quam a Scythis, quos Daas vocant.* STEPHANVS BYZANTINVS iisdem prope verbis STRABONEM exscripsisse videtur. Et idem habet nomen regionis: Γετία, ἡ χώρα τῶν Γετῶν *Getia, regio Getarum.* Est autem ignarum, an Daciam simul Getiam adpellauerit, an modo Getarum ad Pontum regionem. Hæc ab oriente Getia variis in finibus constitisse legitur. Fuere Getæ trans Istrum & cis eum, imo ipsis in insulis, quas ostia efficiunt. De iis, qui trans Istrum coluere, testari potest OVIDIVS *Trist. Lib. II. Vers. 191.*

Iazyges & Colchi, Metereaque turba, Getaque,
Danubii mediis vix probibentur aquis.

Et *Lib. III. El. X. Vers. 5.*

Sauromatæ cingunt, fera gens, Bessique Getæque;
Quam non ingenio nomina digna meo!
Dum tamen aura tepet; medio defendimur Istro.
Ille suis liquidus bella repellit aquis.
At cum tristis biems squallentia prosulit ora,

Getæ. *rum*que, & si quæ aliæ sunt ibi Geticæ ciuitates, sedes visendas, in penitissimam Sarmatiam intrare opus est. Herodotus, atque Diodorus Siculus, aliique, diserte Massagetas prope Ara- Massagetarum & Thyrsagetarum in Asia sedes.

Terraque marmoreo candida facta gelu est:
Dum patet & Boreas, & nix iniecta sub Arcto;
Tum liquet has gentes axe tremente premi.

Transibant scilicet Getæ Istrum in Pontum, quoties gelu concreuisset fluuius. Qui vero ad Tyram *Tyritæ* egerunt, HERODOTO *Lib. IV. Cap. LI.* Ἕλληνες *Græci*, dicuntur. Puto tamen diuersos esse ab illis Tyritis HERODOTI, qui a STRABONE *Lib. VII.* Τυρρηγέται, *Tyrrigetæ*, & a PLINIO *Lib. IV. Cap. XII. Tyragetæ*, vocantur: Getarum addito nomine docente fortassis, Tyritatum Græcorum in locum Getatum coloniam successisse. In insula Peuce Getas ostendit MARTIALIS *Lib. VII. Epigr. LXXXIII.* ad Cæcilium Secundum;

I liber ad Geticum Peucen, Istrumque tacentem.
Hæc loca perdomitis gentibus ille tenet.

Fortassis Bastarnæ eo æuo in alias regiones migrauerant, Getæque immigrauerant. Cis Istrum in Ponto, in Moesia, in Thracia, Getæ fuerunt. Generatim in Thracia, quæ antiquiori æuo ad vsque Istri ostia pertinebat, Getas HERODOTVS *Lib. IV.* monstrat. Οἱ δὲ Γέται - - - Θρηΐκων ἐόντες ἀνδρηιότατοι, καὶ δικαιότατοι. *Getæ fortissimi Thracum & iustissimi.* STRABO *Lib. VII.* omnino Getas facit partem Thracum: παρὰ τοῖς Θρᾳξί, καὶ τούτων τοῖς Γέταις, apud Thraces, & *horum partem Getas.* Et idem paulo ante simul de sedibus loquitur: Οἱ Ἕλληνες τοὺς Γέτας Θρᾷκας ὑπελάμβανον. ᾤκουν δ' ἐφ' ἑκάτερα τοῦ Ἴστρου. *Græci Getas existimarunt Thracicam esse gentem. Vtramque autem Istri ripam adcoluerunt.* POMPONIVS *Lib. II. Cap. II. Vna gens Thraces habitant, aliis aliisque præditi, & nominibus, & moribus. quidam feri sunt, & ad mortem paratissimi, Getæ vtique.* VALERIVS FLACCVS *Argonaut. Lib. VII.* Martem in Thracia inter Getas habitare canit;

- - - Qualis Getico de puluere Mauors
Intrat equis, vritque grauem sudoribus Hebrum.

Ad Pontum OVIDIVS littus Geticum *ex Ponto Lib. I. Epist. I.* ad Brutum memorat;

Naso Tomitanæ iam non nouus incola terræ
Hoc tibi de Getico littore mittit opus.

Et *Lib. II. Epist. VII.*

Esse salutatum vult te mea littera primum
A male pacatis, Attice, missa Getis.

Et rursus *Lib. III. Epist. V.*

Qui tibi quam mallet præsens adferre salutem,
Mittit ab hirsutis, Maxime Cotta, Getis.

Moesiam inhabitasse etiam Getas, illud OVIDIANVM docet;

Moesia vocis habet quid barbara lingua Latinæ,
Græcaque cum Getico mixta loquela sono est.

Getæ imo in ipsam Græciam, regnante Zeuthe in Thracia, inuaserunt, & plurimis ciuitatibus imposuerunt tributa,

Araxem, qui est Armeniæ fluuius, posuerunt. Et ne diuersi Herodoti Araxem cum Oxo amne committere queant, obstat Ammianus, qui Massagetas cum Albanis coniungit, perque vtramque gentem ad Caspios lacus perrupisse Pompeium memorat. Hisce Massagetis *TOMYRIS* regina, Cyri victrix, imperasse, imperiumque a Caucaso monte ad Hyperboreos late montes prolatatum habuisse, legitur. Conuenit cum dictis, quod Valerius Flaccus Getas cum Iberis & Medis ita nominat, vt sedibus connexas nationes facile intelligamus: quod & bis Tibullus Tanaim amnem Getis tribuat; qui, cum sane his locis pro Massagetis nominentur, certiores horum inter Caspium mare & Pontum Euxinum sedes constituunt. Thyrsagetas ad Mæotim paludem inter Tanaim & Cimmerium Bosphorum vastas occupasse siluas, adeoque haud procul a Massagetis absuisse, Plinius, Melaque, testantur. Dahas Sacasque in ipsa intra Imaum Scythia egisse, fide probatorum scriptorum credimus. Vtrumque prope generale est nomen, multæque simul gentes illo notatæ sunt. Qui Massagetas malunt trans Oxum & Parapamisum locare montem, huncque male Caucasum, illum persæpe Araxem, esse adpellatum adfirmare; hi Sacas, Massagetas, Dacasque, a Bactria-

Germania in Sarmatia.

næ

teste THVCYDIDE *Lib. II. Histor.* vnde fides superesse eorum & nominis, & originis, in Græcia vestigia. Memorat PLINIVS *Lib. IV. Cap. V. Guthion*, Laconiæ oppidum, & *sinum Gutheatem*. LYCOPHRON *in Alexandra* canit Γυθίου πλάκας, *Guthii æquora*; & *Scandiam* deinde meminit:

Θρέξεις ὑπὲρ Σκάνδειαν Αἰγίλου τ' ἄκραν
Αἴθων ἐπαλγὴς καγχαλῶν ἀγρεύματι

Curres vltra Scandiam & Aegili promontorium
Exultans præda venator vehemens.

Nouiodunum est PTOLEMAEO Νοιόδουνον; *Nouiodunum* AMMIANO *Lib. XXVII. Cap. V. Ciuitatis noua* nomen in Sclauinorum descriptione a IORNANDE *de Rebus Get.* laudatum est. Valens Nouioduni resedit testibus *Lege II. Cod. Theod. de fisci debitoribus*, & *lege I. Cod. eod. de vestibus holoueris*. Hodie *Niuorz* est interprete CLVVERIO *Germ. Ant. Lib. III. Cap. XLIII.* De Ponto, propria Getarum sede, notamus adhuc, Thraciæ seriore æuo eam regionem rursus additam esse, & *Scythiam* adpellatum; sed infra videris. IORNANDES *de Rebus Get.* vocat *Scythiam minorem*.

Getæ. næ atque Sogdianæ orientis latere ostendunt, omnesque adeo has Geticas ciuitates in Scythiam intra Imaum referunt. Nobis non licet illam litem plene decidere, aut accuratius in fines nationum inquirere, quarum sedes sediumque historiam longa diu obscurauit obliuio (r).

XIIX.

(r) *MASSAGETAE*, *Alaniue* duplicis generis videntur fuisse. Europæos celebrat AMMIANVS *Lib XXII. Cap. VIII.* prope Chronum amnem sitos, & alios iuxta Tanaim supra Mæotin. Tanai videntur Asiatici Alani ab Europæis distincti; & incertum est plerumque penes auctores, vtrum Asiaticos, an Europæos, intelligant. Vtrosque autem arctissimo fœdere inter se coniunctos, vnamque constituisse ciuitatem, arbitror: vnde regio eorum cis & trans Tanaim, quod puto, simul *ALANIA* dicta est. OROSIVS *Lib. I. Cap. III. Ab oriente Alania est, in medio Dacia, vbi & Gothia, deinde Germania:* quod iisdem etiam verbis AETHICVS COSMOGRAPHVS dicit. Ad Tanaim fluuium Massagetas, qui Alani sunt, ostendit IOSEPHVS *Lib. VII de Bello Iud. Cap. XXIX.* Τὸ τῶν Ἀλανῶν ἔθνος ἐστὶ Σκύθαι περὶ τὸν Τάναϊν καὶ τὴν Μαιῶτιν λίμνην κατοικοῦντες. *Alanorum natio Scythæ sunt, iuxta flumen Tanaim & Mæotin lacum habitantes.* CLAVDIANVS *in Rufinum Lib. I. Vers. 314.*

cæsamque bibens Mæotida Alanus.

Et Getarum eos nomine signans TIBVLLVS *Lib. IV. Eleg. I.*

Quaque Hebrus Tanaisque Getas rigat atque Maginos.

Cum quo SIDONIVS APOLLINARIS *in Panegyrico ad Auitum;*

Indorum Ganges, Colchorum Phasis, Araxes

Armeniæ, Gir Aethiopum, Tanaisque Getarum,

Tibrinum tremuere meum.

Inde ad Araxem vsque ad austrum Massagetæ Alaniue pertinuerunt. HERODOTVS iam eos trans eum fluuium ostendit *Lib. I. Cap. CCII.* Τὸ ἔθνος τοῦτο καὶ μέγα λέγεται εἶναι, καὶ ἄλκιμον, οἰκημένον δὲ πρὸς ἠῶ τε καὶ ἡλίου ἀνατολὰς πέρην τοῦ Ἀράξεω ποταμοῦ. *Hæc gens* (Massagetarum) *fertur & magna esse & strenua; ad auroram solique ortum sita trans Araxem fluuium.* Cum HERODOTO plane consentiunt DIODORVS SICVLVS *Bibl. Hist. Lib. II.* DIONYSIVS *Vers. 738.* Apparet hoc loco HERODOTVM, qua Græcum, loqui; vnde Is. VOSSII coniectura, quasi *Oxum* intelligat HERODOTVS, non Armeniæ *Araxem*, mihi quidem non probatur. Sane, præter quod ad Tanaim Massagetas multi ponant, non desunt, qui Albanos, Iberos, Alanosque, coniungunt; quod HERODOTVM Armeniæ Araxem intellexisse probat. AMMIANVS *in Oratione Iuliani ad milites Lib. XXIII. Cap. V. Vt Lucullum,* inquit, *transeam, vel Pompeium, qui per Albanos & Massagetas, quos Alanos nunc adpellamus, hac quoque natione perrupta, vidit Caspios lacus.* IDEM *Lib. XXXI. Cap. II.* diserte Alanos ad Tanaim locauit. VALERIVS FLACCVS *Argon. Lib. V.* sic canit;

Atque vbi Riphæa stupuerunt flumina bruma,

Getas nostros esse in Germanicam ciuitatem imputandos, probatur multimodis.

Germania in Sarmatia.

XIIX. Num ergo omnes hi, quos vidimus, tam longe dissiti populi, sunt Germani, & in Germanicam imputandi ciuitatem? Ita nosmet sentire, subinde diximus, & sentiendi ita non leues habere rationes, monstrauimus. Gothi, quos succedens vidit ætas, Getas, Massagetasque, forte & reliquas ciuitates, complexi sunt. Gothos vna lingua, vnis moribus, legibus, atque institutis, vixisse, vnumque adeo cognatarum atque consanguinearum gentium fœdus portendisse, inter omnes constat. At *Germani* fuere *Gothi*, nemine facile contradicente. Et itaque Getæ, Daci, Massagetæ, ceterique, quos Gothorum fœdus comprehendit, a Germanica ciuitate non excludendi erunt. Nihil contra posse argumenta, quæ passim adferuntur, satis alibi declaratum est. Demonstrat Dacorum, Getarum, Massagetarum, Thyrsagetarumque, vnum Germanicum genus, par lingua, quæ Gothica, & generatim aliis Germanica, dicta est. Bene hanc in causam Procopius mihi videtur commentari, qui nominatis Gothis, Getisque, neque alii, inquit, alio præterquam nomine differunt, candidi corpore omnes, comas rutili, proceri, pulchra facie, leges eædem, &, post interposita pauca, lingua vna, Gothica quæ dicitur. Testatur nostrum æuum, in vetustis sedibus Dacorum, Getarum, imo & Thyrsagetarum, Massagetarumque, pars licet tot permista peregrinis gentibus tot secula egerit, superare aut

Iam panidi cum prole Geta, iam peruigil illum
Medus, & oppositis exspectat Iberia claustris.

TIBVLLVS *Lib. IV. Eleg. I. vers.* 143.

Nec qua regna Sago Tomyris finiuit Araxe.

Et idem tamen tertio post hunc versu Getarum Tanaim nominat, vnde constat, qualem Araxem intelligat. Quæ cum ISAACO VOSSIO *in* MELAM *Lib. III. Cap. V.* CHRIST. CELLARIVS *Notit. Orb. Ant. Lib. III. Cap. XXI.* sentiat, apud ipsos auctores vide. Hoc largiar, fortassis Massagetas in penitiorem Scythiam fines suos habuisse protentos. Ceterum regionem propriam Alanorum ita esse declaratam existimo, vt nihil possit contra dici. De Dahis, Sacis, & Thyrsagethis, paulo antea proposuimus, STRABONIS, DIODORI, MELAE, PLINII, testimonia. Vagas sedes peruestigare non vacat.

Getæ. aut plene nostram Germanicam linguam, aut eius euidentia adparere indicia. In Daciam equidem Bastarnarum portionem, cum Gothi alio migrarent, immigrasse constituimus. Cum illis tamen veterum Dacorum, seu Gothorum, partem in prisca remansisse patria, oppido videtur probabile. Præter linguam in iis regionibus, quas quondam Geticæ ciuitates coluerunt, perdurare veteris Germanicæ originis memoriam; rursus id verorum gentis initiorum fidem facere aptum est. Hisce si addideris veteres Getarum mores, quos auctores laudant; iis optime cum Germanicis, maxime cum Scandinauiæ incolarum, institutis conuenire repereris. Et mox statim præcipuos mores enarrabimus. Sed ante liceat, probe subductis rationibus rursum Germanicam nostrarum ciuitatum originem testari; & pauca adhuc, quæ de primis nationis initiis dici possunt, expromere (s).

XIX. Ad-

(s) *Alanos* PROCOPIVS *Hist. Gothicæ exordio* in Gothis diserte refert. Idem sæpe alias Gothicas ciuitates passim separatim nominat. *Historia Vandal. Lib. I.* hæc dicit: Γοτθικὰ ἔθνη πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα πρότερόν τε ἦν, καὶ τανῦν ἐστι. τὰ δὲ δὴ πάντων μέγιστά τε καὶ ἀξιολογώτατα Γότθοί τε εἰσὶ, καὶ Βανδίλοι, καὶ Οὐισιγότθοι, καὶ Γήπαιδες. Πάλαι μέντοι Σαυρόμαται καὶ Μελάγχλαινοι ὠνομάζοντο. εἰσὶ δὲ οἳ καὶ Γετικὰ ἔθνη ταῦτ᾽ ἐκάλουν· οὗτοι ἅπαντες ὀνόμασι μὲν ἀλλήλων διαφέρουσιν, ὥσπερ εἴρηται, ἄλλῳ δὲ τῶν πάντων οὐδενὶ διαλλάσσουσι. λευκοὶ γὰρ ἅπαντες τὰ σώματά τε εἰσὶ, τὰς κόμας ξανθοὶ. Εὐμήκεις τε καὶ ἀγαθοὶ τὰς ὄψεις, καὶ νόμοις μὲν τοῖς αὐτοῖς χρῶνται, ὁμοίως δὲ τὰ ἐς τὸν θεὸν αὐτοῖς, ἤσκηται. τῆς γὰρ Ἀρείου δόξης εἰσὶν ἅπαντες, φωνή τε αὐτοῖς ἐστι μία, Γοτθικὴ λεγομένη. *Gothicæ nationes multiplices & olim fuere, & nunc sunt; maximæ harum & nobilissimæ sunt Gotthi, proprium nomen ex tota gente adepti, Vandali, Visigothi, & Gepides. Eos vetustas Sauromatas & Melanclænos vocabat, sunt, qui & Getas eos dixere, neque alii alio præterquam nomine differunt: candidi corpore omnes, comas rutili, proceri, pulchra facie, leges eædem, nec Dei cultus discrepat, Arii placita cunctis sequentibus, lingua vna, Gothica quæ dicitur.* Ipsas vero Gothicas ciuitates alia atque alia nomina suscepisse, vt magis ignotis nominibus formidinem horroremque Romanis imponerent, ex SYNESIO *Orat. de regno* discimus. Οἳ, (Γέται καὶ Μασσαγέται) δὲ νῦν ἕτερα ἀντὶ τούτων ὀνόματα θέμενοι. ἕτεροι δὲ αὐτῶν καὶ τὰ πρόσωπα τέχνῃ παραποιήσαντες, ἵνα δὴ δοκοίη γένος ἄλλο νέον τε καὶ ἀλλόκοτον ἐκφῦναι τῆς γῆς δεδίττονται ὑμᾶς ἀντιδιαβάντες.

Getæ non ex Germania aduenerunt, multo minus ex Scandinauia.

Germania in Sarmatia.

XIX. Adpellauimus omnes nostros Getas Germanos, istudque illorum genus idoneis argumentis euicimus: num ergo omnes Getas ex Germania, aut ex Scandinauia omnino, in vastissimam immigrasse Sarmatiam arbitramur? Minime vero gentium. Germanos posse esse, vt nec populus, nec eius parentes, vnquam in Germania egerint, alio loco demonstrauimus. Ex his Germanis censemus nostros esse Getas, adeoque vastam tenuisse Sarmatiam a primis vsque nationis initiis. Oportuerit immortales fuisse in Germania, perpetuisque auctos partibus, homines, si tot gentium vis immensa exierit in Sarmatiam, nec vnquam Germania populis exhausta fuerit. Quod, cum nemo sanæ mentis homo sibi persuaserit, nostram vtique firmat & confirmat sententiam, non denuum ex Germania in Sarmatiam nostros Getas concessisse, sed hac in terrarum vastitate posuisse sedes, cum ceteri Germanorum maiores Vistulam transmitterent, & continentem Germaniæ terram, simulque maria implerent. Quando vero non prorsus Scandinauiæ laudum vindicibus denegamus, *Getas Sarmaticos*, & *Scandinauiæ Gutas*, in ciuitatibus adprime sibi inuicem necessariis atque propinquis referendos esse videri; mens nostra iterum cuilibet facile perspicitur. Non admittimus Getarum ex Scandinauia in Sarmatiam aduentum; licet colonias quasdam inde in Sarmatiæ continens subinde ductas non prorsus negauerimus. Ita visitauerint fortassis veteres cognationes; minime tanto populo ferendo suffecerint. Interim potuere Gutarum Scandinauiæ, Getarumque Sarmatiæ, patres, aut fratres, aut consanguinei, fuisse; vnde vtrorumque satu ortas gentes ista manserit linguæ, habitus, cultus, morumque & institutorum, æqua-

Sarmatiæ Getæ & Scandinauiæ Gutæ consanguineæ gentes.

Illi nunc alia pro his nomina sumentes, nonnulli & vultum artificio quodam immutantes, vt nouum & immane genus terra editum esse videantur; terrorem animis nostris iniiciunt, aduersus nos vicissim flumen traiicientes. De reliquis, si quæ notari poterant, in Gothis disseruimus.

Getæ. æqualitas, atque similitudo. Gentes in diuersissimis regionibus fixisse sedes, id est parum. Nam & Daci Massagetæque maxime diuersas habitarunt terras, & cognatas tamen fuisse gentes vidimus. Hoc addo, vt omnes Germani admodum in migrationes proni essent, ita eam mihi minime stare sententiam, quasi in iisdem in Sarmatia regionibus semper Getæ perstiterint. Modo, existimo, prolatarunt agros, modo vis aliena fines coangustauit, solumque omnino vertere, nouasque sedes quærere, aliquando coëgit: Ita in Thracia non primo loco es...sse Getæ videntur, sed ex Sarmatia cis Istrum migrasse. Illa tamen omnia accidisse, facile colligimus; acti ordinem historiamque penitus ignoramus (*t*). Getarum variæ in Sarmatia migrationes.

XX. Verum, ignotis licet antiquissimis illis rebus, non est profecto, quod historiam *GETARVM* admodum desertam accusemus, si ipsam priscam ætatem respexerimus. Liceret in medium proferre Geticæ gloriæ quam plurima decora, si hic excurrendi in veterem memoriam locus esset. Geographiam damus, & historiam diuerso reseruamus loco, nisi quantum ea iuuare geographiam est apta: nos breuia proinde decent & pauca. Getarum antiquissimi historici meminere. Cyrus bellauit cum *TOMTRI*, Massagetarum regina. Darius Hystaspides infeliciter Getas tentauit. Alexandri dux Sopryon a Getis deletus est. *SITALCES*, Getarum in Thracia rex, cum Perdicca, Macedoniæ rege, feliciter bello administrato omnem Macedoniam vastauit. *ZEVTES*, Sitalcis successor, plurimas Græcorum ciuitates tributarias fecit, ipsosque profligauit Athenienses. *DROMOGETES*, Getarum ad Istrum rex, Lysimachum regem bello cepit, atque ad suos abduxit. Eodem tempore Pyrrho nostri Getæ formidines opposuerunt. *BOEREBISTA*, Geticæ historiæ designatio. An. V. C. CCXXIII. Ante C. N. DXXVIII.

Fff ff 2 CO-

(*t*) Illa veritate, cuius inuentionem soli mihi debeo, declarata, omnia profecto veteris Germanicæ historiæ momenta longe illustrantur & intelliguntur commodius, quam si ex Germania demum in Sarmatiam reducendæ sunt, quæ ibi reperiuntur, nationes. Sed vide principia operis huius.

COTISO, clara Dacicorum regum sunt nomina. Vt Cyrus, Darius, regum Geticorum affinitates frustra petierunt: ita tamen Philippus Alexandri pater, *Medopam* Gothilæ Getarum regis filiam vxorem accepit, nec ipse Augustus *Cotisoni*, Dacorum regi, filiam collocare veritus est. Postea quidem victo *DECEBALO* Dacia in prouinciæ formam a Traiano redacta est. Sed, vt breui rursum Dacia amissa est, ita Massagetæ, ceterique Getæ, Romanorum audiuere, vt Iustinus loquitur, non sensere arma. Tertium erat seculum, & omnis vndique excita Getia ad vastandas Romanas prouincias concurrebat. *GOTHICVM* tum ortum nomen est, vt tamen constaret inter omnes, antiquos Getas in nouo hoc nomine nouas spirare victorias. Massagetæ tum, Thyrsagetæque, ex orientis terris in occidentem mouerunt; Alanorum inde in Gothicis ciuitatibus adpellatione cogniti. Miræ iam Gothorum expeditiones, & continuatæ semper palmæ, maxime Getis debentur: minime ista re Romanis ignota aut incognita. In Gothis duo nomina *Vesigothorum* & *Ostrogothorum* antiqua sunt: his, credo, Geticis ex oriente ciuitatibus, illis Dacis, Astingis, simul Gothonum, Gutarumque, ex Germania, coloniis, complexis. Vtrumque nomen Romæ fatale fuisse, alibi ostendimus. Vesigothi primi Italiam omnem depopulati sunt, ipsamque bis occuparunt Romam. Inde in Galliam & Hispaniam, pactis ab Honorio imperatore deliniti, mouerunt, atque celeberrimum inibi condiderunt regnum. Ostrogothi diutius orientis prouinciis imminuerunt, nunc in Thraciam, nunc in Macedoniam, nunc in Græciam, inuadentes, atque passim de Romanorum bonis prædantes. Denique Pannonia infessa, Illyride occupata, in Italiam itum est, fractoque & conculcato Romano imperio Gothicis legibus Roma parere iussa. Interim, illo modo Gothis in occidentem transductis, veteres Getarum sedes sunt quidem valde istis migrationibus exhaustæ; non adeo tamen

Germania in Sarmatia.

AN. CV.

Gothorum gloria Getarum simul propria est.

exi-

Getæ exinanitæ, Getarumque reliquorum inopes factæ, quin ad nostram vsque ætatem, quod monstratum est, Geticæ, hoc est veteris nostræ, linguæ, Geticorumque, siue vetustorum Germaniæ, morum, indicia ostendant, signaque patefaciant (*v*).

(*v*) Ex historia Getarum partes damus. Bellum Cyricum *TOMYRI*, Massagetarum regina, habes apud HERODOTVM *Lib I.* & DIODORVM SICVLVM *Lib. II.* descriptum. Ex Romanis IVSTINVS *Lib. I. Cap. VIII.* ex TROGO POMPEIO Cyri fatum memorat. Idem *Scythas* generatim vocat, qui aliis scriptoribus sunt *Getæ* & *Massagetæ*. Ita vero de eorum varia virtute narrat *Lib. II. Cap. III. Imperium Asiæ ter quæsiuere, ipsi perpetuo ab alieno imperio aut intacti, aut inuicti, mansere. Darium regem Persarum turpi ab Scythis submouerunt fuga: Cyrum cum omni exercitu trucidarunt: Alexandri Magni ducem Sopryona pari ratione cum copiis vniuersis deleuerunt: Romanorum audiuere, non sensere, arma. Parthicum & Bactrianum imperium ipsi condiderunt. Gens laboribus & bellis aspera; vires corporum immensæ: nihil parare, quod amittere timeant: nihil victores præter gloriam concupiscunt.* & ibi multa adhuc de iis alia. Bellum Darii cum Getis Europæis præter HERODOTVM *Lib. IV.* CORNELIVM NEPOTEM *Miltiade Cap. III.* iterum IVSTINVS *Lib. II. Cap. V.* describit, & causam dicit, quod *IANCYRVS* rex negauerit Dario filiam rogatam. THVCIDIDES *Lib. II. Histor.* *SITALCEM* Getarum regem cum Perdicca bellasse, itemque *ZEVTEM* Græcas subiugasse plurimas ciuitates, memoriæ prodit. STRABO & PAVSANIAS Lysimachi captiuitatem enarrarunt. Multa complectitur Geticæ gloriæ insignia PAVLVS OROSIVS *Lib. I. Cap. XVI. Modo autem*, inquit, *Getæ illi, qui & nunc Gothi, quos Alexander euitandos pronunciauit, Pyrrhus exhorruit, Cæsar etiam declinauit, relictis vacuefactisque sedibus suis, ac totis viribus toti, Romanas ingressi prouincias.* De Cyro, Dario, qui affinitatem Geticam adpetierunt, & de Philippo, qui *Medopam* duxerit, ex DIONE narrat IORNANDES *de Reb. Get.* De Augusti voluntate testatur SVETONIVS *in Augusto Cap. LXIII. primum Antonio despondisse Iuliam; mox Cotisoni, Getarum regi; quo tempore sibi quoque inuicem filiam regis in matrimonium petiisse.* Inde fortassis *COTISO*, quod nuptiæ non celebratæ essent, infesto in Romanos animo cœpit esse. Canit HORATIVS *Lib III. Ode VIII.*

Occidit Daci Cotisonis agmen.

FLORVS *Lib. IV. Cap. XII. Daci*, inquit, *montibus inhærent. Cotisonis regis imperio, quotiens concretus gelu Danubius iunxerat ripas, decurrere solebant, & vicina populari. Visum est Cæsari Augusto gentem aditu difficillimam submouere. Misso igitur Lentulo, vltra vlteriorem repulit ripam: citra præsidia constituit. Sic tunc Dacia non victa, sed summota atque dilata est.* *BOEREBISTA*, Getarum rex, clarus ex Boiorum cæde, apud STRABONEM *Lib. VII.* & IORNANDEM *Lib. de Rebus Get.* Domitianus bellum cum Dacis administrauit, & plena sunt victoriæ laudum MARTI-

Morum Getarum expositio, & cum Germanicis comparatio.

XXI. Qui nimirum Getarum nobis mores sunt cogniti, omnes Germanicum docent genus, Germanicæque honestatis consociationem. Getæ, vt Germani veteres hospitiis, atque conuictibus, quam maxime indulserunt; quemcunque mortalium arcere tecto nefas habentes. Si Germani, in armis licet feroces, raro fortitudinem verterunt in crudelitatem, victoriamue in miserarum gentium excidium: hæc maxime mansuetudinis atque humanitatis erga victos laus, ipsis testibus Græcis Romanisque auctoribus, Getis tribuenda est. Getas fortissimos Thracum, eosdemque, & Massagetas, iustitiæ insigni amore claros, Græci celebrarunt. Non inurbanis eosdem fuisse moribus, vel id vnum suadet, quod politissimarum omni liberali doctrina gentium reges affinitates cum eis coniungere concupierint. Athenienses *ANACHARSIN*, *ORPHEVM*, *MVSAEVM*, *TOXARIN*, *MENANDRVM*, omnes Getas, suis ipsi sapientissimis viris antetulerunt. *ZAMOLXIN* suum Getæ dei instar coluerunt, maximi inter eos sapientiæ pretii certo argumento. Quid quod ex Trogo Pompeio Iustinus memoret; quod Græci longa sapientum doctrina præceptisque philosophorum consequi nequiissent, hoc Scythis, Getas intelligit, naturam

Germanis in Sarmatia.

ALIS carmina. *Epigr. Lib. II. Ep. II.*
Quæ datur ex Dacis laurea tota tua est.
Conf *Lib. VI. Ep X. & LXXVI. Lib. VIII Ep. XI. Lib. IX. Ep. XLVI. Domitiani Vita apud* SVETONIVM *Cap. VI.* EVTROPIVS *Lib. VII. Cap. XV.* De *DECEBALO* post varia bella victo, Daciaque in prouinciam redacta, narrat in eius principis rebus gestis DIO CASSIVS cum EVTROPIO *Lib. IIX. Cap. II.* A. VICTORE *de Cæs. Cap. XIII.* Breui rursum Dacia amitti cœpit. Consilium Adriani de Dacia relinquenda memorat EVTROPIVS *Lib. VIII. Cap. III.* Interim pontem Traiani iam Adrianus deiecit, vt solæ pilæ relinquerentur, causatus barbaros facile per pontem posse irrumpere: quod ex DIONE scripsit XIPHILINVS. Ab Aureliano plane dimissa Dacia. VOPISCVS *in Aureliano Cap. XXXIX. Prouinciam,* inquit, *trans Danubium Daciam a Traiano constitutam sublato exercitu & prouincialibus reliquit, desperans, eam posse retineri: abductosque ex ea populos in Moesiam collocauit, adpellauitque suam Daciam, quæ nunc duas Moesias diuidit.* De Gothis, eorumque binis generibus, & nominibus, iam abunde dictum est.

Getæ. turam dediſſe, iuſtosque Græcorum mores incultæ barbariei Scytharum collatione ſuperari. *Cultiores ergo* inquit, *Græcis Scythæ, quos natura tales finxit, non doctrina.* Numne idem Tacitus de Germanis gloriatur; plus ibi bonos valere mores, qua voce omnis ſapientiæ atque honeſtatis mihi videtur ſtudium atque amorem notare, quam alibi bonas leges? Germanorum caſtitatem Tacitus laudauit; eandem Geticorum morum partem Horatius. Equidem Getæ ſingulis vxoribus non contenti fuerunt, ſed inſtar principum Germaniæ plurimis nuptiis ambiri conſueuere: qui & mos præcipue Scandinauiæ incolarum fuiſſe legitur. At vagi tamen amores fœdi habiti, & adulteriorum inter Getas certum mors pretium. Fœminæ in Getis præcipua caſtitatis laude inſignes erant, ideoque etiam in præcipua, vt inter Germanos, veneratione habitæ. Si Germani ineſſe fœminis ſanctum aliquid & prouidum arbitrati ſunt; non minus id Getæ, quibus omnino reginæ non raro imperarunt. Dotem non vxor marito, ſed vxori maritus in Germanis obtulit. Bene ſic Horatius adſeuerat de Getis: non dotatam regere virum coniugem, ſed dotem eſſe magnam parentum virtutem, & metuentem alterius viri certo fœdere caſtitatem (*x*).

XXII. Ex

(*x*) *ARMASPI*, quos Geticam eſſe gentem multi contendunt, *Εὐεργέται* dicti, *benefici*; quod Argonautas multo fauore eſſent proſequuti. STRABO *Lib. VII.* & ex eo STEPHANVS BYZANTINVS *in Εὐεργέται*. Ille idem STRABO Getas Græcis longe præſtantiores, frugaliores, non luxui deditos, minimeque fraudulentos, dixit eſſe; ſed a Græcis corruptos, & peregrinitate praua inquinatos eſſe eorum mores. Humanitatis eximia laude Getas ſemper floruiſſe ex LVCIANO *in Dial. Toxar.* diſcimus. Hæc etiam eximia virtus Gothorum fuit, quam ſupra ex OROSIO, ENNODIO, SALVIANO, & CASSIODORO, iis vindicauimus. De fortitudine Getarum iam veterum accepimus teſtimonia. Philoſophos, quos memoramus, cum IORNANDES *de Rebus Get.* laudat, tum eruditis argumentis Getis adſcribit ROB. SCHERINGHAMVS *de Orig. gentis Anglorum Cap. XVII.* Egregia & copioſa iuſtitiæ, fortitudinis, omniumque Geticarum virtutum, laus habetur in IVSTINO *Lib. II.* integro *II. capite. Iuſtitia*, inquit, *gentis ingeniis culta, non legibus.* - - - - *Aurum & argentum non perinde ac reliqui mortales adpetunt. Lacte & melle veſcuntur. Lanæ iis vſus ac ve-*

Publica Getarum instituta.

XXII. Ex publicis etiam institutis pleraque Getarum & Germanorum, maxime omnium Scandinauiæ incolarum, egregium consensum declarant. Insigne fuit Gothonum, Rugiorum, Lemouiorumque, erga reges obsequium; adductius regnati sunt Suiones, & præcipue Sitones. Sic Getæ omnes

Germani in Sarmatia.

stium ignoratus, quanquam continuis frigoribus Ƀtantur: pellibus tamen ferinis aut murinis Ƀtuntur. Hac continentia illis quoque morum iustitiam edidit, nihil alterum concupiscentibus. Quippe ibidem diuitiarum concupiscentibus cupido est, Ƀbi est Ƀsus. - - - Prorsus, Ƀt admirabile Ƀideatur, hoc illis naturam dare, quod Græci longa sapientium doctrina præceptisque philosophorum consequi nequeunt; cultosque mores inculta barbariæ collatione superari. Tanto plus in illis proficit Ƀitiorum ignoratio, quam in his cognitio Ƀirtutis. Getas multas vxores duxisse, ex POMPONIO *Lib. II. Cap. II.* accipimus; *Plures simul*, inquit, *singulis* (Getis) *nuptæ sunt.* MENANDER; Comicus Poëta, qui & ipse Geta fuit, apud STRABONEM *Lib. VII.*

> Γαμεῖ γὰρ ἡμῶν οὐδ' εἷς, εἰ δέκ' ἢ
> Ἕνδεκα γυναῖκας, δώδεκά τε πλείους τινὲς,
> Ἂν τέτταρας δ' ἢ πέντε γεγαμηκὼς τύχοι
> Καταστροφῆ τις ἀνυμέναιος
> Ἄθλιος, ἄνυμφος, οὗτος ἐπικαλεῖτ' ἐν τοῖς
> Ἐκεῖ.

> *Nemo enim nostrum Ƀxoribus potest decem*
> *Contentus esse; Ƀndecimam quin duodecimam*
> *Plerique ducunt, quatuor qui duxerit*
> *Duntaxat aut Ƀel quinque,*
> *Mortem obiturus nuptiarum expers,*
> *Miser, cælebs, hic adpellatur*
> *Nostratibus.*

Inde vero, quod tanta copia virorum Getia semper abundauit. VALERIUS FLACCUS *Argonaut. Lib. VI.* de Getis Mæotiis;

> - - - *neque enim plaga gentibus Ƀlla*
> *Ditior, æterno quanquam Mæotia pubes*
> *Marte cadat, pingui nunquam tamen Ƀberè desit,*
> *Quod geminos Arctos, magnumque quod impleat anguem.*

Seuera vero illic inter eos matrimonia fuerant, teste HORATIO *Lib. III. Ode XXIV.* cuius hæc Getarum laus habetur;

> *Campestres melius Scythæ,*
> *(Quorum plaustra Ƀagas ritè trahunt domos)*
> *Viuunt & rigidi Getæ:*
> *Immetata quibus iugera liberas*
> *Fruges & Cererem ferunt;*
> *Nec cultura placet longior annua,*
> *Defunctumque laboribus*
> *Aequali recreat sorte Ƀicarius.*
> *Illic matre carentibus*
> *Priuignis mulier temperat innocens;*
> *Nec dotata regit Ƀirum*
> *Coniux, nec nitido fidit adultero.*
> *Dos est magna parentum*
> *Virtus, & metuens alterius Ƀiri*
> *Certo fœdere castitas;*
> *Et peccare nefas, aut pretium est mori,*

Getæ. omnes regibus paruerunt. Quidam adprime adducto regimine sunt vsi. In Massagetis omnino fœminæ regnarunt; quod valde Tacitus notat in Sitonibus, hosque a seruitute prorsus, non modo a Germanorum libertate, degenerasse, ait. Filiorum in patrias dignitates successionem non Germanis inuisam fuisse, nouimus. Inter Getas filiis, imo & filiabus, paterna dignitas adhuc certior sanctiusque relicta est. Fuerunt familiæ binæ insigni nobilitate conspicuæ, illa *Amalorum*, & altera *Balthorum*. Ex iis non modo Getæ antiquiores, sed & serissima ætate Gothi, suos reges acceperunt. Vt in Scandinauiæ regnis deinde magis regia potestas est circumscripta; ita post nomen Geticum paulo antiquatum, inter vtrosque Gothos plurimum etiam de regum auctoritate esse deminutum, ostendimus. Antiquiores Getæ, vt Germani, sine legibus bonum rectumque coluerunt. Multo tamen ante reliquos Germanos creduntur scriptas accepisse leges. *Bœrebista* imperante *Dicinaus* promulgasse leges, quas *Bellagines* adpellarunt, perhibetur. Si sacerdotes atque sapientes in magno cultu Germani habuere; non hac in causa minus Getæ laudandi fuerunt, qui non sacerdotum modo mirati & venerati sunt sapientiam & doctrinam, sed eius omnibus partibus ipsi gestierunt imbui. Alacritas ad obeundam mortem, fortitudoque incredibilis non fuit maior Germanorum, quam Getarum, & par eius in vtraque natione ratio. Pomponius hanc publicam causam, quæ & aliis auctoribus testibus ceteris Germanis communis exstitit, de Getis loquutus percenset. *Alii*, inquit, *redituras putant animas obeuntium: alii etsi non redeant, non exstingui tamen, sed ad beatiora transire: alii emori quidem, sed id melius esse, quam viuere.* Memorat ea occasione de singulari Getarum instituto: fœminas super mortuorum virorum corpora interfici, simulque sepeliri, eximium votum habuisse; & quia plures simul singulis nuptæ sint, cuius id sit decus, apud iudicaturos

magno certamine affectasse. Quam eandem nimiam in viros mulierum pietatem aliæ quædam Germanicæ ciuitates moribus publicis adprobauerint; diuerso loco indicabitur (y).

Germania in Sarmatia.

Germanicæ nationis cis Istrum tumultuariæ sedes, earumque enarratio.

XXIII. Vidimus trans Istrum Germanicas ciuitates. Cis Istrum, nisi quas prope ostia eius Getas vidimus, nullos prope Germanos antiquitas ostendit. Etenim, licet Bastarnæ Getæque crebris expeditionibus adsitas ad Istrum prouincias ab omni memoria reddiderint infestas, vix tamen certas posuerunt sedes, aut stabilem regionum possessionem impetrarunt. Seriori æuo, cum Sarmatiæ tellus tot coloniis auctas Bastarnicas Geticasque ciuitates non vltra caperet, eis Istrum itum est, & nunc vna, nunc altera, cum permittentibus, tum nequicquam resistentibus, Romanis imperatoribus, prouincia a Germanis insessa est. Tandem, cum omnis Sarmatiæ Germania se quasi foras prorueret, & in occidentales Romanorum prouincias inuaderet, pleræque prope Istrum prouinciæ Germanis cesserunt; pars quidem vix nisi cædibus & rapinis a transeuntibus populis lustratæ, pars seruatæ tamen & possessæ diutius. Sextum adultius seculum vix vllos vltra cis Istrum Germanos vidit; & tunc Sarmaticæ Scythicæque nationes in Germanorum possessiones inuolarunt. Trans Istrum in *Dacia*, siue *Gothia*, Gepidarum regnum floruit, donec

nec

(y) IORNANDES *de Rebus Geticis*, & hactenus citata aliorum auctorum testimonia, sufficiunt dictis probandis. POMPONIVS *Lib. II. Cap. II. Vna gens Thraces habitant, aliis aliisque præditi & nominibus, & moribus: quidam feri sunt, & ad mortem paratissimi, Getæ vtique. Id varia opinio perficit. alii redituras putant animas obeuntium, alii, etsi non redeant, non exstingui tamen, sed ad beatiora transire: alii emori quidem, sed id melius esse, quam viuere. Itaque lugentur apud quosdam puerperia, natique deflentur: funera contra festa sunt, & veluti sacra cantu lusuque celebrantur, ne fœminis quidem segnis est animus. super mortuorum virorum corpora interfici, simulque sepeliri, votum eximium habent: & quia plures simul singulis nuptæ sunt, cuius id sit decus, apud iudicaturos magno certamine affectant. moribus datur, estque maxime lætum, cum in hoc contenditur, vincere. Mœrent aliæ vocibus, & cum acerbissimis planctibus efferunt.*

Germani cis Iſtrum.

nec Longobardorum rex Alboinus illud deſtrueret. Inde Gepidis, ſine rege, ſine republica, in diuerſas dilapſis partes, Baſtarnas, poſito licet, aut ignorato certe diu, nomine, in Daciam immigraſſe, ex reliqua in hac regione Germanorum hodieque lingua coniecimus. In *Pannonia* vltimi Germanorum Longobardi perſtiterunt: quibus in Italiam profectis, orientis prouinciæ quaſi exhauſtæ fuerunt Germanis; niſi qui inglorii, aliisque permixti populis, ad noſtram vsque ætatem, aut integri perdurarunt, aut veteris ſaltem originis memoriam non prorſus depoſuerunt.

Cisdanubianæ Orientis prouinciæ, quæ Germanos habitatores habuere.

XXIV. Scire tamen conuenit, quod omne antiquum æuum excutere noſtra Germanorum hiſtoria poſtulat, quæ quondam cis Iſtrum prouinciæ Germanos incolas habuerint. Si enim Noricum cum Pannoniæ partibus, & Vindeliciam, atque Rhætiam, quæ cis Danubium regiones non niſi collapſa Roma a Germanis occupatæ ſunt, conſiderabimus; magis vtique decebit paucis ſpectare vetuſtiores eorum in oriente ſedes. Cis Iſtrum, quod nos fluuii nomen cum Plinio inde capeſſimus, vbi ſuperior Pannonia ad Illyricum procurrit; MOESIA prouincia Daciæ, Getarumque & Peucinorum Transdanubianis regionibus, fuit oppoſita. Iſta ab aureo monte, qui prope Taurunum Pannoniæ eſt, inter Iſtrum contra ſeptentriones, & Hæmi iuga ad auſtrum, ad Pontum Euxinum & orientem longe procurrit. Ciabrus amnis mediam diuiſit Mœſiam. *Superior* ſpectauit ad Pannoniam: *inferior* orientem Pontumque Euxinum proſpexit. Inter vtramque mediam *Cisdanubianam* ſuam *Daciam* Aurelianus, deſperans ſeruari prouinciam poſſe, quæ trans Iſtrum a Traiano facta erat, conſtituit; eaque in *Ripenſem*, hoc eſt Iſtro proximam, & *Mediterraneam*, ſiue ad Dardanos vergentem, poſtmodo diſpenſata fuit. Extremam Mœſiæ inferioris partem rurſus Conſtantinus ſeparauit, præcipuoque nomine *Scythiam minorem* compellari iuſſit. Omnis Mœſia nunquam non

Mœſiæ conſideratio.

Germanorum in Mœsia frequentes sedes.

Germanici Istrum.

Germanorum aggressionibus est exposita, sed tardius in plenam, nec adeo diutinam, possessionem versa. *Getæ* & *Peucini* ad Istrum eiusque ostia vetustissimi fuerunt Mœsiæ ex Germanis habitatores: iidemque fecerunt, vt ætate succedente Scythiæ nomen inferioris Mœsiæ parti tribueretur. Adultiore ætate *Carpi* & *Bastarnæ* etiam prope Triballos in ora superioris Mœsiæ sedes fixerunt. *Scordisci* ad Hæmum montem coluerunt, eosdemque moribus & lingua cum Transdanubianis Bastarnis plane conuenisse auctores memorarunt; vnde liceret propemodum cum Bastarnis eos in Germanis numerare. Tertio seculo Mœsia bellis perturbatissima exstitit. Modo Bastarnæ, modo Gothi, in eam inuaserunt, Romanasque vrbes diripuerunt. Bastarnarum C. millia Probum in Thraciam collocasse vidimus. (An. CCLXXX.) Gothi, nisi vi & armis, nondum tutam Mœsiæ possessionem impetrare tunc potuerunt. Valente demum largiente Vesogothi Ripensem Aureliani Daciam, Mœsiæ partem, & Thraciarum portionem, tanquam genitale solum, insederunt. (An. CCCLXXVI.) Paulo post Vesigothis in Italiam migrantibus eadem Mœsia Ostrogothis, & his in australes Thraciæ prouincias & Pannonias vltra inuadentibus, Alanis, aliisque Germanicis ciuitatibus, cessit. Centum inde annos Germanorum in Mœsia atque in Thraciis commoratio habuit: cum, & Ostrogothis in Italiam mouentibus, (An. CCCCXC.) desinerent orientis prouinciæ a Germanis habitari, & feriorum populorum prædæ relinquerentur (z).

XXV. De

(z) *MOESIA* regio, & *Moesi* gens, ab optimis quibusque Latinis auctoribus adpellantur. Græcis plerumque *Μυσία* est; vnde, quod etiam in Asia regionis nomen esset, DIO CASSIVS *Lib. XLIX.* τὴν ἐν τῇ Εὐρώπῃ Μυσίαν, *Mysiam Europaeam*, nuncupauit. Græco more OVIDIVS *Lib. IV. Pont. Epist. IX. Vers. 77.* Mysos dixit:

Hic tenuit Mysas gentes in pace fideli.

Non lapidum inscriptiones in alieno argumento moramur. Fines priscos cum vna modo esset prouincia, ex PLINIO *Lib. III. Cap. XXVI.* discimus, *Pannonia iungitur prouincia, quæ Mœsia adpellatur, ad Pontum vsque cum Danubio procurrens. Incipit a*

Germani in Thracia.

XXV. De THRACIA, quæ feriori æuo *Thraciarum* nomine compellari conſueuit, & ipſa a ſedibus Germanorum, aut vi occupatis, aut a Romanis imperatoribus ſponte

Thracia.

 con-

confluente (Saui) *ſupra dicto. In ea Dardani, Celegeri, Triballi, Timachi, Moeſi, Thraces, Pontoque contermini Scythæ:* (Getæ) Fines ceteros & diuiſionem prouinciarum, quæ Hadriano imperante, vt primum vero ignoretur initium, iam facta erat, PTOLEMAEVS, aliique, tradunt. Primum *ſuperior & inferior Moeſia* conſtituta eſt; & tum plurativo numero *Moeſias* auctores dixere. SVETONIVS *Vitell. Cap. XV.* Superiori Moeſiæ maxime *Daciam ſuam* Aurelianus ſubtraxit, quum Transdanubianam Daciam intermitteret. EVTROPIVS *Lib. IX. Cap. IX.* eaque deinde *Aureliani Dacia duas Moeſias diuidit*, ſcribente VOPISCO *in Aureliano Cap. XXXIX.* De diuiſa hac Dacia vid. NOTITIA *Imperii.* SEXTVS RVFVS *Cap. VIII. duas Dacias* memorat. Rurſus Conſtantinus inferiorem Moeſiam parte mulctauit, eique ad Thraciam adiectæ *Scythiæ* nomen datum. Eam ZOSIMVS *Lib. V. Cap. X.* adpellat τὴν ἐν τῇ Θρᾴκῃ Σκυθίαν. *Scythiam Thraciæ,* ſimpliciter *Scythiam* AMMIANVS *Lib. XXVII. Cap. IV.* HIERONYMVS *Epiſt. III. ad Hel.* Conf. SEXTVS RVFVS *Cap. IX.* & NOTITIA *Imperii Orientis de Vicario Thraciarum*, vbi vero PANCIROLLVS *Cap. CXXXIV.* nomen Scythiæ vix explicare nouit. Scythia & Myſia legitur in *lege III. Cod. de Militari Veſte.* Seruatis diu nominibus inferioris & ſuperioris Moeſiæ, tandem ſucceſſere nomina *prima & ſecundæ Moeſiæ*, quæ videantur in NOTITIA *Imperii Orientis* ſtatim ab initio, & ibi PANCIROLLVS. Moeſia ipſa Auguſti au-

ſpiciis a M. Craſſo in prouinciam redacta. LIVIVS *Epit. CXXXIV.* DIO CASSIVS *Lib. LI.* FLORVS *Lib. IV. Cap. XII. Scordiſci* in Moeſia inter Dardanos & Dalmatas fuere; teſte LIVIO *Lib. XL. Cap. LVII.* vbi & dicit: *Baſtarnis Scordiſcos facile iter daturos; nec enim aut lingua, aut moribus æquales abhorrere:* De iisdem Scordiſcis STRABO *Lib. VII.* agit. Populis Moeſiæ Plinianis PTOLEMAEVS *Peucinos* addit. DIO *Lib. LI.* diſerte ſcribit, Moeſiam a Baſtarnis iam tum occupari cœpiſſe. Crebro vaſtatam Moeſiam a Carpis Gothisque ZOSIMVS *Lib. I.* oſtendit in Gallieni imperio, & IORNANDES in Oſtrogothæ regis expeditionibus. Aurelianus vaſtatum Illyricum ac Moeſiam deperditam vidit, ſcribentibus VOPISCO *in Aur. Cap. XXXIX.* & EVTROPIO *Lib. IX. Cap. IX.* PROBVS Germanicas multas gentes in Romanum ſolum transtulit. VOPISCVS *in Probo Cap. XIIX.* & ZOSIMVS *Lib. I.* fere ſub finem. Valentis demum permiſſu Cisdanubianæ quædam regiones plene Gothis ceſſere. AMMIANVS *Lib. XXXI. Cap. IV. VIII.* ZOSIMVS *Lib. IV.* Veſigothus hos fuiſſe, qui Moeſiam inſedere, plane ſcribit IORNANDES *de Rebus Geticis.* De Oſtrogothorum in Moeſiam & Pannoniam impreſſione, indeque ſuſcepta in Italiam expeditione, vid. PROCOPIVS *Bell. Goth. Lib. I. Excerpta incerti de Theoderico, quæ* VALESIVS *cum Ammiano edidit:* IORNANDES *de regnorum ſucceſſione & de rebus Geticis.*

concessis, non exstitit immunis, pauca memoramus. Fuit ea quondam inter Macedoniam ab occasu, Hæmum montem a septentrionibus, Euxinum Pontum, Propontidem, & Aegeum mare, ad ortum & austrum, sita. Ad occidentem eam antiquius Strymona amnis, deinde, prolatis Macedoniæ finibus, Nessus a Macedonia diuisit. Contra septentrionem eam Scylax, Mela, & Plinius, ad Istri vsque ostia protulerunt, vt Istropolis, Tomi, Calatis, intra Thraciam censeantur. Ptolemæus, quem & alii sequuntur, superiora, quae vltra Hemum sunt, rectius in Mœsia inferiore censuit, Thraciam cis Hæmum ad Mesembriam oppidum terminauit. Aeuo sero in prouincias sex Thracia distributa, & eis Scythia minor, auulsa ab inferiore Mœsia portio, adiecta est. Aegæi maris littora *Rhodope prouincia* occupauit; Propontidis oras *Europa prouincia.* Trans Rhodopen montem, cis Hebrum fluuium, *Thracia prima* siue *propria*, fuit; trans Hebrum ad Rhodopen *Thracia secunda*, & ad Hæmum montem *Hæmimontana prouincia*: vtraque ad Euxinum Pontum longe procurrens. Vltima prouinciarum trans Hæmum ad Istri vsque ostia pertigit, *Scythiaque minor*, siue *inferior*, fuit, Mœsiæ quondam ademta. In Thracia Probum locasse Bastarnas, locasse Vandalos, atque omnino Francorum partem, superiori ostendimus loco. Cum priores aliquandiu seruarent fidem, Vandali & Franci beneficium imperatoris cum maxima orientis prouinciarum vexatione compensarunt. Non repetam Vesigothorum Ostrogothorumque in Thraciis acceptas sedes; cum, quod Mœsiam simul comprehenderint, paulo ante earum meminerim (*a*).

Germani in Thracia.

Sex prouinciæ Thraciæ.

Temporarii incolæ Thraciæ Germani.

XXVI. In

(*a*) De antiqua *THRACIA* vid. CHRIST. CELLARIVS *Geogr. Ant. Lib. II. Cap. XV.* vbi variæ diuisiones, variique fines, Thraciæ ex auctoribus commode exponuntur. Non visum remotiorem a nobis prouinciam multa lustrare cura. Sed prouinciæ, quas æuum serius vidit, nominantur ab AMMIANO *Lib. XXVII. Cap IV.* vbi & breuis Thraciæ historia legitur; a

Germani in Illyrico.

XXVI. In MACEDONIAM atque THESSALIAM non quidem minus Gothi sæpe & iterum inuasisse leguntur. Theodomir etiam, Ostrogothorum rex, imperio suo multas illarum prouinciarum partes complexus est. Quod tamen perbreuis esset Gothorum possessio, nolumus vltra australes has Græcorum morari prouincias. Vetus ILLYRICVM nunquam plene Gothis cessit, quamdiu quicquam Romana valerent arma. Diuisa ista vetus Illyris per Titium amnem fuit in *Liburniam* & *Dalmatiam*; illam Istriæ conterminam & occidentalem, hanc Macedoniæ propinquiorem, & ortum prospicientem: vtramque, inter Adriaticum mare & propria iuga montium, ab Istria ad Macedoniam protentam. Sequenti æuo, cum Illyrici nomen omnes orientis Romanas in Europa prouincias complecteretur; vt *occidentale Illyricum* Pannonias, Dalmatias, Moesiam primam, Daciamque Ripensem, *orientale* Moesiam secundam, Thracias, Macedoniam, Epirum, Thessaliam, & Achaiæ prouinciam, comprehenderet: vetus tum Illyricum magis *Dalmatiarum* nomine fuit cognitum, & in *maritimam*, & *mediterraneam*, Dalmatiam distinctum. Has Dalmatias cum Ostrogothi Pannonia insedissent, iisdem paruisse, ex Iornande discimus. Cum enim Hunnimundus, dux Sueuorum, Dalmatias depopulari esset ausus, iniuriam hanc in ipsis Gothorum rex vindicauit, Sueuosque coërcuit. Diu etiam deinde Dalmatiæ a Germanis, qui Italiam regnarunt, imperio sunt complexæ; licet non Germanos incolas acceperint, sed veteres seruarint colonos (*b*).

Macedonia, Thessalia & Illyricum Germanicarum impressionum non expertes prouinciæ.

XXVII.

SEXTO RVFO *Breuiar. Cap. IX.* & in NOTITIA *Imperii Orientis de Vicario Thraciarum.* Ceterum, quibus calamitatibus Moesia est adflicta, iisdem semper vicina etiam Thracia obnoxia exstitit.

(*b*) Antiquum *ILLYRICI* statum rursus vide in CELLARII *Geogr. Ant. Lib. II. Cap. VIII.* Iustam vtriusque Illyrici & orientalis & occidentalis distributionem habet NOTITIA *vtriusque imperii statim ab initio:* vbi &

Pannoniæ vtriusque considera-tio.

Germani in Pannonia.

XXVII. PANNONIA, ad quam porro nostra adit commentatio, longe diutius atque certius a Germanicis populis, labascente Roma, est possessa; vnde &, quod, præsertim eius pars hodie in ipsa est Germania, meretur regio attente considerari. Eam a septentrione Danubius, & a meridie Illyrici montes, quam lata est, describunt. Quam est longa, ad occidentem Cetiis iugis, ad ortum aureo monte, Moesiæ post Taurunum termino, hinc a Moesia, illinc a Norico, diuiditur. Sauus & Drauus flumina, quam longa fere est, dissecant. Per Arrabonem fluuium Pannonia in *superiorem*, siue *primam* ex sequentis æui moribus, atque *inferiorem* seu *secundam*, diuisa est. Ad hunc superior Pannonia a Cetii iugis pertigit; inferior ab eodem amne ad Moesiæ fines. Quæ Sauo & Drauo inclusa portio exstitit, *Interamnia* etiam consueuit dici, vt ea, quæ erat ad ripas Saui, *Riparienſis Pannonia*. Sero æuo *Valeria* est adiecta, eademque Galerio Maximiano disponente, ab Arabone confluente ad Drauum confluentem protenta fuit, vt *Valeria Ripenſis* diceretur, quæ prope esset Danubium, *Valeria Mediterranea*, quæ ad interiora pertineret. Quos varios populos Pannonia, vt Illyricum, vt Thracia, vt Moesia, quondam habuerit, nostri non hoc loco est

Illyricum Occidentale sub dispositione Viri Illustris Præfecti Prætorio Italiæ ponitur. De Illyrici crebris vastationibus, docent omnes auctores, quos modo laudauimus. Gothi præcipue Illyrico imminuerunt, bonamque demum eius partem occuparunt: teste IORNANDE *de Rebus Geticis*. Conf. PROCOPIVS *de Bello Goth. Lib. I.* HIERONYMVS *Epist. III.* & CLAVDIANVS *de Bello Get. Vers. 533.* in Alarici regis ad populum oratione, vbi, quod ab Honorio ipsi Illyria esset concessa, hæc ait;

Quid restat, nisi Roma mihi? gens robore nostra
Tunc quoque pollebat, nullis cum sideret armis.
At nunc Illyrici postquam mihi tradita iura,
Meque suum fecere ducem; tot tela, tot enses,
Tot galeas, multo Thracum sudore parari,
Inque meos vsus vectigal vertere ferri,
Oppida legitimo iussu Romana coëgi.

vid. etiam IDEM *de Bello Gildon. Vers. 453. de Laud. Stiliconis Lib. II. Vers. 207.*

Germani in Pannonia.

est exquirere; de Pannonia non inquirentium alio nomine, quam quod eam satis diu Germani tenuerunt, & parua eius pars nunc in ipsa est Germania. Nec ergo vrbium Romanarum descriptionem adiicimus; cum, licet aliquando a Germanis fuerint occupatæ, non ab his tamen conditæ fuerint, & pleræque etiam extra Germaniam hodie reperiantur. Recte vero meminimus *Vindobonæ*, veteris Romanorum oppidi; quod non esse modo diu in Germania, sed & principem Germaniæ vrbem esse, quæ ter centum prope annos Romanum habeat imperatorem, gloriari potest. Meminimus etiam *Petouionis* ad Drauum, quod antiquum hodieque nomen durat. *Nauportum* etiam & *Emona colonia* ad Nauportum amnem in Norici atque Italiæ finibus, notantur; cum vtriusque oppidi vestigia non incelebratæ hodieque vrbes referant (c).

Vetus & inclita Vindobona.

XXVIII. Pan-

(c) *PANNONIAE* vtriusque fines distinctiores PTOLEMAEVS *Lib. II. Cap, XV. & XVI.* memorat. PLINIVS *Lib. III. Cap. XXV.* duo modo totius prouinciæ latera describit; *Qua pars*, inquit, *ad mare Adriaticum spectat, adpellatur Dalmatia & Illyricum: ad septentriones Pannonia vergit: finitur inde Danubio.* IORNANDES *de Rebus Get.* quamuis posterior, omnium tamen clarissime, eius fines declarat. *Pannonia*, inquit, *in longa porrecta planicie habet ab oriente Moesiam superiorem, a meridie Dalmatiam, ab occasu Noricum, a septentrione Danubium.* Diuisio Pannoniarum, *superioris & inferioris*, antiquior, quam adiacentium regionum, Rhætiæ & Norici: vnde illam iam PTOLEMAEVS persequitur, cum Rhætiæ Noricique diuisionem prorsus ignoret. *Prima & secunda* Pannonia inde dicta est. AMMIANVS *Lib. XVI. Cap. XII. Valeria* Pannoniæ secundæ Danubium versus detracta noua prouincia, scribente AMMIANO *Lib. XIX. Cap. XI. ad honorem Valeriæ, Diocletiani filiæ, & instituta, & ita cognominata.* Vid. SEXTVS RVFVS *Breu. Cap. VII. & VIII.* NOTITIA *Imperii Occidentis sub dispositione Præfecti Prætorio Italiæ.* De variis populis Pannoniæ, de vrbibus Romanis, & reliquo Pannoniæ antiquo statu, vid. rursum CELLARIVS *Geogr. Ant. Lib. II. Cap. VIII. Vindobona* in ANTONINI *Itinerario* & THEODOSII *tabula* occurrit eo nomine. PTOLEMAEO est Ιυλιόβωνα, *Iuliobona*; vitiato, vt videtur, vocabulo. In NOTITIA

Pannoniæ a Germanis passim infessæ historia.

Germani in Pannonia.

An. V. C. IↃCCLX. post C. N. VIII.

XXVIII. Pannoniam Augusti æuo prouinciam factam esse, & post tentatas res nouas a Tiberio plane perdomitam, historia Romana nos docet. Germanicarum rerum memoria vix veteres Germanorum in Pannoniis sedes monstrat. *Boios* & quidem aliquando in Pannonia egisse, id monstrat, quod *desertorum Boiorum* haud procul Cetio monte in Pannonia occurrat nomen: non autem Boiorum Germanicum genus plane euictum esse, nouimus. *Quadi Marcomannique* præsertim Pannoniæ ab Antoninorum æuo, & deinde semper, imminuerunt, donec Roma imperaret: non eis autem obtigit votis frui, cum tam cito eis a Romanis extorqueretur possessio, quam forsitan parta esset. Romanis denique attritis viribus, cum donare prouincias Germanis, quas non


Imperii Occidentis, sub duce Pannoniæ primæ, legitur *Præfectus legionis decima Vindomana.* Et JORNANDI *de Rebus Get.* ciuitas vocatur *Windomina*: vnde hodiernum nomen *Wien* haud dubie profectum. Clarescere cœpit Vindobona, postquam *Legioni X. Gemina* hiberna præbere cœpit. Tiberii æuo nondum exstitisse, saltem non floruisse, inde coniicitur, quod VELLEIVS *Lib. II. Cap. CIX. Carnutum*, seu *Carnuntum*, fuisse ex parte Romanorum *proximum regni Norici* dicit: vt adeo, inter Carnuntum & Noricorum fines nullum clarum oppidum fuerit, sit necesse. Vetus autem olimque clarissimum *Carnutum*, seu *Carnuntum*, quod varii celebrant auctores, VELLEIVS, PLINIVS, EVTROPIVS, vice versa, cum Vindobona hodie princeps Germaniæ sit vrbium, adeo euiluit, vt vix leuis vicus eius illustret situm: passim in aduersa ripa Mari cum Danubio confluentis quæritur, vbi nunc *Haimburg* est. *Petouionem* memorat TACITVS *Lib. III. Hist. Cap. I.* & AMMIANVS *Lib. XIV. Cap. XI.* præter *Tabulam* & *Itinera.* Hodie *Petau* vrbs est, siue *Pettau*, ad Drauum amnem. *Nauportum*, non minus celebre oppidum apud PLINIVM *Lib. III. Cap. XVIII.* VELLEIVM *Lib. II. Cap. CX.* TACITVM *Ann. I Cap. XX.* celebratur. Probatur a IOH. LVDOV. SCHOENLEBEN, viro illarum regionum peritissimo, *in Carniola descriptione*, *Nauportum* esse hodiernum *Ober-Laubach*; & *Labacum* Carniolæ, vulgo *Laubach* dictum, esse & referre antiqua celebritate nobilem *Emonam*, seu *Aemonam*, coloniam.

Germani in Pannonia. non liceret seruare, simulque numis victores placare, decus esset, Pannoniæ etiam crebro dominos mutarunt. *Vandali*, *Alani*que, antequam in Gallias & Hispanias irrumperent, permissu principum in Pannonia habitarunt. Inde *Vesigothi*, *Rugii*, *Heruli*que, occuparunt, mutaruntque, in Pannonia sedes: sed vt tumultuariis modo possessionibus res ageretur.
An. CCCCLXVIII. *Ostrogothi* certiori imperio Pannonias sunt complexi; indeque non discessere, quam ad Italiam debellandam. Post eos in Italiæ possessione constitutos aliquandiu quidem in Gothica clientela manserunt Pannoniæ. Verum, vt dissita longe prouincia vix valde curatur meliori insessa regione; ita, vel permittentibus, vel negligentibus, Gothis, sexto cœpto seculo
An. IↃXXVI. Pannoniæ in nouam *Longobardorum* possessionem venerunt: quæ, cum & hi Ostrogothico destructo regno in Italiæ possessionem, vocante Narsete, proficiscerentur, annos XLII, Iornande scribente, habebat. A Longobardis Pannoniæ a-
An. IↃLXVIII. micis *Hunnis* sunt relictæ, hac interposita conditione, vt liceret patria arua repetere, si quæ necessitas coëgisset, Italia rursum excedere. Hunni Græcis, Græci Slauicis, armis de Pannoniis depulsi sunt. Hunni in Scythiam abierunt, longoque ibi acto tempore non intutam victoribus fecere pro-
An. IↃCCXLIV. uinciam. Reduces post longum tempus postliminii iure Pannonias repetierunt, & negatas armis vindicarunt. Prolatatis inde agris in Noricum vsque, & ad Anisum flumen, inuaserunt; isque fluuius Caroli Magni æuo Hunnici regni Germaniæque terminus habitus est. At Germanicis viribus Hunni extremum fracti & perdomiti sunt, & non Germa-

niæ modo finibus, sed & superioris Pannoniæ portione, cedere coacti (*d*). *Germani in Pannonia.*

(*d*) Pannoniam subegit Augusti auspiciis Tiberius Cæsar non vna aut simplici expeditione, sed bello ob crebras rebelliones sæpe repetito, donec debellaretur, *Batoque* dux se Tiberio dederet. VELLEIVS *Lib. II. Cap. XCVI. CX. sequ.* FLORVS *Lib. IV. Cap. XII.* LIVIVS *Epit. CXXXIX.* DIO CASSIVS *Lib. LV. LVI.* EVTROPIVS *Lib. VII. Cap. V.* Bato, Pannonius dux, in triumphum ductus, sed a Tiberio benigne seruatus. SVETONIVS *in Tiberio Cap. XX.* OVIDIVS *ex Ponto Lib. II Eleg. I. Vers. 45.* Daci, Quadi, Marcomannique, persæpe Pannonias tentarunt, creberrime vastarunt: quarum gestarum rerum plena est historia Augusta. Alani, Sueui, atque Vandali, in vtraque Pannonia permissu principum Romanorum insedere, antequam in Gallias migrarent: teste IORNANDE *de Reb. Get.* Et reliqua omnia de Rugiorum, Ostrogothorum, Gepidarumque, in Pannonia sedibus persequitur idem IORNANDES *de Rebus Geticis*, *cum* PROCOPIO *de Goth. Bello Lib. I.* Longobardos in Pannoniam concessisse Audoino rege, PAVLVS DIACONVS *Lib. I. Cap. XXII.* memorat. Hunnis vero sub conditione a Longobardis Pannonia tradita; quod idem enarrat *Lib. II. Cap. VII.* Varias, quæ sequutæ sunt, prouinciæ vicissitudines, docent *Byzantini scriptores*. In Græcorum enim imperium vtraque Pannonia seriore æuo imputari cœperat. Hunnos paulo ante Caroli M. ætatem reuertisse in Pannoniam, ex domesticis Hongarorum memoriis accipimus. A Carolo Hunni pene perdomiti sunt: quod omnes Francici scriptores, REGINO, EGINHARDVS, SIGEBERTVS, memorant. Scribente tamen EGINHARDO *in Vita Caroli*, vtramque adhuc Pannoniam cum ceteris ad orientem prouinciis imperatorem Græcum habere permisit. REGINO *ad An.* IƆCCLXXXVIII. notat, omnes *fines & marcas Boioariæ* a Carolo post Hunnorum cladem ordinatas esse Ratisbonæ. *Annales* FRANCICI *ad Annum* IƆCCXCII. & EGINHARDVS *in Vita Caroli*, *Anisum* amnem terminum laudant. Austriæ constitutæ & Hunnicis ditionibus subtractæ historia alius loci est.

CAPVT




Colapini
Alpes Iuliæ
Savus Flu.
Iapydes
Curicta
Sinus Flanaticus
LIBVRNIA
ILLYRICI
PARS.
45



CAPUT II.

ACCESSIONUM GERMANIAE CISDANUBIANARUM PROVINCIARUM CONSIDERATIO.

I.

Consideratæ sunt regiones, quas, cum ruere cœpisset Roma, Germani aliquot secula aut insederunt, aut prorsus possederunt, quæque, postquam essent digressi nostri populi, in alienigenarum nationum sedes versæ sunt. Prouinciæ succedunt, inter Danubium Alpesque sitæ; quondam Danubio a Germania diuisæ, nunc in Germania integræ. Sunt *Noricum* & *Rhætia*, siue Vindelicia, Propriaque Rhætia: non a Germanis, nisi cum iam corruisset Roma, occupatæ; ex eo autem tempore adeo plene seruatæ, vt ad nostram vsque ætatem nullam vicissitudinem, quæ gentis nostræ turbarit fines, subierint. Antiquus prouinciarum status parum ad nostram spectat Germaniam. Vt norimus tamen, quos agros insederint Boioarii, quos alios Sueui & Alemanni; quas vrbes Romani habuerint nobiles, quasue succedens ætas dederit: non est vtilis tantum, sed & necessaria, veteris regionum conditionis moderata cura.

Cis Danubium occidentalium prouinciarum in Germaniæ versarum complexionem, facies.

II. NORICUM a *septentrionibus* Danubius a prisca diuisit Germania. Ad *occasum* Aenus Vindeliciam disterminauit; Pannoniam Cetius mons. Ad *austrum* Noricæ Alpes Italiæ finierunt partes. Diuisio Norici vix ante Constantinorum æuum videtur facta; ante vnius modo fit mentio regionis, & quod regnum fuisset Noricum, eo licet destructo, simpliciter tantum regio Noricum adpellatur. Noricum de-

Norici fines & regiones.

deinde *Ripense* dictum est, quod prope Danubium situm fuit; *Me literraneum*, ad interiora respiciens: vtriusque finibus prorsus ignoratis, nec a quopiam indicatis. Drauus amnis mediam secuit mediterraneam partem, & fortassis Murus hanc a Ripensi Norico diuisit. Cum desineret Noricum Romanum esse, ex populorum sedibus modo dilatati sunt eius fines, modo coarctati. *Boioarii* Vindeliciæ & Norici insederunt partes: non enim omne Noricum Boioariis historia tribuit. Anisus aliquando, medius Norici amnis, Hunnicum regnum & Boioariam diuisit. Tardius redditus Boioariæ est priscus Norici limes, imo & ille in ipsam priscam, quod ostendimus, promotus Pannoniam (*e*).

Germani in Norico.

Vrbes in Norico hodieque in Germania celebres.

III. Non vacat ea vti hic accuratione, quam in Germaniæ ciuitatum regionibus definiendis & probandis hactenus adhibuimus. Versamur in Romano solo, cuius conditio tot habuit scriptores, quot sufficiunt plenæ, nec multum testandæ, fidei. Nos modo veteres indicamus Norici rationes, vt inde de recentioribus rectius nobis constet. Oppida non pauca vetus habuit Noricum; quorum ea pc censebimus, quæ in Boioariis clarum seruarunt nomen. Ad Aeni confluentes *Boiodorum*, illo amne a Batauis castris, quæ cis Aenum in Vindelicia erant, videtur seiunctum fuisse; ipso & nomine de suis conditoribus perhibuit testimonium: hodie

Innstadt

(*e*) *NORICI* definitio habetur in PTOLEMAEO *Lib. II. Cap. XIV.* Τὸ Νωρικὸν περιορίζεται ἀπὸ μὲν δύσεως Αἴνῳ ποταμῷ, ἀπὸ δὲ ἄρκτων μέρει τοῦ Δανουβίου τῷ ἀπὸ Αἴνου ποταμοῦ μέχρι τοῦ Κετίου ὄρους· ἀπὸ δὲ ἀνατολῶν τῷ Κετίῳ ὄρει. *Noricum terminatur ab occasu Aeno fluuio; a septentrione Danubii parte, qua est ab Aeno fluuio ad Cetium montem; ab ortu vero solis, ipso monte Cetio.* TACITVS *Hist. Lib. III. Cap. V. Aenum flumen Rhætos Noricosque interfluere* dicit. Continetur hodie veteris Norici tractu magna pars *Austriæ*, & *Archiepiscopatus Saltzburgicus*, cum omni *Stiria*, & *Carinthia*, *ducatibus*. Diuisionem in *Ripense* & *Mediterraneum* Noricum NOTITIA *imperii* adprobat. Generatim *duas Norici prouincias* memorat SEXTVS RVFVS *Breu. Cap. VII. & VIII.* Incertum autem est, quomodo diuisæ fuerint ambæ prouinciæ. Quam Noricum diuersis populorum sedibus fuerit dilaceratum, & discerptum, historia exponit.

Germani in Norico. *Innstadt* est. *Lentia* ad Trauni sita confluentes, hodieque suam seruat claritatem atque adpellationem. *Laureacum* fuit in Danubii ripa; caput olim, quod creditur, Ripensis Norici. In vici *Lorch* positura & nomine vetus Laureacum videtur recte quæri. *Arlapis* ad cognominis amnis confluentes situs statuitur: & classis Danubianæ ibi stationem fuisse, mentio *Arlapensis classis* ostendit. *Pirum tortum* non minus admouetur ad Danubium; situ fortassis, qui *Pixendorff* vicum hodie habet. In interioribus Norici *Aeni pons* ad Aenum fuit: incertum, si quid adpositum ponti fuit, vel vicus, vel oppidum; idque num in dextra fuit, sinistraue fluminis ripa? Certe vetus pons Aeni longe fuit ripæ fluuii inferiori impositus, adeoque distinctus a clarissima illa vrbe, quam nostrum æuum *Aeni pontem* adpellat; antiquiori etiam ponte vrbe longe recentiore. *Iouauum*, siue *Iuuauia*, ad Iouauum amnem Hadrianæa colonia oppidum nobile exstitit. Creditur situs loci adprime conuenire cum insigni vrbe *Saltzburg*; cui etiam Iuuauiæ nomen vetusque decus plurimi in istis agris reperti lapides vindicant. Inter Anisum & Murum amnes *Viscelli* in antiqua tabula locantur; quod nomen in *Weltz* latere putant, duplicis vici ibidem, superioris & inferioris, vocabulo. Inter Murum & Drauum *Grauiacis* locus notatur in tabula, qui ex itineris tractu & nominis similitudine videtur esse *Gurck*, nobile oppidum, propius tamen ad Murum, quam ad Drauum. Ab huius amnis sinistra ripa fuit *Solua*, *Flauia* adnomine, multisque inscriptionibus, nobilitata; nec male pro capite Mediterranei Norici habita, iis testibus vetustatis monumentis, quæ in agro, qui etiamnum *Solfeld* dicitur, sunt eruta. Extremum in claris oppidis Norici, Plinio duce, *Celeiam* connumeramus, adsitam ad ripam Sanæ fluminis, quod paulo supra Celeiam miscetur Sauo. Ipsa Celeia difficilis inuentu non est, quia

nomen

nomen seruat, & insignem terram vrbemque denominat. In Sanæ & Saui confluente Norici finis est (*f*). *Germani in Norico.*

Noricum Romanum & demum Germanicum. IV. Veteris Norici visa conditione ipsam eius historiam exquirere, oppido parum nostra interest. Regnum fuit olim, & suis paruit regibus; cuius vnius *Vocionis* meminit Cæsar. Illyrici generis cum Vindelicis Noricos fuisse, simul nouimus. Puræ autem putæque fabulæ sunt, quicquid aut de filio Herculis Norico, aut de Alemanni regis progenie, ex qua & Noricus fuerit, memoratur. An a *Noreia*, excisa antiquitus vrbe, Norici nomen sumtum sit? nec id valde videtur, cum potius vrbis nomen a regione acceptum esse, credi queat. Et quid

(*f*) Βοιόδουρον PTOLEMAEVS in Vindelicia ponit, & *Tabula* THEODOSIANA statim cum Batauis castris coniungit. Sed, quod, CAESARE *Lib. I. Bell. Gall. Cap. V.* teste, *Boii, qui trans Rhenum incoluerant, in agrum Noricum transierant*, in Norico omnino agro a Boiis conditum monumentum videtur: & persuadet NOTITIA *imperii*, quæ sub dispositione ducis Pannoniæ primæ & Norici Ripensis, habet *Tribunum cohortis Boioduro*; & sub duce Rhætiarum, *Tribunum cohortis nouæ Batauorum Batauis*; diuisa vtique Aeno amne Batauia castra & Boiodurum fuisse. *Lentiam* illustrat NOTITIA *imperii* eadem, quæ *equites sagittarios Lentiæ* collocat. *Laureacum* & *Lauriacum*. Habet NOTITIA *Imperii Præfectum legionis secundæ Lauriaco*, & *Præfectum classis Lauriacensis*. Putatur *Aureliana colonia* fuisse: vt tamen, quo probetur hæc dignitas, vix fidum occurrat monumentum. *Arlape* Itineribus a Sirmio & Taurono Lauriacum cognita. Et habet NOTITIA *Imperii Præfectum classis Arlapensis*. *Pirum Tortum* est in THEODOSIANA *Tabula*. *Pons Aeni* est in ANTONINI *Itineribus*, & *Ad Enum* in *Tabula*. *Iuuauiam*, qualem NOTITIA *Ecclesiæ* vocat, ANTONINI *Itinera Iouauim*, TABVLA *Iuaui*, adpellant: & NOTITIA *Imperii Iuuense*, puto, castellum meminit. Ex inscriptione apud GRVTERVM *fol. CCLXV. Num. IV.* imperatori Seuero dicata COL. HADR. IVVAV. *Hadrianeæ coloniæ* dignitas Iuuauiæ vindicatur, vnde non mirum, vetustiores eius non meminisse scriptores. *Viscelli*, seu *Viscellæ*, sunt in TABVLA. Inter Murum & Drauum in TABVLA est locus *Graniacis*. *Solua* a PLINIO *Lib. III. Cap. XXIV. Flauium Soluense* adpellatur. REINESIVS *Inscrips. Op. fol. XXXIII.*

D. M.

C. SABINIO COL. FL. SOLVA

vnde coloniæ nomen *Solua* cum VVOLFGANGO LAZIO *Lib. XII. de Rep. Rom. Sect. VI. Cap. V.* attribuit. *Celeia* adpellatur PTOLEMAEO Κήλεια, & PLINIVS eam in Norici vrbibus adnumerat. De limite Norici erudite inquirit IOH. LVDOV. SCHOENLEBEN *in Antiqua Carniola adparatu. Cap. I. Num. V.*

Germani in Norico. An V. C. ЮCCXLI. Ante C N. X. quid molimur curiosam nominis peruestigationem, cum omnia reliqua Noricorum dudum memoria exciderint? Augusto imperante cum Pannonia Noricum debellatum, & in prouinciæ formam redactum est. Prouincia, licet plurimum a vicinis Germanis tentata, mansit in Romano imperio, donec hoc cum quarti seculi fine bifariam scinderetur. Primum præses Noricum rexit, deinde procurator: & iterum post Constantini æuum singulis prouinciæ partibus præsides præfuerunt; rei militaris administratione in vtraque prouincia tum Pannoniæ primæ duci concessa. Cum & ante Norici atque Rhætiæ præsidium solis alis, cohortibus, atque auxiliis, consisteret; notari debet, validissimas duas legiones, secundam tertiamque Italicam, a M. Antonino imperatore in Norico & Rhætia positas esse, vt Germanorum cohiberent hostiles grassaturas. Nempe ab Antoninorum præsertim æuo *Quadi*, *Marcomanni*, aliique Sueui, grauissime Noricum afflixerunt. Quod istis autem gentibus non licuit, *Gothis* demum datum est, vt Norico potirentur. Primus Vesigothorum rex Alaricus ita legitur Noricum insedisse, vt stabile ibi regnum velle erigere videretur. Eo in Italiam profecto, Gothisque deinceps in Gallias & Hispaniam migrantibus, in Norico passim variæ gentes, *Sueui*, *Rugii*, *Heruli*, aliique, de bonis Romanorum, prædati sunt; vt tumultuariarum tamen possessionum rara supersit notitia. Attilæ Hunnorum regis furorem Noricum sensit; non eius subiectum est imperio. Post fractum Attilam *Rugios* certiorem Norici possessionem tentasse legimus; quippe *Rugiland*, siue Rugiorum patriam, Danubio tantum a Norico fuisse separatam, Iornandes scribit. Rugiis autem ab Herulorum rege Odoachro victis, *Herulorum* aliquandiu imperium in Norico stetit: vt minime vero Odoachri sufficerent vires ad prouinciam contra aliorum Germanicorum populorum adsultus defendendam. Odoachri a Theodorico *Ostrogothorum* rege

oppressi merces, non Italiæ modo, sed & Norici Rhætiæque partis, pacatior possessio, ipsi cessit. Eius permissu, & imo auspiciis, creduntur *BOIOARII*, qui iam ante in Vindeliciam peruenerant, in Noricum *Theodone* duce, transiuisse. Quotam primum Norici insederint partem, & quando ex Gothica clientela in Francicam traducti fuerint? hoc omne frustra in obscurissimo tempore quæritur. Et vrbes Norici, simul & Vindeliciæ, a Boioariis, nisi quas belli furor exciderat, habitatas esse, scimus. Plurimum tamen de earum splendore, & dignitate, cum Germani homines parum Romanas curarent delicias, tum esse deminutum, qui Germaniæ priscos nouerit mores, dubitabit nemo (g).

Germani in Norico.

Boioarii præcipui Norici habitatores.

V. VIN-

(g) *REGNVM NORICVM.* VELLEIVS *Lib. II. Cap. CIX.* SVETONIVS *in Tiberio Cap. XVI. Rex Noricus Vocion;* CAESAR *Bell. Gall. Lib. I. Cap. LIII.* & simpliciter *Rex Noricus; Bell. Ciu. Lib. I. Cap. XIIX. Noreia* vrbs notatur a CAESARE *Lib. I. Bell. Gall. Cap. V. Boii, qui trans Rhenum incoluerant, & in agrum Noricum transiuerant, Noreiamque oppugnauerant.* In TABVLA ponitur *Noreia* IIII. millibus a Ponte. Locus iam est ignotus. *Noreia* PLINII *Lib. III. Cap. XIX.* diuersa est, quippe ab eo Tauriscis, Italiæ confinibus, data. Regnum Augusti auspiciis euersum est a Tiberio; VELLEIVS *Lib. II. Cap. XXXIX.* SVETONIVS *in Tiberio Cap. XVI.* Pannoniorum causa Noricos etiam adflixit. Bene itaque DIO CASSIVS *Lib. LIV.* ait; Οἱ Παννόνιοι τοῖς Νωρικοῖς αἴτιοι τῆς αὐτῆς δουλείας ἐγένοντο. *Pannonii Noricis causa seruitutis fuerunt.* Tum simpliciter prouincia *NORICVM* vocatur; TACITVS *Germ. Cap. V. & Histor. Lib. I. Cap. XI. LXX.* Verum *Ann. II. Cap. LXIII. Norica prouincia est.* *Noricum* TACITVS *Hist. Lib. I. Cap. XI.* in iis prouinciis numerat, *quæ procuratoribus cohibebantur:* nisi per illa ciuilia bella ordinaria tum iurisdictio præsidis extra ordinem fuit interpellata. Deinde, postquam diuisæ essent prouinciæ, duo præsides Norici videntur fuisse. Præbet enim *Mediterranei* exemplum lapis Celeiensis apud GRVTERVM *fol. CCLXXXIII. Num. V.*

D. N. FL. CONSTANTINO
CLEMENTISSIMO ATQ. VICT.
AVG MARTINIANVS V.P.
PRAESES PROVINC. NORICI
MEDITERR.
D. N. M. EIVS

Rei militaris ordinatio videtur patere ex NOTITIA *Imperii Occidentis*, quæ habet *dispositionem Viri spectabilis Ducis Pannoniæ & Norici Ripensis.* Legiones Italicas in Norico locatas memorat adhuc NOTITIA *Imperii sub dispositione ducis modo laudati.* CAPITOLINVS *in Marco Cap. XIV.* Nempe Marci ætate Noricum grauissime a Germanis oppugnatum est: quod vero & ipse Marcus, & per Per-

Germani in Norico.

V. VINDELICIAM a Norico Aenus diuisit fluuius, qui in extremis ortus Rhætis, & per Rhætiam longo delapsus tractu, tandem inter Noricos Vindelicosque, in Danubium exoneratur. *Vindelicorum* multa est in Romanis monumentis memoria; rara admodum *Vindeliciæ* regionis. Nanque, licet essent Rhæti Vindelicique diuersissimi generis; hi in Illyricis, illi in Italicis, populis adnumerati: occupatis tamen a Romanis prouinciis, vna magis RHAETIA nominari, & ea comprehendi Vindelicia, consueuit; vt interim nec singularis Vindelicorum populus sileretur, nec distinctis iste diuidi a Rhætis finibus desineret. Vbi tum de Vindelicis singulatim dicendum esset, ab horum patria pars Rhætia altera separata, *propria Rhætia* est adpellata. Seriori æuo, cum pleræque prouinciæ numerarentur, *Rhætia secunda* dicta est, quam coluerant quondam Vindelici; *prima Rhætia*, quæ antea propria audierat. Vt de Vindelicis, siue de Vindelicia, dicamus primum; eius reliquos fines, nisi vbi Rhætiam contingit, clare auctores indicarunt. Ad *ortum* a Norico Vindelicos Aenus disterminauit; ad *occasum* Brigantinus lacus ab Heluetiis, indeque via ad Danubii fontes imputata a Marcomannis, postmodumque ab Alemannis. Contra *septentriones* Danubius Germaniam separauit a Vindelicis ad vsque Aeni confluentem. A *meridie* solum licet Rhætorum nominare confinium. Strabo videtur Alpes

Rhætiæ comprehensio & distributio.

Vindeliciæ fines;

thnacem, ab hostibus vindicauit. CAPITOLINVS *in Antonino Cap. XVII. & in Pertinace Cap. II.* Noricum Alaricus cum Pannoniis imperio suo complexus est. Inde variæ Germanicæ gentes prouinciam peruagatæ sunt. Vid. IORNANDES *de Rebus Get.* EVGIPPIVS *de Vita S. Seuerini.* HIERONYMVS *Epist. III. ad Heliod.* & eius æqualis OROSIVS *vtroque libro in Rufinum, & de bello Getico Carmine*, vbi *vers. 365. a Getis teneri Vindelicos saltus & Norica rura*, canit. *BOIOARIORVM* in Vindeliciam & Noricum aduentus historia domesticæ eorum memoriæ debetur; quam persequuntur scriptores rerum Boicarum, quas vulgo, quod de Boiis priscis Boioarios interpretantur, vocant; AVENTINVS, VELSERVS, BRVNNERVS, & ADELZREITERVS: quos vide.

Rhætis, planitiem ab Alpibus ad Danubium procurrentem Vindelicis, adſignare: diſtinctior nusquam meridialis limitis nota occurrit. Ptolemæus contra aliorum fidem auctorum ſatis habet Vindelicos inter Licum & Aenum concludere. Quod *Lici* fluminis memini, ab eo & *Vindone* amne, qui infra Auguſtam Vindelicorum confluunt, acceptum eſſe *Vindelicorum* nomen multi iudicant. Alii ignotam eſſe vocabuli originem tutius ſtatuunt, ideoque curioſiorem eius curam ſilentio transmittunt. (*b*).

Germani in Rhætia.

nomen;

VI. Ex

(*b*) *VINDELICI*, populus, in omni hiſtoria clari ſunt. VELLEIVS *Lib. II. Cap. XXXIX.* SVETONIVS *Aug. Cap. XXI.* FLORVS *Lib IV. Cap XII.* EVTROPIVS *Lib. VII Cap. V.* Vbique, prouinciis diuerſis nominatis, non prouincia *Vindelicia*, ſed populus, *Vindelici*, memoratur. PTOLEMÆO autem *Lib. II Cap. XIII.* Οὐινδελικία, Vindelicia, regio eſt; & item SEXTO RVFO *Cap. VIII.* qui, *Limes*, inquit, *inter Romanos & barbaros ab Auguſto per Vindeliciam, per Noricum, Pannoniam, ac Moeſiam, eſt conſtitutus.* *RHAETIA* ſæpe Vindelicos comprehendit. TACITVS *Germ. Cap. I. & XLI.* vbi Germaniam Danubio a Rhætiis diuidit, & Auguſtam Vindelicorum ſplendidiſſimam Rhætii prouinciæ coloniam adpellat. PLINIVS *Lib. IX. Cap. XVII.* *Rhætiæ lacum Brigantinum* tribuit, qui potius Vindelicorum erat. *Rhætorum* nomen etiam *Vindelicos* comprehendiſſe, maxime ſerioris ætatis hiſtoria docet, vbi raro Vindelici, ſemper Rhæti ſoli, leguntur. Vindelici tamen Illyrici generis; Rhæti origine Tuſci: teſtibus STRABONE *Lib. VII.* PLINIO *Lib. III. Cap XX.* IVSTINO *Lib. XX. Cap. V.* & STEPHANO BYZANTINO. Tota Rhætia diuiſa: vnde *Rhætiarum* nomen. CAPITOLINVS *in Pertinace Cap. II.* VOPISCVS *in Probo Cap. XVI.* AMMIANVS *Lib. XXVI. Cap. IV.* & ita ſæpe alibi. *Rhætia Prima & Secunda* nomen eſt in NOTITIA *Imperii Occidentis ſub Vicario Italiæ:* vbi vid. PANCIROLLVS *Parte II. Comment. Cap. LX.* Habet idem PAVLVS VVARNEFRIDVS *Lib. II. Cap. XV. de Geſt. Longob.* & CASSIODORVS *Variar. Lib VII. form. IV.* *ducatus Retiarum* vocat. Finis Vindelicorum *ab oriente Aenus* eſt: nam Noricos contigere, teſte PLINIO *Lib. III. Cap. XX.* *Noricis contermini Rhæti & Vindelici*; & Auguſtus *per Vindeliciam & Noricum*, imperii limitem conſtituit, ſcribente RVFO *Cap. VIII*; imo clare TACITVS *Hiſt. Lib. III. Cap. V.* ſcribit, *Aenus Rhætos*, (vniuerſos, incluſis Vindelicis) *Noricosque interfluit.* *Ad occaſum* lacum Brigantinum, & *ad meridiem* Rhætos, STRABO *Lib IV. & VII.* Vindelicis fines dat. Illic poſtquam montium partes variis populis dediſſet, addit; Οἱ μὲν Ραιτοὶ μέχρι τῆς Ἰταλίας κατήκουσι, τῆς ὑπὲρ Οὐηρῶνος καὶ Κώμου. - - - οἱ δὲ Οὐινδελικοὶ καὶ Νωρικοὶ τὴν ἐκτὸς παρωρείαν κατέχουσι. *Rhæti vsque ad Italiam pertinent ſupra Veronam atque*

Germani in Rhætia. VI. Ex pluribus Vindelicorum pagis *Brigantiorum*, *Licatumque*, quos Strabo & Plinius memorarunt, ſedes ad Brigantinum lacum, & Licum amnem, ſatis ſunt exploratæ. *Eſtiones* prope Ilargum amnem, & vrbem Campodunum, Strabo idem locauit. *Conſuanetum*, *Catenatum*, & *Virucenatum*, cognita quidem ſunt nomina, non item agri, quos coluerunt. *Iſarci*, quos Alpina inſcriptio de geſtis Auguſti apud Plinium nominauit, haud dubie prope Iſargum amnem egerunt. *Boios* ad Aenum plerique quærunt; eosque ex Boiohœmo exſules hiſce in Vindelicorum agris fixiſſe ſedes, arbitrantur: notari a Strabone, qui Vindelicos inter Heluetios & Boios ponat. Vrbium, quæ claræ in Romanis in Germanicum durarunt æuum, præcipua *Auguſta Vindelicorum* fuit; ſplendidiſſima Rhætiæ prouinciæ colonia, vt Tacitus ait: quondam, quod quidam cupiunt, *Damaſia* dicta, Licatum, ſeu Licatiorum, caput. Ampliſſima vrbs, per læta triſtiaque fata ad noſtrum perducta æuum, vetus Romanoque æuo acceptum nomen, parum priſca imminuta magnitudine, ſuo iure conſeruat. Ad ripam Danubii *Iuliomagus* & *Brigobanna* in tabula occurrunt; quæ loca eruditi de *Dutlingen* & *Beyern*, oppidis Danubianis, interpretantur. Haud procul Guntiæ confluente *Grinario* putatur in *Gneringen* ſuperare. Poſt Licum *Vetoniana*, ſubaudi caſtra; ſunt hodie in *Winten* conſpicua. *Reginum* in itinere Antonini, idem *Regina caſtra* in imperii notitia adpellatum, ad Regen amnis confluentem,

pagi inſignes;

Vrbes celebres, omnes hodie Germanicæ.

Iii ii 3 vnde

[1] *Comum.* ... *Vindelici autem & Norici montana exteriora tenent:* hoc eſt, interprete VELSERO *Rer. Aug. Vindel. Lib. I.* extremas atque humiliores Alpes. *Lib VII* de lacu Acronio, ſeu Brigantino, dicit; *προσάπτονται τῆς λίμνης ἐπ' ὀλίγον μὲν οἱ Ῥαιτοὶ, τὸ δὲ Ἑλουήττιοι καὶ Οὐινδελικοὶ, lacum Rhæti exigua parte; maiore Heluetii & Vindelici attingunt.* *Septentrionalis* limes, Danubius, ex TACITO *Germ. Cap. I.* plurimisque auctoribus, certus eſt. Vindelicorum nomen colligi conſueuit ex VENANTIO FORTVNATO *de S. Martino Lib. IV.*

Pergis ad Auguſtam, quam Vin do,
Licusque, fluentat.

Sed res nondum caret dubio.

vnde & nomen eſt; nunc ſine dubio oppidum inclutum *Regensburg* eſt; voce Germanica latinum vetus vocabulum adprime referens. *Seruiodurum* tabula in eadem Danubii ripa poſt Reginum eo ſitu locat, qui ad nobilem vrbem *Straubingen* ducit. Extremum ad Aeni confluentem fuit *Caſtellum* tabulæ, ſiue *Batava* notitiæ, quæ vox caſtra deſignat, & vna rationem nominis declarat. Loco illo nunc eſt *Paſſau*, celebris ciuitas, a Batauis præſidio quondam poſitis ſortita nomen. Trans flumen adiacet Boiodurum, cuius in Norico eſt facta mentio. Ad Iſargum *Iſiniſca*, ſeu *Iſariſca*, Iſanorum quondam fuiſſe caput, exiſtimatur. Quidam putant, Iſiniſcam in locum cadere, quo inſignis vrbs eſt Boioariæ *Monachium*; imo iis ipſum Monachium videtur, quaſi Iſariſca dicta, iam olim caput Iſarcorum: alii ſentiunt diuerſum. *Campodunum* prope Iſargum hodie *Kempten*, egregia ciuitas, eſt. *Brigantium*, ad Brigantini, ſiue Acronii, lacus caput ſitum, etiamnum nomen illuſtre habet. *Roſtrum Nemauiæ* infra Campodunum ad Iſargum quærunt in loco, quem præclara nunc vrbs *Memmingen* nobilitat (*i*). *Germani in Rhætia.*

VII. Actu-

(*i*) Populorum, quos in Vindelicis cenſemus, memoriam vide in STRABONE *Lib. IV. & VII.* in PLINIO *Lib. III. Cap. XX.* & PTOLEMAEO *Lib. II. Cap. XIII.* *Augusta Vindelicorum*, Αὐγοῦστα Οὐινδελικῶν, PTOLEMAEO eſt. Putatur STRABONIS *Lib. IV.* *Damaſiam*, *caput Licatiorum*, referre. Sed contra CLVVERIVM in hac cauſa VELSERVS eſt, & putat hic, *Damaſiæ* veſtigia ſuperius in auſtrum prope Vindonem flumen reperiri. TACITVS *Germ. Cap. XLI.* *ſplendidiſſimam Rhætiæ prouinciæ coloniam* vocat. *Iuliomagus*, *Brigobanna*, *Grimaſio*, ſunt in THEODOSIANA *tabula*. *Caſtra Regina* memorat auctor NOTITIAE. *Reginum Tabula* THEODOSIANA. *Coloniam Tiberii* aliqui ex numo inſcripto COL. TIBERIA AVGVSTA ſomniant; & commento robur quærunt ex diplomate Leonis III. P. M. quo ſcribatur: *Iuxta muros Tiburniæ ciuitatis, quæ a Tiberio Cæſare Auguſto ædificata eſt; quæ modo vulgo adpellata eſt Reginaspurch.* Quid vero non ſuperiorum ſeculorum credulitas, bonæque hiſtoriæ ignorantia, fabularum dedit? quibus & hæc opinio adnumeretur, neceſſe eſt. *Batava caſtra* NOTITIA *imperii* in Rhætia habet, ſimulque nomen explicat; *Tribunus cohortis nouæ Batau rum Batauis.* De *Iſiniſca* ANTONINI & THEODOSIANAE *tabulæ*, lis eſt eruditorum, quam in

Germani in Rhætia. VII. Actutum RHAETIAE PROPRIAE & primæ fines, æuumque nostrum ferentia oppida, post Vindelicos collustramus. Eius fines fuerunt Rhenus ad *occasum*, & ad *ortum* Noricæ Alpes, Carnorumque confinium. Si latitudinem æstimaueris, contra *septentriones* Vindeliciæ limes incertus nominandus est; ad *meridiem* Italiæ confinium ponendum: vtrobique enim nequeunt distinctiores proferri termini. **Rhætiæ propriæ fines.** *Rhætorum*, qui & *Ræti* sunt, & *Rheti*, nomine sæpe Vindelici comprehenduntur, cum Rhætia prouincia intelligitur; non raro tamen populum Vindelicorum singulatim nominari, iam monuimus. **Rhætorum nominis origo.** Ipsum vocabulum a Rhæto duce creditur acceptum esse, postquam ille Tuscæ, siue Tyrrhenæ, nationis magnam coloniam trans Alpes duxisset; & a Vindelicis, qui antea latissimis feruntur finibus insedisse, impetrasset, vt arcto fœdere vterque in vnam quasi coalesceret gentem populus. **Rhætici pagi.** Rhætorum multas ciuitates Plinius atque Strabo enumerant. *Lepontii* Rhodani adcoluere fontes, eorumque diuersus *Viberorum* pagus exstitit. *Sarunetes* amnis Rheni ortui adsiti fuerunt. *Camunos* supra Sueuinum lacum Plinii & Strabonis interpretes locarunt. *Vennones*, qui & *Vennonetes*, & *Vennii*, & *Vennonii*, sunt, infra Larium lacum ad ortum habitarunt. *Stonos*, quos inscriptio rectius *Stænos* adpellauit, Strabo in Rhætis simul numerauit. Coluerunt autem illi Alpes, non Rhæticas, sed maritimas, Liguriam versus, & ipsi censiti in Liguribus. Verius *Breuni* & *Genauni* in Rhætis referuntur; in finibus Rhætorum Vindelicorumque siti: vnde etiam a quibusdam in Vindelicos relati sunt. *Brixentes* Plinii, quos *Brixantas* Ptolemæus vocat, consensu

pluri-

medium relinquimus. Reliqua loca, eorumque distantiam, indicat ITER Augusta Vindelicorum Brigantium:

Augusta Vindelicorum	
Guntiam	M. P. XXII
Cetium montem	M. P. XVI
Campodunum	M. P. XIIII
Vemaniam	M. P. XV
Brigantiam	M. P. XIV

Did. MARCVS VELSERVS *Rer. Augusta Vindelicorum libris*; & CELLARIVS *Geogr. Ant. Lib. II. Cap. VII.*

plurimorum apud Aisacum amnem, quem Atagin adpellant, colluerunt. Illis in finibus hodie oppidum est, cui *Brixen* vulgare nomen, haud illud dubie a veteribus Brixentibus aut habitatum, aut saltem nominatum (*k*). *Germani in Rhætia.*

Rhætiæ clariores & hodieque superstites vrbes.

IIX. Vrbes varias multasque Rhæti habuerunt, quarum eam modo partem respicimus, quæ in Germaniæ est hodie finibus, & ad nostram peruenit ætatem. Ad Athesin *Tridentum* fuit, in Antonini itineribus Augusta Veronam, & alibi pluries, memoratum; nec hodie ignotum aut inglorium. Tridentinos Strabo & Plinius, hic etiam Feltrinos, *Feltriæ* vrbis, haud procul Tridento ad orientem sitæ, incolas, profert. *Vel lidena* in eodem cursu, qui Augusta Veronam ducit, septentrionem versus fuit. Olim nobilem fuisse vrbem,

ex

(*k*) *RHAETIA* propria intelligitur, quoties simul Vindelici nominantur. SVETONIVS *Aug Cap. XXI Domuit Rhætiam & Vindelicos.* VELLEIVS *Lib. II. Cap XXXIX. Rhætiam, & Vindelicos, ac Noricos, Pannoniamque, nouas imperio nostro subiunxit prouincias.* Fines propriæ Rhætiæ, quantum ex STRABONE Lib IV. & VII. colliguntur, vidimus. Nomen varie apud auctores scriptum reperitur. Vulgaris scriptura *Rhætia*, & *Rhæti*, est a Græcis, STRABONE, PTOLEMAEO, DIONE; quibus sunt Ῥαιτοὶ & Ῥαιτία. Monimenta varia adspirationem omittunt. NATIONE RAETO; REINESIVS *Inscript. Class VIII Num. XIII.* & EX RAETIS; GRVTERVS *Inscript. fol. CCCCXXXIX.* sine diphtongo *Rhetias* AMMIANVM scripsisse LINDENBROGIVS contendit. Ei fauet nummus Hadriani, quem *Illustris* SPANHEMIVS protulit, cum inscriptione EXERCITVS RHETICVS. Contra VALESIVS vbique in AMMIANO, optimis codicibus fretus, reposuit *Ratiam* & *Ratias*. D. Rhætorum origine IVSTINVS *Lib. XX. Cap V. Tusci quoque*, inquit, *duce Rhæto, auitis sedibus amissis, Alpes occupauere, & ex nomine ducis gentes Rhætorum condiderunt.* Et PLINIVS *Lib. III. Cap XX. Rhætos*, inquit, *Tuscorum prolem arbitrantur a Gallis pulsos, duce Rhæto.* De Rhæticis pagis, quos commentatio nostra persequitur, vid PLINIVS *Lib III. Cap. XX.* STRABO *Lib. IV.* PTOLEMAEVS *Lib. II. Cap. XII.* DIO CASSIVS *Lib. LIV.* Quosdam coniungit HORATIVS *Lib. IV Oda XIV.* de Rhætica victoria ad Augustum canens:

Vindelici didicere nuper,
Quid marte posses: milite nam tuo
Drusus Genaunos, implacidum genus,
Breunosque veloces, & arces
Alpibus impositas tremendis,
Deiecit acer plus vice simplici.
Maior Neronum mox graue prælium
Commisit, immanesque Rhætos
Auspiciis pepulit secundis.

Germani in Rhætia. ex itineribus Antonini patet, quæ Lauriaco & inferiore Aeni-ponte diriguntur Veldidenam: nunc vicus est *Wilten*, creuitque ex eius ruinis illustris *Aenipons*, præcipua Tirolensium ciuitas. In Athesis ripa superiore *Terioli* arx & oppidulum inter fontes, & *Bauzanum* fere medio loco, spectatur; idque nomen non hodie incelebre imperii notitia sub duce Rhætiarum non semel meminit. Ipsum *Bauzanum* siue *Bauxara*, non ignobile etiamnum emporium est, *Botzen* nostris dictum. Larius lacus *Clauennam* habuit, nostris *Cleuen* nuncupatam. Contra aquilonem ad dextram Rheni ripam *Curia* sita fuit; hodieque nominis sui vrbs retinens. Vult aliquis, fuisse Curiam Rhætiæ primæ quondam caput; Augustam secundæ Rhætiæ: argumento præsertim a nomine, quod in nostra lingua palatium sonet, petito. Qui vero ad itinera, quæ per Rhætiam Veldidenam diriguntur, a Laureaco, a Ponte Aeni, ab Aquileia, attendunt animum; nec vllum Curiam dirigi reperiunt: Veldidenam illo nomine posse Curiæ præferri, non inepte iudicant. A Curia ad Brigantinum lacum descendentes Theodosiana tabula per *Magiam* ducit, atque *Cluniam*, ad Rhenum sitas vrbes; quarum vestigia nunc *Meyenfeld*, & oppidum *Feldkirchen*, ostendunt. Rhætorum orientale latus a CARNIS finiri diximus. Pleraque eorum oppida sunt hodie in Italia: & aliena nos non curamus. Est vetus tamen *Aquileia*, ampla ciuitas, nobilissimaque colonia; quæ tenet nomen, hodieque, licet plurimum imminutis eius opibus, in Germaniæ extremis est finibus. *Tergeste* etiam, nunc vulgo *Trieste*, ad Tergestinum, quem Plinius habet, sinum clara exstitit colonia; eodem, quo Aquileia, nomine hic memorabilis (*l*).

IX. Rhæ-

(*l*) STRABO *Lib. IV.* *TRIDENTINOS*, & eosdem PLINIVS *Lib. III. Cap XX.* cum *FELTRINIS* memorauit. *Feltrini*, & *Tridentini*, & *Berunenses*, *Rhætica oppida.* *Feltria* nobilis vrbs fuit; multis cognita lapidum inscriptionibus, quales vide in GRVTERO *fol. CCLXXIII.* &

Rhætiæ communia fata.

Germani in Rhætia.

IX. Rhætorum Vindelicorumque, quorum iam coniungimus fata, par prope in omnibus & similis fortuna fuit. Aequalis vtriusque populi, eo fortassis nomine *Semigermani* a Liuio adpellati, libertas ante exstitit, & amica in bella contra Romanos gerenda conspiratio.

Romana dominatio.

An. V.C. DCCXXXIX. Ante C.N. XIII.

Vno eodemque tempore a Romanis Augustæo æuo oppressi sunt, & sub iugum missi; in vnam etiam imputati prouinciam, & ab vno diu præside regnati. Posthac Germanis non Vindelici magis, quam Rhæti, fuerunt prædæ; semper atque æternum infestis ab illis vexati bellis. Postremum vtraque natio a Germanis oppressa est, eiusque sedes in Germaniæ complexionem versæ sunt.

CCCCIX. Hodie *Feltre* est in Veneta ditione *Terioli* in NOTITIA *Imperii* sub duce Rhætiarum laudatur, vbi est *Præfectus Legionis tertiæ Italicæ, transuectioni specierum deputatæ, Teriolis*: & mox *Tribunus gentis per Rhætias deputatæ, Teriolis*. Hodie arx & oppidulum *Tyrol* vocatur. *Bauxanam, Bauzonum* PAVLVS VVARNEFRIDVS *Hist. Longob. Lib. V. Cap. XXXVI.* adpellat. *Clauenna* & *Curia*, & in ITINERIBVS nota oppida sunt, & a PAVLO VVARNEFRIDO sæpe memorantur. *Lib VI. Cap. XIX. Ansprandus fugit Clauennam*; & *Cap. XXI. Ansprandus fugit Clauennam: deinde per Curiam, Rhætorum ciuitatem, venit ad Baioariorum ducem.* *Curiam* caput Rhætiæ primæ fuisse contendit MARCVS VELSERVS *Lib. VI. Rer. Aug. Vindel.* *Magiam* & *Cluniam* præter TABVLAM *Theodosianam* nullum aliud monumentum illustrat. *CARNI* in Alpinis gentibus, & in ipsa Italia, in antiquitate sunt relati. POMPONIVS *Lib. II. Cap IV.* maritimos Italiæ populos percensens initium facit a *Carnis*; *Sinistra*, inquit, *parte Carni & Veneti colunt Togatam Galliam.* Vid. etiam STRABO *Lib. VII.* PLINIVS *Lib. III. Cap. XIIX.* *Aquileia*, antiquæ coloniæ, originem LIVIVS *Lib. XL. Cap. XXXIV.* descripsit. *Aquileia colonia Latina eodem anno* (inter I. & II. Bellum Macedonicum erat) *in agro Gallorum est deducta.* Eadem nouis colonis post annos quosdam aucta, teste EODEM *Lib. XLIII. Cap. XVII.* STRABO *Lib. V.* *Opus Romanorum, munitam aduersus supra illam habitantes barbaros, Aquileiam vocat*; *πόλισμα Ῥωμαίων ἐπιτειχισθὲν τοῖς ὑπερκειμένοις βαρβάροις.* Laudat eandem Aquileiam HERODIANVS *Lib. VIII. Cap. II.* ZOSIMVS *Lib. V.* AVSONIVS *de claris Vrbibus.* Aquileiæ triste fatum enarrat IORNANDES *de Rebus Geticis.* *Sinum Tergestinum* PLINIVS *Lib. III. Cap. XVIII.* a colonia *Tergeste*, quæ citra Formionem adiacet, adpellat. Ipsa *Tergeste* laudatur etiam a MELA *Lib. II. Cap. III.* & VELLEIO *Lib. II. Cap. CX.* Meminere etiam eius præter STRABONEM *Lib. VII.* & PTOLEMAEVM, ITINERA & INSCRIPTIONES: vnde claram fuisse antiquitus coloniam constat: a quo & quando deducta? nusquam adparet. Reliqua Carnorum non moramur.

Germani in Rhætia. ſunt. Romanum in Rhætia imperium vnus a primo præſes adminiſtrauit: deinde diuiſis incerto æuo prouinciis bini præſides ſunt præfecti; quorum vnum Auguſtæ, alterum Curiæ, ſeu Veldidenæ, reſediſſe, opinio fert. Marcus contra Germanorum impreſſiones duas legiones in Norico & Rhætia inſtituit. Hadrianus iam & ante Rhætici limitis ducem eodem animo conſtituerat. Nequicquam hiſce præſidiis collocatis ſæpe & iterum in prouinciam Germani inuaſerunt, cum omnino trans recentem Danubium imperii limes promotus eſſet. *Germanorum frequentes excurſiones.* Erant *Catti*, *Sueui*, *Marcomanni*, *Quadi*, qui creberrime primis ſeculis integram peruagati prouinciam, onuſti ſpoliis prædisque, domum reuerſi ſunt. Cum autem *Alemannicum* ſurrexiſſet fœdus, atque de ſua trans Danubium prouincia plane Romani depulſi eſſent; tum demum Rhætiæ fruſtra Romanis obſiſtentibus, ingens incubuit vis calamitatum. Iam quarto ſeculo, vt hoſtiles ſileam incurſiones, colonias in Rhætiam ducere, prouinciamque occupare, Alemanni cœperunt. Quinto ſeculo plus cis Danubium Alemannia ſtare cœpit, quam trans nobilem iſtum fluuium. Equidem Romani modo Burgundiones, modo Alanos atque Hunnos, immiſere in Alemannos, cum ipſi bellis ſuſtinendis non ſufficerent. At tenuere tamen extremum *ALEMANNI* vota, Rhæticumque agrum ſuo maxime nomine oppleuere. Quam *Alemanniæ* nomen per alterum *Sueuiæ* eo æuo deprimi cœperit, & qui illud acciderit? alio eſt declaratum loco. Nos meminimus, Alemannia cis Rhenum explicata, Sueuiam paulo poſt non minus cis Danubium ſtare cœpiſſe, magnamque & Vindelicorum & Rhætorum occupaſſe partem *(m)*.

(m) LIVIVS *Lib. XXI. Cap. XXXVIII.* in deſcriptione tranſitus Hannibalis in Italiam per Alpes, *Itinera*, ait, *obſeſſa fuiſſe gentibus Semigermanis*: quæ niſi Rhæti Vindelicique non fuerunt. Rhætorum Vindelicorumque oppreſſio vno eodemque tempore accidit. Teſtantur eam vno ore SVETONIVS *Aug. Cap. XXI.* VELLEIVS *Lib. II. Cap. XXXIX.* LIVIVS *Epit. CXXXVI.*

Rhætia in Alemannorum & Boioariorum possessionem vertitur.

Germani in Rhætia.

X. Seculum ergo sextum fuit, quo Rhætiarum pars maior a Germanis insideri cœpta est. Fuere permisti cum *Alemannis Hermunduri Sueui*, qui & venere in istius regionis possessionem, & nomen intulerunt suum: vt tamen, quod monui, magis Alemanniæ nomen Rheni vtriusque ripæ vicinos agros comprehenderet, priscique Alemanniæ fines Sueuiæ magis nomini cederent. Inter ea *Boioarii* illustrari cœperant trans Danubium in Nariscorum antiquis finibus. Hos etiam sexto ineunte seculo in Rhætiam & Noricum transmisisse, plerique adseuerant. Ita *Alemannos, Sueuos*que, nunc & *Boioarios*, omnes Germanicas gentes, Rhætia habuit. Qui-

FLORVS *Lib. IV. Cap. XII.* EVTROPIVS *Lib. VII. Cap. V.* HORATIVS *Lib. IV. Oda IV. & XIV.* OVIDIVS *Tristium Lib. II. Vers. 226.* Varias Germanicarum nationum in Rhætias impressiones historia dabit. Præcipue Rhætias ab hostibus Germanis vindicarunt, Marcus & Verus imperatores; CAPITOLINVS *in Marco Cap. XIV.* Pertinax Marci auspiciis; CAPITOLINVS *in Pertin. Cap. II.* Antoninus Caracalla; SPARTIANVS *in Caracall. Cap. V.* Aurelianus; VOPISCVS *in Aurel. Cap. XXXV.* Diocletianus; MAMERTINVS *Genethl. Maximiano Cap. VII.* Iuliani ceterorumque victorias de hostibus Rhætiam inuadentibus AMMIANVS & ZOSIMVS passim persequuntur. Rhætiæ victæ a Romanis præses vnus datus TACITI æuo procuratoribus cohibebatur; TACITVS *Hist. Lib. I. Cap. XI. & Lib. III Cap. V.* Prætores etiam Rhætiam rexerunt, & ex iis *Porcius Septimius incorrupta erga Vitellium fidei* fuit; quod scribit TACITVS *Hist. Lib. III. Cap. V.* Et Pertinax prætor fuit in Rhætia CAPITOLINVS *in Pertin. Cap. II.* Duo deinceps præsides Rhætiæ primæ & secundæ dati, qui Vicario Italiæ, eiusque Præfecto, suberant; NOTITIA *Imperii Occidentalis*, & PANCIROLLVS *Comment. Parte II. Cap. LX.* DVX cum militaribus copiis præerat vtrique prouinciæ; *Fuluius Boius, dux Rhetici limitis*, laudatur a VOPISCO *in Aureliano Cap. XIII.* & ab EODEM *in Bonoso Cap. XV. Bonosus, dux limitis Rhetici.* NOTITIA *Imperii de duce Rhætiæ prima & secunda*, & PANCIROLLVS *Comment. Cap. LXXXII.* Alamanni extremi fortiter Rhætias tentarunt, & occuparunt. AMMIANVS *Lib. XVII. Cap. VI. Lib. XXVI. Cap. IV. V.* HIERONYMVS *Epist. III. ad Heliod.* EVGIPPIVS *Vita S. Seuerini.* IORNANDES *de Rebus Geticis.*

Germani in Rhætia. Quibus principio hi populi fuerint inuicem distincti limitibus, nemo facile arbitrabitur: nullum enim tempus historiæ luce magis est, quam illud, destitutum. Fortassis tamen, qui Boioarii longe lateque Noricum occuparunt, Rhætiæ maiorem partem Sueuis reliquere. Aeuo adultiori Licum amnem Sueuiam diuisisse & Boioariam nouimus: nil & prohibet, eundem limitem primo æuo adserere. Ad austrum, quo vsque diuersis ætatibus Boioarii Sueuique agros prolatauerint; nemo docere aptus est. Certe *Rhætorum* reliquos montosas asperasque regiones seruasse, constat; non adeoque prorsus expulsos ex prisca patria, aut penitus excisos. Itaque, australibus Rhætiæ partibus a Rhætis porro habitatis, cetera nunc promiscue Germanorum fuere. De imperio, quod, Romana his locis protrita maiestate, Rhætiæ subierunt, parum admodum attinet dicere. Sui fuerunt iuris Alemanni, Sueui, & Boioarii, cum partirentur inter se Cisdanubianas prouincias. Alemannos autem, potentissimam alioqui nationem, cum Francis commissos fortuna deseruit, & in duram
An. CCXCIX. seruitutem traxit. Sueuos, gesti, quod videtur, belli socios, eadem fortuna in clientelam Francorum transire compulit. Pars Alemannorum cum Rhætis diu Ostrogothici regis, Theodorici, fauore contra Francos fuere tuti: & hi tamen extremum vastam Franciam noua auxisse videntur accessione. Boioarios, plerumque constituunt, Theodorici regis beneficio amplissimarum regionum possesione locupletatos esse: nec id ego negare ausim. Et hos vero, licet iustum tempus susceptæ clientelæ admodum sit dubium, Francorum se, non

diu post Alemannos, atque post Sueuos, comi imperio permisisse nouimus (*n*). *Germani in Rhætia.*

(*n*) *BOIOARIORVM* impressio in Rhætiam & Noricum memoratur ab AVENTINO *Cap. I. Lib III.* BRVNNERO *Part. I. Lib. IV.* qui multa AVENTINI commenta refutat, & quæ videantur vera, saltem probabilia, docet. Vid. etiam ADELZREITERVS *Ann. Boi. Part. I. Lib. VI.* Rhætorum status inde varius fuit. Cum *ALEMANNI* Rhætias insedissent, Rhæti proprii intra montes rupesque conclusi sunt. Ita interpretantur passim auctores SIDONIVM APOLLINAREM *Panegyr. V. Maioriano dicto, Vers. 373.*

Condescenderat Alpes,
Rhætorumque iugo per longa silentia ductus,
Romano exierat populato trux Alemannus,
Perque Cani quondam dictos de nomine campos
In prædam centum nouies dimiserat hostes.

Nisi etiam fallor, hoc sibi vult PAVLVS DIACONVS *Lib. II. Cap. XV.* cum dicit: *Inter hanc* (Liguriam) *& Suauiam, hoc est, Alamannorum patriam, quæ versus septentrionem est posita, duæ prouinciæ, id est, Rhætia prima & Rhætia secunda, inter Alpes consistunt, in quibus proprie Rhæti habitare noscuntur.* Fortassis regio Rhætorum reliqua priscam seruauit diuisionem, licet multum coangustatis finibus. Hi intra Alpes Rhæti Ostrogothorum, qui Italia potiti erant, imperio paruerunt, & ducem acceperunt. CASSIODORVS *Lib. VII. Variar. Form. IV. Ducatus Retiarum munimina Italiæ & claustra prouinciæ* vocat, *quæ*, inquit, *non immerito sic adpellata esse indicamus, quando contra feras & agrestissimas gentes sunt velut quædam plagarum obstacula.* Alibi CASSIODORVS *SERVATVM*, Rhætiæ ducem, memorat. Postquam autem omnes Alemanni Francicam suscepissent clientelam, ipsi etiam Rhæti Francorum imperium subierunt, & præsidem more Romano acceperunt. Tales præsides Rhætiæ fuisse *VICTOREM*, *IACTATVM*, filium, *ZACCONEM* nepotem, huiusque posteros, ex marmoribus & monumentis priscis testatur FRANC GVILLIMANNVS *de Rebus Helueticorum Lib. IV. Cap. II.* in quo præterea egregia multa de Rhætis profert. De fatis Alemannorum & Sueuorum ex GREGORIO TVRONENSI *Hist. Franc. Lib. II. Cap XXX.* & ex FREDEGARII *Hist. Franc. Epitom. Cap. XXI.* satis constat, & iam multa in Alemannis dedimus.

CAPVT

CAPVT III.

SVBALPINAE ITALIAE GERMANICI ET GALLICI POPVLI.

I.

RHætiæ confinis ea exſtitit pars Italiæ, quam, quod Gallos, quos Germanos maximam fuiſſe partem oſtendimus, habuit habitatores, GALLIAM CISALPINAM vocare moris fuit. Eius regionis tum mentionem fecimus, cum nationis noſtræ deſcriberemus fines. Eſt etiam hæc præſertim Italiæ pars ab Herulis Rugiſque, a Gothis, atque a Longobardis, infeſſa; regnique Italiæ Germanici eadem præcipua ſedes fuit. Quæ ſimul poſtulant iubentque, vt breuibus veteres eius exploremus rationes, regnorumque in ea ſeriori æuo conditorum ſtatum intelligendi ſuppeditemus maiorem commoditatem. Antequam *Galli* in Italiam immigrarent, quod factum Tarquinio Priſco imperante Liuius perhibet, Subalpinam hanc Italiam tenuerunt *Etruſci*, qui & *Tuſci*, atque *Tyrrheni*, adpellantur, ſimul & *Vmbri*; quos vtroſque Liuius memorat. Thuſcorum pars Rhæto fertur duce in Rhætiam poſt Gallorum aduentum conceſſiſſe; indeque Rhætiæ nomen vulgo accipitur. Galli a Liuio ex Cisrhenana & Celtica Gallia ſatis clare deducuntur. Subeſſe autem errorem ex communi ambiguitatis nominis Gallici ignorantia tractum, aliisque auctoribus maiorem eſſe habendam fidem, qui plane ex extrema Germania hoſce Gallos ſuos aduocauerint; iam alibi a nobis ſatis oſtenſum eſt. Poſtquam occupaſſent Circumpadanas Galli regiones, nomen *Galliæ Ciſalpinæ*, ſiue *Citerioris*, natum eſt;

Galliæ Ciſalpinæ a nobis conſiderandæ rationes.

An. V. C. CLXIII. Ante C.N. DLXXXVIII.

Galliæ iſtius nomina

& distributio. est; vt distincta esset Transalpina, & vlterior, Gallia. Licet inde rarius illa Gallia, antequam eam Augustus cum reliqua Italia in regiones XI. describeret, Italiæ nomine veniret; non est tamen ignota *Subalpinæ Italiæ* denominatio, qua hæc citerior Gallia notaretur. Post Augustum Galliæ nomen rarissime occurrit, cum antea frequentissimum fuisset. Ex Pado fluuio, qui mediam diuisit hanc Galliam, vocabula accepta sunt *Circumpadanæ* & *Transpadanæ*, Galliæ; quibus si nouam *Cispadanæ* Galliæ vocem adieceris, licet vetus auctor vix eam agnoscat, ob verbi analogiam non peccaueris (*o*).

Germani in Subalpina Italia.

II. Fines

(*o*) *GALLI* immigrarunt in Italiam. LIVIVS *Lib. V. Cap. XXXIII. sequ.* Sed qui Galli? docent FLORVS *Lib. I. Cap. XIII.* PLVTARCHVS *in Camillo.* *GALLI CISALPINI* dicti; LIVIVS *Lib. V. Cap. XXXV* dubius est, *solane gens Senonum Romæ bellum intulerit, an ab omnibus Cisalpinorum Gallorum populis adiuta?* Eosdem adpellat *Lib XXVI. Cap XXXVIII.* *GALLIAE CISALPINAE* nomen est in CICERONE *pro Lege Manilia Cap. XII. Gallia Cisalpina præsidiis & nauibus confirmata.* IDEM *Lib. X. Epist. IV. Sum*, inquit, *in exspectatione omnium rerum, quid in Gallia citeriore, quid in Vrbe mense Ianuario geratur, vt sciam.* Citeriorem etiam memorat Galliam *de Consul. Prou. Cap. XV & XVI* *GALLIAM* simpliciter nominat & *Cisalpinam* intelligit rursus CICERO *Philipp. XII. Cap IV. Gallia D. Bruti nutum ipsum, ne dicam imperium, sequuta armis, viris, pecunia, belli principia firmauit;* VELLEIVS *Lib. II Cap LX. Idem* (Antonius) *prouinciam D. Bruto designato consuli decretam Galliam occupare statuit;* & EVTROPIVS *Lib II. Cap. IX. Condita a Romanis ciuitates, Ariminum in Gallia, & Beneuentum in Samnio.* Dicta & *GALLIA TOGATA.* CICERO *Philipp. VIII. Cap. IX. Galliam Togatam remitto, Comatam postulo;* & ita DIO CASSIVS *Lib XLVIII.* MARTIALIS *Lib. III Epigr. I* HIRTIVS *Bell. Gall. Cæs. Lib. VIII Cap. XXIV. & LII* PLINIVS *Lib III. Cap. XIV.* MELA *Lib. II Cap. IV.* illa adpellatione vtuntur. *ITALIA* ante Augustum raro illa pars vocata, præter quod POLYBIVS *Lib. II. Cap. XIII.* τὰς κατὰ τὴν Ἰταλίαν Κελτὰς, *Gallos in Italia*, & *Lib. III Cap. LIV. Italiam Alpibus subiacere* dicit Sed *ITALIAE SVBALPINAE* vocem PLVTARCHVS *in Marcello & in Cæsare*, cum PLINIO *Lib XVI Cap. XI.* agnoscit. *CIRCVMPADANAE GALLIAE* compellatio est in LIVIO *Lib. XXI. Cap. XXXV.* & in PLINIO *Lib XIV. Cap. XX.* *TRANSPADANORVM* in TACITO, SVETONIO, CICERONE, crebra mentio. *Regionem Transpadanam* vocat TACITVS *Hist. Lib I Cap. LXX.* & *TRANSPADANAM ITALIAM* IDEM *Hist. Lib II Cap XXXII.* & PLINIVS *Lib. XVI. Cap. XV.*

Germani in subalpina Italia. II. Fines huius Galliæ tantum terrarum complectuntur tractum, quantus Alpes inter Rhætorumque & Noricorum confinium, atque propriam, siue mediam, Italiam situm fuit. Non vero omnes populi Galli Germanique fuerunt, qui latissimis istis regionibus insederunt, sed multi populi in illam Galliam sunt imputati, qui indigenitate seruarunt solum: adnomine modo a pluribus adsumto. Versus *septentriones* & ad *occasum* vndique Alpes Galliam citeriorem finierunt; coronæ instar Galliam cingentes, variisque nominibus, ab accolis maxime acceptis gentibus, passim insignitæ. Alpes *maritimæ*, quæ Liguriam prætexuerunt; *Cottiæ*, *Graiæ*, atque *Penninæ*, quæ diuiserunt vlteriorem Galliam; *Rhæticæ* demum, *Noricæ*, atque *Carnicæ*, quæ Rhætos, Noricos, Carnosque, discluserunt, adpellatæ sunt. Qui Liguriam in Galliam nostram imputant, Varum fluuium porro ad occasum nominant, quo Liguria a Transalpina Gallia separetur. Ad *ortum* antiquius Formione amne Gallia finita est; mox Istria ad Polam vsque, & extremum omnis ad Arsiam vsque flumen, Galliæ adiecta est. Versus Italiam propriam varii statuuntur trans Apenninum montem fines; ii tamen omnes veri, si tempora rite æstimaueris. Primum Galli ad Aesim fluuium, & Amonam vsque, in Italiam inuaserunt; qui ideoque limites a Liuio & Plinio recte antiquiori Galliæ sunt attributi. Sed postquam expulsis Senonibus inter Aesim & Rubiconem ager inter ciues est distributus, vt propriæ Italiæ pars esset; recte exin Plutarchus aliique auctores Rubiconem amnem Cisalpinæ Galliæ, & Italiæ, limitem nuncuparunt: vt tamen *Gallicanus ager* recens parta terra porro vocaretur. Ad *meridiem* Galliam Apenninus mons, & Liguriam, si & hæc in Galliam nostram refertur, ab Etruria Macra fluuius, ex montibus in Ligusticum procurrens mare, disterminauit. Liguriam ad Augustum vsque *Comatæ Galliæ* auctores adscripserunt: eius enim æuo demum Ligures perdomiti sunt,

& in togæ ius omnes transierunt. Citius reliqua nostra *Gallia*, si Alpinas gentes, non minus æuo seriore debellatas, exceperis, est *Togata Gallia* nuncupata: victæ tamen & in prouinciæ formam redactæ, regionis, nam antea istud nomen inauditum fuit, argumento (*p*).

Germani in subalpina Italia.

Populi huius Galliæ in Germanis referendi.

III. Populos Galliæ huius consideraturi parum eos moramur, qui imputati modo in Galliam sunt, non ipsi Galli fuerunt genere. Ita *Ligures*, ad mare siti Ligusticum, non Galli fuerunt: nec Alpinæ gentes, *Taurini*, & *Salassi*; nec *Euganei*, supra Rhætos siti; nec *Veneti*, *Carni*que, Adriatici maris accolæ. Fuerunt autem Galli supra Rhætos *OROBII*, ad superiorem Padum *INSVBRES*, & post eos ad occasum *CAENOMANI*. Cis Padum circa Appeninum primos *ANANES* locat Polybius, ceteroquin obscurissimam nationem; deinde *BOIOS*; post hos Hadriam versus *AEGONES*, rursum ignotos aliis auctoribus: postremo omnium ad mare *SENONES*. Galli hi, inquis, vere sunt, sed Cisrhenani; non quos commune Gallorum notauit nomen: causam & præcipue nominibus testantibus, quæ eadem in Cisrhenana Gallia eodem æuo superarunt. Verum non ego negabo, nomina cis Rhenum æqualia ciuitatum exstitisse. Potuere autem, cum ex extrema ad oceanum Germania vis populorum insignis migrasset, partes earundem gentium in Cisrhenanam Galliam concedere, ibique sedes figere, nomenque suum cis Rhenum inferre; cum earum reliqui Alpibus superatis inuaderent in Italiam. Fortassis etiam vastæ coloniæ per ipsam fecerunt iter Cisrhenanam Galliam; vnde nomi-

(*p*) *Alpium* varia nomina occurrunt in LIVIO *Lib. XXI. Cap. XXXVIII.* PLINIO *Lib. III. Cap. XVII.* STRABONE *Lib. IV.* Finium mutationes ostendunt, quæ ex LIVIO *Lib. V. Cap. XXXV.* ex PLINIO *Lib. III. Cap. XIV.* POLYBIO *Lib. II. Cap. XXI.* & PLVTARCHO *in Cæsare*, argumenta protulimus. Et si placet, vide, quæ CELLARIVS *Geogr. Ant. Lib. II. Cap. IX.* de Cisalpinæ Galliæ finibus ex illis monumentis copiose inquirit. In aliena a Germania terra, fateor, omnis mihi nimia cura videtur esse hoc saltem opere superuacanea.

Germani in Subalpina Italia. nominum vestigia. Res hæc fere omnis, fateor, coniecturis nititur. Nam æque facile Liuius fama vulgi potuit decipi, vt Subalpinorum Gallorum quæreret cis Rhenum incunabula; quam reliquos dixeris auctores per errorem esse lapsos, cum inde hos accersierint Gallos, vbi est penitissima Germania. Adde *Semnonum* nomen in Germania, quos diserte Velleius vocauit *Senones*. *Canomanorum* loco diuersa Liuii exemplaria habent *Germanorum* vocabulum. *Boios* vidimus in Hercyniis siluis; nec adhuc est decisa lis, an Galli sint genere, vtrum Germani? *Lingones* a *Lygiis*, quos Logiones etiam vocarunt, haud ita multum discrepant. Insubres, Læuosque, inuenisse nomen in Italia legimus; cum iam Thusci priores eadem nomina gesserint. Fortassis Orobiorum, Ananum, atque Aegonum, eadem sors fuit, vt priscis incolarum istius Italiæ partis vocabulis insignirentur; cum ante fortassis notiora habuissent cognomenta. De reliquo iam olim testati sumus, licet commode possimus solis Germanis nostris egregiæ in Italiam migrationis gloriam vindicare; non nos tamen, æque ac nuperos Gallos, ambitiosos futuros, sed lubenter priscos Gallos in partem partæ a nostris maioribus gloriæ suscepturos. *Moderatior nostra de hisce populis sententia.* Ita pars Gallorum Italiæ Cisrhenanæ relinquatur Galliæ; pars saltem altera maiori iure in Germanicam adseretur ciuitatem. Pone tum, cum Cimbri, Teutonique, & aliæ Germanicæ gentes, quoquouersus, præsertim in Italiam excurrerent; partem etiam Gallicarum ciuitatum factæ impressionis fauore inuasisse in Italiam, sedesque cum Germanis occupasse: nihil te morabor, cum coniecturis innitare, quas ipse in hac causa sequi necesse habeo (*q*).

 IV. Iam

(*q*) OROBIOS designat PLINIVS *Lib. III. Cap. XVII. Orobiorum*, inquit, *stirpis esse Comum atque Bergomum, & Licini forum, & aliquot circa populos, auctor est Cato.* INSVBRIVM meminit STRABO *Lib. V.* Μέγιστα τῶν Κελτῶν ἔθνη Βόϊοι καὶ Ἴνσουβροι, καὶ οἱ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἐξ ἐφόδου καταλαβόντες Σένονες. *Maximæ gentes Gallorum* (Germanorum) *Boii & Insubres sunt, &, qui Romam subita incursione ceperunt, Senones.* Eodem

De vrbibus Galliæ Cisalpinæ non hic agendi locus eft.

IV. Iam poteram, quod in Rhætia atque in Norico feci, potiores vrbes memorare, quas aut Galli Germanique noftri in Subalpina hac condidere Italia; aut quas Romani debellata demum natione erexere. Sed nihil ad nos Romanæ coloniæ, Romanaque fpectant municipia. A Germanis Gallisque conditæ villæ paucæ funt, binisque verbis monftrabiles. Sunt fere, quas Iuftinus in medium profert, omnes trans Padum fitæ; *Mediolanum*, *Comum*, *Brixia*, *Verona*, *Bergomum*, *Tridentum*, *Vicentia*, & fi quæ aliis fcriptoribus memoratæ aliæ (*r*). Tot & ingeniorum laboribus harum vrbium hiftoria eft illuminata, vt fruftra impenderimus operam, alienum a noftro inftituto argumentum, cum maxime nulla idonea nos moneat ratio, hic pertractaturi. Si enim Gothi, fi Longobardi, has omnes vrbes expugnarunt, easque exin habitarunt; non hæc caufa earum perfequi hiftoriam nos iubet. Foret alioquin infiniti laboris a nobis fufcepta materia. Ger-

Germani in fubalpina Italia.

Prouinciæ a Germa-

modo ac STRABO POLYBIVS *Lib. II. Cap. XVII.* plures cum Orobiis vna gentes defcribit: τὰ μὲν πρῶτα καὶ περὶ τὰς ἀνατολὰς τοῦ Πάδου κείμενα Λάοι καὶ Λεβέκιοι, μετὰ δὲ τούτους Ἴσομβρες κατῴκησαν, ὃ μέγιστον ἔθνος ἦν αὐτῶν· ἑξῆς δὲ τούτοις παρὰ τὸν ποταμὸν Κενομάνοι. *Prima eius regionis, quæ fontes verfus Padi fita, tenent Lai,* (Laui) *& Lebecii: poft illos Infubres habitarunt, quæ illarum gens maxima. deinceps fluuium accolunt Cenomani.* *CAENOMANOS*, quos vocat LIVIVS *Idem Lib. V. Cap. XXXV.* defcribit: *Alia fubinde manus Canomanorum*, (Germanorum) *Elitouio duce, veftigia priorum* (Gallorum) *fequuta, eodem faltu, fauente Bellouefo, quum tranfcendiffet Alpes, vbi nunc Brixia ac Verona vrbes funt,* (*locos tenuere Libui*) *confidunt.* PLINIVS *Lib. III. Cap. XIX. In mediterraneo regionis decima colonia: Cremona, Brixia, Cenomanorum agro. ANANES BOIOSque* coniungit POLYBIVS *Lib. II. Cap. XVII.* Τὰ δὲ πέραν τοῦ Πάδου τὰ περὶ τὸν Ἀπεννῖνον πρῶτοι μὲν Ἄνανες, μετὰ δὲ τούτους Βοῖοι κατῴκησαν· ἑξῆς δὲ τούτων ὡς πρὸς τὸν Ἀδρίαν, Ἄγωνες. τὰ δὲ τελευταῖα πρὸς θαλάττῃ Σήνωνες. *Vltra Padum circa Apenninum primi occurrunt Ananes, deinde Boii: poft iftos verfus Adriam Aegones: poftremi omnium ad mare Senones.* Quæ ceterum difputamus de horum populorum genere, ex iis, quæ fæpe diximus, iam illuftrantur.

(*r*) IVSTINVS *Lib. XX. Cap. V. Galli*, inquit, *quum in Italiam veniffent, fedibus Tufcos expulerunt, & Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, Vicentiam, condiderunt.* De reliquis vrbibus vid. laudatus CELLARIVS *dicto loco.*

Germani in Italia Cisalpina.

Germani omnem demum Italiam occuparunt, Regnumque Italiæ, imo & Romani imperii maiestatem, cum Germania coniunxerunt. Roma & ergo ipsa Germaniæ victrici cessit. Num ergo nostrum erit, omnes Italiæ regiones solerti cura inperspicere, Italiæque moliri geographiam? Ita vero, & omnis Gallia, & Hispania omnis, & pars maior Britanniæ, & imo littoralis Africa, curiosis erit a nobis pertractanda oculis; quod omnes hasce amplissimas regiones nostra quondam occupauit Germania. Verum facessant hinc istæ a nobis curæ. Nostrum est, Germaniæ regionem, & Germaniæ priscos populos, vbiubi antiquitus sitos, contemplari. Hunc nobis laborem sumsimus, & maximam nunc partem exantlauimus. Eo etiam animo in Italiam intrauimus, qua leuiter perspecta non diutius immorari in rebus haud adeo necessariis opus est. Alia exspectant otia, *Germanicæ Galliæ*, *Germanicæ Hispaniæ*, *Germanicæ Italiæ*, *Germanicæ Africæ*, *Germanicæque Britanniæ*, curiosæ commentationes.

Germanis prostrato demum Romano imperio incessæ, non ad præsentem nostram spectant curam.

V. Igitur ex Italia protinus eo redimus, vnde ad eam diuertimus. Quod enim ad Germanicarum Gallicarumue in Italia sedium historiam pertinet, quando ferantur gentes in Italiam migrasse, & vnde? sæpe & sæpius dictum est. Debellata est Gallia Cisalpina a Romanis non vno eodemque tempore, sed per varias diuersasque vices. Proximi Romanæ prouinciæ primum victi, pars etiam, vt Boii, Senonesque, agris omnino expulsi sunt. Alpibus vicini populi nonquam Romano imperio in vnius delapso potestatem, perdomiti sunt. Ex inde CCCC. habuit Romanum imperium annos, & regiones semel in ditionem redactas, quicquid conarentur Germani, & egregiis licet maxime imminerent prouinciis, semper seruauit. Vix quintum autem seculum inchoatum erat, cum primum grauissima Germanorum arma hæc Italiæ pars persentisceret, mox verteretur in plenam Germano-

Germanicorum in Gallia Cisalpina regnorum breuis mentio.

 mano-

manorum possessionem. Ex iis gentibus, quæ possidere coeperunt hanc Subalpinam Italiam, primi *Rugii Heruli*que fuere; quorum rex *ODOACHER* occidentis destruxit & protriuit imperium. *Gothi* deinceps inuaserunt in Italiam, & stabilius in ea condiderunt regnum; cuius iterum potior sedes nostra fuit Cisalpina Gallia. Gothico regno Græcis demum expugnato armis, *Longobardi*, noui Italiæ possessores, aduentarunt; & per annos CC, & quod excurrit, firmo imperio hanc, imo & vlteriorem, Italiam complexi, effecerunt, vt maxime hæc Italiæ portio ab ipsis cognominaretur (*s*).

Germani in Subalpina Italia.

An. CCCCLXXVI.

An. CCCCXC.


An. DLXVIII.

Cetera

(*s*) Perpetua Romanis cum Gallis bella fuerunt, quibus demum in prouinciam redacta *GALLIA CISALPINA*, & Boii omnino expulsi sunt. POLYBIVS, LIVIVS, præcipui horum bellorum scriptores sunt. Conf. FLORVS *Lib. I. Cap. XIII. Lib. II. Cap. IV. XI.* EVTROPIVS *Lib. III. Cap. II.* OROSIVS *Lib. IV. Cap. XIII.* Romanis imperatoribus obuiam Germani sæpe in hanc ipsam Cisalpinam Galliam infestis iuere armis. Sic ætate Antoninorum, quod XIPHILINVS ex DIONE memorat. Ita Valeriani æuo, quo Rauennam vsque Germani peruenerunt: testibus EVTROPIO *Lib. IX. Cap. VI.* A. VICTORE *de Cæsaribus Cap. XXXIII.* OROSIO *Lib. VII. Cap. XXIII.* Rursus Aureliano imperante, quo omnia circa Mediolanum grauiter a Marcomannis vastata sunt: scribente VOPISCO *in Aureliano Cap. XIIX.* Quinto seculo ineunte illa pars Italiæ a *GOTHIS* primum sub *Alarico*, rursum sub *Radagaiso*, & iterum sub *Alarico*, vastata est. ZOSIMVS *Lib V.* OROSIVS *Lib. VII. Cap. XXXVIII. XXXIX.* *HERVLI RVGII*que sub *Odoacbro* in Italiam peruaserunt. IORNANDES *de Regn. Successione.* MARCELLINVS *Com. Indict. XIIII.* EVGIPPIVS *Vita S. Seuerini Cap. XXXII.* *GOTHI*, duce *Theodorico*, paulo post Italia sunt potiti. IORNANDES *de Regn. Success. & de Rebus Get.* PROCOPIVS *Bell. Goth. Lib. I.* *LONGOBARDORVM* impressio in Italiam copiose a PAVLO VVARNEFRIDO *Hist. Longob. Lib. II.* describitur. A postremis possessoribus Germanis nomen prouinciæ datum *LONGOBARDIAE*, siue *Langobardiæ*. FREDEGARIVS *Chron. Cap. CX.* *Francorum*, inquit, *agmina ad partes Langobardiæ cum omni multitudine per Lugdunum Galliæ & Viennam pergentes vsque Mauriennam peruenerunt.* ANNALES *Caroli M. ad Ann.* DCCCIV. *Imperator in Langobardiam profectus est.* GVNTHERVS *Ligurin. Lib. II. ap.* REVBERVM *pag. 304.* tracto errore de Longobardorum nominis origine ait;

Signato nomine tellus
Dicitur a longis ea Longobardia barbis.


Seduni
ONENSIS GALLIAE
Veragri
Pennina
Durias
Adula
ITALIAE FINES
46
45



Cetera nunc recentiora ſunt, quam vt ad ea hic attendamus animum. Ergo, vt ante Viſtulam, Danubiumque, fluuios ſumus ſequuti, ita reduces in Rhætiam transmiſſo Rheno inſignem hunc fluuium ſequimur, & ad Cisrhenanos Germanos, in Gallia conſtitutos, contuemur.

Rheni occidentalis lateris luſtratio.

CAPVT IV.

GERMANIAE ACCESSIONVM GALLICARVM QVARVNDAM PROVINCIARVM CONTEMPLATIO.

I.

IN primos cis Rhenum incidimus

HELVETIOS;

populum, cuius primo in Germania loco meminimus; quem rurſum conſiderare neceſſe habemus: quod & ipſi ex Germania in nouas has tranſierunt ſedes; & ſeriori ætate Heluetius ager magna Alemanniæ, & Burgundionum regni, factus eſt acceſſio; & demum recuperato veteri nomine Heluetii, parta licet plena libertate, vulgo tamen in Germaniam, & Germanicam ciuitatem, ſunt imputati. Noui Heluetiorum agri, nam de prioribus ſedibus olim disputauimus, hi fere fines fuerunt. Vna ex parte, contra *ſeptentriones*, inquam, & verſus *ortum*, Rheno flumine, quod Cæſar ait, latiſſimo atque altiſſimo, contenti fuerunt; illeque fluuius agrum Heluetium a Germanis diuiſit. Ad *occaſum* monte Iura altiſſimo, qui eſt inter Sequanos & Heluetios, diſterminati ſunt; vt interpretes vero Iuræ, montium iugi, partem ad

Cur de Heluetiis agere neceſſe habeamus?

Heluetiæ ciuitatis fines priſci,

ad Arolæ amnis confluentem ducant, & ibi Heluetiorum regionem finiant. Versus *austrum* lacum Lemanum & Rhodanum amnem Cæsar constituit; qui prouinciam Romanam ab Heluetiis diuiserit: vt iterum contendant interpretes, non ad ipsum Rhodanum pertigisse Heluetiam, sed ad Alpes modo Penninas, dextrum Rhodani latus prætexentes. Isti cis Rhenum fines, Rhenus ipse, Iura, Rhodanusque flumen, Heluetiam secundam, eam vt dixerim, quod prima, quantum scitur, trans Rhenum stetit, mansere, donec in Romano obsequio prouincia esset. Turbati limites sunt, quamprimum propinqua Germanorum vis ingrueret. *ALEMANNIA*, cis Danubium in Rhætia explicata, partem Heluetii agri magnam ad Vrsæ amnis, vulgo *Ruß* vocatur, confluentem, imo & aliquando ad Arolam, ad Iuram, atque ad Lemanum lacum, occupauit. *BVRGVNDIONES* in Galliam effusi alteram maioremque Heluetiæ regionis, Alemannica ditione ad Vrsam fere redacta, plenius atque certius possederunt. Tum semel diuersis dominis subiecti Heluetii diuisam etiam regionem diutissime viderunt. Alemannia primum a Francis est perdomita; serius Burgundicum regnum noua accessione Francicum imperium auxit. Vna licet clientela non tamen eo æuo prouinciam integriorem reddidit. Alemannia Francico duci, qui modo Alemanniæ, modo Sueuiæ, dux nominatus est, paruit. Burgundia diuerso modo regnata est. Per varias inde vicissitudines, iam prope Heluetiæ nomine inobscurato obliuione, Alemannia suam Heluetii agri portionem continuit; alteram Burgundica regna restituta recepere. Extremum, Burgundico collapso regno, Alemanniæque etiam turbata prouincia, obtigit Heluetiæ, vt & amplitudo eius, & antiquum nomen conualesceret. Non ast priscis tum contenta agri limitibus ab omni se propemodum parte, parta præcipue plena libertate, explicuit, vt, quod cui-

Germania in Gallia.

valde seriori æuo turbati.

Heluetii. cuilibet patet, amplioribus nouissime finibus contineri ceperit (t).

II. Finium historiæ expositæ pagorum Heluetiorum explicatio statim addi debet. Omnis Heluetia ciuitas, Cæsare scribente, in quatuor pagos diuisa fuit. Ipse pagos duos nominauit *TIGVRINVM* & *VRBIGENVM*, quem alii codices corrupte *VERBIGENVM* nominarunt. Reliqui duo pagi prorsus sunt incogniti atque ignoti; nullo veterum eos diserte adpellante. Plures contendunt, reliqua pagorum nomina posse in scriptoribus belli Cimbrici reperiri; hosce in Heluetiis auxiliis non simplicem gentem numerasse. Cum

de Pagis Heluetiæ disquisitio.

Cæsaris pagi Tigurinus & Vrbigenus.

(t) Fines *HELVETIAE* vnus CAESAR *Bell. Gall. Lib. I. Cap. II.* describit. *Vndique*, inquit, *loci natura Heluetii continentur; vna ex parte flumine Rheno latissimo atque altissimo, qui agrum Heluetium a Germanis diuidit; altera ex parte monte Iura altissimo; qui est inter Sequanos & Heluetios; tertia lacu Lemano, & flumine Rhodano, qui prouinciam nostram ab Heluetiis diuidit. - - - - Pro multitudine autem hominum, & pro gloria belli atque fortitudinis, angustos se fines habere arbitrabantur. qui in longitudinem M. P. CCXL, in latitudinem CLXXX. patebant.* Quæ addimus de finibus singularibus, tradit CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. II. Cap. IV.* & GVILLIMANNVS *de Reb Heluet. Lib. I. Cap. I.* Hic etiam interpretatur *HELVETIORVM* nomen, cupitque, dictam esse gentem *Heluetios*, *Heluelter*, Celtica lingua, in qua illa vox *Ditis propinquos* significet. Ex finibus constat, hodiernos Heluetiorum reipublicæ fines latiores esse, quam antiquos. Sunt enim receptæ in ciuitatem Heluetiorum *Basilea* ex Sequanis, ex posteriori Germania *Schafhusia*, & *Rotuilla*; præterea adsciti *Rhæti* omnes & *Valesiani* in societatem ingentis fœderis. Qua ratione fuerit ab Alemannis & Burgundionibus Heluetia diuisa, in illis populis exposuimus. Opinatur GVILLIMANNVS *de Reb. Helu. Lib. II. Cap. V.* iam ante captiuos Alemannos in partibus Heluetiæ collocatos esse, quam ipsi vi & armis eas occuparent. Maxime hoc factum putat post Gratiani victoriam, a qua plurimos dedititios in Galliam eum transtulisse, AVSONIVS *Gratiarum actione pro Consulatu* memorat: *Voca*, inquit, *Germanicum, deditione gentilium; Alemannicum traductione captorum, vincendo & ignoscendo Sarmaticum.* Ostendit ex AMMIANO *Lib. XXXI. Cap. X.* non acceptam esse, nisi in Heluetiæ finibus, victoriam, nec nisi in Heluetiam traductos esse dedititios. De Heluetiæ statu postquam Burgundiæ extremi reges defecissent, & captæ plenæ libertatis principiis, vid. GVILLIMANNVS *libro laudato Lib. II. Cap. XIV. XV. XVI.*

Cum itaque Plutarchus, Strabo, Liuiique epitome, cum Tigurinis *AMBRONES* in medium protulerint, atque *TVGENOS:* hæc duo nomina reliquorum pagorum Heluetiæ fere esse, postulant. Isti, hoc fere modo pagum a pago fuisse disterminatum, cupiunt. *Tigurinos* inclusos fuisse duobus amnibus, Rheno atque Limago, & exigua parte Iuræ montis ex aduerso confluentium Arolæ & Limagi, coniiciunt. *Tugenos* Limago & Vrsa, montiumque iugo ad fluminum horum fontes sito, definiunt. *Vrbigenis* ad occasum Iuram montem a Geneua vrbe ad Birsæ amnis, qui ad Basileam Rhenum intrat, vsque fontes; ad ortum Sanam Arolamque flumina, ad Vrbæ confluentem; ad austrum totam Lemani lacus dextram ripam, adiudicant. *Ambrones* denique, quod solos Tugenis atque Tigurinis silentio transmissis Plutarchus nominauerit, longe latioribus regionibus insedisse, cupiunt. Adscribunt iis Iuram montem a septentrionibus, inter binos confluentes Vrbæ atque Limagi; a meridie Alpium iugum, inter duos fontes, Sanæ atque Limagi, fluminum; ab occidente Sanam & Arolam; ab oriente Limagum. Hic integer ordo finium solis nititur coniecturis, adeoque, cum desint certiora, libere potest accipi. Ambrones sane & Tugenos laudantibus multa fauent; nomina cum Tigurinis prolata, eademque in Gallis relata, & reliquum auctorum de pagis silentium. Opinio etiam fert, tuta Ambronum Tugenorumque vocabulorum exstare in adsignatis finibus vestigia. Vt *Vrbigenus* pagus recte censeatur ab *Vrba*, & vrbe quondam nobili, & amne, nuncupatus esse; a *Tiguro* vetusto oppido, pagus *Tigurinus:* ita creditur *Tugeno* pago aliud antiquum oppidum *Tugium*, & *Ambronibus* fortassis amnis *Emme*, vnde *Emmeres*, & demum *Ambrones*, dicti videantur, nomen dedisse. Quæ de Ambronibus alio loco dicta sunt, nihil hic moramur. Potuisse enim Ambrones ante in penitiore Germania, & fortassis ad Ambram amnem, habitasse, indeque incerto

Ambronum & Tugenorum pagi a plerisque additi. Horum pagorum fines.

Germania in Gallia.

Heluetii. certo æuo concessisse in Heluetiam; satis tunc declarauimus. Ipsi non cernimus, cur docta illa pagorum enumeratio valde improbanda sit. Vt tamen adhuc abstineamus iudicio, alii faciunt, qui haud leuiori nixi probabilitate diuersas nobis produnt pagorum Heluetiæ rationes (v).

(v) CAESAR *Bell. Gall. Lib. I. Cap. XII.* & indicat quatuor Heluetiæ ciuitatis pagos esse, & vnum pagum nominat. *Vbi*, inquit, *per exploratores Cæsar certior factus est, tres iam copiarum partes Heluetios id flumen* (Ararim) *traduxisse, quartam vero partem citra flumen Ararim reliquam esse; de tertia vigilia cum legionibus tribus e castris profectus ad eam partem peruenit, quæ nondum flumen transierat. Eos impeditos & inopinantes aggressus, magnam partem eorum concidit: reliqui sese fugæ mandarunt atque in proximas siluas abdiderunt. Is pagus adpellabatur Tigurinus, nam omnis ciuitas Heluetia in quatuor pagos diuisa est. Hic pagus vnus, cum domo exisset, patrum nostrorum memoria L. Cassium consulem interfecerat, & eius exercitum sub iugum miserat. Ita, siue casu, siue consilio Deorum immortalium, quæ pars ciuitatis Heluetiæ insignem calamitatem populo Romano intulerat, ea princeps poenam persoluit.* Alterum pagum CAESAR *Cap. XXVII.* memorat. *Nocte intermissa circiter hominum millia sex eius pagi, qui Vrbigenus adpellatur, siue timore perterriti, ne, armis traditis, supplicio afficerentur, siue spe salutis inducti, quod in tanta multitudine deditiiorum, suam fugam aut occultari, aut omnino ignorari posse existimarent; prima nocte ex castris Heluetiorum egressi ad Rhenum finesque Germanorum contenderunt.* Commune vocabulum *Verbigenus*, quod pleraque CAESARIS exemplaria habent, recte exploditur, quia ab *Vrba* & amne, & vrbe, recte pagus denominatus censetur. De duobus reliquis pagis coniectura fit ex STRABONE *Lib. IV.* qui de Mario Cimbrorum sociorumque victore ait: *Μασσαλιώταις ἔδωκεν ἀριστεῖον κατὰ τὸν πρὸς Ἄμβρωνας καὶ Τωΰγενὰς πόλεμον*, *Massiliensibus præmium dedit pro nauata in bello contra Ambrones & Tugenos opera.* EVTROPIVS *Lib. V. Cap. I. M. Manlius*, inquit, *& C. Cæpio, a Cimbris & Teutonibus, & Tigurinis, & Ambronibus, quæ erant Germanorum & Gallorum gentes, victi sunt iuxta flumen Rhodanum.* LIVIVS *Epit. LXV.* sub initium Cimbrorum belli solos Tigurinos adpellat: *L. Cassius consul a Tigurinis Gallis, pago Heluetiorum, qui a ciuitate secesserant, in finibus Allobrogum, cum exercitu cæsus est.* Sed idem *Epit. LXVIII.* addit Ambrones: *C. Marius consul summa vi oppugnata a Teutonis & Ambronibus castra defendit: duobus deinde præliis circa Aquas Sextias eos hostes deleuit.* Ambronum frequenter etiam PLVTARCHVS *in Mario*, & ita quidem, meminit, vt Tugenos Tigurinosque omnino silentio transmittat: vnde argumentum, *AMBRONES* præ ceteris insignem, validum, & bellicosum, in Heluetiis pagum exstitisse. Finium quatuor horum pagorum designatio tota debetur CLVVERIO *Germ. Ant. Lib. II. Cap. IV.*

Pagi duo Auenticensis & Antuatium a diuersis memorantur.

Germania in Gallia.

III. Pergimus de his dicere, qui diuersos pagos in medium proferunt; vt binis expositis sententiis cuilibet copia sit paratior, alterutram examinatis argumentis adprobare. *TIGVRINVS*, & *VRBIGENVS*, pagus ab his non secus, ac ab illis, fide Cæsaris accipitur. Ille iisdem prope finibus concluditur, quos antea definiuimus: nisi quod ad occasum & austrum latius porrigatur, vt Vrbigenum prorsus contingat pagum. Vrbigenum pagum constringunt angustioribus finibus, vt excidat Auenticum, & Lemani lacus ripa diuersum pagum maneat. Duos ergo diuersos pagos hi nominant, vnum *AVENTICENSEM*, alterum *ANTVATIVM*. *Auenticensem* ab *Auentico*, capite pagi, incepisse, protentumque fuisse in Penninas vsque Alpes, cupiunt: quam regionem antea magnam partem Ambronibus dedimus. *Antuatius* tum pagus ad Lemani lacus vtramque ripam locatur; vt ad meridiem montibus a Salassis, Centronibus, atque ab Allobrogibus, diuidatur, inde ad occidentem contra Iuram procurrat montem, cetera Auenticensis pagi finibus terminetur. *Antuatium* pagum contendunt a Cæsare diserte nominari; perperamque codices multos *Nantuates* Cæsari supponere. *Auenticensis* pagi nomen non negant a priscis ignorari auctoribus. At monstrant tamen, Plinium, lapidesque veteres, meminisse *Aventicorum* atque *Auanticorum*; frequensque illud in æui serioris monumentis nomen occurrere. Potissimæ autem, hos pagos cum Tigurino, & cum Vrbigeno, coniungendi, iis eæ esse videntur rationes. Auenticum viderunt præcipuam antiquissimamque fuisse vrbem; caput deinde totius gentis. Cum ab Vrba, atque a Tiguro, oppidis, reliqui duo pagi sint adpellati, mirantur, si Auenticum non fuisset singularis pagi caput. Duos, inueniunt, sacrorum præsules, quos episcopos vocamus, in Heluetia constitutos esse; vnum Auentici, alterum Vindomissæ. Cum constet vero, præsidum iurisdictiones plerumque summorum

Sententiæ posterioris probatio idonea.

præ-

Heluetii. præſulum regiones imitatas eſſe; inde hoc colligunt, duos quondam Romanorum præſides, vnum Auentici, alterum Vindomiſſæ, rexiſſe Heluetiam. Auenticenſi, vt præſidi, ita deinde præſuli, Auenticenſem & Antuatium pagum addictum fuiſſe, ex ſuccedentis æui memoria euincunt: eodemque modo Vindoniſſæ præſidi & ſacrorum præſuli Vrbigenum atque Tigurinum, pagos adſignatos fuiſſe. Ambrones atque Tugenos putant minores fuiſſe Heluetiorum pagos; vt, diuiſos maiores Heluetiorum pagos itidem fuiſſe, non improbabile videatur. Per hos imo, quod tranſeundo moneo, facile ſtaret, vt omnino Ambrones Heluetiæ eriperemus, & iſti ſitui, quem alibi oſtendimus, vindicaremus. Non & eſt, vt hoc adiiciam, expoſita modo ſententia bonis deſtituta rationibus; cum maxime æui ſuccedentis memoria de antiquitate commode & idonee hic teſtetur (*x*). Integrum ergo, cum ex vtraque parte inſignis militet probabilitas, cuilibet maneto, alterutram ſua adſenſione comprobare opinionem.

IV. Quot vrbes vicoſque hæc in quatuor pagos diuiſa Heluetia ciuitas æuo Cæſaris habuerit? ipſe docuit. Oppida, inquit, habuerunt, numero ad duodecim, vicos ad quadringentos. Hæc omnia, reliquaque priuata, ædificia, tum Heluetii combuſſerunt, cum *Orgetorigis* auctoritate permoti, & pro multitudine hominum, proque gloria belli atque fortitudinis, anguſtos ſe fines habere arbitrati, ingentem in Galliam penitiorem ſuſciperent expeditionem. Victi & debellati a Cæ-

Vrbes Heluetiæ XII. vetuſtiores & inſigniores.

AN. V. C. ICCXCV. Ante C. N. LVI.

Mmm mm 3

(*x*) Nouos hoſce quatuor pagos AEGIDIVS SCHVDVS indicauit, & ex eo FRANC. GVILLIMANNVS *Heluet Lib. I. Cap. II.* argumentum copioſe expoſuit & illuſtrauit. Potiores opinionis rationes dedimus. *NANTVATIVM* CAESAR *Lib. III. Cap I.* meminit; & eos GVILLIMANNVS de *Antuatibus* interpretatur. Iuriſdictiones præſidum dediſſe Conſtantino M. occaſionem epiſcopatus definiendi, diſcimus ex ZOSIMO *Lib. II.* & EVSEBIO *in eius Vita.* Seriore æuo, mutatis ſedibus, *Lauſanenſibus* Epiſcopis ſemper Auenticenſes & Antuates, *Conſtantienſibus* autem Vrbigenos & Tigurinos, adſcriptos fuiſſe, medii æui memoria teſtatur: vnde nouum de antiqua Heluetiæ diuiſione trahi poſſe iudicium GVILLIMANNO videtur.

a Cæſare reuerti in fines ſuos, oppidaque, & vicos, quos incenderant, reſtituere iuſſi ſunt. Sunt itaque auctores, qui reſtitutas vrbes XII, ſæpeque deinceps coloniis a Romanis auctas, nobis nominare audent. Primum ab iis nominatur *Auenticum*, antiquiſſima, quod creditur, & nobiliſſima Heluetiæ ciuitas. Eam maxime floruiſſe Flauiorum ſeculo conſtat, quo & inſigni aucta eſt *colonia*, *Flauia*que adpellata. Diruta & vaſtata ab Alemannis Conſtantinorum circiter æuum, vix vnquam priſcum ſplendorem recuperauit. Hodie *Wiflisburg* vocatur a noſtratibus, quaſi VViuilonis burgus; qui comes fertur poſt diuturnas ruinas eam reſtauraſſe. Galli priſcum hodieque nomen ſeruant. Caput Auenticenſis pagi Auenticum multis eſt: ab aliis in Vrbigenum pagum imputatur, & ex ruinis antiquioris vrbis & potentioris, *Vrba*, quam nec ſilent ſequentia itinera, creuiſſe, cenſetur. Altera XII. vrbium *Vindoniſſa* eſſe creditur; ampla Romano æuo, ad Vrſæ & Arolæ confluentes ſita, & proxime Romanis firmata præſidiis, ciuitas. Poſtquam ab Alemannis vaſtata eſt, nil eius hodie ſupereſt, niſi vicus *Windiſch*, veterumque caſtrorum frequens ruina. Ambronibus vrbem plerique dant; alii, quod diximus, Tigurinorum & Vrbigenorum caput fuiſſe, ſentiunt. In reliquis vetuſtis oppidis referunt *Tigurum*, *Tugiumque*; a nemine quidem veterum memorata, eo tamen vetuſtatis ſuæ indicia perhibentia, quod Tigurini Cæſaris, & Tugeni Strabonis, ab iis videntur nomina accepiſſe. *Solodurum* & *Vitodurum*, illud in Ambronibus, quod multi arbitrantur, & ad Arolam flumen, hoc in Tigurinis; videntur hodie in vrbibus *Solothurn* & *Wintertbur*, quaſi *Vintodurum*, aut *Vinterdurum*, Romani olim pronuntiauerint, eſſe conſpicua. *Ad aquas Heluetias* recte poſſe illum Taciti *in modum municipii exſtructum locum*, *amoeno ſalubrium aquarum* vſu *frequentem*, adpellari, interpretes conſtituerunt. Incidere eum locum in celebre oppidum *Baden* omnes vident; multique, vnum id

Germania in Gallia.

ex

Heluetii. ex antiquiſſimis oppidis exſtitiſſe, coniiciunt. Octauum oppidum nonnulli *Gaunodunum* Ptolemæi proferunt, quod vox vetus Celtica ſatis prodat eius antiquitatem. Lis eſt de ſitu eius; quem aliqui de *Zurzach*, alii de *Stein* vrbe, plures de vrbe, quæ poſtea ab inſtauratore *Conſtantiæ* accepit nomen, interpretantur. *Noidenolex* Auenticenſis pagi pro nona vrbe, & *Eburodunum* pro decima habetur. Vtriusque loci vetus memoria in *Neocomo* & *Iuerdun* vrbibus, in aquilonari & auſtrali lacus Neocomenſis ora ſitis, reſtare creditur. Extrema nominantur *Laurodunum* & *Noioduuum*, illud haud dubie in *Lauſannæ* nobilis vrbis, quondam loco: hoc poſtea *Equeſtris coloniæ* nomine cognitum; quo tamen poſito rurſum *Noioduni* priſcam recepit adpellationem; hodie *Nyon* dictum (y). Pau-

(y) Conatus Heluetiorum, eorumque occaſionem & extremum exitum, egregie exponit CAESAR *Bell. Gall. Lib. I Cap. I. ad XXX.* Vid. LIVIVS *Epit. CIII.* FLORVS *Lib. III. Cap. X* PLVTARCHVS *in Cæſare. Auenticum, gentis caput,* vocatur a TACITO *Lib. I. Hiſt Cap. LXVIII.* Colonia inſigni vrbs aucta Flauiorum æuo, quod conſtat ex inſcriptione, Caio Lælio Imperatorum Neruæ & Traiani legato poſita, apud GRVTERVM *fol. CCCCXXVII.*

COLONIA PIA FLAVIA CONSTANS EMERITA
AVENTICVM HELVETIORVM FOEDERATA.

PTOLEMAEVS Ἀουεντικὸν vrbem adpellat, ſed male in Sequanis ponit. Nomen *Auanticorum* præfert numus Domitiani, vbi COLONIA IVLIA AVANTICORVM Dicta colonia fortaſſis ab amata Iulia, de qua videatur SVETONIVS *in Domitiano Cap. XVII & XXII.* In TABVLA & ITINERARIO *Aventicum Heluetiorum* nuncupatur. Galli hodieque *Auenches* nominant. Calamitatem vrbis Conſtantio ſeniore imperante, cum Alemanni per Aeduos Lingonesque graſſarentur, accidiſſe, videtur AMMIANVS *Lib. XV. Cap. XI.* in rebus geſtis Conſtantii iunioris teſtari; cum *Auenticum, deſertam quidem ciuitatem,* dicit, *ſed non ignobilem quondam, ut ædificia ſemiruta nunc quoque demonſtrant. Vindoniſſam* memorat TACITVS *Hiſt. Lib IV. Cap. LXI.* vbi *hiberna Vindoniſſæ* ſita; & *Cap. LXX.* ibi *Vna & Vicefima legio Vindoniſſa.* Laudata præterea vrbs in ITINERIBVS & TABVLA. *Caſtrum Vindoniſſenſe* eſt in Maxima Sequanorum in NOTITIA *Galliæ. Vindonis campos* celebrat EVMENIVS *Paneg. Conſtantino Cap. IV. VI.* in quibus graui prælio Alemannos Conſtantius proſtrauit. *Salodurum* & *Vitodurum*, TABVLA & ITINERARIVM, nec aliud vetuſtius monumentum, agnoſcit. *Ad Aquas* locus videtur indicari a TACITO *Lib. I. Hiſt. Cap. LXVII. Cecina*, inquit, *belli cupidus, proximam quamque culpam, antequam*

Paucas alias vrbes, quæ ex Romano æuo poterant adiici, priscis hic contenti memoriis, silentio transmittimus.

Germania in Galliis.

Heluetiæ in Germanorum possessionem versæ repetita memoria.

V. *HELVETIORVM* prisca facta atque fata pleraque iam sunt exposita. Postquam a Cæsare victi atque repressi essent Heluetii, perdita libertate Romanum tolerare iugum coacti sunt. Primum eos Cæsar Celticæ Galliæ, mox Augustus Lugdunensi, adscripsit; idemque deinceps, nisi is alius fuerit imperator, mutato statu ad Belgicam adiecit. A Constantinorum æuo, & iam ante, grauissime à vicinis Alemannis Heluetii vexati atque vastati sunt. Cum Burgundiones etiam in Heluetiam inuaderent, stabilique sede potirentur, Alemannorum ditio certioribus est limitibus descripta, cum ante omnem Heluetiam Alemanni passim peruagarentur. Adiecta Alemanniæ Heluetiæ pars & ipsa *ALEMANNIA* est vocata; vt altera a Burgundionibus obsessa *BVRGVNDIAE* nomine crebro venit. Francico æuo Alemanniæ Sueuiæque dux

poeniteret, vltum ibat. mota propere castra: vastati agri: direptus, longa pace in modum municipii, exstructus locus, amoeno salubrium aquarum vsu frequens. Solenne autem apud Romanos eiusmodi locorum nomen est *Ad Aquas. Noidenolex* in LIBRO *Prouinciarum* in quinque Sequanorum ciuitatibus ponitur. *Ebur.dunum* est in TABVLA, & in NOTITIA ciuitatum prouinciæ Maximæ Sequanorum vocatur *Castrum Ebredunense. Lausodunum* vocatur a lacu *Losanne* in THEODOSIANA *tabula. Auentico Lausanam* episcopalis sedes translata An. IↃCLVII. Clodouæo II. imperante iamdum concilio Cabillonensi in Burgundia celebrato interfuit Anicius, Episcopus Lausanensis. *N.iodunum Equestris Coloniæ* vetus fuisse nomen, discitur ex NOTITIA *prouinciarum Galliæ*, cuius in Maxima Sequanorum est *Ciuitas Equestrium, Noiodunum.* Ipsa autem *Colonia Equestris* laudatur a PLINIO *Lib. IV. Cap. XVII.* a PTOLEMAEO, sed in Sequanis Ἐκουεστρὶς ponente; in TABVLA, & in ITINERARIO. Opus videtur fuisse Iulii Cæsaris, qui equites limitaneos ibi posuerit Ita doctissimi viri LVCANI *Lib. I. Pharsal. vers. 394.* verba de ea colonia interpretantur, cum poëta de Cæsare canit:

Sparsas per Gallica rura cohortes
Euocat, & Romam motis petit undique signis.
Deseruere cauo tentoria fixa Lemano.

Has XII. vrbes tradit FRANC. GVILLIMANNVS *Lib. I. Cap. III.* & addit *Cap. IV.* alia oppida in Heluetia ab antiquitate nota. Si placet, videatur etiam CLVVERIVS *loco iam sæpe laudato.*

Rauraci. dux administrauit partem Heluetiæ; alteram comites gubernarunt. Ista regiminis formula diutissime Heluetium statum mansit; donec post mille & ter centum annos postliminio libertas in Heluetia recuperaretur, & rursum antiquissimo more, quem alio loco descripsimus, florentissima atque firmissima ciuitas gubernari inciperet (z).

VI. Per RAVRACOS, qui Heluetios & Cisrhenanos Germanos interiacuere, pertransimus festinantius: quod, præter quod istius populi sedes nostræ deinceps accessere Germaniæ, nulla nos alia illam gentem considerandi vrgeat necessitas. Fuere Rauraci, quos & *Rauricos*, & *Rauriacos*, auctores adpellant, diuisi Rheno a Germanis; Iura monte, eiusque extrema ad Rhenum parte, Vocetio monte, ab Heluetiis; Vogeso monte a Sequanis. Contra septentriones a Triboccis, Nemetibus, atque Vangionibus, continuati sunt. Sequani enim, si antiquissimo æuo cum Mediomatricis Rhenum adcoluerunt, pulsi sunt profecto a Germanis. Qui vero ætate sera Rhenum attigisse dicti sunt, non proprii Sequani, sed ex prouincia *Maxima Sequanorum* ciuitates, vtique fuerunt. In hanc & Rauraci, & Heluetii, imputari consueuerunt. Vnum Rauracis præ ceteris eximium oppidum fuit, Raurici agri in Germaniam postmodum imputati spectatio.

(z) CAESAR in Celtis *HELVETIOS* refert *Lib. I. Bell. Gall. Cap. I.* Augustus eos Lugdunensi adiecit, STRABONE *Lib. V.* teste. In Belgica eos adnumerat PLINIVS *Lib. IV. Cap. XVII.* Ita etiam PTOLEMAEVS eos in Belgica censet. Post Constantini æuum Heluetii cum Rauracis & Sequanis in Maxima Sequanorum fuerunt, vnde iam cœpit nomen non adeo frequenter audiri. Respicit ad nouum hoc Heluetiorum genus EVTROPIVS *Lib. VI. Cap. XIV. Is.* (Cæsar) *primo vicit Heluetios, qui nunc Sequani adpellantur.* De formula regiminis Heluetiorum, quod habuerunt Roma imperante, copiose inquirit GVILLIMANNVS *Helu. Lib. I. Cap. VIII. XI. XII.* Historiam gentis persequitur IDEM *Lib. II. Cap. I. sequ.* Præsertim *Cap V. & VI.* exponitur, vt *ALEMANNI* atque *BVRGVNDIONES* inuaserint in Heluetiam, quotamque possederit quælibet natio eius partem. Ex medio æuo reliqua etiam GVILLIMANNVS tradit *Lib. II. Cap. VIII. X. XI. & XVI.*

fuit, quod Plinius *Rauricum Galliæ oppidum*, & alio loco *Coloniam Rauriacam* nuncupat. Ptolemæo *Augusta* est *Rauricorum*: quod nomen & de prisco vrbis splendore, & de insigni patrono, satis testatur. Hodie nomen Augustæ priscum, vulgo *Augst*, conseruat exiguus vicus ad curuaturam Rheni; veterisque coloniæ magnitudinem idem ruinis & ruderibus, quæ ibi visuntur, satis prodit. VI inde millibus passuum distat *Basilea*, oppidum hodie amplissimum, idemque iam ante Theodosii æuum non incognitum; quod tamen ex fato Augustæ maiora videtur cepisse incrementa. De illa Basilea interpretantur quidam *Arialbinum*, quod in Antonini itinere occurrit: conditum prope Basiliam, quo nomine robur quoddam sacrum adpellatum fuerit, & confestim ob loci commoditatem in amplam ciuitatem euasisse. Plures nihil de Arialbino certi haberi adseuerant; saltem cum Basilea Arialbino non conuenire. Rauracos succedente ætate in ditionem *Alemannorum*, hisque prostratis in *Francorum* potestatem venisse, iam satis ex historia crebro enarrata acceptum est (*a*). *Germania in Gallia.*

VII. A

(*a*) *RAVRACOS* adpellat & memorat CAESAR *Lib. I. Cap. V. & XXIX.* nam Heluetiorum expeditionis socii fuerunt. A PLINIO & PTOLEMAEO *Raurici* vocantur. *Rauricum Galliæ oppidum* PLINIVS *Lib. IV. Cap. XII.* & *Rauriacam coloniam Cap. XVII.* adpellat. Ῥαυρικῶν Αὐγούσταν, *Rauricorum Augustam*, PTOLEMAEVS; *Augustam Rauracum*, THEODOSIANA *tabula*; & *Rauracos*, nationis nomine, AMMIANVS *Lib. XV. Cap. XI.* & ANTONINI *Itinerarium*. Quod autem AMMIANVS Rauracos Sequanis tribuit, id inde est, quia tum Rauraci erant in Maxima Sequanorum. *Basilea* nomen iam in THEODOSIANA *tabula* occurrit; vnde haud probabile, eiusdem TABVLAE & ITINERARII *Arialbinum Basileam* notare, licet id visum sit CLVVERIO *Lib. II. Cap. V.* Potius arbitrer AMMIANVM ostendere Basileæ, & vrbis, & nominis, occasionem. Is *Lib. XXX. Cap. III. Valentiniano*, ait, *post vastatos aliquos Alamanniæ pagos munimentum ædificanti prope Basiliam, quod adpellant accolæ robur, offertur præfecti relatio Probi, docentis Illirici clades.* Aedificatum haud dubie munimentum prope locum sacris frequentatis solennem: vnde quod robori, seu quercori sacro, *Basiliæ* nomen fuit, idem deinceps vocabulum munitioni atque vrbi, quæ postea exædificata est, adhæsit.

uani. - VII. A Rauracorum latere occiduo coluerunt *Sequani*, inde versus septentriones descendentibus occursarunt *Lingones*, inde *Leuci*, & demum *Mediomatrici:* de quibus omnibus, antequam de Cisrhenana Germania inquiramus, perpaucis itidem dicemus; non quasi gentes Germanicæ illi fuissent, sed quod pleræque eorum regiones sero æuo in Germaniæ versæ sunt comprehensionem. Primi eorum SEQVANI habitarunt trans Rhodanum; qui a Romana prouincia Sequanos diuisit: cis Iuram montem; qui fuit inter Sequanos & Heluetios: cis denique Vogesum montem; qui separauit Rauracos. Ad Rhenum eos pertigisse Cæsar & Strabo memorarunt. Id quo modo accipiendum videatur; iam ostendimus. *Vesontio*, Sequanorum vnum oppidum, a Cæsare aliisque auctoribus laudatur, vt de eo certo constet. Nunc, quod nemo dubitat, *Besanco* est, nostris *Bisantz*, vrbs incluta ad Dubim fluuium. *Amagetobria* Cæsaris prorsus incerta est, frustraque eruditorum exercuit ingenia: & æque obscurum atque ignotum est Ptolemæi *Didattium*, quod ille cum multis Heluetiorum vrbibus in Sequanis collocauit. Fuerunt hi, qui cum Aruernis contra Aeduos Germanos mercede accersierunt. Germani duce Ariouisto victis Aeduis in Sequanorum finibus consederunt, duasque tertias agri eorum occuparunt. Tunc pulsos esse Sequanos Rheno, sedesque eorum Germanis cessisse, plerique postulant. Debellatus quidem a Cæsare est Ariouistus; sed recuperatos ab eis agros esse, non valde videtur. Fortassis Tribocci, Nemetes, Vangiones, qui fuerunt in Ariouisti exercitu, Cæsare permittente agros suos antiquiores ad Rhenum tunc prolatarunt, & noua possessione Rhenani soli Sequanos excluserunt. Sequani in prouinciam redacti Celticæ primum pars fuerunt, quod Cæsar clarissime demonstrat; postea Belgicæ ab Augusto contributi sunt, quod Plinius & Ptolemæus notarunt. Pars eorum agri a *Burgundionibus* est insessa; vnde hodieque ve-

Sequanorum agri lustratio.

vetus Vesontio Burgundiæ Comitatus, quem vocant, caput est: pars altera Alemannis cessit. Mutati seriori æuo regiminis diuersæ formulæ non sunt huius loci (*b*). *Germania in Gallia.*

Lingonum & Leucorum partes in Germaniam aliquando adscitæ.

IIX. LINGONES & LEVCI, Sequanos contra septentriones continuarunt. Arari Lingones a Sequanis diuisi fuerunt; monte Vogeso vtraque ciuitas a Cisrhenanis Germanis. In collimitio Belgiæ Celticæque egerunt Lingones, quippe ad caput Matronæ fluuii, qui terminus vtriusque gentis fuit, siti. Sunt tamen & Lingones, & Leuci, in Belgicam semper ab auctoribus imputati. *Lingonum ciuitas*, quæ & gentis tantum nomine passim *Lingones* adpellatur, & quam Pro-

(*b*) CAESAR *Bell. Gall. Lib. I. Cap. VIII* memorat *Iuram montem, qui fines Sequanorum ab Heluetiis diuidit.* Ad Rhenum ostendunt eos iterum CAESAR *Lib. I. Cap. I. & Lib. IV. Cap. X.* vbi ait, *Rhenum per fines Sequanorum, Mediomatricorum, citatum ferri*; STRABO *Lib. IV.* cuius est eadem sententia, ἔθνος Σηκουανῶν συνάπτον τῷ Ῥήνῳ πρὸς ἕω, *Gens Sequanorum attingit ab oriente Rhenum.* Id de suo tempore recte auctores dixerunt. Postea haud dubie *SEQVANI* Rheno pulsi sunt. Fortassis hoc eo tempore, cum Ariouistus magnam Sequanorum agri partem insideret: teste CAESARE *Lib. I. Cap. XXXI.* *Vesontio*, vnum certum oppidum Sequanis tribuitur a CAESARE *Lib. I. Cap XXXVIII. Nuntiatum est ei, Ariouistum cum suis omnibus copiis ad occupandum Vesontionem, quod est oppidum maximum Sequanorum, contendere.* DIO *Lib. XXXVIII.* PTOLEMAEVS, & AVSONIVS *Gratiar. act. ad Gratianum Cap. XIII.* eiusdem meminere, Ptolemæo autem Visontium. Οὐισόντιον adpellatur. In ITINERARIO vocatur *Visontio*, & in NOTITIA prouinciarum in Maxima Sequanorum, *Metropolis ciuitas Vesontiensium.* Alterius oppidi meminit Diuitiaci oratio apud CAESAREM *Lib. I. Cap. XXXI. Ariouistum, vt semel Gallorum copias prælio vicerit, quod prælium factum sit Amagetobriæ, superbe & crudeliter imperare.* Interpretes passim in Sequanis oppidum hoc ignotum locant; sed est incertum, an non in Aeduis magis commode id quæratur. PTOLEMAEI Διδάττιον, *Didattium*, quod cum Heluetiis quibusdam ciuitatibus in Sequanis adnumerat, frustra etiam ab omnibus quæritur. Ariouisti bello, quod CAESAR *Bell. Gall. Lib. I. Cap. XXX.* ad finem copiose describit, primum fere Sequani illustrati sunt. A CAESARE *Lib. I. Cap. I.* in Celtica censiti. PLINIVS *Lib. IV. Cap. XVII.* de Belgica post alios populos: *Mediomatrici, Sequani, Raurici, Heluetii.* Et consentit PTOLEMAEVS *Lib. II. Cap. IX.* postremos in Belgica Heluetios atque Sequanos nominans; nam a Morinis atque Batauis enarrandi populos fecerat initium.

Lingones & Leuci Ptolemæus videtur antiquiori nomine *Andomatuni* insigniisse, hodie *Langres* oppidum est; nihilque eius ad nos cura spectat. *Diuio,* seu *Diuionense castrum*, magis nobis est memorabile: hodie *Dijon* vocatur, vrbs bene culta, & Burgundici, qui nominatur, ducatus, & qui quondam in Germaniæ fuit complexione, caput. Leucorum *Tullum*, quod Ptolemæus habet, seruat hodie nomen, adeoque de eius situ nullum dubium superat. Leucorum vrbem fuisse, diserte Notitia prouinciarum probat, quæ *ciuitatem Leucorum Tullo* memorat. *Nasium*, eiusdem Ptolemæi in Leucis oppidum, vulgo pro *Nanceio*, splendida Lotharingiæ vrbe, acceptum est. Melioribus inde rationibus est euictum, alium locum signare vetus Nasium: fortassis, erudito quodam viro iudice, *Maius Nancium*, vicum haud procul Mosa distantem. Et huius Lingonum Leucorumque regionis eximiam partem *Burgundionibus* cessisse, constat. Per quas vero vicissitudines Lingonum Leucorumque ager modo ad Germaniam deinceps relatus, modo ab ea auulsus, fuerit? mea hic historia non peruestigat (*c*).

(*c*) *LINGONES LEVCOS*que PLINIVS *Lib. IV. Cap. XVII.* & PTOLEMAEVS *in Belgica* posuerunt: sed fuerunt fere in Belgicæ Celticæque collimitio. Populi multis sunt auctoribus memorati, qui & fines indicant, Vid. CAESAR *Lib I. Cap. XL.* STRABO *Lib. IV.* TACITVS *Lib. I. Hist. Cap. LXIV.* *Ciuitas Lingonum* vocatur vrbs in NOTITIA *prouinciarum*; sed apud TACITVM *Lib. I. Hist. Cap. LIX & LXIV.* *ciui as Lingonum* pro gente dicitur. Gentis nomine vrbem vocat *Lingones* EVTROPIVS *Lib. IX. Cap. XV* vbi Constantii prælium cum Alemannis administratum describit Quia & PTOLEMAEVS Lingonibus vnum *Ἀνδομάτουνον*, *Andomatunum*, tribuit, haud dubium videtur, principem hanc vrbem gentis deinceps nomine adpellatam esse. *Diuionem* satis illustrant inscriptiones: vid. REINESIVS *Class. I. Num. CCLXIII.* & nomine *Diuionensis castri* GREGORIVS TVRONENSIS *Lib. III. Cap. XIX.* & ex illo AIMOINVS *Lib. II. Cap. XXIV.* Leucis tribuitur a PTOLEMAEO *Τοῦλλον*, *Tullum* & *Νάσιον*, *Nasium*. Meminere vtriusque vrbis NOTITIA *prouinciarum* & ITINERARIVM, quod Antonini nomen præfert. Sed videatur de istis oppidis HADR. VALESIVS *Notit. Galliarum* curate in vniuersum inquirens.

Mediomatricorum portio in Germania aliquando adnumerata.

IX. Extremos MEDIOMATRICOS, antequam in Cisrhenanam nostram intremus Germaniam, consideramus: ceteros Belgicæ populos, nisi, qui vere Germani sunt, alii respiciant. Mediomatricos, qui a solo Ptolemæo *Mediomatrices* nuncupantur, Mosa diuisit a Rhemis & Lingonibus: cetera Leucorum, Germanorumque, confiniis ad ortum, & contra septentriones, vndique fuerunt cincti. An ad Rhenum, quod Cæsar, & post eum Strabo, adseruerunt, Mediomatrici habitauerint? merito in litem vocatum est. Sane, si antiquissimo æuo illum fluuium tenuerunt, erepti eis sunt a Germanis agri: hos enim a latere Mediomatricorum Rhenum adcoluisse, paulo post docebimus. *Diuodurum* Ptolemæi præcipuam Mediomatricorum fuisse vrbem, sitamque in loco, vbi hodie Metis est, *Metz* vulgo; clare patet. Diserte Tacitus de Diuoduro loquutus, *Mediomatricorum*, inquit, *id oppidum est*. Notitia prouinciarum nouum meminit nomen, & est ibi, *Ciuitas Mediomatricorum Mettis*. Adultiore æuo vrbi nomen gentis datum est, vnde *Mediomatrici* Metis dicta. Soli elegantiam, binaque flumina, quibus Diuodurum rigetur, Saliam atque Mosellam, Fortunatus Venantius celebrauit. Aliud Mediomatricorum oppidum *Virdunum* Antonini iter nominauit: hodie *Verdun* est, ad Mosam situm. Vrbs eorundem est, sed sero demum æuo cognita, *Theodonis villa*. Hodie *Diedenhofen* est, ad Mosellam situm, infra Metim, oppidum. Mediomatrici socia Romanorum ciuitas, vt Lingones fœderati Romanorum, habiti sunt. Crebro succedente tempore a vicinis Germanis vexati, in plenam demum cum reliqua Gallia *Francorum* peruenere potestatem. Qui nobilissimæ Mediomatricorum vrbes in Germania exin inceperint censeri? quo nos nomine hanc Gallicam gentem considerauimus: non id copiosius hic persequemur (*d*).

Germania in Gallia.

X. Iam

(*d*) *MEDIOMATRICOS* CAESAR, PLINIVS, STRABO, TACITVS, AMMIANVS, adpellarunt; PTOLEMAEVS *Μεδιομάτρικες*, *Medio-*

Germania in Gallia.

Belgicæ vniuersæ status & partitio varia.

X. Iam statim ingressi sumus in BELGICAM, postquam ex Italia ad extremas Germanorum nostrorum extra Germaniæ regionem positas sedes perlustrandas accessimus. Licet enim Cæsar nostrarum ciuitatum, quas vidimus, quasdam suo æuo in Celtica adnumerauerit; ab Augusto tamen eas omnes in Belgica esse relatas, sæpe ostendimus. De amplissimæ Belgicæ huius, quæ Augusti fuit æuo, finibus perpauca adhuc generatim dicenda habemus; cum in Belgica nostra Germaniæ populorum commentario versatura diu sit, & ideo partes Belgicæ, quæ nostram manent curam, curatam integræ regionis notitiam postulent; ne difficilius intelligantur, totius prouinciæ non satis perspectis rationibus. *Belgica* iam Cæsaris æuo inter oceanum a septentrione, fluuios, Sequanam Matronamque, ab occasu, & ab ortu Rheno, contenta est. Augusti æuo mutatio finium nulla accidit alia, nisi quod Sequani atque Heluetii, quos Cæsar Celticæ adsignauerat, ab Augusto in Belgicam sunt imputati. Cum itaque

matrices. De situ gentis ex auctoribus sæpe laudatis satis constat. PTOLEMAEI in Mediomatricis oppidum est *Διυόδυρον*, *Diuodurum*. Memorat idem TACITVS *Hist. Lib. I. Cap. LXIII.* *Tabula* PEVTINGERIANA habet *Diuoduri Mediomatricorum.* Gentis nomine *Mediomatrici* nuncupatur ab AMMIANO *Lib. XVII. Cap. I.* FORTVNATVS VENANTIVS *Lib. III. Carm. XII.* ad Villicum, Episcopum Metensem, egregie describit situm vrbis:

Hinc dextra de parte fluit, qui Salia fertur,
Flumine sed fluctus pauperiore trahit.
Hinc vbi perspicuis Musellam cursibus intrat,
Alterius vires implet, & ipse perit,
Hoc Metis fundata loco, speciosa, coruscans
Piscibus obsessum gaudet vtrum que latus.

De soli amoenitate reliqua & vrbis munitione cetera poëtæ apud ipsum lege. *Vrodunum* a GREGORIO TVRONENSI *Lib. III. Cap. XXXIV.* *Vrbs Viridunensis*, & a FORTVNATO *Lib. III. Carm. XXVII.* ad Agericum, eius vrbis Episcopum, *Veroduna*, vocatur. *Theodonis villam* PAVLVS DIACONVS *Hist. Longob. Lib. I. Cap. V.* *Totonis villam* adpellauit. Mediomatrici *socia Romanorum ciuitas* fuere, teste TACITO *Lib. IV. Hist. Cap. LXX.* Eodem modo *Lingones foederati* Romanorum, & *Leuci liberi*, fuerunt, scribente PLINIO *Lib. IV. Cap. XVII.*

que ætate Cæsaris ad Ararim vsque & Vogesum montem, ad austrum fines Belgicæ pertigissent; inde Augusto imperante ad Lemanum lacum, & Rhodanum amnem, protenti sunt. Primus idem Augustus Belgicam diuidere cœpit, vt gentes, de quarum Germanica origine constaret, in vnam regionem referret, in alteram veteres nouosque Belgas. Hæc Belgicæ nomen seruauit integrum; illa, licet Belgicæ communi nomine contineretur, ***Germaniæ Cisrhenanæ*** vocabulo compellata est. Germania Cisrhenana eodem Augusti æuo rursus separata est inuicem, vt pars altera ***superior*** nominaretur, quæ spectat ad meridiem; pars ***inferior***, quæ oceano abluitur. ***Superior*** succedente ætate ***prima***, inferior ***secunda*** vocata est: vt nondum vero constet, an primæ & superioris, secundæ & inferioris, pares omnino limites fuerint. Post Constantinorum æuum & Belgica propria prouincia diuisa est in ***primam secundam***que Belgicam. Tum etiam quinta Belgicæ adiecta est prouincia, eaque a Sequanis, præcipua ciuitate, ***Maximæ Sequanorum*** nomen accepit; quod vna esset ex maximis Galliarum prouinciis. A Belgica, quæ ingentem terrarum occupauit tractum, ***Belgium*** suum Cæsar diserte separauit: quasdam enim Belgicæ gentes nominat, & ab his distinctum Belgium deinceps in medium profert. Sciri autem debet, eo Belgio Cæsarem complexos voluisse Bellouacos, Atrebates, fortassis & inter hos medios Ambianos, & si quos alios. Probabile est, quod hi vere Belgæ essent, terram eorum præcipue Belgium adpellatam esse: in ceteram

Ortelius in Galia.

Germania in Gallia. ram enim Belgicam & Celtas quosdam, & plurimos Germanos, imputatos esse, nunc quidem latet neminem (*e*).

(*e*) *BELGAS* suos satis accurate CAESAR *Lib. I. Bell. Gall. Cap. I.* definiuit. *Gallos* (sic Celtas vocat) *ab Aquitania Garumna flumen; a Belgis Matrona & Sequana diuidit. - - - - Proximi* (Belgis) *sunt Germani, qui trans Rhenum incolunt, quibuscum continenter bellum gerunt. - - - - Belgæ ab extremis Galliæ finibus oriuntur: pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni: spectant in septentriones & orientem solem.* Vt Augustus nouam prouinciarum partitionem fere vbique instituit, ita & Belgicam Sequanorum Heluetiorumque accessione auxit. Eius & auspiciis Belgica diuisa, quod DIO CASSIVS *Lib. LIII.* cum partitionem prouinciarum inter Augustum & populum factam describit, satis clare docet. Κελτῶν τινες, ὓς δὴ Γερμανοὺς καλοῦμεν, πᾶσαν τὴν πρὸς τῷ Ῥήνῳ Κελτικὴν κατασχόντες Γερμανίαν ὀνομάζεσθαι ἐποίησαν, τὴν μὲν ἄνω, τὴν μετὰ τὰς τοῦ ποταμοῦ πηγάς· τὴν δὲ κάτω, τὴν μέχρι τοῦ Ὠκεανοῦ τοῦ Βρεττανικοῦ οὖσαν. *Celtæ quidam, quos Germanos vocamus, quum omnem Celticam regionem, quæ ad Rhenum est, occupassent, effecerunt, vt ea Germania vocaretur: Superior, quæ Rheni fontibus proprior est: Inferior, quæ ab hac vsque ad oceanum Britannicum se extendit.* Diuisæ inde prouinciæ fuerunt *Belgica* & *Germania duæ*, TACITO pluribus in locis idoneo teste; & rem indicantibus inscriptionibus, quas, quum de vtriusque prouinciæ iurisdictione inquiremus, memorabimus. Male proinde PLINIVS & PTOLEMAEVS Belgica sua omnes Germaniæ Cisrhenanæ populos includunt, cum ceterum bene Augusti distributionem ciuitatum obseruassent: in diuisione prouinciarum adeo CAESAREM sequuti, sed in gentium designatione Augusti ordinationem. *Primam secundamque Germaniam* cum *Belgica prima* atque *secunda* & *Sequanis*, siue *Maxima Sequanorum*, descripsit AMMIANVS *Lib. XV. Cap. XI.* SEXTVS RVFVS *Cap. VI.* & NOTITIAE cum *Imperii Occidentis* passim, tum inprimis *Galliarum. BELGIVM* prouinciam diuersam habuisse a Belgica CAESAREM, accipimus ex *Comm. V. Cap. XXIV.* vbi hibernorum distributionem ita describit, vt multas & potentes Belgarum gentes a Belgio suo excludat; Morinos quippe, Neruios, Remos, Treueros, Eburones. Hoc ipsum autem Belgium *Lib. V. Cap. XXV. & Cap. XLVI.* cum HIRTIO *Lib. VIII. Cap. XLVI. XLVII.* sic designatur, vt de situ eius, & populis, qui fuerunt in eo, satis constare possit.

CAPVT V.
CISRHENANAE GERMANIAE POPVLORVM HISTORIA.

I.

Germaniæ Cisrhenanæ fines & diuisio.

QVæ igitur nobilis Belgicæ portio a nobis porro perlustrari debet, vt illud, quod modo vidimus, Cæsaris *Belgium* a propriis *Belgis*, ita

GERMANIA CISRHENANA

a Germanicis gentibus, quæ vario tempore cis Rhenum sedes posuerunt, adpellata est. Siquidem non amplius *Maximam Sequanorum* curamus; cuius gentes Heluetios, Sequanos, & Rauracos, respeximus: nec nostra cura ceteras *Belgicas* vltra attinget; ex quarum prima, certis moti rationibus, Lingones, Leucosque, & Mediomatricos, considerauimus. In solam intuemur *Cisrhenanam Germaniam*. Nomen, quod Dio memorauit, inde est acceptum, quod Celtæ, quos Germanos dixerint, omnem Celticam regionem, quæ ad Rhenum est, occupauerint: vnde hi, imperante Augusto, effecerint, vt ea Germania vocaretur; & *Superior* quidem, quæ Rheni fontibus esset propior, *Inferior*, quæ ab hac vsque ad oceanum Britannicum se extenderit. Fines vtriusque Germaniæ ad orientem & septentriones facile patent; non item reliqui ad occasum & meridiem, quibus a cetera Belgica Germania hæc disterminetur. Rhenus Galliam a Transrhenana Germania, adeoque nostram etiam cis Rhenum Germaniam, continuo diuisit cursu. Vbi diuidi Rhenus incipit, haud dubie, alio loco re a nobis disputata, medius Rheni alueus Belgicum finiuit. A septentrionibus oceanus,

Germania Cisrhenana. nus, modo Germanicus, modo Britannicus, dictus Belgicam abluit. Ad occasum vix vltra Scaldim Germaniam inferiorem protulerim: ad hunc enim fluuium Plinius suos Germanos protulit. Superiore Germaniæ Inferioris parte Mosa, qua Arduennam peruadit siluam, Germanos a Belgica disclusisse videtur; vt fere tamen promiscue hic habitatum sit. Superior Germania Sarauo amne, & deinceps Vogeso monte, a Belgica diuisa est: & partim Vogesus ad occasum Vangiones, Nemetes, & Triboccos, a Mediomatricis & Lingonibus; partim eosdem idem mons ad austrum a Sequanis, submouit. Contra Rauracos incerti limites manent. Populos, quos habeat superior Germania, mox cernemus. Inferioris Germaniæ ciuitates post illos contemplabimur. Finis superioris Germaniæ & inferioris a solo Ptolemæo, & post eum a Marciano Heracleota, est indicatus. Ille *Obringam* nominat flumen; hic *Abriccam:* & est procul dubio amnis, qui nunc *Are* vocatur, paulo infra Mosellam se Rheno adfundens. De eo dubitatur, an Prima, Secundaque, Germaniæ, quæ succedente æuo nuncupatæ sunt, iisdem finibus, quam Superior & Inferior, Germaniæ fuerint contentæ. Sed nostram non facimus litem, difficiliter expediendam: licet ex aliarum prouinciarum rationibus eosdem vtriusque terminos & hoc loco posse constitui, arbitremur (*f*).

(*f*) *GERMANIAE CISRHENANAE* nominis occasio est ex DIONE CASSIO accepta, & simul eius diuisio indicata. Eam iam Augusti ætate factam esse, cum DIO declarat, qui eius res gestas cum hac de Germania narratione coniungit, tum ostendunt TACITVS & SVETONIVS, qui superioris atque inferioris Germaniæ in rebus Tiberii & imperatorum ceterorum crebro meminere. Vid. TACITVS *Ann. III. Cap. XLI. Lib. IV. Cap. LXXIII.* SVETONIVS *in Vitellio Cap. VII. & Domitiano Cap. VI.* Duarum Germaniarum meminere inscriptiones apud GRVTERVM *fol. CCCCLXXXII. Num. IV.*

PROC. PROVINC. BELGICAE
ET VTRIVSQ GERMANIAE

& *fol. CCCLXXV. Num. I.*

PROC. A RATIONIB PROVINCIARVM
BELGICAE ET DVARVM GERMANIAR.

& gemella in REINESII *Opere Class. VI. Num. CXXIII.* Fines ex sequenti-

Triboccorum, Nemetum & Vangionum origo & nomina.

II. Post Cisrhenanæ Germaniæ generalem considerationem ad singulas speciatim ciuitates accedimus. Primi in superiori Germania, si Rhenum flumen sequimur, nobis occurrunt — *Germania Cisrhenana.*

TRIBOCCI, NEMETES & VANGIONES.

Nomina hæ ciuitates videntur in Gallico demum solo, postquam Rhenum transiuissent, sumsisse. *Triboccorum* vocabulum varie & dissimiliter ab auctoribus scriptum reperitur. Cæsar habet *Tribocos* & *Triboces*; Plinius *Tribochos*; Tacitus *Trebocos* & *Tribocos*; Ptolemæus *Triboccos*, littera duplicata: quæ scriptura vulgo accipitur, & id rationis habet, quod & Strabo litteram, & Plinius adspirationem, addiderunt. Coniectura est *a tribus fagis*, quas fortassis numinis instar Tribocci coluerunt, adnomen acceptum esse, & vicus in vetustis Triboccorum sedibus superant, *zun dregen Buchen*, id est, *Ad tres fagos* adpellatus; veteris fortassis superstitionis indicia, nominisque exhibens originem. Nemetum & Vangionum vocabula vbique eadem, nisi quod Tacitus & Ammianus *Nemetas* etiam habent, adferuntur; & vtrorumque latet origo. Nemetum vocem cum Sarmatico illo nomine *Niemcy*, quo omnes Germanos Sarmatæ compellare consueuerunt, frustra nonnulli conciliant: non enim ipsam Germanorum gentem

bus illustrabuntur. Finem vtriusque Germaniæ ita PTOLEMAEVS *Lib. II. Cap. IX.* designat. Τῆς παρὰ τὸν Ῥῆνον χώρας, ἡ μὲν ἀπὸ θαλάσσης μέχρι τοῦ Ὀβρίγγα ποταμοῦ καλεῖται Γερμανία ἡ κάτω· ἡ δὲ ἀπὸ τοῦ Ὀβρίγγα ποταμοῦ πρὸς μεσημβρίαν καλεῖται Γερμανία ἡ ἄνω. *Pars regionis, quæ Rheno adiacet, a mari ad Obringam flumen, Germania dicitur inferior; pars autem ab Obringa ad meridiem versum, vocatur Germania superior.* MARCIANVS HERACLEOTA, PTOLEMAEVM haud dubie secutus, eundem habet finem; præter quod flumen Ἀβρίκκα, *Abricca*, ab ipso vocatur: nescio, an incuria librarii vox vitiata fuerit. De amne *Obringa* supra dictum.

Tribocci, Nemetes, Vangiones.

tem eo nomine Slaui insigniunt, sed promiscue alienigenas nationes; prorsus vt Barbarorum nomine quondam Græci Romanique vterentur. *Nomadum* etiam vocabulum, vt Nemetes illustrem, licet longe id possem commodius, nolo in medium proferre, maloque communem testari ignorantiam. Vbi ante trans Rhenum hæ gentes egerint? frustra quæritur, cum rei nullum in antiquitate vestigium superet. Diceret aliquis, ex pluribus gentibus coloniam in Galliam inuasisse, & a Gallis græcissantibus *Nomades* nomen accepisse; vnde Nemetum vox æuum tulerit, diuersis coloniæ pagis alia nomina eligentibus: sed hanc sententiam nondum facere meam audeo. Quando tres populi agere cis Rhenum cœperint? quibusdam quidem coniecturis colligitur: sed tamen non minus ista causa in maximam adducta est controuersiam (g).

Quo tempore Nemetes & Vangiones in Galliam transiuerint? disputatur.

III. Litis verbo vt meminerimus; Cæsar Sequanos, Mediomatricos, atque Treuiros, Strabo eosdem tres populos, ad Rhenum ponit; vterque solos Triboccos inter Mediomatricos & Treuiros medios, memorat. Si recte vterque ripæ Rheni statum descripsit, Triboccos iam ante Cæsarem in Gallia egisse, constat; non item Nemetes atque Vangiones. Censuerunt itaque quidam, cum Tribocci cum aliis Germanicis populis incerto æuo cis Rhenum sedes locassent; Vangiones demum cum Nemetibus paulo ante Plinii ætatem transiisse, &, expulsis Sequanis & Mediomatricis, eo-

(g) *TRIBOCCI* in CAESARE *Lib. I. Cap. LI. & Lib. IV. Cap. X.* sunt *Triboci* & *Triboces*, in STRABONE *Lib. IV.* Τριβόκχοι, corroborata syllaba: in PLINIO *Lib. IV. Cap. XVII. Tribochi*; in TACITO *Hist. IV. Cap. LXX. & Germ. Cap. XXVIII. Treboci* & *Triboci*: in PTOLEMAEO *Lib. II. Cap. IX.* Τριβόκκοι, *Tribocci.* Coniectura de Triboccorum nomine debetur CLVVERIO *Germ. Ant. Lib. II. Cap. XI. NEMETES Nemetæ* vocantur a TACITO *Ann. XII. Cap. XXVII.* & AMMIANO *Lib. XV. Cap. XI.* ZONARAS in *Nicephoro Botaniate* ait: ἔθνος οἱ Νέμετζοι Κελτικὸν, *Gallica gens Nemetzi*: vnde fortassis occasio desumta a Slauica voce *Niemcy Nemetum* nomen interpretandi.

rum agris insedisse: siquidem Plinius, Sequanis & Mediomatricis silentio transmissis, solas tres ciuitates nostras nominauit. Obstat vero, quo minus ita sentiamus, quod firmissimis præsidiis ab Augusti æuo Rhenus munitus nequaquam videatur nouis Germanorum coloniis transitum permisisse. Obstat, quod in Ariouisti copiis cum Triboccis nominati fuerint continuo Vangiones & Nemetes. Sed cum reliquis populis in Transrhenana Germania certas sedes adsignauerit antiquitas; nihil trans Rhenum nec Nemetum, nec Vangionum, scitur: vnde vtique probabile, eo iam tum æuo & illos cis Rhenum egisse. Aut ergo veteri gentium ad Rhenum colentium memoria Cæsar deceptus est, vt Sequanos Mediomatricosque ad Rhenum admoueret, cum iamdum Nemetes atque Vangiones eorum agris insedissent. Strabonis facilis error fuit, dummodo errandi habuerit ducem. Aut etiam, quod fere tutius putarim, arbitrandum est, solis primum Triboccis certam obtigisse prouinciam, ceterosque Cæsaris æuo laxe in Galliis habitasse, intermixtis Gallis, aut his non penitus a Rheno exclusis; vt ius nomenque priscarum gentium aliquandiu ad Rhenum conseruaretur: euanuisse statim post Cæsaris ætatem, aut ad interiora esse redacta, indigenitalia primorum habitatorum nomina; cum aduenæ Germani indies inualescerent, opprimerentque aut pellerent, inter quos consederant. Saltem & ita gentium nomina ante Cæsaris æuum cis Rhenum constiterint, licet ciuitates ipsæ suas ea ætate sedes nondum iuste descriptas habuerint (*b*). *Germania Cisrhenana.*

IV. Quod

(*b*) CAESAR *Bell. Gall. Lib. IV. Cap. X. Rhenus,* inquit, *oritur ex Lepontiis, qui Alpes incolunt, & longo spatio per fines Nantuatium, Heluetiorum, Sequanorum, Mediomatricorum, Triboccorum, Treuirorum, citatus fertur.* STRABONIS *Lib. IV.* verba sunt: Σηκουανοὶ καὶ Μεδιοματρικοὶ κατοικοῦσι τὸν Ῥῆνον, ἐν οἷς ἵδρυται Γερμανικὸν ἔθνος περαιωθὲν ἐκ τῆς οἰκείας, Τριβόκχοι. *Sequani & Mediomatrici habitant iuxta Rhenum, in quibus Germanica gens habitat, translata ex sede sua, Tribocci.* PLINIVS *Lib.*

Tribocci, Nemetes, Vangiones. IV. Quod ad hasce pertinet sedes, generatim eæ haud difficiliter definiuntur; vix autem, quam admodum debili coniectura duce, inuicem separantur. Rhenus ad *orientem* a Rauracis ad vsque Treuiros continuo nostras ciuitates cursu alluit. Ad *austrum* Rauraci coluerunt. Ad *occasum* Vogesus mons, & Sarauus amnis, nouumque montium iugum, quod ad Nauam procurrit, Lingones, Leucos, atque Mediomatricos, disterminauit. Contra *septentriones* nostræ ciuitates a Treuiris continuatæ sunt; vt fere Naua amnis credatur inter Treuiros nostrosque medius fluxisse. Si quo ordine singuli populi Rhenum adcoluerunt, non id extra controuersiam mulram est. Strabo cum Cæsare Triboccos Treuiris vicinos fecit. Plinius in gentibus, quæ adcolant Rhenum, *Nemetes*, *Tribochos*, *Vangiones*, *hinc Vbios*, nominauit: & Tacitus *ipsam*, inquit, *Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt*, *Vangiones*, *Tribocci*, *Nemetes*; eodem, quo Plinius, vsus ordine, nisi quod ille secundo, hic aduerso, flumine, dum enarrauit, progressus est. Alio loco Tacitus recentem *Vangionum*, *Nemetum*, nam hæc vox præstat altera obscura & ignota *Caracatium*, & *Tribocorum*, lectum, nouo vsus ciuitatum ordine, memorauit. Plurimi posteriorem Taciti sequuntur dispositionem, & a Treuiris primos locant Vangiones, inde Nemetes, supremos Triboccos. Ea ipsis ita sentiendi causa est, quod & Ptolemæus hunc ex parte adprobet ordinem, & eundem Notitiæ prouinciarum defendant: vnde, Plinium & Tacitum, qui diuersa protulerint, promiscue suas gentes voluisse nominare, arbitrantur. Ego non negauerim, vrbes gentium nominibus in Notitiis prouincia-

Ciuitatum fines generatim indicantur;

& de ordine sedium, quas habuerunt, inquiritur.

IV. Cap. XVII. *Rhenum*, inquit, *accolentes*, *Germaniæ gentium in eadem prouincia* (Gallia Belgica) *Nemetes*, *Tribochi*, *Vangiones: hinc Vbii*, *Colonia Agrippinensis*, *Guberni*, *Bataui*. Caesar *Bell. Gall. Lib. I. Cap. LI.* in copiis Ariouisti nominat *Harudes*, *Marcomannos*, *Triboccos*, *Vangiones*, *Nemetes*, *Sedusios*, *Sueuos*. Quomodo conciliari possint hæc dissona auctorum de nostris ciuitatibus testimonia, satis declarauimus.

Germania Cisrhenana.

uinciarum notatas, & ab iis populis esse conditas, quorum vocabula præferunt, & eorum veras testari sedes. Sed valde dubito, nostrarum gentium sedes adeo curate fuisse diuisas, vt de ordine satis constet: imo potius dissensum auctorum pro idoneo accipio argumento, quo patere queat, propinquas & cognatas nationes promiscue habitasse & permiste, vt saltem minime singularium agrorum termini hodie indici queant. Potuerunt vrbes ab vno alteroue maxime populo habitari, quantumuis non eiusdem populi esset tota vrbis regio. Coniectura proin perquam debili ille nititur, qui præcipuas sequutus vrbes ex positura earum singularum ciuitatum certas sedes audet describere: vt Motra scilicet amne Triboccos a Nemetibus, Luterio flumine a Vangionibus Nemetes, & Naua demum Vangiones a Treuiris, diuidat. Ipse mallem, licet meam tueri sententiam non daretur, communem hic causæ profiteri ignorantiam, quam in incertis soli indulgere ingenio (*i*).

Insignis famæ oppida in tribus ciuitatibus.

V. Vrbes Tribocci, Nemetes, Vangiones, non paucas celebres habuerunt: quarum vero eas modo memorabimus, quæ præcipuam gloriam tulerunt. Triboccis suis duo oppida dedit Ptolemæus ***Breucomagum*** & ***Helcebum;*** Nemetibus ***Nouiomagum***; Vangionibus ***Argentoratum:*** prætereaque ***Borbitomagum***, & ***Mocontiacum***, hoc vero male in Inferiore Germania, cum Superioris Germaniæ esset caput, nominauit.

(*i*) Ordo populorum varius ab auctoribus traditur. PLINIO sunt *Nemetes, Tribochi, Vangiones, hinc Vbii.* Contra TACITVS *Germ. Cap. XXVIII. Vangiones, Tribocos, Nemetes*, inuerso ordine ad Rheni locat ripam. Alio loco TACITVS diuersam probat positionem. Ait *Histor. Lib. IV. Cap. LXX. Tutor Treuerorum copias, recenti Vangionum, Caracatium* (Nemetum) *Tribocorum, delectu auctas, veterano pedite atque equite firmauit.* PTOLEMAEI *Lib. II. Cap. IX.* vrbes cum TACITI ordine faciunt. NOTITIA *Imperii Occidentis* sub dispositione viri spectabilis Ducis Moguntiacensis eodem modo vrbium præfectos percenset. CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. II. Cap. X.* his inductus argumentis, non ponit modo distincte ciuitates, sed & definit, suisque limitibus iustis circumscribit.

Triboeci, Nemetes, Vangiones. minauit. Omnia hæc gentium nostrarum oppida diuersissimis vocabulis ab aliis auctoribus compellata leguntur, quod copiose declarari poterat. *Helcebum* haud dubie idem est, ac *Hellelum* in tabula, & *Heluetum* in Antonini, quod vulgo dicitur, itinere. Quidam de *Ell*, vico ad *Illum*, siue *Ellum*, amnem sito, Hellelum vetus; alii de *Schlettstadt*, Alsatiæ oppido superius ad Illum sito, illud interpretantur. Certe supra Argentoratum Hellelum, siue id simul Helcebum & Heluetum adpellatum est, situm fuit; quod tabulæ & itinerum numeri satis declarant. *Breucomagum*, *Brocomacum*, & *Brocomagum* alii dixere: idque *Brumt* est ad Sornum amnem, forsan ex *Bruckemag* contracte *Brumat*; & nomine, & situ, & interuallis, apud Ptolemæum & in Tabula rem testantibus. Medium inter vtrumque Triboccorum oppidum *Argentoratum* a Ptolemæo Vangionibus datum esse, omnes iniquissime ferunt interpretes. Ipse, meæ si sim tenax sententiæ, non video, quid culpari Ptolemæus possit, cum saltem non sit improbabile, medios inter Triboccos a Vangionibus vrbem conditam atque habitatam esse. *Argentoratum, cuius gentis sit?* Esse vetus Argentoratum nobile *Strateburgum*, quod hodie adpellatur, est certissimum; ipsum recentius nomen creberrime Notitiis prouinciarum Galliæque ciuitatum, cum veteri vocabulo copulantibus, vnumque interpretantibus diserte de altero. Non & vicus fuit, aut leuis vrbs, Argentoratum, cum eius primus Ptolemæus meminisset; non solet enim nisi præcipuas vrbes in Gallia nominare: postea sane vna principum in Cisrhenana Germania vrbium est habita. Nomen vrbis, vt fere reliqua Cisrhenanorum Germanorum, ex Germania fuisse, nemo valde dubitabit. Multæ militares viæ, quas ipsi Romani *Stratas*, nostro loquendi vetusto more, adpellarunt, per Argentoratum directæ sunt; indeque profecto nomen natum est. Nempe Germanica vox *Strateburg*, clare *viarum militarium custodiam seu munitionem* indicat; quam

& vim Romanorum vocabulum *Argentoratum* habere videtur, nisi quod fortaſſis *maligna & intuta ſtrata*, ſiue ob præſidiarii militis, ſiue ob Transrhenanorum Barbarorum, excurſiones, ſimul notetur. *Nemetum Nouiomagum*, ſeu *Nouiomagus*, *Spira* eſt; quod nomen ipſæ iamdum Notitiæ agnoſcunt, addito nomine *Nemetum ciuitatis*. Dicta etiam eſt illa vrbs ſimpliciter *Nemetes*, prorſus vt *Vangiones*, gentis nomine, *Borbitomagus*, Ptolemæi oppidum, nuncupatum eſt. *Borbitomagus*, ſiue *Borgetomagus*, & *Brotomagus*, vrbs eſt, quam Notitiæ adpellant *Warmatiam*, ſerius æuum *Wormaciam*. Municipia fuerunt, Ammiano teſte, *Magontiacus*, & *Vangiones*, & *Nemeta*, & *Argentoratus*, *barbaricis*, quod addit, *cladibus nota*: vnde de ſtatu inſignium oppidorum veteri conſtat. De ſitu magis conſtat, quam vt de eo verba facere res poſtulet (*k*).

Germanis Curbonana.

VI. *Mo-*

(*k*) Ἕλκηβος, *Helcebus*, PTOLEMAEI in ITINERARIO & TABVLA inter Argentoratum & Argentouarium, diuerſis licet interuallis, ponitur. Βρευκόμαγον PTOLEMAEI, *Brocomagus* eſt in AMMIANO *Lib. XVI. Cap. II.* & inter Argentoratum & Tabernas locatur. Ἀργεντόρατον PTOLEMAEI in Vangionibus eſt. *Argentoratus barbaricis cladibus nota*, vocatur ab AMMIANO *Lib XV. Cap. XI.* Ἀργεντόρατα a ZOSIMO *Lib. III. Cap. III.* nominatur, & eſt ibi barbaricæ cladis, ab AMMIANO celebratæ, memoria. Primus quidem nobilem vrbem PTOLEMAEVS memorauit; ſed videtur fuiſſe ex iis, *quæ per Rheni ripam quinquaginta amplius caſtella direxit* Druſus, ſcribente FLORO *Lib. IV. Cap. XII* *Strateburgum* iam vocarunt NOTITIAE. Ibi eſt *Ciuitas Argentoratenſium Strateburgo*; modo *Ciuitas Argentoratenſium, id eſt, Strazeburg*; modo *Argentora, id eſt Strateburgo*; modo *Argentina, id eſt Strazburgis.* Ad nominis illuſtrationem facit EVTROPIVS *Lib. IX. Cap. IX.* in Aureliano, vbi via regia & militaris *ſtrata* nuncupatur. Νοιόμαγος PTOLEMAEI, paſſim *Nouiomagum* in TABVLA eſt, & inter Tabernas & Borgetomagum fere medio loco ponitur. AMMIANVS *Lib. XV. Cap. XI.* & NOTITIA ſub Duce Mogontiacenſi, gentis nomine vrbem adpellat: illi eſt *Nemeta*; huic *Nemetes*. NOTITIA *prouinciarum & ciuitatum Galliæ* habet: *Ciuitas Nemetum Spira, & id eſt Spira.* ANONYMO *Rauennati, geographo ſemibarbaro, Lib. IV. Cap. XXVI. Spira* eſt; & poſt eam *Argentaria, quæ modo Stratiburgo dicitur*, ponitur. Βορβητόμαγος PTOLEMAEI, non minus ſæpe nomine nationis *Vangiones* compellatur. Hoc vtitur vocabulo AMMIANVS *Lib. XV Cap. XI. Lex III. Cod. Theod. de Prædiis nauiculariorum*; & NOTITIA *imperii ſub Duce Mogontiacenſi.* NOTITIAE *prouinciarum Galliæ* deſignant vete-

Tribocci, Nemetes, Vangiones.

Magontiacum superioris Germaniæ caput.

VI. *Mocontiacum* Ptolemæi, vt de vrbibus adhuc pauca adiiciamus, alii *Magontiacum*, *Maguntiacum*, & poëtæ *Moguntiam*, seu *Mogontiam*, adpellarunt. Vetustissima vrbs fuit, & si parum dicimus, æuo Augusti condita: inde tot ornata decoribus, vt facile cetera Germanorum cis Rhenum oppida aliquo post se interuallo, si gloriam spectes & potentiam, reliquerit. Caput & fuit Superioris Germaniæ; vbi sedes præsidis; vbi vir spectabilis, dux militiæ per prouinciam; vbi præfectus militum, & statiua. Nomen vrbi vnde obtigerit, parum scitur; nam Mœnum Mogum adpellatum quondam esse, indeque nomen, nemo adhuc probauit. De gente etiam, in qua vrbs fuerit, disputatur. Vangionibus plerique tribuunt, quod infra Nemetes passim locare Vangiones consueuere. Ipse non liquere, quæ proprie natio oppidum coluerit, constituo: idque fortassis inde esse, quod ipsi Romani primi Moguntiacum condiderint. Præter memoratas vrbes *Tabernæ* diuersæ in Antonini itineribus, & in Ammiani historia, memorantur. Aliæ sunt *Tabernæ Triboccorum*, vulgo nunc *Elsass-Zabern*, longius a Rheno occasum versus remotæ; eædem, quas Ammianus incerta causa *Tres Tabernas* vocauit. Diuersæ a primis sunt *Rhenanæ*, vulgo *Rheinzabern*, quæ Nemetum sunt, & in Notitia imperii cum *Saletione* proxime coniunguntur. Ipsa *Saletio* vetus in oppido *Seltz* ad exitum cognominis fluenti hodie reperitur (*l*). Ceteras silemus ciuitates, & protinus a nostris

Ppp pp 2 gen-

res Vangiones nouo nomine: *Ciuitas Vangionum Warmatia, & id est Warmatia*, siue *Garmatia*, siue *Guarmatia*. *Annales* FRANC. *apud* REVBERVM *ad Ann.* IƆCCLXIV. *Wormatia* nomen proferunt. Conditio harum vrbium indicatur ab AMMIANO *Lib. XV. Cap. XI.*

(*l*) Μοκοντίακον PTOLEMAEVS non primus memorat, sed ante eum antiquiores auctores, TACITO semper est *Magontiacum*; *Histor. Lib. IV. Cap. XV. XXXIII. XXXVII. LIX. LXI.* *Mogontiacum* vocatur ab EVTROPIO *Lib. VII. Cap. VIII.* & in NOTITIA *Imperii sub dispositione spectabilis Viri Ducis Mogontiacensis*: *Mogontiacum* ab AMMIANO *Lib. XV. Cap XI.* FORTVNATVS *Lib. IX Carm. IX.* ad Sidonium Episcopum Mogontiacensem breuiori vtitur forma;

gentibus, quas ſatis abundeque conſiderauimus, ad Inferiorem Rheni ripam deſcendimus. Hiſtoria enim populorum Ciſrhenanæ Germaniæ, ſtatusque eorum publici conſideratio, non ſeparari vult, ſed gentibus perluſtratis ſimul vnoque ordine ob rerum connexionem abſolui. *Germania Ciſrhana.*

Treuerorum nomen, genus; VII. Noſtras igitur nationes, ſiue ſpeciatim Vangiones ad Nauam vsque pertigerint, continuarunt, antiquus & potens populus,

TREVIRI ſeu TREVERI.

Nomen horum ex Germania fuiſſe nemo ambiget, qui Tacitum audit de Treuiris, & Neruiis, teſtantem, circa affectationem Germanicæ originis vltro eos ambitioſos fuiſſe; tanquam per hanc gloriam ſanguinis a ſimilitudine & inertia Gallorum ſeparentur. Vnde vero vocabulum natum ſit, quæue

Reddita ne doleas felix Maguncia caſus,
Antiſtes rediit, qui tibi ferret opem.

Et GVNTHERVS *Ligur. Lib. I. Verſ. 384.* ſimul nomen interpretatur.

Nomen ab infuſo recipit Moguntia Mogo.

Taberna Triboccorum ab AMMIANO *Lib. XVI. Cap. XI.* memorantur nomine *Trium Tabernarum. Conuerſus*, inquit, *Iulianus ad reparandas Tres Tabernas, munimentum ita cognominatum, haud ita dudum obſtinatione ſubuerſum hoſtili; quo ædificato conſtabat ad intima Galliarum, vt conſueuerant, adire Germanos arceri.* Idem in *Itinere* ANTONINI de Pannoniis in Galliam per mediterranea hoc ordine occurrit:

Argentoratum	
Tabernas	M. P. XIIII.
Decem Pagos	M. P. XX.
Diuodorum	M. P. XX.

Taberna Rhenana celebrantur ab AMMIANO *Lib. XVI. Cap. II.* cum aliis Rhenanis oppidis, inter Brocomagum & Saliſonem mediæ. Et *Iter* a Mediolano per Penninas Mogontiacum ita ducit:

Argentoratum	
*	*
Saletionem	M. P. VII.
Tabernas	M. P. XIII.
Nouiomagum	M. P. XI.

Tertiæ in Rhenano tractu *Montanæ Tabernæ*, vulgo *Bergzabern*, in nullo antiquo monumento occurrunt. De plurimis trium gentium vrbibus, quas prætermittimus, adi CLVVERIVM *Germ. Ant. Lib. II. Cap. XI. XII. XIII.* & CELLARIVM *Notit. Orb. Ant. Lib. II. Cap. III.*

Treueri. quæue eius vis atque poteſtas eſſe videatur; nemo docere aptus eſt. Cæſar, Cicero, & Ptolemæus, cum poëtis, *Treuiros* habent; reliqui fere auctores omnes *Treueros:* quaſi ætate aucta plenius ſit perſpectum, nihil nomini gentis Germanicæ cum Illviris Romanorum conuenire. Itinera Antonini *Triueros*, & Notitia imperii ſæpe *Triberos*, agnoſcunt. Trans Rhenum primo Treueri habitarunt, quod nemo dubitat; ſiquidem Germanica eorum origo tot clariſſimis teſtimoniis eſt comprobata. Vbi vero in Magna Germania egerint? ſub quo nomine? nam Treuerorum nomen in Gallico eos ſolo ſumſiſſe, id eſt argumento, quod nullus auctor Treuerorum in Germania meminit: quando item in Galliam transiuerint? omnia hæc & plura commode interrogantur; ſed, qui valeat idoneam reſponſionem ſuppeditare, prorſus nemo eſt. In Galliam transgreſſi in Belgis ſemper numerati ſunt. Pomponius eos Belgarum clariſſimos vocauit. Cæſar de iis ſingularem equitatus gloriam prædicat. *Hæc*, inquit, *ciuitas longe plurimum totius Galliæ equitatu valet; magnasque habet copias peditum.* Aulus Hirtius, propter vicinitatem Germaniæ Treuiros, quotidianis exercitos bellis, cultu & feritate non multum a Germanis diſtuliſſe, oſtendit. Hiſce moribus alieni a Gallorum ſeruitute a Cæſare ad Veſpaſiani vsque ætatem liberi egere; ſolo fœdere & pactione Romanis amicis obſtricti. Fecit autem Ciuilis tumultus, cui ſe Treueri adiunxerant, vt adimeret libertatem Veſpaſianus, ciuitatemque antea liberam *Romanis* ſubderet legibus. Quo in ſtatu permanſere Treueri, donec poſt multam cladem *Francorum* ſocietati & imperio accederent (*m*). gloria, & fata

AN. LXX.

Ppp pp 3 IIX. Fi-

(*m*) TACITVS *Germ. Cap. XXVIII. Treueri*, inquit, *& Neruii circa affectationem Germanicæ originis vltro ambitioſi ſunt, tanquam per hanc gloriam ſanguinis a ſimilitudine & inertia Gallorum ſeparentur.* TREVIRI CAESARI ſunt plurimis locis. Et CICERO *Lib. VI. Epiſt. XIII.* ad Trebatium,

Fines gentis.

IIX. Fines Treuerorum perlustraturis, Cæsaris æuum & sequentem ætatem distinguere, distinctoque tempore ad diuersas contueri sedes, vtique conuenit. Quantum quidem ad *occasum* & *meridiem* respicitur, vix aliqua limitum mutatio accidit. Mosa flumen semper a Rhemis, & iuxta Rhemos a Neruiis, Treueros diuisit: quod Cæsar, Ptolemæus, aliique auctores, clare docent. A *meridie* Mediomatrici Treueros prætexuerunt, vt vero vix iusti possint vtriusque nationis ostendi limites. Prope Rhenum cis Nauam Vangiones coluisse vulgo auctores arbitrantur; vt magis Cæsar prope Treueros Triboccos agnoscat, & ipse non satis distinctis sedibus illas tres gentes cis Nauam egisse arbitrer. Ad

Germania Cisrhenana.

Sed, inquit, si ego quoque te aliquid admoneam de nostris cautionibus; Treuiros vites censeo: audio capitales esse. Ad IIIviros Romanorum capitales adludit; vnde, ne pereat iocus, seruanda vox *Treuiri*, tertia vocali. PTOLEMAEO etiam sunt Τρήβιροι. LVCANVS *Lib I Vers. 441.*

Tu quoque lætatus conuerti prælia Treuir.

Et ita singulariter ac sine numero *Treuir* etiam dicitur a TACITO *Lib III. Hist. Cap. XXXV.* Secunda vocali *Treueri* semper alias a TACITO vocantur, maxime *Hist. Lib. IV.* & inprimis *Cap LXX.* Sic & PLINIVS, POMPONIVS, plurimæque veteres inscriptiones, *Treueros* habent. GRVTERVS *fol. CCCCLXXXII Num V.* CIVITAS TREVERORVM OPTIMO PRAESIDI. DIO CASSIVS *Lib. XL.* semel Τρηουήρους, & iterum Τριουήρους, scribit. NOTITIA *Imperii Occidentis* sub dispositione viri Illustris Comitis Rerum Priuatarum habet *Procuratorem rei priuatæ Cynegiorum Triberorum.* In Belgis Treueros nemo non retulit. CAESAR plurimis in locis, maxime *Lib. II.* POMPONIVS *Lib. III. Cap. II. Belgarum clarissimi sunt Treueri.* Laudat egregie ciuitatem CAESAR *Lib. V. Cap. III. Hæc ciuitas* (Treuirorum) *longe plurimum totius Galliæ equitatu valet, magnasque habet copias peditum, Rhenumque, vt supra demonstrauimus, tangunt. Lib. II. Cap XXIV. Treuiri, quorum inter Gallos virtutis opinio est singularis.* Et A. HIRTIVS *Lib. VIII. Cap. XXV.* consentit cum CAESARE. *Ciuitas* (Treuirorum) *propter Germaniæ viciniatem quotidianis exercitata bellis, cultu & feritate, non multum a Germanis differebat: neque imperata unquam nisi exercitu coacta faciebat.* Sub Vespasiani imperii initiis cum Ciuili contra Romanos conspirarunt Treueri. TACITVS *Hist. Lib. IV. Cap LXVI.* Sed vincuntur a Cereali *Hist. Lib. IV. Cap. LXXI.* & procul dubio magna libertatis parte ob crebros tumultus mulctantur: inde illud est PLINII *Lib. IV. Cap. XVII. Treueri, liberi antea;* nempe ante Vespasianum, qui ademit libertatem.

Treueri. Ad *orientem* vero, alterque *aquilonaris* Treuerorum limes, vtique diuersus diuersis conspicitur ætatibus. Contra septentriones, Cæsare in Galliis belligerante, Segni, Condrusique, cum Cæræsis, atque Pæmanis, a Rheno ad Mosam Treueros ambierunt: vt autem & incertus heic limes sit inter populos, & sæpe, quod dictæ nationes in Treuerorum agerent clientela, ipsas illas regiones Treuerorum ager complectatur. Ad ortum ergo prima ætate adcoluisse Rhenum Treueros, ex Cæsare, eiusque æui aliis scriptoribus satis manifestum est. Sed ignoratur, quod dixi, quantum aluei Rheni spatium primitus Treueri tenuerint; quantumque eos exinde manserit. Nempe Augusti auspiciis Agrippa Vbios non inuitos in Galliam traduxit, & in Segnorum, Condrusorumque, agro, qui & Treuericus adpellatur, collocauit. Tum certe, variatis populorum regionibus, Vbii ad ortum, & Tungri, quo nomine illa ætate Segni, Condrusi, & ceteri, cœpere compellari, ad occasum, Treuerorum aquilonare latus clauserunt. Id vero iam quæritur, an omnino ex eo æuo, quo Vbii cis Rhenum egerunt, Treueri priscas ad Rhenum seruarint sedes, an diuersæ nationi, Treueris modo ad interiora redactis, eæ cesserint? Dubitandi rationes suppeditant auctores, qui vix, ac ne vix quidem, ad Rhenum vltra ponunt Treueros, sed statim cum tribus illis ad superiorem Rhenum populis coniungunt Vbios. Re tamen curate examinata semper mansisse Rhenum Treueros deprehendimus; & ab ipso Plinio confirmamur in sententia. Cesserit fortassis inferior Treuerici agri, siue is Segnorum Condrusorumque fuit, pars Vbiis: saltem superior pars ripæ, quam possederant, Treueris certo relicta est. Quanta vero fuerit illa portio Treuericæ in ripa portionis, non magis puto demonstrari posse, quam quæ antea fuerit Treuericarum ad Rhenum sedium amplitudo. Non interim est improbabile, quod quidam statuunt, duobus confluentibus cum Rheno,

Orientis limes Treuericæ regionis prior & posterior examinatur.

Naua & Abrinca, posteriorem Treuerorum possessionem fuisse definitam. Certe alia nescitur gens, cui, quæ vtrumque amnem interiacent, attribuamus; & veri est simillimum, omnem hunc tractum eundem occupasse populum, cui eius partem post ipsam Augusti ætatem diserte antiquitatem adscribere reperimus (n). *Germania Carbinana.*

Celebria in Treueris oppida. IX. Adsertæ iam Treuericæ gentis inter Rhenum & Mosam, circa Mosellam maxime, & Arduennæ siluæ initia, sedes has fere clariores habuerunt vrbes. Oppidum gentis primarium ad Mosellam, quod hodieque clarum est, etiam antiquitus fuit: ante, arbitror, ipsum Cæsarem, & Augustum, amplum clarumque; cum primum enim memoraretur, iam potens fuit, &, quod ait Pomponius, opulentissima totius Belgicæ ciuitas. *Coloniam* in illud primarium oppidum

dum

(n) Limitem occiduum & australem PTOLEMAEVS designat. *Ἀνατολικώτεροι δὲ τῶν Ῥημῶν, ἀρκτικώτεροι μὲν Τριβηροὶ μεσημβρινώτεροι δὲ Μεδιομάτρικες. Rhemis orientaliores sunt ad septentriones Treuiri, ad meridiem Mediomatrices.* Idem confinium Rhemorum & Treuerorum ostendit CAESAR *Lib. V. Cap. III.* & sæpe alibi. Septentrionale gentium confinium iterum ex CAESARE *Lib. VI. Cap. XXXII.* discimus, vbi *Segnos, Condrusisque, ex gente & numero Germanorum inter Eburones Treuirosque* ponit. Fuerunt autem hi populi, qui ad inferiorem a Treueris Rhenum coluerunt, horum clientes, diserte id testante CAESARE *Lib. IV. Cap. VI.* Rhenum attigisse Treueros idem docet CAESAR *Lib IV. Cap. X.* de Rheno dicens, *per fines Heluetiorum, Sequanorum, Mediomatricorum, Tribocorum, Treuirorum, citatus fertur.* Confer. CAESAR *Lib. V. Cap. III.* quem locum paulo ante vidimus: *Lib. VI. Cap. VIII.* Post Vbiorum traductionem nullos Treueros ad Rhenum PLINIVS *Lib. IV. Cap XVII* nouit, sed post *Vangiones* statim *Vbios* nominat, hinc *Gubernos, Batauos.* Sed SVETONIVS *in Caligula Cap. VIII.* de eius natali solo hæc narrat: *Vbi natus sit, incertum diuersitas tradentium facit. Cn. Lentulus Gatulicus Tiburi genitum scribit: Plinius Secundus in Treueris, Vico Ambitarino, supra Confluentes; addit etiam pro argumento, aras ibi ostendi inscriptas* OB AGRIPPINAE PVERPERIVM. Inde ipsum PLINIVM docere arbitramur, Treueros adhuc tum ad Rhenum egisse; quia, qui vicus *supra confluentes* celebres Rheni & Mosellæ fuit, haud dubie Rheno propinquus extitit. Minutorum finium curam CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. II. Cap. XIV.* non gessit incommode.

dum deduxiſſe Auguſtum, *Auguſta* nomen, quod primus Mela adfert, indicat; quæ quando colonia, & quo conſilio, ducta fuerit? prorſus eſt incertum & dubium. Tacitus ſimpliciter *Coloniam Treuerorum* vocauit; Ptolemæus, & paſſim marmora Romana, *Auguſtam Treuirorum*, aut *Treuerorum*; poëtæ *vrbem Treuericam*, aut *vrbem Treuerum*; ſerioris ætatis ſcriptores, recepto vbique more, gentis ſuæ vocabulo *Treuiros*, & *Treueros*, nuncuparunt. Diuiſo Romano imperio, cum Treueris plerumque ſedem figerent, qui Transalpinas tenuere partes, maxima vrbis amplitudo & felicitas exſtitit: quæ & vero ruente Roma quadruplici clade eſt proſtrata; ex qua non niſi ſero æuo conualuit. Præter Treuerorum iſtud caput *Nouiomagus*, ſiue *Nouomagus*, in dextra Moſellæ ripa in Itineribus laudatur; vt clare ſimul conſtet, diuerſam a Nemetum Nouiomago hoc Treuerorum Nouomagum exſtitiſſe. Quidam in mediterranea noſtrum Nouomagum trahunt, quod & ipſum non Antonini repugnat Itineri: rectius tamen Moſellæ relinquitur, quod & Theodoſii Tabula illic locauit, & eius loci vicus ſuperſtat, *Numagen* dictus; quem vetus Treuerorum Nouiomagum referre, nec id diſtantiæ Itinerum Antonini aduerſatur. *Voſauia* in Tabula ad Rhenum ſita omnium conſenſu eſt *Ober-Weſel*; iam ætate Hrabani *Waſalia* dicta; vt ſit coniectura idonea, forte & antiquum oppidi nomen *Voſalia* exſtitiſſe. *Confluentes* iam olim clarum fuiſſe oppidum, & a Plinio, quem Suetonius nominauit, intelligi, eruditorum prope dubitat nemo. Diſerte & ait Ammianus, ibi *oppidum eſſe*, *vbi amnis Moſella confunditur Rheno*. Haud dubie, cum Druſus quinquaginta amplius caſtella in Rheni ripa condiderit, hunc omnium opportuniſſimum locum inter duos maximos amnes ſine caſtro, & ſine exſtructis munumentis, non præteriit. Hodie illic clariſſima vrbs, priſcum nomen corrupte ſeruans, *Coblentz* eſt.

Infra Confluentes vltimum Treuerorum creditur vel oppidum, vel castellum, ad Rhenum fuisse ***Antunnacum***; cuius situs in tabula, & in Itineribus, & nomen simul, declarant, idem esse, quod postea ***Andernacum*** nuncupatum est (o). *Germania Cisrhenana.*

Quæ

(o) POMPONIVS *Lib. III. Cap. II.* de Gallia. *Vrbes*, inquit, *opulentissimæ in Treueris Augusta; in Aeduis Augustodunum. Coloniam Treuerorum* TACITVS *Lib. IV. Histor. Cap. LXII. & LXXII.* adpellat. PTOLEMAEO est Αὐγοῦστα Τρηβιρῶν. Apud GRVTERVM *fol. CXI. Num. IX.* COL. AVG. TREVER. & *fol. CCXXV. Num. IV.* S C. AV. TREVE. Apud GOLZIVM Numus Vespasiani præfert COL. AVG. PAT. TREVIROR. id est, *Colonia Augusta Paterna Treuirorum.* In AVSONII *Claris Vrbibus IV.* est *Treueri: & Treuerica Vrbs* nominatur. VENANTIVS FORTVNATVS *Lib. X. Carm. XII. Vrbem Treuerum* adpellat. Gentis nomine *Treuiros* compellat AMMIANVS *Lib. XV. Cap. XI.* AMBROSIVS *Epist. LVI. ad Valentinianum* II. Treueris plerumque Constantius, Constantinus pater & filius, & Constans, & huius percussor Magnentius, & Gratianus, & Magnus Maximus, qui hunc interfecit, resedere vnde aucta vrbis gloria & potentia. Sed hæc corruit per Francorum vim SALVIANVS MASSILIENSIS *Lib. VI. de Gubern. Dei. Treuerorum*, inquit, *Vrbs excellentissima quadruplici est euersione prostrata. Nouiomagi* situm hæc ITINERIS a *Lugduno* series adprobat;

Antunnacum	- - -
Confluentes	M. P. IX.
Vincum (Bingium)	M. P. XXVI.
Nouiomagum	M. P. XXXVII.
Treueros	M. P. XIII.

AVSONIVS *Mosella Vers. 10.*

Et tandem primis Belgarum conspicor oris.
Niuomagum, diui castra inclyta Constantini.

Wasalia nomen in HRABANI *Martyrologio prid. Kalend. Iul.* occurrit. *Confluentes* vrbs videtur multis notari a SVETONIO *in Caligula Cap. VIII.* sed, quam magna eruditorum consensione opinio stabiliatur, non satis tamen de ea reliquet. AMMIANVS MARCELLINVS *Lib. XVI. Cap. III. Apud Confluentes*, inquit, *locum ita cognominatum, Vbi amnis Mosella confunditur Rheno, Rigomagum oppidum est.* Fortassis aberrauit AMMIANVS vrbis nomine; reliqua non valde dubia videntur. TABVLA *Theodosiana* & ITINERARIVM *Antonini Confluentes* oppidum clarius designant. Et ita NOTITIA *Imperii* sub duce Mogontiacensi *Præfectum militum defensorum Confluentibus* habet; vt rursus instar vrbis describatur. *Antunnacum* in TABVLA & ITINERARIO, in NOTITIA *Imperii Antonacum* dicitur, eique militum Acicensium præfectus impositus erat. Laudat eam vrbem AMMIANVS *Lib. XVIII. Cap. II.* & VENANTIVS FORTVNATVS *Lib. X. Carm. XII.* de Nauigatione sua, *Antonnacensis castelli* nomine.

Agrippinenses. Quæ cetera loca in Tabulis, & in Itineribus, nominantur in Treuerico agro, aliorum curæ à nobis relinquuntur.

Agrippinensium genus, & noui nominis ratio. X. Treueris, quod Rheni cursum sequimur, in nostra consideratione succedunt

VBII TRANSDVCTI; qui & AGRIPPINENSES

conditoris sui nomine, quod Tacitus ait, libentius fuerint vocati. Nempe nihil hic *Vbios* moramur in veteri trans Rhenum sede constitutos: de quibus superiore loco copiose satis diximus. *Transducti* hoc loco, siue, Tacito dicente, *transgressi olim, & experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, vt arcerent, non vt custodirentur*, nostram propriam manent curam. Hi *Agrippinenses*, siue potius *Agrippenses*, dici maluere conditoris, & patroni, & traductoris sui, M. Vipsanii Agrippæ, nomine: siquidem Tacitus, cum Agrippinensium nomen profert, non de sola colonia in oppidum Vbiorum ducta, sed de integra transducta natione Vbiorum, quam a traductione latiore sensu coloniam vocat, loquitur; vt frustra sint interpretes, qui Tacitum male conditorem vrbis nomine masculino fœminam adpellasse contendunt. Ob quam causam cis Rhenum traducti fuerint Vbii? alibi est declaratum. A Cattis oppressi & vectigales facti erant, proxime cladi internecinæ, quod Romanis fauissent, destinati, nisi exitio eos Agrippa auspiciis Augusti subtraxisset. Cis Rhenum in Segnorum, Condrusorumque, & partis Eburonum, agros sunt immissi, & nobilissimas ad Rhenum regiones Romanorum beneficio insederunt: illis, quorum ante agri fuerunt, populis ad interiora iussis recedere. Si quæ Treuerici agri pars Vbiis simul cessit, non id satis exploratum est. Fuit vero proxima Segnorum Condrusorumque regio

in Treuericam imputata ditionem; vnde & in Treuiris consedisse Vbii eo nomine recte dici possunt. Germania Cisrhenana.

Fines transductae in Galliam Vbiorum ciuitatis.

XI. Fines Vbiorum cis Rhenum regionis a nemine veterum plene definiti sunt, vt adeo de oppidis quibusdam modo constet, eos Vbiorum fuisse. At fuit vero diligens Germanicarum rerum scrutator, qui idoneas sequutus coniecturas, quod & Gugerni transducti ad Rhenum locandi essent, & Sunici etiam prope Vbios in Eburonum agris antiquis ponendi, ita singulorum populorum sedes dispertiit. Coluerunt olim, quod infra indicabitur, Segni, Condrusi, Cæræsi, Pæmani, infra Treuiros a Mosa ad Rhenum vsque; illos infra Eburones rursus ad Rhenum, sed & ex vtraque Mosæ ripa. Extremi prope Batauos quondam Menapii Rhenum & vtramque Mosæ regionem adcoluerunt. Istum Rheni veterem statum hæc sequuta est mutatio sedium, atque regionum vicissitudo. Superiorem Segnorum Condrusorumque regionem, partemque Eburonum agri, insedere Vbii. Infra Vbios postmodum Gugerni, in Eburonum & Menapiorum agros traducti, habitarunt. A latere Vbiorum postremum etiam Sunici egere, quibus pars occidua Segnorum Condrusorumque agri cesserat. Vbios ergo, ad hos vt accuratius contueamur, locauit noster Rhenum inter & Roram amnem; vt, vbi confluit cum Mosa Rora, & vbi cum Rheno alter Rora, seu Rubra, ex diuerso latere confluit, contra *septentriones* Vbii fuerint finiti: vtque a *meridie* Abrinca amnis a Treueris, Roræque & Abrincæ amnium computati ortus a Tungris, eosdem disterminauerint. Iam & confinia Vbiorum satis perspicue patent. Contra septentriones prius Menapii, deinde Gugerni, Vbios prætexuerunt. Rora prius ab Eburonibus & Menapiis, mox a Sunicis, eos diuisit.

Supe-

Agrippinenses. Superiores regiones semper Treuerorum & Tungrorum manserunt confines (*p*).

XII. Transducti Vbii, iisque sedibus, quas ostendimus, collocati, *Oppidum* in ripa condiderunt; etiam *Aram*, haud dubie in Cæsaris Augusti honorem, vt plures prouinciales fecerunt, dedicarunt. Veri videtur simile, aram statim, postquam in aduersam Rheni ripam peruenissent, ab iis conditam esse; oppidum demum inferiori Rheni ripæ adpositum esse. Vbi vero Agrippa Rhenum ponte iunxerit, Vbiosque transduxerit? non id satis liquet. Fuerit id tamen supra Segum amnem, cum Vbios nondum ad hunc amnem pertigisse ostenderimus, &, in Sigambris transductos Vbios fuisse, non admodum probabile videatur. Conueniet hæc probabilis pontis positura non male cum situ *Bonnæ* vrbis, ad quam conditam aram fuisse, plerique autumant. De traductionis tempore notamus, Agrippam videri, cum prima vice in Galliam mouisset, & ponte Rhenum cum Germanis Transrhenanis bellatum iunxisset, Vbios in citeriorem Rheni ripam simul duxisse. Altera enim eius in Galliam expeditio, quæ octauo decimo post priorem anno facta est, breuior fuit, minusque clara, quam vt eo tempore Vbiis traducendis, intentus aliis negotiis, operam potuisset impendere. Vt redeamus

Agrippinensium regionis insignia.

An. V. C. ᴊᴊᴄᴄxᴠɪ. Ante C N. XXXV.

Qqq qq3

(*p*) Tacitus *Germ. Cap. XXVIII.* in populis Germaniæ Cisrhenanæ de *VBIIS* dicit: *Vbii, quamquam Romanæ colonia esse meruerint, ac libentius Agrippinenses conditoris sui nomine vocentur, origine erubescunt, transgressi olim & experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, vt arcerent, non, vt custodirentur.* Tota gens *AGRIPPINENSES* dicta, rem diserte Tacito *Histor Lib. IV. Cap. XXVIII.* testante: *Acta vtrobique præda, infestius in Vbiis, quod gens Germanicæ originis, eiurata patria Romanorum nomine Agrippinenses vocarentur.* Causam transitus, auctorem, & tempus, ex Caesare *Bell. Gall. Lib. IV. Cap. III. & XVI.* ex Strabone *Lib. IV.* & Dione Cassio *Lib. XLVIII.* supra in Vbiis Transrhenanis ostendimus. Fines Vbiorum Cisrhenanorum designat Clvverivs *Lib. II. Germ. Ant. Cap XVII.*

Colonia Agrippinensis inferioris Germaniæ caput.

Germania Cisrhenana. A.N. L.

deamus ad *Oppidum Vbiorum;* simpliciter id Tacitus nominauit, antequam coloniæ in illud ductæ meminisset. Quæ postquam deducta esset ab Agrippina, Claudii Augusti coniuge, nomen inde vrbi est inditum *Agrippinensis coloniæ.* Ptolemæus suppresso *coloniæ* nomine, *Agrippinensem* memorat post Batauodurum, & Vetera, in inferiore Germania. Habentur & *Coloniæ*, & *Ciuitatis*, *Agrippinæ* nomina in Itineribus Antonini, in Tabula, atque in variis numis. Vrbs clarissima quondam fuit, sedes præsidis, caputque inferioris Germaniæ, vt Moguntiacum superioris vrbs princeps esset: hodie, quod nemo dubitat, illustris liberaque imperii vrbs, *Coelln*, est; veteris coloniæ memoriam nomenque seruans. Quod rursus ad *Vbiorum aram* attinet, meam teneo in coniecturali causa sententiam; videri eam aram statim consecratam, cum Vbii in aduersam Rheni ripam peruenissent. Id cum videatur prope *Bonnam* accidisse, quod docuimus, prope etiam hoc oppidum aram fuisse conditam, arbitror. Ita nec adsentimur illis, qui aram prope præcipuum Vbiorum oppidum exstructam fuisse contenderunt: male enim sibi Tacitus conueniret, qui sexagesimum lapidem ab ara Vbiorum ad Vetera imputauit, si saltem apud oppidum Vbiorum simul ara quærenda fuerit. Nec vero prorsus cum iis facimus, qui *Bonnam* vrbem aramque Vbiorum commiserunt, & hanc ipsam de Bonna vrbe interpretati sunt. Potuerunt ob frequentata sacra, locique reliquam opportunitatem primum castra ad aram, mox domicilia poni, vnde demum iusta vrbs creuit. At ara tamen nunquam vrbem videtur sonuisse, licet eam non longe habuerit dissitam. Imo, si quod oppidum confestim apud aram est conditum, cito id *Bonnam* dictum esse, suadet auctoritas Flori, qui Bonnam Augusti ætate nominat. Diu adhuc deinde, licet Bonnæ nomen non ignoraretur, Vbiorum aram seruasse celebritatem; fido id rursus

Bonna non ipsam Vbiorum aram refert, sed prope eam est condita.

Agrippinenses. ſus argumento eſt, Bonnam vrbem & Vbiorum aram non eodem in loco quærendam eſſe. Ipſa nunc *Bonna* celebre quondam oppidum fuit, Tacito non ſemel, & Ptolemæo, & Ammiano, & in Tabula veteri, atque in Antonini Itineribus, memoratum. Durat hodieque nomen, ſitumque loci probe commonſtrat (*q*).

XIII. In vrbibus Vbiorum ceteris, quarum memoriam præterire nolumus, in Rheni ripa infra Coloniam fuit *Noueſium*, *Plures Vbiorum vrbes.*

(*q*) TACITVS *Ann. I. Cap. XXXVI. Oppidum Vbiorum* ſimpliciter vocat. De coloniæ in id oppidum deductione ita idem narrat *Ann. XII. Cap. XXVII. Agrippina, quo vim ſuam ſociis quoque nationibus oſtentaret, in oppidum Vbiorum, in quo genita erat, veteranos coloniamque deduci impetrat, cui nomen inditum eſt ex vocabulo ipſius.* Inde *Colonia Agrippinenſis* vocatur a PLINIO *Lib. IV. Cap. XVII. hinc Vbii, Colonia Agrippinenſis, Guberni, Batavi*; a TACITO *Hiſt. Lib. I. Cap. LVI. LVII. Lib. IV. Cap. XX. LXIII.* PTOLEMAEO eſt Ἀγριππινήσις, *Agrippinenſis*. ITINERARIVM *Antonini* vocat *Coloniam* aut *Civitatem Agrippinam*; TABVLA ſimpliciter *Agrippinam*. Numi apud GOLZIVM, vnus Neronis, AGRIPPINA COL. & alter Claudii COL. AGRIPPINA VBIOR. inſcriptiones præferunt: quæ antiquitatem nominis *Agrippina* videntur indicare poſſe. De *Ara Vbiorum* TACITVS *Ann. I. Cap. XXXIX. & LVII.* memorauit; vt parum vero inde de ſitu aræ conſtet. Sed *Cap. XLV. ſexageſimum lapidem* a primæ legionis hibernis, quæ erant apud Aram Vbiorum, ad Vetera imputat, vbi quinta & vnetricesima legio hibernabat: vt inde ſaltem adpareat, non prope Coloniam Aram fuiſſe ſitam. De *Bonna* vrbe Aram illam interpretatur PHILIPPVS CLVVERIVS *capite dicto.* Ipſa *Bonna* vrbs videtur a FLORO *Lib. IV. Cap. XII.* indicari, vbi is in Druſi hiſtoria poſt L caſtellorum exſtructionem enarratam addit; *Bonnam & Geſoniam cum pontibus iunxit.* Quæ a VINETO, CLVVERIO, VALESIO, aliisque de his FLORI verbis diſputantur, mittimus: ſed recte putamus cum HADR. VALESIO, delendam eſſe vocem *cum*, & loco *Geſoniam* ſubſtituendum vocabulum *Noueſium*: quippe duo caſtrorum loca *Bonna* atque *Noueſium* etiam a TACITO *Hiſt. Lib. IV. Cap. LXX. & LXXVII. Lib. V. Cap. XXII.* coniunguntur. Præter modo citata loca TACITVS ſub prioribus Cæſaribus nunquam, in hiſtoriis ſæpe, *Bonnam* memorat. Vid. *Lib. IV. Cap. XIX. XX. XXV.* Male vero inde CLVVERIVS argumentum traxit, vt monſtraret, ipſam *Aram* eſſe *Bonnam.* PTOLEMAEVS poſt *Vetera* & *Agrippinenſem* ait, εἶτα Βόννα, *deinde Bonna.* Meminere etiam Bonnæ AMMIANVS *Lib. XVIII. Cap. II.* cum TABVLA & ITINERARIO *Antonini.*

ſium, quod crebro Tacitus nominauit. Eſt in Itineribus *Nouenſio*, illaque, ſimul & Tabula Theodoſiana, atque ipſum omnino nomen, oppidum eſſe, quod hodie *Nuys* adpellatur, docent. Vltimus ad Rhenum in Vbiis locus *Gelduba* exſtitit; clariſſimum caſtellum, Plinio teſte, nec minus Tacito celebrata vrbs. Hodie vicus eſt ad Rhenum *Gelb* dictus; huncque veterem referre Geldubam ſitus & Itinerum rationes plene euincunt. In mediterraneis *Agrippinenſium finibus*, Tacito dicente, *Tolbiacum* fuit, quod & *Tolpiacum* in Itineribus eſt, & *Tulpiacum*. Ducit nos ordo in itinere notatus, ſucclamante præſertim vocabulo, ad oppidum, quod hodie *Zulpich* nuncupatur. Locum præſertim adulta ætate Francorum victoria, Alemannorumque internecina clades, nobilitauit. *Marcodurum*, & *Marcomagum*, ad Roram, idem oppidum eſt, vtriusque vocabuli poteſtate id oſtendente. Tacitus vicum ita deſcribit, vt nihil dubitandum ſit, quin oppidum *Duren* ad Roram ex veteri vico creuerit. *Iuliacum* ad eundem Roram amnem, ducibus Itineribus & Tabularum viis, facilius reperitur in nobili oppido *Iüliech*, quod inſignis regionis, Ducatum hodie vulgo adpellant, caput eſt (*r*). *Germania Cisrhenana.*

XIV. Ab

(*r*) *Noueſium* præter loca, in quibus cum Bonna coniungitur, TACITVS *Hiſt. Lib. IV. Cap. XXXIII. XXXV. & LXII* celebrat. *Gelduba meminit* PLINIVS *Lib. XIX. Cap. V. Gelduba adpellatur caſtellum Rheno impoſitum, Vbi generoſitas præcipua*: & TACITVS *Lib. IV. Hiſtor. Cap. XXVI XXXII. & XXXV.* De *Tolbiaco* TACITVS *Lib. IV. Hiſt. Cap. LXXIX. flagrantiſſima*, inquit, *cohortium* (Ciuilis) *Tolbiaci in finibus Agrippinenſium agebat. Ciuitas Tulbiacenſis* nominatur a GREGORIO TVRONENSI *Lib. III. Cap. VIII. Marcodurum vicum* TACITVS *Hiſt. Lib. IV. Cap. XXVIII.* & *Marcomagum* ITINERARIVM & TABVLA habet. Quia vtrumque vocabulum *duren* & *magen* Celtica lingua *tranſitum fluminis* vna ſonat; inde & vnum oppidum vtroque nomine notari, conijcitur. *Iuliacum* præter ITINERA & TABVLAM AMMIANVS *Lib. XVII. Cap. I.* cum Agrippina laudat. A Iulio nomen ſane non accepit: & dubium valde, an a Iulia Agrippina, Coloniæ Agrippinenſis conditrice. Ergo incertum manet, vnde ſit ortum vrbis vocabulum.

Gugerni. XIV. Ab Vbiis ad

SIGAMBROS TRANSDVCTOS, qui deinde GVGERNI,

Gugernorum nomen, origo, historia.

prisco abolito nomine, dicti sunt, pergimus. Rursus nihil hic ad *Sigambros* respicimus, qui trans Rhenum infra Vbios Cæsaris ætate, & aliquandiu post eam, coluerunt. De *transductis Sigambris*, quos *excisos, & in Gallias traiectos*, Ostorius, Romanus Britannico bello imperator, apud Tacitum dixisse fertur, nobis sermo est. Hos mutato nomine *Gugernos*, seu *Cugernos*, & *Gubernos*, cis Rhenum dictos esse, primum doceri debet; deinde, quibus finibus cis Rhenum egerint? Ad primum attinet scire, defuncto in Germania Druso molem Germanici belli translatam esse in Tiberium, qui, quod ipse scribit, plura consilio, quam vi, perfecit. Inter alia facta insignia, quæ maxime auctores celebrant, ad frangendam

An. V. C. DCCXLV. Ante C. N. VI. & coërcendam gentis peruicaciam, Sigambros ex suis excisos sedibus in Gallias transtulit. Cum Sigambris multos Sueuos in Galliam transduxit; vt vero Sueuorum, seu Cattorum, minima esset portio in deditionem a Cæsare accepta, cum Sigambrorum omnis natio in Gallias esset translata. *Dedititiorum quadraginta millia* traiecta in Galliam Suetonius; sed rectius Eutropius *quadringenta millia*, memorauit: qui numerus magis probatur, cum non viros solum, sed & fœminas, & liberos, traduxerit Cæsar. Collocauit suos dedititios, quod omnes auctores testantur, *in proximis Rheni agris*, siue *super Rheni ripam in Gallia*. Iam vero non potuit Tiberius suis Sigambris iuxta Rheni ripam sedes adsignare, vt priscus Rheni status non iterum fuerit turbatus. Sed vbi ex ea ætate turbatus reperitur, ibi idonea ducimur coniectura, vt Sigambros traiectos agnoscamus. In superiori

Germania populorum, quos vidimus, sedes detrimenti acceperunt nihil. In inferiori Germania ex Cæsaris æuo nullus prope populus Augusti ætate suas ad Rhenum sedes seruauit. Coluerant post Treueros Cæresi, Segni, Condrusique; inde Eburones: proxime ad oceanum Menapii. Segni, Condrusique, & Eburonum pars, in interiora concedere sunt iussi, cum ab Agrippa Vbii in citeriorem Rheni ripam ponerentur. Tum altera pars Eburonum, & Menapii, restitere apud Rhenum aliquot adhuc annos. Ex quo autem Tiberius suos dedititios in Galliam traduxit, ex eo etiam Menapiorum ad Rhenum nomen desiit audiri, & nouum *Gugernorum* nomen auditum est. Si ergo vere Suetonius & Eutropius traductionem Sigambrorum descripsere, iam demonstratum est clarissime, non nisi *Sigambros* fuisse, quos, mutato deinceps nomine, *Gugernos* Plinius atque Tacitus nominarunt. Hoc moneo, vt certissime liqueat, Gugernorum nomine dedititios Germanos in Gallia notatos esse; ita tamen non satis liquere, an cum Sigambris vna Sueui Gugernorum nomine fuerint notati; vtrum his singularis adpellatio *Sunicorum*, de qua mox plura dicemus, obtigerit? Quicquid est controuersiæ, Sigambrica natio, quippe integrior, adeoque validior, iure suo Gugernorum compellationem sibi vindicat: in Sunicis, quod plerique ita sentiunt, & ipsi Sueuos referemus. Sed vnde sit Gugernorum acceptum nomen? vix quispiam satis ostendet. Ex Germanica tamen ligua sumtum esse, non ego valde dubitabo (*s*).

Germania Cisrhenana.

XV. De-

(*s*) Ostorius apud TACITVM *Lib. XII. Cap XXIX.* dixisse fertur; *Vt quondam Sugambri excisi, & in Gallias traiecti forent: ita Silurum nomen penitus exstinguendum.* Non exstincti aut occisi Sigambri, sed nomen eorum, cum exscinderentur ex suo solo, & in Gallias traiicerentur, exstinctum. *GVGERNI* & *Cugerni* in diuersis TACITI exemplaribus vocantur. *Gubernos* PLINIVS, qui HARDVINI cura prodiit, adpellat; alia exempla-

Gugerni. XV. Declaratis Gugernorum natalibus secundo iam loco eorum sedes debent definiri. Ad *ortum* ab Vbiis ad Batauos vsque Rhenum adcoluerunt; eoque ab Vsipiis atque Tencteris diuisi sunt. Ad *occasum* Mosa Gugernos disclusit a Menapiis. Hos ad ortum & occidentem fines Plinius atque Tacitus diserte memorant. Iidem ostendunt, ad *meridiem* Vbios, ad *septentriones* Batauos, Gugernorum fuisse confines: certi tamen limites, sola duce coniectura, hic fere in medium proferuntur. Vbii itaque videntur vsque ad confluentes, Roram cum Mosa, alterumque Roram, seu Rubram, cum Rheno, coluisse: iisdemque finibus Gugerni ad austrum fuerint complexi. Bataui a Rheni diuortiis inter vtrumque eius alueum insulas incoluerunt. Igitur est etiam opinio, ad vsque Rheni diuortium Gugernorum contra septentrionem sedes recte protendi. Quae in definita hac Rheni ripa oppida fuerunt, commode iam in Gugernis nominamus.

Clarae in Gallico solo sedes, & vrbes.

Rrr rr 2

ria *Gugernos* agnoscunt. De transductione Sigambrorum ipse Tiberius ad Germanicum, quod TACITVS *Ann. II. Cap. XXVI.* perhibet, scripsit, *se nouies a Diuo Augusto in Germaniam missum, plura consilio, quam vi, perfecisse. Sic Sugambros in deditionem acceptos, sic Sueuos, regemque Maroboduum pace obstrictum.* SVETONIVS *in Augusto Cap. XXI. Germanos*, inquit, *vltra Albim fluuium summouit, ex quibus Vbios & Sicambros dedentes se traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocauit.* IDEM *in Tiberio Cap. IX. Germanico*, inquit, *bello quadraginta millia dedititiorum traiecit in Galliam, iuxtaque ripam Rheni sedibus adsignatis collocauit.* EVTROPII auctus dedititiorum numerus videatur *Lib. VII. Cap. V.*

MENAPII quondam aduersam Sigambris Rheni ripam coluerunt, quod ex CAESARIS *Lib. IV. Cap. IV.* narratione de bello Vsipetum & Tenchterorum, nec non ex STRABONE *Lib. IV.* qui, de tempore Caesaris iuxta Menapios statim Sigambros ponit, constat. His Menapiis retro concedere coactis, Sigambri in eorum regione sunt positi: quod putat MENSO ALTINGIVS *in Notitia Germ. Infer. Goce Gugerni*, a *Goch* oppido, cuius regionem incoluerint, compellati; vt ante *Sigambri* ab *Sego* amne, & *montibus*, quos *Berge* nostra lingua vocamus, quasi dixeris *Siegenberger*, fuerint nuncupati. Alii vocem *Gugerni* de *Iuliacensibus*, vulgo *Iulicher* dictis, & rursus alii de *Geldris*, quos *Gelrer* nominamus, interpretati sunt.

namus. Fuerunt *Calon*, *Asciburgium*, *Vetera*, & *Colonia Traiana*; quæ in Itineribus passim adferuntur. *Calon* est obscurior locus, quam qui valde curari mereatur. *Asciburgium* in Tabula inter Nouesium & Vetera collocatur, & ita eius Tacitus meminit, vt in medio Geldubæ & Veterum situm agnosci queat. Haud dubie ex L castellis est, quæ Drusus in ripa Rheni condidit: quæ enim alicubi Tacitus ex incerta fama de Vlysse conditore perhibet, meras sapiunt nugas. Hodie paruus vicus *Asburg* est, qui positioni *Asciburgii* satis respondet. Ptolemæus etiam Asciburgium memorauit, sed in orientis ripa Rheni situm, prope nouum Rheni alueum, quem procurasse Drusum nouimus. Nonnulli errorem Ptolemæi incusant, nec aliud Asciburgium agnoscunt, quam quod modo ex itineribus produximus. Alii vero diuersa loca arbitrantur intelligi, & idonee Asciburgium cis Rhenum & alterum trans Rhenum distinguunt: de hoc simul Tacitum de Asciburgio, eiusque conditore Vlysse, interpretati. *Vetera castra* haud dubie adpellata sunt, cum iam noua in Vbiis, & Vangionibus, essent condita: iam tamen Augusti æuo leguntur ita esse compellata. Maxime Ciuilis bello ea castra illustrata sunt. Quod ad sexagesimum lapidem Vetera a superioribus castris, quæ ad Vbiorum erant aram, abfuisse Tacitus dixit, simulque Itinerum conuenit ratio; non ii male opinantur, qui in oppido *Santen* verum Castrorum Veterum locum quærunt: cum maxime ingenium loci cum Taciti Veterum descriptione egregie conueniat. *Colonia Traiana* proxime diuortium Rheni vltimus fuit Gugernorum locus. Itinera & Tabula situm istius Coloniæ ita designant, vt in vicum *Kellen* incidat; cuius & nomen non multum a Coloniæ nomine abludit. Eandem Coloniam vocatam etiam *Tricesimam* fuisse, quia eius numeri legio ibi hiber-

Germaniæ Cisrhenana.

Gugerni. hiberna, vel statiua, habuit, Antonini nos docent Itinera (t).

XVI. A latere Gugernorum australi, Vbiorumque occiduo, in vetustis Eburonum sedibus ab Augusti æuo coluerunt

Cattorum siue nouo nomine Sunico-

 CATTI

(t) Vbi ante *Menapii*, nunc *Gugerni*. PLINIVS *Lib. IV. Cap. XVII. Rhenum accolentes Germaniæ gentium in eadem prouincia, Nemetes, Tribochi, Vangiones: hinc Vbii, Colonia Agrippinensis, Guberni, Batavi.* Confinia Vbiorum, & cis Mosam Menapiorum, ostendit TACITVS *Histor. Lib. IV. Cap. XXVIII. Ille* (Ciuilis, tunc in Gugernis commoratus) *ut cuique proximum, vastari Vbios Treuerosque, & alia manu Mosam amnem transire iubet, ut Menapios & Morinos, & extrema Galliarum, quaterent.* Et paulo ante TACITVS *Cap. XXVI.* ex Vbiis, scribit, & Geldubensibus castris, *in proximos Gugernorum pagos, qui societatem Ciuilis acceperant, ductus a Vocula exercitus.* Regiones illa Gugernorum prouincia egregias complectitur; magnam *Cliuiensis ducatus* cis Rhenum, & *Geldriæ* trans Mosam, partem, *Iuliacensis ducatus* portionem, qua oppidum *Brügge*: reliquam maiorem *Iuliacensis ducatus* partem, & *Coloniensem* ditionem fere integram, Vbiis sibi vindicantibus. *Calonis*, inter Vetera & Geldubam, obscuri loci, vestigia in vico *Kalenhusen*, CLVVERIVS *Cap. XIIX.* reperit. *Asciburgium* non in ANTONINI *Itineribus*, sed in TABVLA *Theodosiana*, celebratur. De eo etiam TACITVS *Histor. Lib. IV. Cap. XXXIII. Rapiunt*, inquit, *in transitu hiberna alæ Asciburgii sita.* CLVVERIVS *dicto loco* vicum *Asburg*, haud procul *Mursia* oppido, in via a Nouesio ad Vetera, situm, de *Asciburgio* interpretatur, & narrationem TACITI *Germ. Cap. III.* de Vlysse huic Asciburgio Cisrhenano vindicat. MENSO ALTINGIVS *in voce Asciburgium*, distinguit PTOLEMAEI Transrhenanum, & TACITI Cisrhenanum, Asciburgium, & Transrhenanum esse putat, quod ab Vlysse conditum fama vulgauerit. *Veterum* meminit TACITVS statim ab obitu Augusti *Lib. I. Annal. Cap. XLV.* vbi & distantia loci ab Ara Vbiorum indicatur. Rursus in Ciuilis tumultu crebra Veterum oppugnatorum & occupatorum mentio fit. TACITVS *Lib. IV. Histor. Cap. XIIX. XXI.* Describitur castrorum positura *XXIII capite; Pars castrorum in collem leniter adsurgens, pars æquo adibatur: quippe illis hibernis obsideri, premique, Germanias Augustus crediderat.* CLVVERII coniecturæ debetur, quod in *Santen* oppido *Vetera* reperta sunt. *Colonia Traiana* etiam *Tricesima* vocatur ab AMMIANO *Lib. XIIX. Cap. II.* & in ITINERE a Tauruno Pannoniæ per ripam *Leg. XXX. Vlpia*, inter Vetera castra & Burginacium: quo situ in alio ITINERE a Lugduno diserte *Colonia Traiana* ponitur.

rum transductio in Galliam;

Germaniæ Cisrhenanæ.

CATTI TRANSDVCTI, qui SVNICI

deinceps adpellati ſunt. Ante iam oſtendimus, cum Sigambris a Tiberio Sueuos, qui Catti ſunt, in Galliam eſſe transductos. Sigambros eſſe, qui mutato nomine Gugerni ſunt adpellati, eruditorum vltra dubitat nemo. Et plerique etiam conſentiunt, nouum nomen *Sunicorum*, quod ab Augusti ætate prope Vbios auditum eſt, non niſi *Sueuis* transductis deberi: qui inter Vbios & Tungros, Romanorumque crebra præſidia, optime cuſtodiri potuerint. Ipſi non habemus, quod communi opponamus ſententiæ; quam imo ipſi hoc loco ſequimur: vt indicemus tamen, non tot argumentis eam firmari, quot in Gugernorum origine probanda vidimus. Sint vero Sunici illi traiecti in Gallias Catti; vnde nouum acceperint nomen? id non minus ignoratur, ac Gugernorum origo nominis. Hodierna in priſcis Gugernorum & Sunicorum regionibus nomina quidam proferunt, vt priſca interpretentur vocabula. Magis vero putem, illa a populis demum accepta eſſe, quam occaſionem nominibus ſumendis dediſſe. Sedes Sunicorum ex Tacito ſatis commode definiuntur. Eas vero, licet a Rheno remotiores, cum Gugernis ſtatim coniungere placuit, quod eodem Sunici ſunt traducti tempore; & quod poſt Batauos conſideratos, ſolos inter Scaldim & Moſam Germanicos populos noſtræ curæ relinquemus. Coluerunt Sunici iuxta Vbios, hosque inter & Tungros. Moſa ab *occidente* diuiſit Tungros, Menapiosque, a Sunicis. Ad *ortum* Rora Vbios, Roræque confluentes Gugernos, a noſtris Sunicis diſterminarunt. Contra *ſeptentriones* ex læua Moſæ ripa Menapii, ex dextra Gugerni, egerunt. Ad *meridiem* a Tungris Sunici prætexti ſunt: vt puten-

nouæque ibi ſedes impetratæ.

Sunici. putentur Vesa, Vtraque, amnes inter Sunicos Tungrosque medii fluxisse. Has veras Sunicorum sedes ostendit Tacitus, commodæque coniecturæ plane definiunt. Qui vero vitiato apud Plinium *Rinucorum* vocabulo inducti prope Bethasios, aut omnino trans Rhenum Sunicos, quæsierunt; ii & Sunicorum vero nomine restituto refelluntur, & maxime a Tacito, quem laudauimus, veriorem gentis docentur situm (*b*).

XVII. Ce-

(*b*) CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. II. Cap. XIX* SVNICOS *Cattis*, siue ii tum adhuc Sueui dicti fuerint, præcipue vindicat: & accedit eius sententiæ eruditissimus ALTINGIVS *in Notitia Germ. Infer. in Sunicis.* PLINIVS *Lib. IV. Cap. XVII.* satis confuse Belgicæ populos enarrat, & cum iis, post *Tungros, Sunicos* adpellat, mox *Frisiabones*, & *Betasios*, ponit. Alii PLINII codices habent vocem *Rinuci*, alii *Sunuci*, aut *Sinuci*: quæ variatio vocabuli multas dedit opiniones, præsertim, quod cum Frisiabonibus, per errorem hic nominatis, Sunicos PLINIVS coniungit. HVBERTVS LEODIVS *Runicos* putat dictos esse, & iis inter Batauos, Frisios, & Bethasios, regionem tribuit vulgo *Runikerland*, adpellatam. Hic autem cum LAZIO, qui *Rinucos* PLINII trans Rhenum de regione *Rheingovv*, & incolis, *Rhingovver* dictis, interpretatus est, nec non, cum iis, qui *Sunicos* aduersam Agrippinensi coloniæ ripam Rheni coluisse arbitrati sunt, commode a CLVVERIO refutatur. Ita de Sunicis TACITVS *Histor. Lib. IV. Cap. LXVI.* dicit: *Ciuilis, societate Agrippinensium auctus, proximas ciuitates affectare, aut aduersantibus bellum inferre, statuit. Occupatisque Sunicis, & iuuentute eorum per cohortes composita; quo minus vltra pergeret, Claudius Labeo Bethasiorum, Tungrorumque, & Neruiorum, tumultuaria manu restitit: fretus loco, quia pontem Mosæ fluminis anteceperat. Pugnabaturque in angustiis ambigue; donec Germani tranantes, terga Labeonis inuasere, simul Ciuilis ausus, an ex composito, intulit se agmini Tungrorum, & clara voce, Non ideo, inquit, bellum sumsimus, vt Bataui & Treueri gentibus imperent. procul hæc a nobis arrogantia. accipite societatem. transgredior ad vos; seu me ducem, seu militem, mauultis. Mouebatur vulgus, condebantque gladios, cum Campanus & Iuuenalis ex primoribus Tungrorum, vniuersam ei gentem dedidere. Labeo, antequam circumueniretur, profugit. Ciuilis Bethasios quoque ac Neruios, in fidem acceptos, copiis suis adiunxit, ingens rerum; perculsis ciuitatum animis, vel sponte inclinantibus.* En Sunici a latere Vbiorum, & Tungrorum, ad Mosæ dextram ripam; circa ad occidentem Neruii, atque Bethasii. Nomen gentis a regionis loco *Senich*

In Sunicis celebria loca.

XVII. Ceterum, vt parum in antiquitate Sunici memorati sunt, ita de vrbibus vicisque eorum priscis non satis constat. Tribuunt nonnulli eis *Theudurum* & *Corionallum*. *Theudurum* in Antonini Itinere a Traiana Colonia ad Agrippinam nominatur; & vulgo de *Tudder* oppido Theudurum interpretari placet. Ptolemæus *Teuderium* habet, sed trans Rhenum & Amisium; vnde equidem non pauci illud retrahere cis Rhenum, & cum Theuduro nostro conciliare sategerunt: vt minime vero rationes Ptolemæi accuratius expendentibus persuaserint. *Corionallum* vetus plerique in *Falckenburg* oppido inueniri putarunt. Reiecta vero idoneis rationibus illa opinione, vicum *Keyer*, haud procul Traiecto Mosæ dissitum, aliquis in medium protulit, vt Corionalli verum situm declararet. *Pontem Mosæ fluminis* a Claudio Labeone anteceptum Tacitus memorauit. Illum a Romanis munimento quodam firmatum fuisse, parum eruditi dubitant. An vero ista munitio insigni *Traiecto Mosæ* condendæ occasionem dederit? non satis liquet. In dextra Mosæ ripa, adeoque in Sunicis nostris, *Vicus* est, vulgo *Wyck*, ad Mosæ Traiectum pertinens. Quin iste potius locus suam antiquitatem vel solo nomine prodat, & ex vetustæ cuiusdam Romanorum ad pontem Mosæ munitionis ruinis natus sit; nemini prope dubium videtur (x). Sed hactenus de Sunicis.

Germania Carbatana.

XVIII. Rhe-

ALTINGIVS acceptum putat. CLVVERIVS *Limburgensem ducatum*, partem *Iuliacensis ducatus*, & exiguam *Geldriæ* portionem, in priscos Sunicorum fines imputat.

(x) *Theudurum* MENSO ALTINGIVS *in Notitia* singulari lemmate illustrauit, & cum CLVVERIO de *Tuddert* oppido interpretatus est. PTOLEMAEI autem *Teuderium*, ex nomine & PTOLEMAEI positione ostendit conuenire oppido *Duderstadt*, quod in priscis Chamauorum finibus fuerit. In *Corionalli* explicatione diuersum sentiunt CLVVERIVS & ALTINGIVS. Huius autem, quippe regionum illarum peritioris, iudicium omnino sequimur. De *Ponte Mosæ* verba TACITI

Bataui.

XVIII. Rhenum, a quo paulum nos deflexímus, rursus prosequimur, & proximos Gugernis

Batauorum nomen, nominisque potestas.

BATAVOS,

in insula & Galliæ continente colentes, perlustramus. Nomen gentis ab omnibus adfertur idem, & ex nobilissimis Cisrhenanæ est Germaniæ. Adductum quondam ex Magna esse Germania, & præsertim ex Cattis; post Taciti relationem dubitat iam nemo. Ille, *Bataui*, inquit, *donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum seditione domestica pulsi, extrema Gallica ora, vacua cultoribus, simulque insulam inter vada sitam, occupauere; quam mare Oceanum a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit.* Credibile est, in Cattis singularem *Battorum* fuisse pagum; fortassis ad Adranam amnem: vbi vestigium nominis quædam oppida seruant, *Battenberg*, & *Battenhausen*. Profecti *Batti* in illam inter vada sitam insulam ab agris illis, voce Germanica *Auen* dictis nouum accepisse *Battauorum*, & emollita pronuntiatione *Batauorum*, nomen putantur. Quando migrauerint ex

Hist. Lib. IV. Cap. LXVI. accipimus. MENSO ALTINOIVS *in Notitia in lemmate, Obtricense Mosa oppidum*, confutat errorem ex vitiata lectione AMMIANI *Lib. XX. Cap. X*, vbi *Obtricensi Mosa oppido propinquabat*, (Iulianus) contractum: quo quidam *Mosa Traiectum*, vulgo *Maastricht* dictum, celeberrimum oppidum, iudicarunt ab AMMIANO illo Obtricensi Mosæ oppido notari. Iam & ante VALESIVS in AMMIANI editione, vitio sublato, vocem *Tricesima oppido*, quod idem est, cuius ex AMMIANO *Lib. XIIX. Cap. II.* paulo ante meminimus, restituit. Docet autem ALTINOIVS insignis hodieque vrbis, quæ ad Mosam Traiecti nomine cognita est, nullum esse in antiquitate vestigium, nisi illud ex TACITO de Ponte Mosæ acceperis. De *Vico ad Traiectum* bene sentit CLVVERIVS; qui ceteroquin & ipse errat, dum coniecturam ex vitio, quod improbe in AMMIANVM irrepsit, secure capit.

ex patrio solo Bataui? nemo veterum nos docet. Satis diu ante Cæsarem in nouis habitasse eos sedibus, id est argumento, quod Cæsar de iis ac vetustissimis Galliæ populis non diuerso modo loquatur. Terra eorum noua, quam mox definiemus, a vetustissimis auctoribus modo *Insula Batauorum*, modo *Ager Batauorum*, adpellata est. Græci quidam & veteres Panegyrici habent *Batauæ*, & *Batauiæ*, nomen. Tabula *Patauiam* vocat regionem, & fluuium inferiorem, siue is Vahalis, siue Mosa est, fluuium *Patabum*. In Gallia, siue Belgica, illa Batauia semper est relata; Batauique post migrationem, testibus Plinio & Ptolemæo, in Belgis semper numerati sunt. Parum igitur argumentis suis vir quidam eruditus profecit, qui ademtam Galliæ Batauiam Germaniæ vindicatum iuit. Quippe originem Batauorum Germanicam, quam satis copiose ille illustrauit, negauit prorsus adhuc nemo. Galliæ autem adimere prouinciam gentemque, quam omnis ei adscribit antiquitas, non videri potest quam valde temerarium (y). Germanis Cisrhenana. Batauiæ regio.

XIX. Por-

(y) Origo BATAVORVM ex Cattis a TACITO bis declaratur. *De Germania Cap. XXIX.* ita de Batauis narrat: *Omnium harum gentium virtute præcipui Bataui, non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt, Cattorum quondam populus, & seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani imperii fierent. Manet honos, & antiquæ societatis insigne. nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit. exempti oneribus & collationibus, & tantum in vsu proeliorum repositi, velut tela atque arma, bellis reseruantur. Historiarum Lib. IV. Cap. XII.* idem fere dixit: *Bataui, donec trans Rhenum agebant: pars Cattorum, seditione domestica pulsi, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, simulque insulam inter vada sitam occupauere, quam mare oceanum a fronte, Rhenus amnis tergum & latera, circumluit: nec opibus Romanis, societate validiorum attriti, viros tantum armaque imperio ministrant, diu Germanicis bellis exerciti: mox aucta per Britanniam gloria, transmissis illuc cohortibus, quas vetere instituto nobilissimi popularium regebant. Erat & domi delectus eques, præcipuo nandi studio, arma equosque retinens, integris turmis Rhenum perrumpere.* De nomine coniecturæ debentur ALTINGIO, cuius erudita de Batauis in *No-*

Bataui. XIX. Porro de Batauis sciri meretur, in Romanorum eos clientelam cum ceteris quidem peruenisse Belgis; non autem quam lenissime mitissimeque a Romanis habitos esse, nec clientum instar, sed sociorum & fœderatorum: vnde & insignia Batauorum sunt nomina, vt, marmore non vno teste, FRATRES ET AMICI ROMANI IMPERII dicerentur. Non sunt *Romanis opibus*, Tacitus inquit, *attriti; viros tantum armaque imperio ministrant, diu Germanicis bellis exerciti: mox aucta per Britanniam gloria, transmissis illuc cohortibus, quas vetere instituto nobilissimi popularium regebant. Erat & domi delectus eques, præcipuo nandi studio, arma equosque retinens, integris turmis Rhenum perrumpere.* Ciuilis tumultus non parum a Romanis Batauos abalienauit. Mox tamen fauore reconciliato diu integri in fide & amicitia Bataui perstitere; donicum, magnis in Germania gentium fœderibus natis, cum Germanis, quam cum Romanis, facere satius ducere cœpissent. *Regio Batauorum*, si Cæsarem, Plinium, ceterosque veteres auctores, audimus, partim cum Belgica fuit continens, partim insula, quam Rheni fecerunt aluei. *Extrema Gallica ora* illam continentem terram compellauit Tacitus. Et coluerunt itaque Bataui statim a Gugernis omnes agros, qui ad Mosæ Vahalisque con-

Batauorum fata.

Duplex Batauia, continens cum Gallia & insularis.

Vtriusque fines.

titia est commentatio. Regio eorum vocatur *INSVLA BATAVORVM* a CAESARE *Lib. IV. de Bell. Gall. Cap. X.* & a PLINIO *Lib. IV. Cap. XV. AGER BATAVORVM* a TACITO *Ann. II. Cap. VI.* Βατάυα, *BATAVA*, a DIONE CASSIO *Lib. LV.* Βαταβία, *BATAVIA*, a ZOSIMO *Lib. III. Cap. VI.* & ita *Batauia* ab EVMENIO *Paneg. Constantio Cap. III. & pro Restaur. scholis Cap. XXI.* a PACATO *Paneg. Theodosio Cap. V.* Hanc Batauiam HADR. IVNIVS *Hist. Bat. Cap. IV.* ademtam Galliæ Germaniæ vindicatum iuit. Sed fuere Bataui post migrationem indubia Galliæ pars. TACITVS *Hist. Lib IV. Cap. XII. extrema Gallica ora* eos occupasse dixit: & *Cap. XXXII. Caninefates Batauique exigua Galliarum*, inquit, *portio sunt.* Vid. quæ de hac causa CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. II. Cap. XXXIV.* copiose contra IVNIVM disputat.

Germania Curiosa.

confluentes inter vtrumque ſternuntur amnem. In hac cis Vahalim Batauorum regione nobile ***Batauorum oppidum***, quod Ciuilis ad Vetera prælio victus incendit, antequam in inſulam concederet, mox cernemus. Ipſam inſulam, communi auctorum conſenſu, duo Rheni aluei fecerunt; alter, qui *ſeruat nomen, & violentiam curſus*, quod de ſua ætate dixit Tacitus, ***qua Germaniam praeuehitur, donec Oceano miſceatur***; & alter ***ad Gallicam ripam latior & placidior affluens***, quem ***verſo cognomento Vahalim accolæ dicunt.*** Vahalis itaque a Rheno diuergens inſulæ facit initium, & Oceano, vel Moſa, quem ideo inter inſulæ latera Cæſar memorauit, receptus finem quoque; alter diuergii alueus, qui nomen ſeruat, claudit aduerſum orientis latus: frontem oceanus alluit. Solam hanc inſulam Batauos, nec vlteriores terras trans Rheni medium alueum, coluiſſe; omnes prope conſentiunt. Hoc diſputatur, vtrum, poſtquam Druſus, foſſa ducta nouum alueum ad Fleuum oſtium adiecit; illa quoque inter lacus pars Batauiæ acceſſerit; an priſcis tum contenta finibus Batauia ſemper eadem manſerit? Largiuntur omnes Friſios, & ſi quas alias trans medium Rhenum ciuitates, a Batauorum gente vt ante ſeparatas manſiſſe. Hoc volunt, videri Druſum Batauiæ prouinciæ nouam partem foſſa ducta adiicere voluiſſe. Ipſe ad animum Druſi, cum foſſam duceret, reſpiciens, nequaquam iudico, Batauiæ nouam inſulam adiectam eſſe. Semper medius Rheni alueus finiiſſe videtur Galliam; non equidem ſemper Romanum imperium. Quantumuis itaque nouam trans Rhenum prouinciam Druſus voluiſſe foſſa ducta definire videri poterat; non ſtatim Batauiæ paraſſe acceſſionem putandus eſt. Sic nec eſt adiectus Rhætiæ ille Germaniæ ſinus, quem trans recentem Danubium promotis præſidiis aliquandiu Romani tenuerunt. Quæ dubia auctorum loca pro firmanda ſententia diuerſi adferunt, ab aliis iam-

An ducta a Druſo foſſa Batauia noua acceſſione aucta?

Batavi. iamdum sunt satis refutata (z). Nos ad celebria in Batauis loca visenda pergimus.

XX. Vnum Vespasiani æuo Tacitus *Batauorum oppidum* memorauit, idque extra insulam, Vahalim inter Mosamque; quas

Illustria in Batauia oppida & loca.

(z) Laudes TACITI *Histor. Lib. IV. Cap. XII. & Germ. Cap. XXIX.* sunt acceptæ. Luculentam inscriptionem Romæoburgi, vt aiunt, repertam CORNELIVS AVRELIVS *Batauia Lib. I.* PETRVS SCRIVERIVS *in Antiquit. Batauis* exhibent:

GENS BATAVORVM AMICI ET FRATRES ROMANI IMPERII.

Alia apud GRVTERVM *fol. LXXII. Num. IX.* habet:

CIV. BATAVI
FRATRES ET AMICI P R.

CIVILIS ipse Batauus, regia satus stirpe. TACITVS *Hist. Lib. IV. Cap. XIII.* Bellum a Ciuili & Batauis conflatum acre, varium, descripsit TACITVS *in historiarum Lib. IV. ab illo Cap. XIII. & omni Libri V. quæ reliqua est, parte.* Ipsi demum Bataui ad Romanam amicitiam redierunt, memores, *sibi non tributa, sed virtutem, & viros indici proximum id libertati: & si dominorum electio sit; honestius principes Romanorum, quam Germanorum foeminas tolerari:* scribente TACITO *Hist. Lib. V. Cap. XXV.* Batauiæ duplex regio, altera continens, altera insula. Illa signata a TACITO *Hist. Lib. IV. Cap XII. & Lib. V. Cap. XIX.* Hæc maxime a CAESARE notatur *Lib. IV. de Bell. Gall. Cap. X. Mosa parte quadam Rheni recepta, quæ adpellatur Valis, insulam efficit Batauorum.* TACITVS *insulam Rheni amnis* *Germ. Cap. XXIX.* & *insulam inter vada sitam, quam mari oceanum a fronte, Rhenus amnis tergum & latera circumluit,* adpellat. Bene vtramque regionem ZOSIMVS *Lib. III. Cap. VI.* describit: τὴν Βαταβίαν δίχα σχιζόμενος ὁ Ῥῆνος νῆσον ποιεῖ, πάσης ποταμίας μείζονα νήσου. *Bataviam bipartito Rhenus diuidens, insulam facit, omnibus amnicis maiorem:* ergo & extra insulam Batauia fuit, quæ nisi inter Vahalim & Mosam non quæri potest. Quæritur, an Batauia post dictam Drusi fossam, noua Transrhenanarum regionum accessione aucta sit? Cupiunt id CORNELIVS HAEMRODIVS & HADR. IVNIVS *in Batauiæ descriptione*, & contra CLVVERIVM, qui *Germ. Ant. Lib. II. Cap XXXI. & XXXII.* acriter contra IVNIVM disputauit, eundem IVNIVM defendit, nouisque argumentis opinionem stabiliuit IOH. IS. PONTANVS *in Chorographicis Disceptationibus* CHRISTOPHORVS CELLARIVS *Geogr. Ant Lib. II. Cap. III pag. 345* non minus accedit PONTANO atque IVNIO, nec improbabile putat esse, noua illa fossa nouos terminos, eosque ampliatos, Romano imperio in Gallico limite Drusum statuere voluisse; quod multis aliis prouinciis accidisse, id multis ibi exemplis testatur. Non moramur nos argumenta vtriusque opinionis, sed facilem expeditamque potius dirimendæ litis rationem tradidisse satis habemus.

quas sedes habuisse Batauos, paulo ante monstrauimus. Quod id simpliciter *Batauorum oppidum* Tacitus vocauit, nec proprio & singulari nomine ab aliis distinguit; recte inde coniicitur, solis eo tempore vicis Batauos præter vnum hoc oppidum contentos egisse. Quidam de *Nouiomago* ad Vahalim, hodieque illustri vrbe, vetus illud oppidum interpretantur; rectius alii de *Batenburg*, castro prope Mosam, quasi *Batauoburgo*. Cum situ huius castri *Batenburg* optime Ptolemæi *Batauoduro*, ad Mosam item posito oppido, conuenit. Nempe, cum alia Batauorum oppida Ptolemæi æuo creuissent, proprio is nomine antiquissimam vrbem Batauorum notare necesse habuit; & Batauoduri vocabulum haud dubie accepit, quod cis Vahalim in oppido iudiciarium forum simile, ac in vico altero, quem Batauodurum Tacitus in insula nominauit, esset stabilitum. *Batauoduri* vocem ita ex Germanica lingua interpretari licet, vt *forum solenne Batauorum* sonet. In insula quatuor vicos, præsidiis munitos, rursus Tacitus meminit. Sunt *Arenacum*, *Batauodurum*, *Grinnes*, *Vadaque*. *Arenacum* vulgo de *Arnheim*, insigni oppido, placuit accipere; sed ex Tabulæ Itinerumque rationibus abunde liquet, medio loco inter Nouiomagum & Traianam Coloniam, *Arenacum*, quod *Arenatium*, & *Harenacium*, etiam vocatur, fuisse: minime aut Arnhemum oppidum, quod omnino extra propriam est Bataviam, aut e regione Arnhemi diuersum locum. *Batauodurum* Taciti vtique ab altero Ptolemæi diuersum fuit. Hoc Taciti *Batauodurum* videtur partem & veram vim nominis, supra explicatam, conseruare in *Durstede*; cui vici latinum nomen, quo Tacitus censet, videtur cognomen *Wyck* addidisse, vt vulgo dicatur *Wyck te Durstede*. *Grinnes* Batauoduro propiores, & *Vadam* Arenaco propiorem, exstitisse, & prope ex Germanicorum vocabulorum potestate posse de locorum

Germania Cisrhenana.

situ

Bataui. situ coniecturam capi, eruditus aliquis vir contra communem defendit opinionem. ***Leua fanum*** vetusta habet Tabula proxime Batauodurum: nomenque indicat Leuam, deam quandam, a Batauis, eo loco cultam esse. ***Burginatium*** in Tabula & in Itineribus, & ***Quadriburgium*** apud Ammianum, eundem fuisse locum, vel ex nomine, magis vero ex rationibus probe subductis, declaratum est. Locus fuit ad dextram Vahalis, sinistramque Rheni ripam, in Bataui agri principio; ***Waterburg*** olim fortassis dictus (*a*).

Oppidorum & castrorum continuata cura.

XXI. A Batauoduro ad oceanum, adeoque in insulæ inferiori parte, nihil memorauit Tacitus. Ptolemæus solum habet ***Lugodinum***, quod corruptum fortassis est reliquorum ***Lugdunum.*** In Itineribus, quæ vulgo Antonini nomine compellantur, & in vetustis Tabulis, plura occurrunt loca, quam quæ ostendere conueniat: potiora considerasse,

(*a*) *Batauorum oppidi* mentio fit a TACITO *Lib V. Hist. Cap. XIX.* Illud incensum a Ciuili, cum omnia desperans Vahalim traiiceret. Restitutum arbitratur MENSO ALTINGIVS, & ex Celtica voce *Duren*, qua *iudiciarium forum* notetur a PTOLEMAEO *Lib. II. Cap. IX.* dictum esse *Batauodurum*; instar alterius in insula Batauoduri. De quatuor vicis ita TACITVS *Hist. Lib. V. Cap. XX.* narrat: *Tantum belli superfuit, vt præsidia cohortium, alarum, legionum, modicis vicis quadripartita Ciuilis inuaserit: decimam legionem Arenaci; secundam Batauoduri; & Grinnes, Vadamque, cohortium alarumque castra.* Eruditissime quatuor hos vicos interpretatur ALTINGIVS *singularibus in Notitia lemmatibus.* Ostendit *Arenacum* ab *Arnhemo* distare per M. P. X. principe etiam fluuiorum interueniente. Declarat prorsus diuersæ potestatis nomina esse illud *Arenaci*, & hoc *Arnhemi.* Non situm vero distincte designari posse, fatetur, cum in reliquis tamen id aliquantum liceat. Ita *Batauodurum Grinnes*que, & *Vada*, commode ostendit, erroresque a multis commissos confutat; vt nobis tamen exscribendis eius obseruationibus omnino supersedendum videatur. Vid. item noster ALTINGIVS, *singularibus locis Leua fanum, Burginatium,* & *Quadriburgium*, interpretatus, & conf. CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. II. Cap. XXXVI.* cuius varios autem errores ALTINGIVS passim perstringit.

raſſe, ſufficiet. *Traiectus* eſt in Itineribus inter Mannari- *Germanis Cisrhenana.*
cium & Albiniana. Eius & nomen & ſitus euincunt, fuiſſe prope nobiliſſimum oppidum, *Vtrecht* vulgo dictum, quod ideoque a veteri Rheni Traiectu accepit nomen *Oltrecht*, vnde mollior vox *Vtrecht:* ipſa licet clariſſima vrbs trans Rhenum in Friſiorum ripa fuerit condita. *Albiniana*, nempe caſtra, ſunt obſcuriora, ſane tamen ſupra Lugdunum, & prope Rhenum; vt fortaſſis Clodius Albinus, qui a Commodo miſſus Friſios Rhenum transgreſſos fudit, ea condiderit. Cum loci ſitu hodie conuenire creditur vico *Alfen*, qui & a nomine veteri haud multum abludit. Inde *Lugdunum* X millibus abeſt, ea antiquitate, vt ipſe Ptolemæus eius habuerit rationem; licet male ad occidentale Rheni oſtium, quod hic cum Moſa commune habet, admouerit, & corruptum Lugodini vocabulum in medium protulerit. Lugdunum *caput Germaniarum* Itineribus audit; quod, ſi ab Oceano cœperis Germanias Cisrhenanas perluſtrare, vtique exſtitit. Hodie vetus nomen ampliſſima ciuitas, multisque & variis decoribus ornatiſſima, ſeruat integrum. *Prætorium Agrippinæ*, quod prope Lugdunum Tabula locat, idem creditur fuiſſe, cui lapis quidam inuentus *Armamentarii* nomen fecit. Situs & diſtantia oſtendit, fuiſſe in loco, qui hodie *Roomburg*, quaſi *arx Romana*, nuncupatur. De arce, ſiue caſtello littorali, quod inundans texit oceanus, cuiusque veſtigia, non niſi tempeſtate, poſt Africi venti furorem, a Cauro concitata, nudatum arenis littus retegere conſueuit; vulgo *t'huys te Britten*, ſiue *Brittenburg*, id eſt, *Arcem Britannicam*, incerta fama Cæſarei in Britanniam traiectus inducti, nominant: varia ſuperat eruditorum contentio. Eam vt tranſeamus ſilentio, licet vulgi narratus fruſtra ſint, ſi tamen ex marinis ruderibus extractus lapis, cui Romana eſt inſcriptio, fidem ſeruat; illuſtre ſaltem

Roma-

Batavi. Romanorum opus & monumentum, qualecunque etiam fuit, is arguit & probat. *Forum Adriani*, quod postremum memoramus, in austrum a Lugduno VII millibus recessisse, vetus notat Tabula. Auctorem & vsum oppidi ipsum nomen manifestat; situm vera distantia, & nominis in oppido *Forburg* reliquiæ: dignitatem & amplitudinem ruinæ circumiectæ & subterraneæ substructiones, in quibus plura curiosa sagaces antiquitatis interpretes notarunt, attestantur (*b*).

XXII. Cum

(*b*) A *Veteri Traiectu*, qualem adpellat CAROLI R. *diploma apud* HEDAM *in Albrico*, nomen natum *Olt-trecht*: cuius vox Latina *Olttraiectus* tolerari poterat, vt vero rectius *Traiectus Rheni*, siue *Traiectus ad Rhenum*, Latine adpelletur; quippe, cum locus ille nulla alia conditione, quam solius traiectus, Romanis fuerit cognitus. *Albiniana* in TABVLA sunt *Albamana*. Ex priori nomine non verebor Clodium Albinum castrorum illorum auctorem dicere. Iste CAPITOLINO teste *in eius vita Cap. VI. per Commodum ad Gallias translatus, in quo fusis Frisiis Transrhenanis, celebre nomen suum & apud Romanos, & apud barbaros fecit. Lugdunum* PTOLEMAEO est Λουγόδεινον, *Lugodinum*. Non creditur in Ciuilis bello nomen habuisse, quod mox deinde accepit. MENSO ALTINGIVS defendere videtur PTOLEMAEVM, ostenditque, non eum prorsus ad occidentale Rheni ostium, sed ab eo M. P. IX. a medio M. P. XIII. *Lugodinum* posuisse, vbi hodieque nomen duret, nominisque cernatur vera potestas in *Loosduynen*, quasi *Loegsduynen*: vt adeoque necesse sit PTOLEMAEI *Lugodinum*, & *Lugdunum*, *Germaniarum caput*, (quam laudem male IOH. IS. PONTANVS *in Chorogr. Discept.* Lugduno abreptam Argentorato it vindicatum) distinguere, & pro diuersis locis accipere. *Prætorium Agrippinæ* ab Agrippina, Claudii coniuge, nomen haud dubie accepit. Iam satis enim ex coloniæ deductione adparet, quantum illa fœmina gloriæ studuerit & nominis immortalitati. *Armamentarii* vnus testis est vetus lapis, ante ducentos annos, sed dubio adhuc loco, repertus; de quo etiam mira est eruditorum contentio, quam lege apud ALTINGIVM *in Notitia voce Armamentarium*. Et hic ex PETRO SCRIVERIO *Antiquit. Batav.* ipsam inscriptionem intortis admodum litteris, & inter se præter morem connexis, notatam tradit, & commode interpretatur. Hæc est ex SCRIVERII & ALTINGII interpretatione:

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS, SEVERVS AVG. ET M. AVRELIVS ANTONINVS CAES. COH. XV.

Caninefa- tum gonus, nomen, eiusque vis.

XXII. Cum Batauis, quos modo vidimus, socios possessionis, eiusdemque insulæ habitatores, fuisse, *Germania Corbena.*

CANINEFATES,

Tacitus atque Plinius ostenderunt; de quibus ideoque continuo post Batauos dicendum est. Gentis nomen reperitur varium.

VOL. ARMAMENTARIVM VETVSTATE CONLAPSVM RESTITVERVNT SVB VAL. PVDENTE LEG. AVG. PR. PR. CVRANTE CAELIO CIVILE BATAVONE PRAEFECTO.

Ichnographiam *Britannicæ arcis* expressam explicatamque dederunt IVNIVS & SCRIVERIVS. Quidam de altissima turri in indicium victoriæ a Caio Caligula in littore excitata, quod SVETONIVS *in eius Vita Cap XLVI.* memorat, aut de Claudii quodam monumento, illam arcem interpretantur. Sed obstat, quod ex Morinis ad exemplum Iulii Cæsaris transmittere in Britanniam Romani imperatores consueuere: quod de Claudio etiam diserte in eius vita narrauit idem SVETONIVS *Cap. XVII.* Miror autem, neminem attendisse animum ad annonæ ex Britanniis transuectionem, a qua per Rhenum deinceps aduehi, & per præsidia dispensari consueuit: Eius meminit AMMIANVS *Lib. XIIX. Cap. II.* & docet LIBANIVS *in Orat. funebri*, & de se ipso IVLIANVS *in Epist. ad Athenienses*, multo eam transuectionem ab illo Cæsare redditam esse faciliorem. Discimus imo ex EVNAPIO *in Legat.* ideo cum Chamauis pacem sanxisse Iulianum, quia iis inuitis non potuerit Britannica annona per Rhenum ad Romana vehi præsidia. Quid iam dubitamus medium Rheni ostium, quo intrabant Britannicæ naues, castro quodam munitum ab aliquo imperatorum fuisse? quod, nisi omnia me fallunt, ex reliquiis fundamenti, quod subinde ex mari adparet, agnoscitur. Sane etiam diu ante Iulianum arx condita esse videtur: nam ille non instituit transuectionem annonæ, sed reddidit faciliorem atque expeditiorem. Quando vero, & a quo, sit excitatum munimentum? prorsus id ignoro. Fortassis ara quædam Druso, qui primus fecit, vt nauigaretur Rhenus, prope illud castrum dedicata est. Eius fidem videtur vetus lapis facere, quem ex ruderibus extractum auctores memorant. Hæc est eius inscriptio reliqua:

- - TANNIC. GERMANIC. PIVS FELIX AVGVST.
- - MAX. TRIB. POT XVIII. COS. III. P. P. IMP. III.
- - RAM A DIVO CLAVDIO ET POSTEA
- - ERO PATRE SVO RESTITVTAM.

Supplentur ita, vt præmittatur nomen *Imp. Cæs. M. Aurel. Antoninus Brit.* addatur deinde *Pont.* item *Aram*, & extremum *Seuero.* De *Foro Adriani* vid. ALTINGIVS *in Notitia*,

Caninefa-tes. varium. Modo & *Cannenefates*, aut *Cannunefates*, modo *Cannanefates*, adpellati sunt. Fuere origine, lingua, virtute, pares Batauis; numero superati sunt. Ergo & Catti fuere, vt Bataui; licet ex diuerso pago oriundi, qui tamen vix designari potest. Virtus non minor Batauа Caninefatum exstitit, sed longe minor fortuna. Cum enim Bataui in amicitiam Romanorum recepti essent, Caninefates contra a Tiberio subacti, imperia & tributa tolerarunt. Post Ciuilis bellum vix vltra aliquis auctor Caninefatum meminit; vnde non est vana opinio, maius & nobilius Batauorum nomen extremum alterum Caninefatum prorsus deleuisse & absorbuisse. Ipsum Caninefatum nomen arbitrantur in insula demum acceptum esse; quod humilem & palustrem agrum suum, creberrime stagni instar aquis pluuiis & amnicis superfusum, vnde vadorum prope faciem induisset, aggestione modicæ terræ, quasi indagine obsepire necesse habuissent incolæ: qui continuus labor ex compositis vocibus, *Kaje* & *Watten*, *Caiefatum*, & Romano ori *Caninefatum*, nomen dederit. Sane hæc interpretatio nominis longe præstat lepida altera, quæ a cuniculis frequentibus captis deuoratisque nomen Caninefatum genti natum constituit. De sedibus Caninefatum multi mira commenti sunt. Quidam diuersam Caninefatum a Batauis insulam somniarunt, quam nec valuerunt ostendere: vt prorsus adeo præter probabilem causam Tacito, qui partem insulæ cum Batauis Caninefates coluisse, diserte scripsit, fidem denegent. Communis opinio septentrionalem, quæ hodie vocatur, Bataui- am Caninefatibus tribuerat. Vindices huius sententiæ nouum Rheni alueum, qui contra aquilonem inferius exeat in oceanum, vereque medius esse queat inter Helium & Fleuum alueus Rheni, excogitarunt: vt Caninefates cis Rhenum egisse demonstrarent, semel autem iis communiter

Sedes valde controuersæ;

 ad-

adsertas sedes fortiter vindicarent. Verum enimuero adeo medius Rheni alueus, qui Traiectum atque Lugdunum præterfluit, antiquitati omni probatus est, vt frustra omnia aliorum sint commenta. Trans hunc medium Rheni alueum continuo coluerunt Frisii, quos alio loco vidimus. Cis eum Batauorum insula exstitit, cuius partem, vt rursum Tacitum audiamus, Caninefates coluerunt (*c*). *Germania Cisrhenana.*

XXIII. Quæ-

(*c*) *CANINEFATES* sunt VELLEIO *Lib. II. Cap. CV.* TACITO *Hist Lib. IV. Cap. XV. & XXXII Cannenufates*, aut *Cannunefates*, PLINIO *Lib. IV. Cap. XV.* GRVTERVS *fol. CCCLXXXV.* habet inscriptionem: PRAET. EQ. ALAE PRIMAE CANNANEFATVM.

THOMAS REINESIVS *in Synt. Inscript.* ex inscriptionibus probat nomina CANONEFATES & CANANIVATES. AETHICI *Cosmographia* profert *Cannifates.* De origine gentis TACITVS *Lib. IV. Histor. Cap. XV. Missi*, inquit, *ad Caninefates, qui consilia sociarent. Ea gens partem insulæ colit, origine, lingua, virtute, par Batauis: numero superantur.* Prius Caninefatum fatum VELLEIVS ostendit. *Intrata*, inquit, *protinus Germania, subacti Caninefates, Attuarii, Bructeri: recepti Cherusci, & transitus Visurgis.* In Ciuilis bello fortes fuere Caninefates, præter prolata, his verbis *Cap. XXXII.* Claudio Ciuili apud TACITVM teste: *En ego præfectus vnius cohortis & Caninefates, Batauique, exigua Galliarum portio, vana illa castrorum spatia excidimus.* Brinio ipsorum dux fuit, quem *Cap. XV.* TACITVS descripsit. Nominis Caninefatum notationem totam ALTINGIO debemus; qui & libere ridet HADR. IVNII lepidam coniectationem, *in Batauia Cap. III.* prolatam. Disputandi de Caninefatum sedibus occasionem PLINIVS *Lib. IV. Cap. XV.* dedit. *In Rheno*, inquit, *ipso prope centum millia passuum in longitudinem, nobilissima Batauorum insula & Cannenufatum: & aliæ Frisiorum, Chaucorum, Frisiabonum, Sturiorum, Marsaciorum, quæ sternuntur inter Helium & Flenum.* De reliquis insulis, & ciuitatum nominibus, in Frisiis dictum. Ex prioribus verbis HADR. IVNIVS *Bat. Cap. III.* singularem Caninefatum insulam commentus est, quam, nescio quibus, limitibus circumscribit. CORNELIVS AVRELIVS *Lib. I. Bat. Cap. IV.* CORNELIVS HAEMRODIVS *in Batauiæ descriptione*, & post hos IOH. IS. PONTANVS *Chorogr. Discept. Cap. XX.* septentrionalem Batauiam Caninefatibus tribuunt, & maxime regionem de *Kennemerland* dictam: iidemque alueum Rheni præter Enkhusam & Alemariam ducunt, cis quem Caninefates egerint. Contra CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. II. Cap. XXXI.* satis confutat omnia

Caninefa-tes.

XXIII. Quænam igitur, inquam, Caninefatum in insula cum Batauis fuerunt sedes? an cum Batauis permixti habitarunt; vtrum singulari regione contenti? Non permixtos cum Batauis in insula Caninefates egisse, quam clarissime nos Ciuilis illud bellum docet, quo singulares Caninefatum a Batauis fines declarantur. Cum & Tacitus ait, partem eos insulæ colere, prorsus prohibet confusas atque vniuersas Batauorum Caninefatumque sedes constituere. Singularem vero insulæ partem Caninefatibus adsignandam & Tacitus indicabit, & bonæ probabunt coniecturæ. Inferiora habitasse ex victoria, quam a Romanis, in superiora se recipere coactis, reportarunt, intelligitur. Adcoluisse oceanum probat eadem expeditio: quod cum Frisiis se coniunxere Caninefates, id quod nisi ab oceano fieri non potuit; quod & coniuncti iam populi ab oceano ex improuiso in Rhenum irrupere; quod & ad oceanum in Caninefatum terram Romanas reducere cohortes dolose & malitiose voluit Cl. Ciuilis, dux Batauorum. Quam late oceani oras obsederint, ab eodem Tacito docemur. Ad ortum Frisiorum fuere confines; hi enim se commode cum Caninefatibus primo statim tempore coniunxerunt. Ad occasum ad Vahalim vsque, qui cum Mosa in eodem ostio se exonerat, pertigisse, Cl. Labeonis ex Neruiis in Caninefates & Frisios, vt Batauos non adoriretur, expeditio argumento est. A fronte igitur Caninefatibus fuisse oceanum, quam late is Batauiam alluit, vix vltra quispiam ambiget. Latera clausisse Rhenum ipsum & Islam amnem, coniecturæ verisimili creditur. Tergum protulere nonnulli ad vsque Batauodurum vicum; vt medios inter

sed, duce antiquitate, in ipsa Batauorum insula commode demonstratæ.

illa commenta, & cum eo ALTINGIVS, CELLARIVS, & omnes præterea eruditi, contra IVNIVM, HAEMRODIVM, & PONTANVM, sentiunt.

Germania Cisrhenana.

inter Batauos deponerent ad Rhenum Caninefates, littoralesque Batauos, & superiora prospicientes, simul haberent. Rectius tergum ad *Batestein*, quasi Batauorum terminalem lapidem dixeris, constituitur. A Batenstein vico ad proximam Islæ ripam, vbi *Montfort* hodie oppidum est, ducit vero terrenum septum, Cattorum, siue Caninefatum, stagno vel paludi obiectum, vulgo de *Kattenbrœcker Kaye;* quem equidem Caninefatibus limitem ponere, post eruditissimi cuiusdam viri graue iudicium, minime veremur. Et hoc modo commode Caninefatum gens partem insulæ Batauorum coluit; vt seriore tamen æuo, extincto singulari Caninefatum nomine, omnem rursus insulam Batauorum nomen occupauerit (*d*).

Memorabilia quædam in Batauis, & præcipue in Caninefatibus.

XXIV. In Caninefatibus *Corbulonis fossa*, quam Tacitus descripsit, quæri debet. Eam inter Mosam Rhenumque trium & viginti millium spatio produxit, qua incerta oceani vetarentur, & vt otium exueret miles. Hodie ea quidem fossa nusquam reperitur; veri tamen eruditis videtur perquam simile, eam a Rheno cœpisse, a riui Lugdunensis, cui nomen *Vliet*, capite, & ad Mosæ Vahalisque confluentes, vbi *Geervliet* est, fuisse productam. Noua, quæ hodie illic visitur, parata fossa, antiquior haud dubie deiecto aggere rursum oppleta est. Meminimus hoc loco *noui aluei a Rheno* paulo supra

(*d*) Quantum ad coniecturas, hæ omnes ALTINGII doctissimæ in *Notitia de Caninefatibus* commentationi debentur. Ad probationem faciunt TACITI *ex Historiarum Lib. IV.* loca quædam. *Cap. XV. Missi*, inquit, *ad Caninefates, qui consilia sociarent. Ea gens partem insulæ colit. Mox, Brinio dux deligitur. statimque accitis Frisiis (Transrhenana gens est) duarum cohortium hiberna, proxima occupatu, oceano irrumpit. Cap. XVI. Ciuilis*, inquit, *dolo grassandum ratus, incusauit vltro præfectos, quod castella* (in Caninefatibus) *deseruissent. Cap. LVI. Cl. Labeo - - - nihil apud Batauos ausus, quosdam Neruiorum Bethasiorumque in arma traxit. Et furtim magis, quam bello, Caninefates, Marsacosque incursabat.*

Caninefates. supra Batauodurum vicum *a Cl. Ciuili quondam abacti.* Hodie *Licus* amnis est; & cum Islæ amni se antiquitus miscuisset, vno cum eo alueo in immensum os Mosæ se exonerauit: hodie per crebras eluuiones omnis amnium in hisce oris facies variata cernitur. Molem suo tempore Drusus Germanicus, scribente Tacito, obiecerat, ne Rhenus in Galliam pronus iniquo terris casu forte effunderetur. Eam Drusi *molem Ciuilis*, vt bellum a Romanis illatum facilius defenderet, *diruit*, adeoque *Rhenum prono alueo in Galliam ruentem, disiectis, quæ morabantur, effudit.* Bene hac occasione Tacitus medium Rheni alueum descripsit: *sic*, inquit, *velut abacto amne, tenuis alueus, insulam inter, Germanosque, continentium terrarum speciem fecerat.* Quod Taciti testimonium probe notent, qui Bataviæ, adeoque Galliæ, fossa a Druso ducta, opinantur vlteriores ad Fleuum vsque terras adiectas esse: aut qui ægre sibi persuadent, minimum Rheni alueum insulæ Germanorumque finitorem vltra mansisse. Quod sæpe & sæpius de coniuratione Ciuilis mentio est iniecta, nec præteriri debet silentio ille locus, in quo is cum Batauis primum de bello Romanis inferendo deliberauit. *Nemus sacrum* vocat Tacitus, vt locum tamen non satis designet. Creditur fuisse extra insulam Vahalim inter & Rhenum; nam consiliis demum inter se communicatis ad Caninefates missum est a Batauis. Putatur *Lewen* vicum, haud procul Batenburg, quod vetus Batauorum oppidum referre creditur, nemoris sacri suo nomine suppeditare indicia. Quippe *Leuam* deam a Batauis cultam esse iam vidimus; vt fortassis ob Leuæ quandam aram nemus etiam sacrum adpellatum sit. Solas tamen heic a me coniecturas in medium proferri, minime diffiteor (*e*).

XXV. Ab-

(*e*) De *fossa Corbulonis* ita narrat TACITVS *Ann. XI. Cap. XX. Vt tamen miles etiam exueret, inter Mosam Rhenumque trium & viginti millium spatio*

Taxandrorum nomen, & genus;

Germania Cisrhenana.

XXV. Abſcedimus iam a Rheno, ceterosque inter Moſam & Scaldim Germaniæ Cisrhenanæ, & quidem Inferioris, populos contemplamur; vt conſideratio noſtra cum fluuiis nunc adſcendat, cum ante cum Rheno ad inferiora deſcenderimus. Proxime Batauos, qui continentem habitarunt terram, in inſulis, quas Moſæ Scaldisque aluei circumluunt, egere, ſaltem putantur egiſſe,

TOXANDRI ſiue TAXANDRI.

Nomen habet Plinius *Toxandrorum*, vbi vero in quibusdam exemplaribus *Texandri* habentur. Rectius *Taxandri* vocabuntur, vt Ammianus etiam *TAXANDRIAM*, eorum regionem, adpellat. Siquidem non minus, quam Sunici, Taxandri videntur ex Cattis fuiſſe; & quidem ex iis, quos dedititios Tiberius Cæſar ex patrio ſolo in Galliam transtulit. Credibile eſt a breuibus & incertis, quæ Germani *Sanden*

foſſam produxit, qua incerta oceani vetarentur. DIO CASSIVS *Lib. IX.* foſſæ ductæ rationem hanc, vt oceani æſtus pericula vetarentur, reddit. Exponit huius foſſæ ductum MENSO ALTINGIVS. *Druſianæ molis*, Rheno obiectæ, tempus deſignat TACITVS *Ann. XIII. Cap. LIII. Ne tamen*, inquit, *ſegnem militem attinerent, ille* (Paullinus Pompeius) *inchoatum ante tres* (ſex) *& ſexaginta annos a Druſo aggerem coërcendo Rheno abſoluit.* Ergo Druſus Anno V. C. ıɔcccxLIV. vltimo vitæ anno molem Rheno obiecit. Paullinus eandem Anno V. C. ıɔcccx. poſt C. N. LVIII. abſoluit: poſt Annos XII nempe Anno V. C. ıɔcccxxII. poſt C. N. LXX. eam Ciuilis disiecit. De hoc ita TACITVS *Hiſt. Lib. V. Cap. XIX. Ciuilis*, inquit, *Chaucorum auxilia venere. non tamen auſus oppidum Batauorum armis tueri, raptis, quæ ferri poterant, ceteris iniecto igni in inſulam conceſſit: gnarus, deeſſe naues efficiendo ponti, neque exercitum Romanum aliter transmiſſurum. quin & diruit molem a Druſo Germanico factam, Rhenumque prono alueo in Galliam ruentem, disiectis, quæ morabantur, effudit. Sic velut abacto amne, tenuis alueus, inſulam inter Germanosque, continentium terrarum ſpeciem fecerat.* Reliquam curioſam de *Druſi mole* inquiſitionem in ALTINGII *Notitia* reſpice. *Sacrum nemus* TACITVS *Hiſt. Lib. IV. Cap. XIV.* memorat, & ALTINGIVS ſingulari obſeruatione illuſtrat.

andri. *Sanden* nuncupant, addito patrio *Cattorum* vocabulo, primum *Catsandros* compellatos esse: & exstat omnino hodie vnius illarum insularum nomen *Catsandriæ:* transpositis deinceps litteris *Tacsandrorum*, vel, alia duplicis litteræ figura, *Taxandrorum* cognomentum emersisse. Cattorum originis præter alia reliqua insulis vocabula *Cats*, arx, *Cattendyck*, agger, non prorsus sunt infida indicia.

XXVI. Sedes Taxandrorum valde adhuc in incerto sunt positæ. Putantur eæ a Cæsare definiri cum ipsa gente earum habitatrice; cum, *qui proximi*, inquit, *oceano fuerunt*, *ii in insulis se se occultauerunt, quas æstus efficere consuerunt.* Vt eam nihil morer descriptionem, si Taxandri demum a Cattis traiectis in Galliam oriundi sunt, eos ignorauit saltem Cæsar, cum post eius æuum transducti essent: aut ergo existimari debet, diu ante Cæsarem aliam Cattorum partem cum Batauis atque Caninefatibus, solum patrium vertisse, atque in has concessisse insulas, nomenque intulisse suum, vnde commode eos nosse Cæsar potuerit. Plinius de sedibus nihil adiicit, solum extra Scaldim nomen *Taxandrorum* ponens. Ammianus *Taxandriam* locum, id est regionem, vocat, in quo Salii Franci consederint. Eumenius ad Constantium insulas, quas sedes plerique Taxandris adsignant, egregie describit, sed iam a Saliis obsessas, nec Taxandrorum nomine vltra memorato. *Illa* inquit, *regio*, *diuinis tuis expeditionibus*, *Cæsar*, *vindicata atque purgata*, *quam obliquis meatibus Scaldis interfluit*, *quamque diuortio sui Rhenus amplectitur*, *pene*, *vt cum verbi periculo loquar*, *terra non est*. Quippe ad breuia Eumenius respicit, quæ ante nominauimus; & ad marinos æstus, qui Cæsare teste, cum quo bellissime Diodoro alicubi conuenit, crebras insulas efficere consueuerunt. Quod transeundo moneo, ad

Sedesque valde litigiosæ.

has insulas multa capita commode reperimus, per quæ Rhenum etiam, nam eius alueus sinister Mosæ miscetur, effluere Cæsar dixit: qui eius locus, vt alia eruditorum ingenia non parum torsit, ita & nobis superiore loco, quo eius meminimus, non parum obscurus, quod ingenue fatemur, visus est (*f*). *Germania Cisrhenana.*

Argumenta Selandiam Taxandris negantium; XXVII. Ergo igitur insulas vidimus, quas plerique Taxandris tribuunt: est adhuc dispiciendum, an recte eas ipsis sedes adscribant? Veterum auctorum, quod diserte Taxandros in insulas ponat, nihil quispiam habet. Ammianus potius Taxandriam suam ita locat, vt in ripa ad Mosæ Scaldisque confluentes, & ad ipsum Mosam, quærenda videatur. Est etiam in vetustis Menapiorum sedibus reliquum hodie Taxandrorum nomen in vico *Tessenderlo;* quem a Taxandris putant succedente æuo conditum, & ab iis habitatum contendunt. Sunt itaque multi, qui malunt, Taxandros infra Menapios incertis finibus Galliæ extrema incoluisse. Vrgent etiam hi, de illis insulis, quas hodie *Seeland* comprehendat, non satis esse certum, quam olim faciem, quem situm

(*f*) PLINIVS *Lib. IV. Cap. XVII.* in Belgicæ descriptione. *A Scaldi*, inquit, *incolunt extera Toxandri pluribus nominibus.* AMMIANVS *Lib. XVII. Cap. VIII.* de Saliis Francis dixit, *ausos olim in Romano solo apud Toxiandriam* (Taxandriam) *locum habitacula sibi figere prælicenter.* Nominis interpretatio rursus ALTINGII est. Insularum extima ad ostium *Zuyn* hodieque dicitur *Cadsant*, & vrbs ibi *Cadsant* est. De sedibus Taxandrorum prouocant ad CAESAREM *Comm. de Bell. Gall. Lib. VI. Cap. XXX.* qui dicit: *Qui proximi Oceano fuerunt, ii in insulis se se occultauerunt, quas æstus efficere consuerunt.* Et *Cap. XXXII. T. Labienum*, inquit, *cum legionibus III. ad oceanum versus in eas partes, quæ Menapios attingunt, proficisci iubet.* A CAESARE putant hic sine nomine populum *Taxandrorum* in insulis Selandicis ostendi. EVMENII descriptio harum insularum est *in Paneg. Constantio Cap. VIII.* Loco *Scaldis* alia exemplaria *Vahalem* fluuium habent. Quod *multis capitibus Rhenus in oceanum influat*, ex CAESARE *Lib. IV. Cap. X.* iam alibi accepimus.

Taxandri. ſitum inſularum fretorumque intercurrentium, habuerit; cum temporis diuturnitate partim oceani vis, partim Scaldis fluuius, a quo habebant inſulæ initium, magnam vtique rerum mutationem inducere potuerit. Contra Cæſar diſerte populum in inſulis videtur oſtendere. Eumenius adhuc clarius Salios, quos apud Taxandriam conſediſſe Ammianus dixit, in terra memorat egiſſe, quam obliquis meatibus Scaldis interfluit. Superant etiam Cattorum in ipſis inſulis veſtigia. Cum re conuenit demonſtratum Taxandrorum nominis principium. Quæ ſimul collecta, hoc modo vt ſentiamus, nobis perſuaſere. Taxandros, arbitramur, in inſulis illis omnino ab omni æuo habitaſſe; licet, qui ſtatus inſularum vere fuerit, non audeamus definire. Cum vero Plinius dicat, *a Scaldi incolunt extera Taxandri pluribus nominibus:* his conſideratis verbis porro opinamur, non ſolum inſulas Taxandros habitaſſe, ſed & proxima inſulis in continente Galliæ. Fortaſſis cum Salii in Taxandriam inuaſiſſent, in Menapios Taxandri interius conceſſere; vnde illatum nomen. Inſulas habuerint omnes a Batauis ad Morinos vsque; quarum fines memorare non opus eſt. Noſtra hæc, credo, opinio non repugnantem habet antiquitatem, ſed eam cum bonis coniecturis adprime conuenientem. An *Helium* quoddam caſtellum prope Helium oſtium fuerit? a nonnemine quæri video. Ipſe licet Florus condita ad Moſam, atque ad Rhenum, a Druſo caſtella memorauerit, non ex eo tamen ignoratum omni vetuſtati caſtrum recte fingi, iudico. Quod enim ad Fleuum caſtellum prouocatur, eodemque modo alterum oſtium firmatum videri iudicatur, prorſus fruſtra eſt; cum Fleuum caſtellum at-

& contra eam Taxandris vindicantur:

cum quibus nos facimus.

que oppidum supra in Frisiis longe alio in loco, quam apud ostium, demonstrauerimus (g). Germania Cisrhenana.

Menapiorum nomen, eiusque ratio.

XXVIII. Supra Taxandros inter Mosam & Scaldim, nobiles fluuios, coluerunt ab omni æuo

MENAPII;

clarissima gens, &, quod dubitat nemo, germanæ Germanicæ

(g) Eruditissimi viri contra CLVVERIVM, qui *Germ. Ant. Lib. II. Cap. XXIX.* Seelandiæ Taxandros vindicauit, pro horum sedibus in extrema continentis Galliæ ora propugnant. CHRIST. BROWERVS *ad* VENANTII FORTVNATI *Lib. III. Cap. XII.* hanc sententiam dixit. *Toxiandria, vel, vt posteri adpellarunt, Taxandria Leodisibus & Brabantiæ finitima olim fuit regio, cuius appellationis etiamnum vestigia manent. Sunt, qui S. Trudonis oppidum vicinumque solum pro ipso Taxandriæ capite vsurpant: sed minime fallunt, qui in Tessenderlo, pago Leodicæ ditionis extremo, haud procul Diesta, non obscuro Brabantiæ oppido, ostendunt imaginem priscarum sedium; apteque Lo particula quadrat, quæ loca alta ac in palude sita notat, ceu diceres, Taxandrorum palustria, cuiusmodi compositio est in Venelo Geldriæ, Borkelo, Beuerlo.* Ad BROWERVM prouocat, & ipse rem illustrat HADR. VALESIVS *in Notitia Galliarum sub lemmate Toxandri & Toxandria.* Ibi, *Toxandria*, inquit, *ad tertium lapidem ab oppido Tungrorum Traiecto incipiens, ad Mosæ Vacalisque confluentes expandebatur, regio magna ex parte vastis paludibus inuia, ac ob id ne finitimis quidem satis nota. Mosa autem parte Rheni, quæ adpellatur Vacalis, non procul ab oceano Britannico Toxandros ceterasque eius tractus nationes a Frisiis citerioribus diuidebat.* Cum BROWERO etiam PONTANVS *Chorogr. Discept. III.* facit, vt alios mittam. Et profecto VALESIVS ex medii æui monumentis tot protulit testimonia, vt minime sit dubitandum, esse medio æuo Taxandrorum nomen in dictis constitutum finibus. At, nostra suscepta media sententia, vtrique, puto, parti, consulitur. Nec deesse ostendimus *Taxandrorum*, siue *Cassandrorum*, nominis in Seelandia vestigia. Reperi in insula *Nord Beuerland* locum *Kats*, & in propinquo Scaldis ostio, *de Ooster Schelde* dicto, loca *Kaats hoft*, *Kats-Rack*, *Kats-Plaat*, a nauigantibus compellata. *Helium castellum* CLVVERIVS, ita vt dicam, suo ex ingenio commentus est, nec cuiquam fidem fecit. Meminisse autem decet lapidum superiori seculo in VValchria insula, inter *Domburg* & *WestCapell*, repertorum, & DEAE NEHALENNIAE inscriptorum; quos memorat SPONIVS *in Miscellaneis Antiquit. Sect. III. Num. XC.* & illustrat ALTINGIVS *in Notitia*. Hanc Deam *Nehalenniam*, *nouum lumen Lunæ* notare hic declarat, simulque ostendit, videri eam præcipuo in cultu penes Taxandros fuisse.

Menapii. manicæ originis. Nomen omnibus idem eſt auctoribus. Eius vis atque poteſtas ea eſſe a quopiam coniicitur, vt *vniuerſitatem quandam populi & communitatem* ſignificet. Quippe creduntur Menapii ex variis Transrhenanis Germanis ſimul confluxiſſe, &, incerto licet tempore, diu tamen ante Cæſarem transgreſſi Rhenum, in vnam conſociationem, quam ipſo nomine indicauerint, coaluiſſe. Ante latiſſimis regionibus inſederant; Romano autem ſubiecti imperio, multis excluſi, anguſtioribus ſpatiis cœperunt contineri. Cæſar trans Moſam oſtendit Menapios; partemque trans ipſum Rhenum ſupra eius diuortium. Transrhenanis ſedibus ab Vſipetibus atque Tenchteris ſunt expulſi; & imo ab iisdem, cum Rheno ſuperato quietam gentem grauiſſima clade adfeciſſent, retro cis Moſam recedere coacti. Auguſti deinceps ætate Tiberius Cæſar Sigambros, poſtea Gugernos dictos, in Menapiorum agris locauit. Idem creditur deditItios Cattos magnam partem in inſulis, Scaldis Moſæque oſtiis proximis, collocaſſe; vbi Taxandrorum ſit nomen natum: cum antea fortaſſis in Menapiorum illæ inſulæ fuiſſent poteſtate. Quas ergo ea ætate ſedes Menapii ſeruarunt, Moſa ad orientem, & cum breuibus ad ſeptentriones, Scaldis ad occaſum, amnesque Demera & Rupella ad vsque confluentem Scaldis ad auſtrum, concluſerunt. Moſa a Gugernis & Batauis fuerunt diuiſi; nullos enim vltra Menapios cis Moſam Tacitus agnouit. Ad auſtrum coluerunt prope Moſam Tungri, ad Scaldim Aduatici. Mare ipſum tenuerunt Morini, Scaldi fluuio a Menapiis ſeparati. Hæc confinia gentium clare Cæſar oſtendit, quæ, cum nihil paulo deinceps his in partibus reperiatur mutatum eſſe, omnino a nobis accipi debent *(b)*.

Crebro variatæ ſedes.

An. V. C. DCCVIII. Ante C. N. LIII.

An. V. C. DCCXLV. Ante C. N. VI.

(*b*) *MENAPIORVM* nomen a Germanico vocabulo *Meenacht*, ſeu *Meenafft*, quod *populi vniuerſitatem* notet, ALTINGIVS *in Notitia* deri-

Incerta succedente æuo finium mutatio, sed

Germania Cisrhenana.

XXIX. Quæ seriore æuo obtigere finium mutationes, non satis sunt exploratæ, vt certum quid constitui possit. Ptolemæus rursus post Vespasianum Menapios cis Mosam habet. An errauerit scriptor, Cæsaris persuasus memoria; vtrum

uat, causamque multis idoneis rationibus comprobat. CAESARIS æuo latissimis finibus insederant Menapii. Sedes ad Rhenum docet CAESAR *Lib. IV. Bell Gall. Cap. IV. Vsipetes*, inquit, *& Tencteri complures annos Sueuorum vim sustinuerunt: ad extremum tamen agris expulsi, ad Rhenum peruenerunt, quas regiones Menapii incolebant, & ad vtramque ripam fluminis agros, ædificia vicosque, habebant.* Cis Mosam ad Morinos pertigisse idem docet, quum plurimum eos cum Morinis coniungit. *Lib. II. Cap. IV. de Bello Gallico* hoc ordine sibi a Rhemis Belgarum bellicum adparatum enarratum scribit: *Ambianos X millia, Morinos XXV millia: Menapios IX millia: Caletes X millia.* Et *Lib. III. Cap. XXVIII. Cæsar, quod omni Gallia pacata, Morini Menapiique supererant, qui in armis essent, neque ad eum vnquam legatos de pace misissent; eo exercitum adduxit.* Conf. *Lib. VI. Cap. II. & V.* vbi nihil ad Rhenum cum Menapiis gestum, intus & intra Mosam omnia. Eodem modo DIO CASSIVS *Lib. XXXIX.* de Cæsare *Morinos eorumque finitimos Menapios*, Μορίνους καὶ Μεναπίους ὁμόρους σφίσιν ὄντας, adpellat, contra quos ille bellum administrauerit. Item STRABO, CAESAREM sequutus auctor *Lib IV.* ait; τοῖς Μεναπίοις εἰσὶ συνεχεῖς ἐπὶ τῇ θαλάττῃ Μορῖνοι, *Menapiis contermini sunt ad mare Morini:* sed non bene intellexit CAESAREM, qui ad vtramque Rheni ripam longe supra ostia, Menapios posuit, cum addit; Μηνάπιοι τῶν ἐκβολῶν ἐφ' ἑκάτερα τοῦ ποταμοῦ κατοικοῦντες ἕλη, *Menapios vtrimque ad ostia Rheni habitare paludes.* CAESARIS æuo magna Menapios calamitas oppressit; de qua vid. CAESAR *Lib. IV. Cap. IV.* Traductio Sueuorum ex SVETONIO *in Tiberio Cap. IX.* & ex EVTROPIO *Lib. VII. Cap. V.* cognita. Tum redacti prorsus cis Mosam Menapii; vnde TACITVS Vespasiani æuo solus Cismosanos nouit, *Lib. IV. Histor. Cap. XXVIII. Ciuilis*, inquit, *vtcuique proximum, vastari Vbios Treuerosque, & alia manu Mosam amnem transire iubet, vt Menapios & Morinos, & extrema Galliarum, quaterent.* PLINIVS *Lib. IV. Cap. XVII.* ambigue Belgicæ populos percenset, nec indicat, a qua Scaldis parte Menapii eius æuo egerint. *A Scaldi*, inquit, *incolunt extera Toxandri pluribus nominibus. Deinde Menapii, Morini.* Videtur tamen exteris relictis, ad citeriora, vbi Morini erant, reuerti. Singulares limites Cismosanorum Menapiorum dedit CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. II. Cap. XVI.* Magna *Brabantiæ* pars inter Mosam & Demeram, Scaldemque, amnes, ac Selandiam sita; item *Hollandiæ, Geldriæque*, Cismosanæ partes, dictis finibus continentur.

Menapii. vtrum omnino redire in priscorum agrorum partem Menapiis fuerit concessum? non satis decerno. **probabilis tamen.** In Morinos, qui omnem maris post Menapios tractum quondam tenuerunt, Menapios seriore ætate inuasisse, nomenque & linguam Germanicam intulisse; maiori probabilitate adstrui videtur. Tabula Theodosii *Castellum Menapiorum* vocat, quod inter Gessoriacum, quæ nunc Bononia est, & Teruanam medium conspicitur; & vtique in Morinis exstitit. *Cortoriacum* Normannorum Gesta, & *Turnacum* S. Amandi vita, in Menapiis vrbes nominant. Plura etiam notarunt auctores in Morinis oppida aut vicos, quorum nomina Menapiorum quondam sedes prodant. Adde Germanicam linguam vsquequaque in Morinos protentam Menapiorum in Morinos migrationem simul probare. Si enim a Francis demum Germanica foret illata lingua; quæro, cur non cum omni Gallia ea est communicata? In ipsis suis finibus, quos ante designauimus, nulla Menapii Cæsaris ætate habuerunt oppida; sed vicos tantum & tuguria: quæ Cæsar cum agris vastauit atque destruxit, cum soli Menapii ausi essent Galliarum victorem contemnere. **Clara in Menapiis post æuum Cæsaris oppida.** Postquam in Romanorum venit prouincia eorum potestatem, ad coërcendam gentem videntur castella quædam exstructa; fortassis etiam oppida quædam condita esse. Meminit Ptolemæus *Castelli Menapiorum* ad Mosam: quod omnium consensione est *Cassel*, siue *Kessel*, ad Mosam, inter Traiectum huius amnis & Grauen medio loco situm. *Blariaci* meminit vetus Tabula: hodie dubio procul est *Blerik*, vicus ad Mosam, prisci nominis adhuc retinens Fuisse vtrumque castellum a Druso conditum, multi suspicantur. Saltem fuisse videntur ex tribus illis munimentis, quæ Iulianus eiectis Francis reparasse legitur *(i)*.

XXX. A

(*i*) PTOLEMAEVS *in Belgica Lib. II. Cap. IX.* ait; *Μετὰ τὸν Μόσαν ποταμὸν Μενάπιοι, καὶ πόλις αὐτῶν Κάστελλον. Post Mosam amnem Menapii,*

Aduaticorum nomen; XXX. A Menapiis pergimus continuo ad *Germania Cimbrana.*

ADVATICOS;

quos a Menapiis ad austrum coluisse ante ostendimus. Vnde acceptum sit *Aduaticorum*, siue *Atuaticorum*, vocabulum, nemo facile explicabit. genus; Genere & animis Cimbri fuerunt atque Teutoni; qui, quod Cæsar ait, *quum iter in prouinciam nostram atque Italiam, facerent, his impedimentis, quæ secum agere atque portare non poterant, citra flumen Rhenum depositis, custodia ex suis, ac præsidio, VI millia hominum vna reliquerunt. Hi post eorum obitum multis annis a finitimis exagitati, quum alias bellum inferrent, alias illatum defenderent,* An. V.C. ΙↃCXLIV. Ante C.N. CVII.

& oppidum illorum Castellum. Castellum Morinorum, quod in TABVLA *Menapiorum* audit. vulgo *Berg-Cassel* dicitur. GESTA *Normannorum ad Annum* ΙↃCCCCXCVI. prope *Cortoriacum* ostendunt *Menapios*, tum a Normannis acerbe adflictos. PHILIPPVS *Bonæ Spei Abbas*, *in Vita Amandi*, *Episcopi Traiectensis*, *Turnacum*, vrbem Menapiorum, vocat. Imo VETVS SCRIPTOR *in Lib. I. Miraculorum S. Bertini*, *Sithiensis Abbatis*, in *Neruio locum famosum, castellum Menapiorum*, ponit. Ex quibus collectis testimoniis HADR. VALESIVS *in Notitia Galliarum voce Menapii*, recte decernit, cum nefas sit illos scriptores erroris incusare, probabilem videri Menapiorum in Morinos migrationem. Addit MENSO ALTINGIVS Valesianæ obseruationi, Morinorum oppidum *Menariacum*, hodie *Meerbem* dictum, aliudque *Meenen*, sine dubio ab Menapiis accepisse nomina. Vicos modo Menapios æuo CAESARIS habuisse, ex ipso discimus *Lib. VI. Cap. V. & VI. Illi* (Menapii) *nulla coacta manu, loci præsidio freti, in siluas paludesque confugiunt, suaque eodem conferunt. Cæsar, partitis copiis cum Q. Fabio legato, & M. Crasso quæstore, celeriterque effectis pontibus, adiit tripartito, ædificia vicosque incendit. magno pecoris atque hominum numero potitur. quibus rebus coacti Menapii, legatos ad eum, pacis petendæ causa, mittunt.* DIO *Lib. XXXIX.* superioribus paucis interiectis de Menapiis addit; *οὔτε πόλεις ἔχοντες, ἀλλ' ἐν καλύβαις διαιτώμενοι, non in oppidis habitantes, sed in tuguriis.* Castellum Menapiorum fortassis a Druso conditum: nam FLORVS *Lib. IV. Cap. XII.* ad Mosam etiam castella posita esse, ostendit. VALESIVS tamen loco *Mosæ, Amisiæ* vocem, in FLORO reponendam videri, arbitratur.

Aduatici. An. V. C. DCC. Ante C. N. LI. *rent, consensu omnium pace facta, hunc sibi domicilio locum delegerunt.* A Cæsare oppugnati, fortissime illatum bellum defenderunt, donicum ad extrema redacti se dedere cogerentur. Ante ad commune bellum Romanorum profligandum maximas copias contulerant, &, quibus opus esset, priuatim submiserant auxilia; quod Cæsar & Dio docent. historia; Qui paruus Cimbrorum numerus ad tantam amplitudinem excreuerit, vt post L circiter annos militum XXIX ad bellum contulerint, vtque in oppido capto Cæsar LIII millia hominum repererit? vix aliquis diuersa adsequetur coniectura, quam si victam partem gentium ad nominis societatem admissam censuerit.

XXXI. Fines Cæsar, Dioque, & alii, aliquantum ostendunt, cum inter Menapios, Eburones, & Neruios, eos ponant. fines; Sola vero coniectura nititur admodum debili, qui per fluuios eorum regionem definire audet: vt contra septentriones Demeram & Rupellam flumina, ad Scaldis vsque confluentes; ad occasum Scaldem, ad vsque Teneræ confluentem, inde ipsum Teneram; ad austrum Sabim amnem, ad ortum denique Getam amnem, constituat. Tutius non designatis amnibus, Menapios a septentrionibus, Eburones, siue Tungros, ab ortu, Morinos, & minores quasdam Germanicas ciuitates, ab occasu, & Neruios a meridie, vt Aduaticos medios habuerint, nominabimus. Castella oppida; atque oppida eos plura habuisse, sed vnum egregie munitum, Cæsar tradidit. Hoc oppidum, quodnam, aut quo tractu fuerit, haud equidem facile definitur. Nonnulli *Duacum*, alii *Namurum*, & diuerse alii, interpretantur. In Itineribus Antonini duo oppida, nescimus, an ad Cæsaris ætatem referenda, occurrunt, quæ Aduaticis tribuenda videntur; *Geminiacum*, & *Peruiciacum*, quorum illud *Gem-*

blours, hoc *Peruis*, multorum opinione refert. De reliquo adhuc notamus, inserta causa exolescenti Aduaticorum nomini post Augusti ætatem BETASIORVM, siue *Betasorum*, cognomentum successisse videri. Res clare nequit demonstrari. Sed, cum Plinius Tacitusque iisdem in finibus Betasios nominent, in quibus ante constitere Aduatici; cum ipsi Aduatici non vltra nominentur, nec ratio prorsus excisi nominis vltra pateat: non inepte ista nominis variatio creditur; cum maxime alia crebra nominum vicissitudo eo æuo in Cisrhenana Germania acciderit (*k*).

Germania Cisrhena.

nouumque Betasiorum nomen.

XXXII.

(*k*) *ADVATICORVM* genus & originem CAESAR ostendit *Lib. II. Bell. Gall. Cap. XXIX*. *Ipsi*, inquit, *Aduatici erant ex Cimbris Teutonisque prognati; qui, quum iter in prouinciam nostram atque Italiam facerent, his impedimentis, quæ secum agere ac portare non poterant, circa flumen Rhenum depositis, custodiæ de suis ac præsidio VI. millia hominum vna reliquerunt.* cetera in commentatione. DIO CASSIVS *Lib. XXXIX*. De Cæsaris a Neruiis atque Aduaticis victoriis narrans; *Ἀτουάτικοι καὶ τὸ γένος, τότε φρόνημα τὸ τῶν Κίμβρων ἔχοντες, Atuatici*, inquit, *& genere, & ingenio Cimbri erant.* Item APPIANVS *de Bell. Gall.* *ἦσαν τῶν Κίμβρων καὶ Τευτόνων ἔκγονοι, erant*, (quos Cæsar e Neruiis & Atuaticis vincebat) *Cimbrorum Teutonorumque posteri*. Ex re cepit CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. II. Cap. XXI.* interpretandi nomen occasionem. Putat dictos *die Abzwacher*, siue alia dialecto die *Afft-wacker*; id est *Carptores*; quia agros finitimarum gentium carpere consueuerant Aduatici, donec quieta potirentur possessione. Bellum CAESARIS cum Aduaticis ipse descripsit *Lib. II. Cap. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. & XXXIII.* DIO CASSIVS & APPIANVS *dictis locis*. Primum a Cæsare in deditionem accepti, mox, quod fraude egissent, sub corona venditi sunt. Quantum ante contulerint ad commune bellum, vid. apud CAESAREM *Lib. II. Cap. IV.* Ex generalibus finibus discimus, in *Flandriæ* finibus ac parte *Brabantiæ*, atque *Hannoniæ*, eos egisse. De castellis atque oppidis eorum CAESAR *Lib II. Cap. XXIX.* paulo ante narrationem de genere, ait; *cunctis oppidis castellisque desertis sua omnia in vnum oppidum egregie natura munitum contulerunt. quod quum ex omnibus in circuitu partibus altissimas rupes despectusque haberet, vna ex parte leniter accliuis aditus, in altitudinem non amplius CC. pedum relinquebatur: quem locum duplici altissimo muro munierant. tum magni ponderis saxa, & præacutas trabes in muro collocarant.* *BETASII* in plerisque TACITI exemplaribus sunt *Bethasii*, addita adspiratione.

xii. XXXII. *Aduaticis* igitur, siue qui *Betasii* dicti sunt, continuabantur ab meridie Neruiorum Germanica origo.

NERVII.

Eos Germanos fuisse, & cum Treueris circa adfectationem Germanicæ originis vltro ambitiosos, scripsit Tacitus. Quando, aût ex qua Germaniæ parte, cis Rhenum concesserint? nemo coniectura vlla potest adsequi. Prima fortassis maiorum migratione statim vltra Rhenum peruasere, ibique in Gallorum vicinitate sedes posuerunt: agniti deinceps ex linguæ morumque cum Germanis conuenientia; & crediti cum iis Germanis, de quorum transitu certe constabat, simul seriore æuo ex Germania in Galliam migrasse. Habet singulares eorum mores Cæsar, *nullum*, perhibens, *aditum esse ad eos mercatoribus; nihil pati vini reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri, quod his rebus relanguescere animos, eorumque remitti virtutem, existimarent: esse homines feros magnæque virtutis.* Licet vero diu libertatem auitam contra Cæsarem defenderent, extremum tamen superati sunt, & in Romanorum traducti clientelam; quæ mi- Singulares mores, fata;

Xxx xx 2 nime

PLINIVS *Lib. IV. Cap. XVII. Introrsus Atrebates, Neruii liberi, Veromandui, - - - - Tungri, Sunici, Frisiabones, Betasi, Leuci liberi;* & ceteri turbato positi ordine. TACITVS *Lib. IV. Histor. Cap. LVI. Claudius Labeo,* inquit, *nihil apud Batauos ausus, quosdam Neruiorum, Betasiorumque in arma traxit. Cap. LXVI. Claudius Labeo Betasiorum Tungrorumque, & Neruiorum, tumultuaria manu restitit.* Et paucis interiectis: *Ciuilis Betasios quoque & Neruios in fidem acceptos copiis suis adiunxit.* Vbique fere cum Neruiis Tungrisque coniunguntur, vnde coniectura. In NOTITIA *Imperii Occidentis*, sub dispositione Viri spectabilis Comitis littoris Saxonici per Britanniam, est *Tribunus cohortis primæ Vetasiorum, Regulbio.* Hi *Vetasii* sine dubio nostri sunt *Betasii*; adeoque male PANCIROLLVS *Comm. Cap. LXXI.* Alpinas huc aduocauit gentes, vt *Vetasios* interpretaretur.

nime tamen virtuti auitæ, quod ex Tacito discimus, nocuit. Quod etiam Plinius Neruios liberos adpellat, Romanos suspexisse insignem eorum virtutem, & libertatem generosæ genti, quantumnis victæ, non inuidisse, fides est. *Germania Cisrhenana.*

atque fines.

XXXIII. Fines, quibus Cæsaris succedenteque ætate fuerint contenti, ægre indicantur; nisi, confinia ceterarum ciuitatum nosse, satis fuerit. Docet Cæsar Bellouacorum fines Neruios attigisse; præterea Ambianis, Atrebatibus, & Veromanduis, finitimos fuisse: Rhemos forte a meridie habuisse, & Aduaticos a septentrionibus. Ad ortum a Treueris Neruios continuatos esse, ex Strabone, Tacitoque, accipimus; quibus & Cæsar ipse non repugnat, cum Treueris plerumque vicinos Neruios coniungens. Qui coniecturis suis magis indulgent, ipsisque fluuiis regiones definire conantur; ii a *septentrionibus* Sabin amnem, indeque viam ad Teneræ amnis fontem, & Scaldim ipsum imputant, qui limites a Betasiis atque Suecònis, de quibus statim dicemus, Neruios diuiserint. Mosa amne aduersus *ortum* primo a Tungris, deinde a Treueris, disterminati fuisse putantur. A *meridie* Rhemos attigisse, vix dubium est: non sustineo vero temerariam limitum per vrbium agrorumque hodie notorum vias directionem in medium hic proferre. Ab *occasu* demum ipso Scaldi ab Ambianis, & inferius eodem amne ad Scarpæ confluentes ab Atrebatibus, disterminatos nostros Neruios fuisse constituunt (*l*).

XXXIV. Si-

(*l*) TACITVS *Germ. Cap. XXVIII. Treueri*, inquit, *& Neruii circa affectationem Germanicæ originis vltro ambitiosi sunt, tanquam per hanc gloriam sanguinis a similitudine & inertia Gallorum separentur.* Virtus eorum celebrata a CAESARE *Bell. Gall. Lib. II. Cap. XV.* & præcipue in acerrimi belli, quod cum iis administratum est, descriptione, quæ ad *Caput XXVIII.* pertinet. Victi demum a Cæsare: quod præter ipsum DIO CASSIVS

Neruii.

Opinio probabilis de Neruiorum finibus ætate fera prolatis.

XXXIV. Siue isti probentur limites, siue sola gentium a Cæsare, Tacitoque, memorata confinia respiciantur; certe æuo seriore plurimum isti fines turbati, atque confusi, sunt. In maris littore Notitia Imperii Romani, & passim auctores, Neruios nobis ostendunt, *Neruicum littus*, & *Neruicanum tractum*, cum Armoricano coniungunt, atque ad Oceanum ponunt. Inferius ad Scaldim alii Neruios ostenderunt, atque *Tornacum* vrbem in Neruiis celebrarunt. Ego, cum hæc causa per feræ ætatis obscurationem difficiliter aliter expediri possit, ex Germanicæ linguæ in penitiorem Galliam inuasione ita colligo. Cum *Menapiis Neruii* incerto tempore, incertaque causa, mutarunt sedes, atque in Morinos & vltra inuaserunt; vt iam & Neruii cœperint adcolere oceanum, cum teste omni antiquitate solas antea mediterraneas regiones tenuerint. Quod vero vna alteraque vrbium modo Menapiis, modo Neruiis, modo & Morinis, adscribantur; id vel inde esse puto, quod alii scriptores ad antiquiorem regionum statum respexerint; vel inde, quod Menapii cum Neruiis arcto coniuncti fœdere non vltra satis diuisas nouas suas regiones habuerint: vnde facile oppida alter

 Ner-

Lib. XXXIX. & APPIANVS *de Bell. Gall.* tradunt. PLINIVS *Lib. IV. Cap. XVII.* habet *Neruios liberos.* In Ciuilis tumultu variæ *NERVIORVM* partes. Primo Romanis, mox Ciuili, & deinde iterum Romanis, fauerunt, TACITVS *Hist. Lib. IV. Cap. LXVI. & LXXIX* Bellouacorum confinium atque Ambianorum CAESAR *Lib. II. Cap. XV.* Atrebates & Veromanduos finitimos *Cap. XVI.* & Treuerorum viciniam *Lib. VI. Cap XXIX.* declarat. STRABONI *Lib IV.* sunt Neruii ἔθνος Γερμανικὸν, *Germanica gens;* iique Treueris *συνεχεῖς*, Treueris *finitimi*, a septentrione. Aduaticorum fines CAESAR *Lib. II. Cap. XXIX.* Neruiis proximos fuisse indicat: non secus ac TACITVS cum Neruiis Betasios coniungit. Minutos limites, qui coniecturis solis debentur, CLVVERIVS *Lib. II. Germ. Ant. Cap. XXII.* persequitur, & Neruiis *Namurcensis comitatus* partem inter Sabin & Mosam, *Inferiorem Burgundiam*, *Hannoniæ comitatus* maximam partem, nec non e *Piccardia Tirassiensis ducatus*) portionem, tribuit.

Neruiis, alter Menapiis, potuerit adſignare. Vt transeamus hæc, in finibus ſuis antiquioribus iam Cæſaris æuo Neruios oppida habuiſſe, ipſe docet. Nomina ætatemque tulere *Bagacum*, *Camaracum*, *Pons Scaldis*, & *Vodogoriacum*; quorum tamen quæ, & an omninọ aliquod, ad Cæſaris æuum adſcendant, minime conſtat. *Bagacum* in Itineribus & Tabula præcipuæ vrbis nomine citatur, & caput gentis Ptolemæo eſt: corrupte tamen *Baganum* adpellatur. Declarant vero rationes & nomen vna idem eſſe, quod hodie *Bauay* in Hannonia nuncupatur. *Camaracum* curſus Itinera Tabulæque laudant, vt liceat opinari, alteram Neruiorum præcipuam vrbem exſtitiſſe: nec enim repugnat bonæ antiquitati, vnius gentis duo pluraque fuiſſe capita. Habet etiam Ptolemæus *Ratomagum*, illudque cum Bagano Neruiis tribuit; vt credibile ſit, Ratomagum vetus Camaraci deinceps nomen accepiſſe: non enim Ptolemæi rationes prohibent, quo minus pro vno habeantur oppido. Hodie vetus *Camaracum* pene ſub antiquo nomine floret, & *Cammerik* a nobis adpellatur. *Scaldis pons* per rationes & numeros ſuos incidit in locum celebrem, qui nunc *Condè* vocatur. *Vodogoriacum* obſcurius hodie *Gaury* compellari, aliqui contendunt. Qui *Valentinianas* in illis Neruiorum oppidis adnumerat, quod Notitia imperii crebro *Valentinianenſes milites* memoret, impenſe fallitur: cum milites illi non ab vrbe quadam, ſed a Valentiniano principe, a quo inſtituti fuerant, vt Gratianenſes & Honoriani, qui cum Valentinianenſibus coniunguntur, cognomen ſuum conſequuti ſunt: cum & vrbs *Valenciennes*, quo nomine hodie nobile oppidum claret, in medii æui hiſtoria non *Valentiniana*, ſed *Valentiana*, a Valente quodam conditore nominetur (*m*).

In Neruiis inſignes vrbes.

Germaniæ Curbeanæ.

XXXV. Quos

(*m*) NOTITIA *imperii ſub diſpoſitione Viri Spectab. Ducis tractus armoricani & Neruicani.* Ibi; *Extenditur tamen tractus Armoricani & Neruicani*

Nervii.

Clientum Neruiorum status;

XXXV. Quos modo vidimus Neruios, ſub imperio ſuo plures minores populos habuiſſe, ex Cæſare iam diſcere debemus. Nominat *CENTRONES*, *GRVDIOS*, *LEVACOS*, *PLEVMOSIOS*, *GORDVNOS*; ex quibus quam maximas manus Neruii coëgerint. Ciuitates illas præter Cæſarem auctorum vltra memorauit nemo; vnde aut tranſiiſſe in diuerſum nomen putari poſſunt, aut a pleriſque ſcri-

ni limitis per prouincias quinque. PAVLINVS *in Epiſt. ad Victricium, Rotomagenſem Epiſcopum*, hæc de ipſo prædicat; *Qui in terra Morinorum ſitu orbis extrema, quam barbaris fluctibus fremens tundit oceanus, (vbi quondam deſerta ſiluarum & littorum intuta aduena barbari & latrones incolæ frequentabant; nunc autem vrbes, oppida, inſulas, ſiluas, eccleſiis & monaſteriis ſancti celebrant) & in remotiſſimo Neruici littoris tractu verbum domini prædicauit.* ACTA SS. *Quintini, Criſpini, & Criſpiniani Rictium Varum Neruici limitis præfectum* adpellat. RAIMVNDVS MARLIANVS *Turnacum Neruiis*, Sabis & Scaldis fluminum accolis, attribuit. Quid ex prioribus aliud colligitur, quam Neruicum nomen aut inter Menapios Morinosque littus maris occupaſſe, aut omnino Menapiorum Morinorumque maritimam oram obſediſſe? Cum nobis HADR. VALESIVS *in Notitia Galliarum, in vocibus Morini & Turnacum*, prorſus facit, & inter priores atque poſteriores Neruiorum ſedes diſtinguendum eſſe iudicat. Oppida Neruiis CAESAR *Bell. Gall. Lib. II. Cap. XXVIII.* adſcribit, quibus etiam poſt victam gentem ſupplices vti iuſſit: horum autem nullum nominat. PTOLEMAEVS, qui Neruios inter Veromanduos & Menapios ad Moſam locat, duas eorum vrbes laudat Βάγακον & Ῥατόμαγον. *Baganum* haud dubie illud eſt, quod *Bagacum* in TABVLA & ITINERARIO adpellatur. *Ratomagi* nomen poſt PTOLEMAEVM euiluit, & in TABVLA alterum *Cameraci* occurrit: vt HADR. VALESIVS & eruditi plerique hoc de altero interpretentur, cum poſitioni vtriusque adprime conueniat. Alii cupiunt *Ratomagum* deinceps *Turnacum* dictum eſſe, nec repugnat locorum ſitus. Sane, qui de poſteriori dubitant, non tamen non audent, Turnacum ſimul Neruiis adſcribere. *Valentinianas*, quæ hodie ſunt *Valenciennes*, CLVVERIVS Neruiis tribuit, ſed coniectura oppido friuola. Seriore & quidem æuo vrbs illuſtrata eſt, ſed *Valentianæ* dicta. Sic EGINHARDVS *Lib. IV. de Translatione SS. Martyrum Marcellini & Petri*, *Monaſterium*, inquit, *S. Saluii martyris, quod in pago Famartenſi, in vico Valentianas adpellato, in ripa Scaldis fluuii ſitum eſt.* Et SIGEBERTVS GEMBLACENSIS *ad Annum* CIϽVI. *Caſtrum Valentianas*, inquit, *ſitum in marchia Franciæ & Lotharingiæ imperator Henricus obſidet*,

ſcriptoribus vno Neruiorum nomine complexi eſſe. Plinius in Belgicæ populis *SVECONOS* numerauit: quod quidam arripuere nomen, & in iſtud ignobiles illas ciuitates conſpiraſſe, conſtituerunt; vt aliis vero non probetur coniectura, & corrupta vox in Plinio ſtatuatur. Interim, qui Sueconos probarunt, & eos pro quinque Cæſaris populis acceperunt, infra Neruios, e lateribus Aduaticorum & Morinorum, certis eos finibus circumſcripſerunt: amnem Teneram ad ortum, Legiam & Scaldem ad occaſum, iis tribuentes. Iidem *Turnacum*, quod Itinera habent, nobile hodie oppidum *Dornik*, quinque illis ciuitatibus, aut qui Sueconi deinceps vno ſint dicti nomine, vindicant; quod ad Scaldem inter Teneram & Legiam amnes medio loco, qui certe fuerit Sueconorum, ſitum ſit. Pleriſque, quod diximus, valde Sueconi dubii atque incerti videntur, vt ſaltem minime ſedes iis adſcriptas probare poſſint. Malunt ergo ad Teneræ Legiæque amnium confluentes ipſos Neruios alii boni antiquitatis interpretes protendere; vt Turnacum in Neruiis ipſis oppidum quondam fuerit. Vtramque propoſuimus ſententiam, additis vtriusque præcipuis rationibus. Ipſe inclino ad eorum ſententiam, qui veteres clientes communi deinceps Neruiorum cognomento comprehenſos eſſe, cenſent. (*n*). Quiſque, quam præcipue guſtauerit, opinionem ſequatur.

Germanis Carbonea.

generale Sueconorum nomen;

fines memorati.

An Turnacum in Sueconis, vtrum in Neruiis?

XXXVI. Vl-

(*n*) CAESAR *Lib. V. Cap. XXXVIII. XXXIX.* *Hac*, inquit, *victoria ſublatus Ambiorix, ſtatim cum equitatu in Aduaticos, qui erant eius regni finitimi, proficiſcitur.* - - - *Re demonſtrata, Aduaticisque concitatis, poſtero die in Neruios peruenit: hortaturque, ne ſui in perpetuum liberandi atque vlciſcendi Romanos pro iis, quas acceperint, iniuriis occaſionem dimittant.* - - - - *Facile hac occaſione Neruiis perſuadent. Itaque confeſtim dimiſſis nuntiis ad Centrones, Grudios, Leuacos, Pleumoſios, Gorduros, qui omnes ſub eorum imperio ſunt, quam maximas manus poſſunt, cogunt.* PLINIVS in Belgicæ populis *Lib. IV. Cap. XVII.* poſt *Neruios liberos* ponit *Ve-*

Tungri. XXXVI. Vltimi in Cisrhenana Germania a nobis considerantur

Quinque Cæsaris ciuitatum nomina, genus, & historia.

EBVRONES, CONDRVSI,
SEGNI, CARAESI, PAEMANI;

quos omnes solus Cæsar memorauit, situmque, & generale ipsis nomen

GERMANORVM

tributum, indicauit: Eburones etiam Strabo, sed credo ex Cæsare, non suo ex æuo, doctus, meminit. Debebamus fortassis illas ciuitates contemplari, cum peruenissemus ad Treuerorum finem; ab eo enim contra septentriones coluisse leguntur. Quod vero, cum nouum cognomentum

TVNGRORVM

omnes illæ nationes accepissent, non vltra ad Rhenum, sed maximam partem cis & trans Mosam habitarent, & antiquæ sedes ad Rhenum Vbiis, partique Gugernorum, cessissent, maluimus extremo loco vna omnia exponere. Fuisse nostras

romanduos, Suecones, Suessiones liberos. CLVVERIVS *Germ. Ant. Lib. II. Cap. XXIII. SVECONOS* de quinque illis ciuitatibus interpretatur, iisque omnino singulares fines, sed sine veteri auctoritate, constituit. HARDVINVS putat, vitiatam vocem ex repetitione præpostera Suessionum vocis in PLINIVM irrepsisse. Et HADR. VALESIVS improbat CLVVERII conatum: licet *Turnacum* oppidum ipsis Neruiis minime abiudicet.

ſtras quinque gentes ex Germania Transrhenana profectas, vel ſolum Germanorum nomen in ipſis natum, & deinde ad omnem populum noſtrum translatum, docet. Quando cis Rhenum poſuerint ſedes; æque id eſt incertum, ac vnde diuerſa ſua nomina acceperint, an ex Germania adlata, vtrum in Gallia excogitata? Cum communi cœpiſſent Germanorum nomine inſigniri, nondum ſtatim quinque ſingularia vocabula exoleuere; rem ipſam teſtante Cæſare. Germanorum nominis vim, datique occaſionem, ex ſuperioribus repetere opus non eſt. Inter ipſos quinque populos Eburones vtique potentiores fuere, diuerſisque ſedibus habitarunt; cum reliqui promiſcue agerent. Et ipſi vero, licet reges haberent, a vicinis Aduaticis crebris vexati bellis, & pene oppreſſi ſunt; vt omnino in mediis eorum finibus Aduaticorum præſidium tolerare neceſſe haberent. Condruſi, Segnique, Treuerorum fuere clientes; Cæræſi, atque Pæmani, Eburonum. Ex clientelis iſtis omnes ad vnam Romanorum clientelam, quam & omnis reliqua Cisrhenana Germania ſubiit, traducti ſunt, & in ea diutiſſime durarunt. Auguſti æuo, cum traduceret Agrippa Vbios, Tiberius Sigambros atque Sueuos, cedere agris Rhenanis noſtri iuſſi, & ad Moſanum tractum recedere. Tum ſtatim periere eorum ſingularia nomina, & vt adhuc cum reliquis *Germani* nuncuparentur, præcipuo tamen cognomento *Tungri* vocati ſunt. Rem clariſſime Tacitus demonſtrat, qui ante Germanorum nomine notati fuerint, deinde Tungros dictos eſſe. Et ceteri auctores omnes, vbi quinque illæ gentes retro ad Moſam cedere iuſſæ, antea coluerant, ſuccedente ætate Tungros memorant. Quæ autem a quo-

Germania Cisrhenana.

Qui Germani deinde Tungri dicti ſunt.

Tungri. quopiam & *Germanorum*, & *Tungrorum*, nominis explicatio est prolata, vt *Germani* a *Gera* amne, *Tungri* a *Thuringia* patria, sint compellati; ingeniosa quidem ea est, sed prorsus, quod alibi declarauimus, probabilibus rationibus destituta (*o*).

(*o*) CAESAR *Bell. Gall. Lib. II. Cap. IV.* Ex Rhemorum relatione, post ceteras Belgarum copias enarratas, addit; *Condrusos, Eburones, Carasos, Pamanos, qui vno nomine Germani appellantur, arbitrari ad XL millia.* Et *Lib. VI. Cap. XXXII. Segni*, inquit, *Condrusique, ex gente & numero Germanorum, qui sunt inter Eburones, Treuirosque, legatos ad Caesarem miserunt.* *EBVRONES* a STRABONE *Lib. IV.* Ἐβούρωνες, a DIONE *Lib. XL.* Ἐβούρωνοι, regioque eorum Ἐβουρωνία, *Eburonia*, vocatur. Eorum & meminit FLORVS *Lib. III. Cap. X.* Nulla reliquorum apud quempiam auctorum mentio. *GERMANI* dicti a CAESARE, & *primi Germani* a TACITO *Germ Cap II.* qui, *Germaniae vocabulum*, inquit, *recens & nuper additum: quoniam, qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, ac nunc Tungri, tunc Germani, vocati sint. ita nationis nomen, non gentis, eualuisse paulatim, vt omnes primum a victore ob metum, mox a seipsis inuento nomine Germani vocarentur.* Supra verum litigioso TACITI testimonio sensum restituimus: hic communem sequuti lectionem, in solos Tungros, horumque prius nomen Germanorum intuiti. *TVNGRORVM* nomen reliqua & complexum est, & demum deleuit. PLINIVS *Lib. IV. Cap. XVII.* solos *Tungros* nouit, nullos Eburones. TACITVS, praeter illud clarissimum testimonium, semper *Tungros* memorat cum vicinis ciuitatibus; *Histor. Lib. IV. Cap. LV. Tungros & Vbios. Cap. LXVI Tungros & Neruios.* CAESAR *Lib. VI. Bell. Gall. Cap. XXII. & XXXIV. Atuaticam* praecipuum Eburonum castellum memorat. Idem vero, nomine Ἀτουάκουτον, siue vt VALESIVS castigauit vocem, Ἀτουάτουκον, Tungris suis PTOLEMAEVS *Lib. II. Cap. IX.* vindicat. *Tungricani*, ex Tungris conscripti milites audiunt apud AMMIANVM *Lib. XXVI. Cap. VI. & Lib. XXVII. Cap. I.* & in NOTITIA *Imperii occidentis sub Comite Saxonici per Britanniam littoris;* vbi *Praepositus militum Tungricanorum Dubris.* De priscis ciuitatibus notamus, Eburones potentiores sub regibus *AMBIORIGE* & *CATIVVLCO* apud CAESAREM *Lib. V. Bell. Gall. Cap. XXII.* Videntur tamen & ipsi cum Condrusis in Treuerorum aliquando clientela fuisse, ex testimonio CAESARIS *Lib IV. Cap. VI.* sane eis Aduatici tributa imposuere, quibus CAESARIS opera liberati sunt, quod Ambiorix ipse fatetur apud CAESAREM *Lib. V. Cap XXVII.* Post varia bella tandem a CAESARE prorsus debellati; quod *Libro VI.* ab eo describitur.

Finium contemplatio priorum & posteriorum.

Germaniæ Cisrhenana.

XXXVII. Ostendere iam diuersos ciuitatum situs vacat, postquam breuiter earum historiam tentauimus. Ad Rhenum post Treueros primum ad Mosam vsque Pæmani, Cæræsi, Segni, atque Condrusi, habitarunt vno continuoque tractu; post eos omnes septentriones versus Eburones. Rem ex Cæsare accipimus clarissime. Segnos ille Condrusosque diserte inter Eburones Treuerosque locauit. Cum Segnis Condrusisque alio loco Cæræsos atque Pæmanos coniungit, vt nullum maneat dubium, vna omnes inter Eburones atque Treueros coluisse. Ipsæ quatuor ciuitates finibus vix distinctæ inter se fuisse videntur. Segnos tamen Condrusosque proximos fuisse Rheno, iterum ex Cæsare discimus; adeoque Cæræsos, atque Pæmanos, coluisse ad Mosam fluuium. Eburones maximam partem inter Mosam & Rhenum fuisse, rursum Cæsar perhibet: vt tamen agnoscat simul sedium cis Mosam portionem, in qua omnino caput gentis Eburonum fuit. Igitur Cæsaris æuo nostrarum nationum limites certi sunt, ab *ortu* Rhenus, ab *occasu* superiore parte Mosa. Hoc & loco Aduaticorum Neriuorumque confinium certum est; contra *septentriones* Menapiorum, ad *austrum* Treuerorum, collimitia non minus explorata sunt. Curiosi, suisque fidentes coniecturis interpretes, ab Eburonibus quatuor reliquas ciuitates linea, a Segi amnis confluente, per Mosæ Vrtæque amnium confluentes, ad vsque Mosam Sabemque confluentes, ducta, distinguunt. Menapios & Eburones linea, a Getæ confluente, per confluentem Roræ, ad Rhenum vsque directa, diuidunt. Eos nos nihil morati, Tungrorum sedes, quæ modo memoratarum gentium posteriores fuerunt regiones, describimus. Hi teste antiquitate contra *septentriones*, ad *occasum*, & ad *meridiem*, fere

iidem

Tungri. iidem permansere; iisdem, quos ante memorauimus, populis porro cincti. Quod autem Vbii, Gugernique, & maxime Sunici, *orientis* agrorum partes diuiserunt, ab hoc latere maxime coarctatos esse veteres limites, facile patet. Inferiori ergo parte, quod Sunicos Mosa Roraque amnibus conclusimus, vtique Tungri solo Mosa disterminati fuerunt. Inde ab Vrta amne cum Mosa confluente, & sinistra Vesæ amnis ripa, ad vsque Roræ fontes, indeque ad Abrincæ fluminis ortus, Tungri coluisse videntur; adeoque his limitibus partim ab Vbiis, partim a Treueris, submoti fuisse. Vnum celebre Eburonum oppidum atque castellum *Atuatucam* Cæsar meminit. *Atuacutum* Ptolemæus memorauit, addito nomine *Tungrorum;* quod & nomen Antonini Itinera habent, *Aduocam Tungrorum* celebrantia. Seriore æuo gentis nomen Atuatuca adsumit, & ipsa *Tungri* adpellata est: firmissimo id omne argumento, non nisi Eburones sociasque ciuitates fuisse, quas recentius Tungrorum nomen notauerit. Superat hodie *Tongern* oppidum, in quo quidem vetus ille splendor, quem antiquitas celebrat, valde decreuit, sed fama tamen vetusque gloria durat. *Fontem Tungrorum*, quem Plinius laudat, non minus nostris deberi Tungris, certum est. Notantur eo haud dubie *Spadanæ aquæ*, salubritate celebres, quarum fons in *Spa* vico, in priscis Tungrorum Treueros versus sedibus, hodieque scaturit (*p*).

(*p*) CAESAR *Lib VI. Cap XXXII. Segni, Condrusique, ex gente & numero Germanorum, qui sunt inter Eburones Treuirosque, legatos ad* CAESAREM *miserunt.* *CONDRVSOS* Rheni ripam coluisse, colligunt ex CAESARE *Lib. IV. Cap. VI.* vbi Vsipetes & Tenchteri feruntur in Eburonum & Condrusorum fines peruenisse. De *EBVRONIBVS* dicit CAESAR *Lib. V. Cap. XXIV Eburonum pars maxima est inter Mosam & Rhenum*; ergo

Germaniæ Cisrhenanæ ſtatus ſub Romanis.

XXXVIII. Expoſitis atque conſideratis omnibus populis, quos vtraque habuit Cisrhenana Germania, de tota prouincia, vniuerſaque populorum hiſtoria, atque conditione, quædam differenda ſuperſunt. Fines Cisrhenanæ Germaniæ & diuiſiones ſuperiore loco, cum primum in prouinciam intraremus, ſunt explicatæ. Superior atque prima Germania, Inferior atque ſecunda, eædem eſſe prouinciæ viſæ ſunt; niſi quod dubium maneat, an prorſus iisdem finibus vtræque fuerint contentæ. Diuiſionem primam inſtituiſſe Auguſtum, accepimus; poſtquam & Cæſar omnem Galliam deuiciſſet, & Auguſtus citeriorem Germaniam nouis traiectorum populorum acceſſionibus auxiſſet. Altera diſtin-

Germaniæ Cisrhenanæ.

& cis Moſam pars, in qua omnino Atuatuca gentis caput. Iterum ad Rhenum Eburones oſtendit CAESAR *Lib. VI. Cap. XXXV. Trans Rhenum*, inquit, *ad Germanos peruenit fama, diripi Eburones, atque omnes vltro ad prædam euocari, cogunt equitum II millia Sigambri, qui ſunt proximi Rheno. - - - - Transeuntes Rhenum nauibus ratibusque XXX millibus paſſuum infra eum locum, vbi pons erat imperfectus, præſidiumque ab Cæſare relictum, primos Eburonum fines adeunt: multos ex fuga diſperſos excipiunt: magno pecoris numero, cuius ſunt cupidiſſimi barbari, potiuntur.* Confinia populorum tum alibi CAESAR, tum maxime *Lib. V. Bell. Gall. Cap. XXXVIII.* indicat. Cui iam lubet ſingulares limites ciuitatum noſſe, adeat CLVVERIVM *Lib. II. Cap. XV. Germ. Ant.* vbi operoſe ſingula declarare nititur. Tungrorum confinia accepimus ex TACITO; & eadem hæc ſunt, quæ CAESAR Eburonibus cis Moſam & ad Moſam adiudicat. *Atuatuca*, Eburonum caſtellum, apud CAESAREM *Lib. VI. Cap. XXXII. Atuaca* in TABVLA, & *Aduaca Tungrorum* in ITINERARIO *Antonini*, in itinere a Caſtello Coloniam adpellatur. *Tungri* vrbs gentis nomine dicitur ab AMMIANO *Lib. XV. Cap. XI. Secunda*, inquit, *Germania - - - - Agrippina & Tungris munita, ciuitatibus ampla & copioſis.* De fonte Tungrorum ita PLINIVS *Lib. XXXI. Cap. II.* narrat: *Tungri ciuitas Galliæ, fontem habet inſignem, plurimis bullis ſtellantem, ferruginei ſaporis: quod ipſum non niſi in fine potus intelligitur. Purgat hic corpora, tertianas febres diſcutit, calculorumque vitia. Eadem aqua igni admota turbida fit, ac poſtremo rubeſcit.*

Germania Cisrhenana. distinctio prouinciarum incerti est æui; saltem vix ante Constantini facta æuum. Superioris Germaniæ caput Magontiacum porro vidimus; Inferioris secundæue Coloniam Agrippinensem. De iurisdictionibus iam inquirendum restat; an cum Belgica vni præsidi Germaniæ paruerint? vtrum vnum diuersum præsidem, pluresue præsides, habuerint? Prioris quæstionis adsertioni videtur fauere, quod Plinius, nulla Germaniarum ratione habita, in Belgica prouincia omnes enumerat populos, qui in vtraque fuerunt Germania. Ptolemæus etiam ambas Germanias suæ includit Belgicæ, nec in plures partes vniuersam Galliam distribuit, quam in prouincias quatuor, Aquitaniam, Lugdunensem, Belgicam & Narbonensem, qua posita diuisione non possunt Germaniæ duæ sub Belgica iurisdictione, quam vnus præses Belgicæ exercebat, non comprehendi. Verum, quod illi auctores Cæsaris & Augustæam diuisionem commiscuerunt, nec iurisdictionum nouarumque prouinciarum æque rationem habuerunt, perperam illis, vt, quod prius quæritur, adfirmetur, fides habetur. Tutius consensus Taciti cum crebris marmoribus Romanis accipitur, & ex eo ad alteram quæstionem respondetur, & diuersam a Belgica iurisdictione Germaniarum iurisdictionem fuisse, & omnino iterum diuisam; vt vtraque Germania singulos præsides habuerit. Igitur Superior Germania suum præsidem, suum deinde ducem, suos alios magistratus, imo & suum exercitum habuit; eadem & omnia, testibus multis inscriptionibus, Inferior Germania. Tantæ fuerunt Germaniæ Romanis dignationi & curæ, vt, cum Belgica reliqua, licet & ipsa in binas demum diuisa prouincias, vni tantum præsidi pareret, vtrique Germaniæ singularis

An Germania in Belgica iurisdictione comprehensa? vtrum singulares præsides habuerit?

ris præſes præficeretur, & ſingularis decerneretur exercitus (*q*). *Germania Cisrhena.*

Continua de Germa- XXXIX. Nempe, quod pertinet ad exercitus, iis inprimis in Cisrhenana opus erat Germania, Germanorum Trans-

(*q*) En magiſtratus vtriusque Germaniæ, en exercitus diuerſi! TACITVS *Ann. III. Cap. XLI. Viſellium Varronem, Inferioris Germaniæ legatum*, dicit. Et *Lib. IV. Cap. LXXIII. Quod*, inquit, *vbi L. Apronio, Inferioris Germaniæ proprætori, cognitum, vexilla legionum e ſuperiore prouincia acciuit Hiſt. Lib. I. Cap. IX. Superior exercitus legatum Hordeonium Flaccum ſpernebat - - - - Inferioris Germaniæ legiones diutius ſine conſulari fuere: donec miſſu Galbæ Vitellius aderat* Iam & prima Tiberii ætate duplex exercitus in Germaniis erat. TACITVS *Ann. I. Cap. XXXI. Duo apud ripam Rheni exercitus erant. cui nomen ſuperiori, ſub C. Silio legato; Inferiorem A. Cæcina curabat.* Prorſus autem diuiſas fuiſſe Belgicæ & Germaniarum iuris dictiones, diſcimus ex TACITO *Ann. XIII. Cap. LIII.* vbi Aelius Gracilis, Belgicæ legatus, L. Veterem, exercitui Germaniæ ſuperioris præfectum, qui Ararim foſſa Moſellæ coniuncturus erat, deterruit, *ne legiones aliena prouinciæ inferret.* SVETONIVS *Vitellio Cap VII. A Galba*, inquit, *in Inferiorem Germaniam contra opinionem miſſus.* Et *in Domitiano Cap. VI. Bellum ciuile, motum a L. Antonio, Superioris Germaniæ Præſide, confecit abſens felicitate mira.* Congruunt inſcriptiones ex GRVTERI *Opere* non paucæ. *Fol. CCCLXXV. Num. I.*

PROC. A RATIONIBVS PROVINCIARVM
BELGICAE ET DVARVM GERMANIARVM.

Fol CCCLXXXI. Num. I. ſub Alexandro Seuero:

LEG. AVG. PR. PR. GERMAN. SVPERIORIS.

Fol. CCCCLVII. Num. VI. ſub Antonio Pio:

PROPR. GERMANIAE SVPER. ET
EXERCITVS IN EA TENDENTIS.

Et *Fol* 1011. *Num. VI.*

L. DOMITIO GALLICANO PAPINIANO
C. V. LEG. AVG. PR. PR. PROVINCIAE
GERMANIAE INFERIORIS.

Errat ergo AMMIANVS *Lib. XV. Cap. XI.* dum ait: *Superiorem & Inferiorem Germaniam Belgasque duæ iuridictiones iisdem rexere temporibus.* Nec HENRICVS VALESIVS ad hunc locum AMMIANI niſi anget errorem noua erratione: quam autem egregie frater HADRIANVS VALESIVS in noua AMMIANI editione declinauit, & tribus iuris dictionibus tunc Belgicam duasque Germanias fuiſſe contentas, ad bonorum auctorum fidem docuit.

mana bena- niarum poſſeſſione bella.

Transrhenanorum incurſionibus maxime obnoxia, atque expoſita, prouincia. Poſtquam a Cæſare in prouinciæ formam Belgica redacta, & ab Auguſto plures Germani cis Rhenum adducti eſſent; non vnquam deſtitere Transrhenani a bellis & impreſſionibus, quibus intutam, firmiſſimisque præſidiis muniendam, vicinitatem redderent. Licet Germani & ipſi cis Rhenum colerent, ſolaque fortuna victoris ſubiiſſent imperium, nulla tamen miſeratione ducti Transrhenani, vt in hoſtes, deſæuiebant, & id ſuis maxime cognatis gentibus culpæ atque vitio dabant, victas eſſe, Romanamque ſeruire ſeruitutem. Quantumuis vero mille modis adflictas, integras tamen diu Romani tenuere prouincias; quod, a Druſo docti, Germanicas legiones Germanis opponere, Germanicaque bella armis Germanicis profligare, conſueſſent. Præter bella vero, quæ Cæſaris, Auguſtique, & Tiberii, æuo in hac, & ex hac, prouincia cum Germanis Transrhenanis adminiſtrata ſunt, Ciuilis præcipue tumultus Germanias adflixit, pluresque populos libertate, quam adhuc ſeruauerant, priuauit. Inde Alexandri, Maximini, Aureliani, Probi, Conſtantii, Conſtantini, atque Iuliani, imperatorum, continuis opus fuit armis, vt ſeruarentur belliſſimæ regiones, quas dudum prædæ Germani deſtinauerant. Poſt diuiſum Romanorum imperium fruſtra fuere Romanorum arma, & quaſi rupto aggere, omnis ſe Germania in Romanas prouincias, via præcipue per Germanias Cisrhenanas parata, effudit. Ad id vsque æuum populi, quos hactenus vidimus, ſuis finibus contenti ſub Romanorum egere clientela. Saltem, quod rarius nominarentur, non ſatis conſtitit, ſi vspiam viciſſitudo quædam accidiſſet. Paſſim autem Germanis in Germanias pro-

rumpentibus, vtique quam maxime fines regionum & nationum turbati, atque confusi, sunt; quo posset, qualibet natione profugiente, &, quam posset, nouam clientelam eligente. Inde est, quod turbatorum limitum non rara reperimus vestigia: licet per maximam eius æui rerum obscurationem vicissitudinum, quæ adparent, nulla edi possit historia. Namque &, diuerso cis Rhenum stabilito imperio, parcius antiquiorum ciuitatum nomina memorantur; &, si occurrant, non constat tamen de regionum finibus, quos tenuerint, aut noue acceperint *(r)*.

Germania Cisrhenana.

Germani Transrhenani noui earum diuisores aut possessores.

XL. Ex Germanicis populis, qui infirmato per diuisionem, & pene conuulso, Romano imperio per Germanias nostras peruasere, primi *Vandali*, *Sueui*, *Alani*, atque *Silingi*, fuere. Sed omnes hi populi, vastata nostra prouincia, ex Gallia in Hispaniam inuaserunt; nisi quod Alanorum pars ad Ligerim Rhodanumque amnes extra nostræ regionis fines consedit. Eodem prope tempore *Burgundiones* nostram adorti sunt prouinciam; confestim vero alio suscepta expeditione, & diuersis sumtis sedibus. Interea & *Franci* inferiorem Germaniam tentare cœperant, modo vnius,

An. CCCCVI.

(r) A Cæsaris victoria vicibus innumeris Transrhenani Germani in Cisrhenanam Germaniam inuasere. De Causis transcundi Cerealis ad Treueros apud TACITVM *Hist. Lib. IV. Cap. LXXIII. Eadem semper*, inquit, *causa Germanis transcendendi in Gallias, libido atque auaritia, & mutandæ sedis amor: ut relictis paludibus & solitudinibus foecundissimum hoc solum, vosque ipsos possiderent. Ceterum libertas & speciosa nomina prætexuntur.* Postquam autem semel iniuste a Cæsare lacessiti essent, nec vnquam defuisse iis iustam *in* hostes *inuadendi* causam, simul notamus: cum maxime ea ambitio Romanorum armorum foret, vt, nisi omni orbi terrarum imposita seruitute, non videretur quietura. Descriptionem harum in Germaniam ex Germania factarum impressionum nostra olim dabit historia.

Germania Cisrhenana. vnius, modo alterius, populi clientelam ad ſe traducentes. Quod maxime vero contra Francos Romana eſſent arma, tardius iis, quam ceteris Germanicis gentibus, tuta prouinciæ poſſeſſione vti obtigit. Ante & *Hunnorum* furorem perpeti Germanias oportuit, & illis profligatis *Alemannorum* vim ſuſtinere. Nunc autem in penitiorem Galliam Franci inuadere, &, eo tempore Romano diruto imperio, plurimas prouincias ſtabiliore imperio complecti. Inde a Germaniis depulſi ſunt Alemanni, & illæ in Francicam legem, gratam acceptamque omnibus Galliæ nationibus, plene acceptæ. Non dubium, longe liberalius atque benignius Cisrhenanos Germanos a Francis, quam Gallos, eſſe habitos; cum, quod Germanicum ſanguinem Franci vererentur, tum, quod primi Gallorum Francicos adiuuiſſent conatus. Reperio, *Franciæ* quidem nomen cum noſtra etiam communicatum eſſe prouincia; at magis tamen reliquam Galliam Franciam dictam eſſe, incolasque Francos. Nempe, arbitror, vt priſcis Germaniarum colonis, & ipſis Germanis, integras ſuas ſedes reliquerint, ſolo ſancito fœdere contenti; ita magis Francos in patentiore Gallia ſedes poſuiſſe, atque regiones occupaſſe & diſpertiiſſe: vnde, cum Francia dicta fuerit Cisrhenana Germania, quod in Francorum eſſet clientela, magis Galliæ iſtud nomen fuerit datum, quod maxime Franci eam incoluerint, & tenuerint (*s*).

AN. CCCCLI. / AN. CCCCXCIX.

(*s*) De omnibus his migrationibus ſubinde dictum; addita auctoritate. Alanos Gallicanos ad Ligerim oſtendit ex SIDONIO APOLLINARI vetuſtisque monumentis HADR. VALESIVS *in Notitia Galliarum*. Francos a populis Galliæ multo amore acceptos eſſe, ſupra ex GREGORIO TVRONENSI *Hiſt Franc. Lib. II. Cap. XXIII. & XXXVI.* probauimus. Sic ait; *Iam terror Francorum in illis reſonuit partibus, & omnes eos, vt regnarent, amore*

Status Germaniæ Cisrhenanæ sub Francis.

Germania Cisrhenana.

XLI. FRANCIAE ergo nomen Cisrhenana Germania induit, cum Franci ex Germania in Galliam imperii sui sedem transtulissent. Dicta & eadem est *FRANCIA MINOR*, quod *maior* in Gallia propria stabilita esset. *SVPERIORIS* etiam *FRANCIAE* cognomentum nostræ Germaniæ obtigit, cum Neustria *Inferior Francia* diceretur. *AVSTRIAE* vocabulum præcipue nostræ Germaniæ proprium esse cœpit; ex quo Clodouæus regnum Franciæ in partes diuisisset. Complexa vero est Austria ditiones inter Mosam & Rhenum; quibus & subinde plures sunt additæ. Mox transiuit Rhenum hæc adpellatio, & clientelas Francorum veteres nouasque simul comprehendit. Eadem Austria *AVSTRIFRANCIA* & *REGNVM ORIENTALE*, quandoque dicta est; seriore demum æuo *AVSTRASIA*. Perditis tum singularibus vocabulis, quæ sane raro iam vltra audiuntur, Cisrhenani Germani *AVSTRASII* dicti sunt, & eo nomine non raro a Francis distincti sunt; cuius causam supra non improbabilem protuli. Iidem *Austrasii*, aut *Austrasiani* persæpe *RIPARII*, vel *Riparioli*, postea *Ripuarii*, & *Ribuarii*, nuncupati sunt. Sed ante eorum propria fuit nuncupatio, qui

desiderabili cupiuerunt. Et deinde, *Multi iam tum ex Galliis Francos dominos summo desiderio cupiebant.* De *FRANCIAE* nomine HADRIANVS VALESIVS *in Notitia Galliarum fol. CCI.* plurimis docet exemplis, licet *Austrasii* & *Neustrasii* ex æquo *FRANCI* essent atque vocarentur; *Austria* & *Neustria* ex æquo *Francia* esset, atque vocaretur; tamen in GESTIS *Regum Francorum*, & *in Appendice Chronici* FREDEGARII, semper fere, in aliis scriptoribus sæpe, solos *Neustrasios FRANCOS* adpellari, & eo nomine distingui ab *Austrasiis*: quasi magis Francorum compellationem Neustrasiis, quam Austrasiis, conuenire nouerint veteres auctores. Accipimus obseruationem percuriosam: sed, quæ VALESIO non incurrit in mentem, probabilem addimus causam, quam non prorsus iri improbatum confidimus.

Germania Cisrhena-na. qui ad Mosam, Roram, Rhenumque inferiorem, coluerunt. Inde & iis nomen datum est, qui superius ad Mosellam, Sarauumque, egere. Quid? quod omnino trans Rhenum Riparii habitasse legantur; ab his Gallici, aut a Gallicis an Germanici, oriundi? non satis colligere licet. Inferior Germaniæ Cisrhenanæ, marique vicina, pars post Francicum imperium diuisum in Frisiorum ditionem venit, & *CITERIOR FRISIA*, seu *Fresia*, aut *Occidentalis Frisia*, nominata est. Pertigit ea diuersis temporibus modo ad Mosam, vt Batavia tota esset Frisiorum; modo omnino ad Scaldem amnem, vt insulæ, quas Taxandris tribuimus, Frisiorum essent. Vt Frisia hæc a Francis debellata, crebroque Austria cum Neustria coniuncta, rursumque separata sit; vt demum omnis Austria seriore æuo in Germaniæ complexionem venerit: non nostri est instituti porro edisserere (*t*).

(*t*) Totum imperium Francorum in Gallia communiter *FRANCIAE* nomine notatur. Sic Franciæ nomen accipitur a Gregorio *I. Lib. IV. Epist. XXXI* *Plaga grauior*, inquit, *fuit ad ventus Agilulfi, ita, vt cernerem Romanos more canum in collis funibus ligatos, qui ad Franciam ducebantur venales.* Et apud Gregorium Turonensem *Lib. IX Hist. Franc Cap. XX* *Gailesuinda in Franciam veniens V ciuitates tam in dote, quam in morganegiba adquisiuisse* dicitur. Vocabulum *superioris Franciæ* ex veteri scriptore nostræ Cisrhenanæ Germaniæ vindicat Valesius *in Galliarum Notitia* de Francia. *AVSTRIAE* nomen impositum, quod ad orientem terra spectaret: *Ost* enim & *Est* nostris Germanis orientem sonat: vnde Latinum nomen, cum etiam sæpe *Auster* nominetur, non nobis debet imponere. Recte item Hermannvs Contractvs *in Chronico* loco *Austriæ* dixit *Regnum Orientale*, & *Austrifranciam.* Nomen *Austrasiorum*

Crebro variata regiminis formula.

Germania Cisrhenana.

XLII. De singularibus Cisrhenanorum Germanorum institutis, diuersaque regiminis formula, quam vario tempore acceperunt, extremum inquirimus. Ante Cæsarem nonnullis regia potestas placuit ciuitatibus; siue quos Cæsar reges nominauit, principes magis, bellicique duces, fuerint. Pluribus tamen gentibus plena libertate vti est libitum. Annuam magistratibus potestatem concessere, qua administrata ad priuatam redierunt sortem. Impense curarunt, ne principes atque primores populi occuparent in ciuitatibus dominationem. Postquam in prouinciæ formam

de gente crebro in GREGORIO TURONENSI occurrit: *Lib. V. Hist. Franc. Cap. XIV. XIX. Ab Austrasiis non est collectus.* Et, *Merouaeus, dum in Remensi Campania latitaret, nec palam se Austrasiis crederet, a Tarabannensibus circumuentus est.* & ita passim. Dicti *Austrasii* ab *Austria*; vti *Austrasiani* ab *Austrasia*. GESTA *Dagoberti I. Regis Francorum, in Tomo I.* DU CHESNE *Cap. XXVII. Consilio primitus beati Arnulphi Mettensis Episcopi, & Pipini, maioris domus vsus, tanta prosperitate regale culmen in Austria regebat, vt a cunctis gentibus immensi honoris laudem haberet. Cap. XXIV. Cum Austriam regio cultu circumiret. Cap. XXXI. Sigebertum filium suum in regno Austriae sublimauit. Cap. XXXII. Austrasia eodem modo consolidata, eo, quod & de populo, & de spatio esset coaequans, ad regnum Sigeberti, eidemque in integritate deberet aspicere, & quicquid ad regna Austrasiorum iam olim pertinuerat, totum Sigebertus rex sua regendum ditioni reciperet, & in perpetuo dominandum haberet, excepto ducatu Dentilinis, quod ab Austrasiis nequiter ablatum fuerat, iterum ad Neustrasios subiungeretur, & Hludouici regimini subiaceret.* In *Fragmentis de rebus pie gestis Dagoberti I. ex Vita S. Remacli Cap I. Clotarius porro inclytum filium suum Dagobertum Austrasianis praefecit, eique etiam Germaniae ditiones voluit esse subiectas.* Suscepto Austrasiorum & Austrasianorum nomine, conuulsis singularium gentium ditionibus, raro earum nomina audiuntur; nisi quando aut vrbs, aut pagus, priscorum habitatorum reddit memoriam. De *Ripariis* atque de *Frisiis*, in Cisrhenana Germania sub medii aeui initia celebratis, paulo inferius dicetur.

Germania Cisrhenana. formam redactæ essent Germaniæ, duo quidem præsides prouinciam administrarunt, reliquique Romani magistratus iurisdictionem exercuerunt. Pleræque tamen ciuitates suum senatum seruarunt, cui, credo, priuatarum rerum cura relicta est. Sic Treuerorum, sic Agrippinensium, senatus laudatur a Tacito: cuius magistratus non nullam fuisse auctoritatem, facile quiuis iudicare potest. Ceterum publica prouinciarum salus, maxime bellica res, a solis Romanorum præsidibus, & æuo seriore a ducibus, comitibusque, procurata est. Quos reditus Romani ex prouincia percepere, procuratores colligere & seruare. Quin Romanis ita prouinciam regentibus, passim Germani prisca deseruerint instituta nouosque induerint mores, nemo facile dubitabit. Saltem Treueri, Neruiique, qui alioquin circa adfectationem Germanicæ originis quam maxime ambitiosi fuerint, non extremum valde a Gallicanis moribus fuerint alieni. Postquam a Francis tota prouincia occupata est, more Romano tunc etiam dux prouinciam rexit, pagos singulos comes. Leges ex priscis consuetudinibus Riparii, sic vocatos esse magnam partem Cisrhenanos Germanos, supra ostensum est, acceperunt; cetera Francicis legibus viuentes. Si ante posuerant priscos mores sub Romana dominatione, eos deinde recipere licuit, & iis, ipsis iam scriptis legibus adprobatis, libere vti frui; cum quippe Francorum imperium

non

non nouam nostris imposuisset seruitutem, sed magis libertatem diu perditam postliminio restituisset (v).

(6) In *Eburonibus* reges *AMBIORIX* & *CATIVVLCVS* memorantur a CAESARE *Lib VI Cap. XXXI.* In *Neruiis* dux *BODVOGNATVS* *Lib. II Cap. XXIII.* Vnus magistratus in plerisque his ciuitatibus singulis annis eligi consueuit; sed optimatum tamen consiliis pleraque gesta: teste STRABONE *Lib. IV.* CAESAR *Bell. Gall. Lib. VII. Cap. XXXI.* Aduorum legatos venisse oratum scribit, *ut maxime necessario tempore ciuitati subueniat: summo esse in periculo rem; quod, quum singuli magistratus antiquitus creari, atque regiam potestatem annum obtinere consuessent, duo magistratum gerant, & se vterque eorum legibus creatum esse dicat.* Plura de magistratibus Gallorum Belgarumque tradit *Lib. VII. Cap. XXXIII. Lib. VI. Cap. XX.* Sub ipsis Romanis multæ ciuitates suos magistratus seruarunt. TACITVS *Histor. Lib. V. Cap. XIX.* *centum tredecim Treuerorum senatores*, & *Lib. IV. Cap. LXIV.* *Concilium Agrippinensium*, laudat. Cerealis in oratione ad Treueros apud TACITVM *Hist. Lib. IV. Cap. LXXIV.* *Ipsi*, inquit, *plerumque legionibus nostris præsidetis: ipsi has aliasque prouincias regitis. Nihil separatum clausumue.* Contra, indicio Germanici animi a Treueris ceterisque Belgis sub graui Romanorum iugo fere depositi, Ciuilis hoc sermone eos compellat apud eundem TACITVM *Lib. IV. Cap XXXII.* *Vos Treueri, ceteraque seruientium animæ, quod pretium effusi totiens sanguinis exspectatis, nisi ingratam militiam, immortalia tributa, virgas, secures, & dominorum ingenia?* De Francorum imperio, formulaque Cisrhenanæ nostræ Germaniæ alibi inquiritur.

NOTI-

NOTITIA GERMANIAE MEDIAE SEV PROXIMAE VETVSTATI.

CAPVT I.

GERMANIAE PERPETVAE VICISSITVDINES

I.

Ratio mediae Germaniae breuis commentationis subnexae

INtegra est explicita Germaniæ notitia veteris, siue ipsam Germaniæ regionem, siue circumcirca Germaniæ populos, qui in peregrino quondam habitarunt, spectauerimus. Nostra quod promissa exsoluimus, hoc loco finem commentatio idonee caperet; &, quæ in Germania nostra medio æuo cernenda superant, prorsus alii relinqueret & tempori & scriptioni. Sed commode meminimus, multa in ipsa Germania a nobis dicta esse, quæ, vno in loco collecta, idoneam in Germaniæ, quæ & qualis primo æui medii fuit tempore, notitiam præbere introductionem apta futura erant. Cum ea facili labore a nobis, breuiterque ita, repeti possint, vt Germaniæ status, qui sexto septimoue seculo fuit, melius illucescat, simulque amplioris operæ non nullum lectori beneuolo desiderium cum fine operis relinquatur: postulare vtique æquitatem, vt, qui maiorem exantlauimus laborem, exiguum, quicquid etiam elassescere stilus incipiat, minime subterfugiamus, arbitramur. Breuem hic itaque adhuc moram, spe non prorsus nullius

vtilitatis moti, ſtatuimus, & vno ordine quædam, aut iam promiſcue dicta colligimus, aut nondum memorata, ſed ſcitu admodum neceſſaria, percenſemus. Primum miras viciſſitudines populorum ab antiquiſſima memoria ad medii æui initia rurſum enarramus. Deinde, qui Germaniæ fines medio æuo eſſe cœperint, oſtendimus. Poſtea Germaniæ vniuerſæ partitionem, quæ ſex, ſeptemue populi fecerunt, declaramus. Porro, quantum ſciri poſſunt, aut coniectura intelligi, ſingulorum populorum regiones, ſtatum, atque conditionem, commonſtramus. Nouiſſime, quaſi per tranſitum, ſequioris æui nouas Germaniæ, populorumque, & regionum, mutationes indicamus. Vbique ſequimur intelligendi facilitatem cum maximæ breuitatis ſtudio coniunctam; quæ & cauſa, ſimul quod in alieno verſamur argumento, nos contra eos tuetor, qui, de re difficillima & grauiſſima defunctorie nimium nosmet agere, fortaſſis obiecerint.

Germaniæ mediæ.

Viciſſitudines Germaniæ, populorum.

II. Attinet primum ad multas populorum veteris Germaniæ viciſſitudines colligendas, eorum meminiſſe, quæ non vno in loco ſupra docuimus. Antiquiſſimi putantur æui eſſe illæ populorum claſſes, quos Plinius memorauit; & quarum originem ex priſcis Germanorum carminibus Tacitus docuit. Habet Tacitus *Ingauones*, *Hermiones*, *Iſteuones*, *Marſos*, *Gambriuios*, *Sueuos*, *Vandalios*; *eaque vera & antiqua nomina* adpellat: non oſtendit, ea nomina ceteras omnes ciuitates complecti. Sed, quod Plinius diſerte quinque gentium Germanicarum genera memoriæ prodidit, pluraque a Tacito prolata nomina ſeruauit; ex Plinio Tacitum interpretari, & vetuſtiſſimam populorum partitionem intelligere, videtur vtique conuenire. Sunt vero apud Plinium *INGAEVONES*, *ISTAEVONES*, *HERMIONES*, *VINDELI* atque *BASTARNAE*; principes quinque Germanicarum ciuitatum familiæ. Iis claſſibus atque nominibus,

Genera Germanorum Plinii & Taciti;

Germaniæ vicissitudines.

nibus, quod copiose declarauimus, adulta paulum ætate exolescentibus, successere singularia singularum ciuitatum cognomenta; ita a Cæsaris iam æuo vsu frequentata, vt de generibus, aut certis classibus, nihil vltra constiterit. Prope centum vidimus istiusmodi gentium vocabula, quæ omnia tum fuere distincta, nec prope vestigia notarunt, cui generi magis, quam alteri, tribuenda sint. Solum excipimus *SVEVORVM* commune nomen, quod causa incerta plus partem dimidiam Germaniæ populorum Taciti circiter æuum complexum est; vt vero generis cuiusdam summi loco accipi nequeat, sed forte casuque, fortassis ob crinium cultum generatim adprobatum, sit susceptum: vt ipsæ etiam gentes, communiter Sueui dictæ, propriis variisque nominibus discretæ, & inuicem separatæ fuerint (*a*).

Singularia ciuitatum nomina; nullæ classes.

III. Ita, donec tertium christianus orbis seculum haberet, plurimarum ciuitatum adnomina inclaruere, vt præter *GERMANORVM*, siue *TEVTISCORVM* nomen ipsi nostri maiores commune habuerint, cognomentum nihil esset, quo partes notarentur. Ea autem ætate, & postea, noua emersisse vocabula, quibus plures simul ciuitates, aut seruatis, aut positis, singularibus compellationibus, comprehendi cœperint, nouimus. Fœderum alio atque alio tempore sancitorum, vt fortius causa publica ciuitatum defendi posset, fuisse noua nomina insignia, fuse supra docuimus. Pars & nominum noue excogitata sunt, pars accepta ab vna alteraue ciuitate, cum qua ad communem rem agendam plures gentes forte consenserant. In primo genere censemus *ALEMANNORVM*, *FRANCORVM*, forte & *GOTHORVM*, societates, nouis compellatas vocabulis; nam & *Gothos* antiquitas ignorat, licet *Gothones*, *Getas*que, adprime

Fœderum insignia, cum reliquis singularibus ciuitatum compellationibus.

 nouerit.

(*a*) Vid. PLINIVS *Lib. IV. Cap. XIV.* TACITVS *Germ. Cap. II.* & quæ copiose supra de illis classibus Germaniæ gentium, earumque vicissitudinibus diximus.

nouerit. In genere altero *SAXONVM*, *BVRGVNDIONVM*, *LONGOBARDORVM*, fœdera numeramus; quorum amplitudo non ſane, niſi ex plurium ciuitatum quaſi conflatura, nota eſt. Cum illis fœderibus diu quidem ſingularia gentium vocabula cis Albim audita ſunt, vt tantum in fœderibus comprehenderentur: trans Albim vero extra etiam maiores ſocietates ſola liberaque perdurarunt. Sed accidit demum, vt cum Romani imperii propinqua ruina fere omnia ſingularia exſpirarent nomina, & ſola fœderum ſuperarent inſignia: quibus vero fœderibus eo æuo nouæ accederent, nec prope ante auditæ, maiorum ſocietatum adpellationes. Florebant diutina gloria *Alemanni*, *Franci*, *Saxones*, *Burgundiones*, *Longobardi*, omnes in ipſa Germaniæ regione; *Gothi* maxime in orientis Romanis prouinciis: ſiquidem hæc fœdera, vt illæ primæ Germanorum claſſes, non tam ad Germaniæ regionem, quam ad ipſam Germanorum nationem, longe latius in vicinias diffuſam, pertinuerunt. Sed iam pone illa antiquiora fœdera illuſtrati ſunt ſeriores, *VANDALI*, *SVEVI*, *RVGII*, *HERVLI*que: & omnium extremi *FRISII*, *THVRINGI*, atque *BOIOARII*. Pars nominum magnam ferunt antiquitatem; ſed, qua fœderum, ſocietatumque maiorum, notas, nondum ante fuiſſe cognita, manifeſto patet. *Thuringi*, atque *Boioarii*, primo nominum ortu egregiam quarundam ciuitatum conſociationem ſignarunt: &, quæ adhuc ſuperarunt ſingulares gentium adpellationes, proxime omnes, ſi ſane communem earum vſum reſpexerimus, deleuerunt.

Germaniæ ſiccitudines.

Ingens Germaniæ fœderum diſcurſus: quo & periere ſingulares cl.

IV. Agere Romanum imperium, ab vno adminiſtratum, quintum cœperat ſeculum, & per ingentem Germaniæ populorum, imo fœderum inquam, diſcurſum vndique Romana res cum Germanica conflictari, & huius demum vi atque virtuti concedere. Meminiſſe decet maximarum illarum migrationum, vt inde noua Germaniæ, quæ poſt migrationes

Germaniæ vicißitudines. tiones viſa eſt, facies rectius pateſcat. Prima ***Vandalorum***, uitatum adpellationes.
Sueuorum, & ***Burgundionum***, fœdera, adſcitis ex Sarmatia in
Ann. ſocietatem ***Alanis***, Gothica gente, & fortaſſis etiam ***Silingis***,
CCCCVI. Vandalorum ciuitate, Germanicum verterunt ſolum, & in
Gallias, Hiſpanias, atque omnino in Africam, inuaſerunt.
Ann. CCCCIX. Proxime maior Gothici fœderis pars, ***Veſigothi***, ex prouinciis orientis in occidentem mouerunt, & Italia vaſtata in Gallia atque Hiſpania ſedes poſuerunt. Rurſus paulo poſt ex Germania ingens ***Francorum*** fœdus cœpit exciri, & in vicinam Galliam, non vno tamen impetu, ſed progreſſu conſideratiore, immitti. Interea iamdum Alemannia in Rhætiam atque Heluetiam ſe magnam partem proruerat. Non magno an-
Ann. norum interuallo poſtea ***Saxonum*** nobile fœdus ex Germaniæ
CCCCXLIX. littoribus in Britanniam euocatum, & magnam partem traiectum eſt; vbi elegantiſſimæ inſulæ poſſeſſio nauigationis
Ann. merces exſtitit. Iterum ex Germania ***Rugii***, ***Heruli***que,
CCCCLXXVI. Odoachro duce, in Italiam ipſam ſuſcepere expeditionem, & creberrime iam impulſum Romanum imperium primi protriuerunt. Cum reliquis in Germaniæ finibus Herulis bellum, ***Longobardos*** etiam ex Germania exciuit, ſedesque in
Ann. Pannonia dedit. Nouiſſimi prope ***Oſtrogothi***, altera Gothici
CCCCXC. fœderis pars, in Italiam ſunt ex oriente profecti, & egregium inibi condiderunt regnum: quod ſeculo ſexto non eſt deſtru-
Ann. ctum, quam vt ***Longobardico*** locum faceret. Et hoc adii-
CCCLXIIX. cimus, cum orientis Germania iſtis, quas memorauimus expeditionibus, valde exhauſta, & prope ab habitatoribus deſerta, cœpiſſet eſſe; magna ***Venedorum***, Sarmatiæ fœderatarum gentium, vis, vſa turbis, vagoque Germaniæ populorum diſcurſu, in vicinam cis Viſtulam Germaniam irrupit, & pleraſque inter Albim, Salamque, & Viſtulam, regiones aucta ætate occupauit. Et ita quidem de Germania, Germaniæque fœderibus, eo tempore actum eſt.

Certi, sed pauci, populi, Germaniæ mediæ possessores.

Germaniæ vicissitudines.

V. Post maximas turbas visas, ad pacatum Germaniæ redimus statum. Priscorum fœderum memoria inter illos tumultus pene obliuione tradita; pauci iam populi, qui vtique ex Germaniæ illis fœderibus concreuerant, Germaniam diuiserunt. Fuerunt *ALEMANNI*, atque *SVEVI*; fuerunt vna *BOIOARII*: qui, quod maximam partem in Heluetia, in Rhætia, atque in Norico, consedissent, effecerunt omnino, vt Germaniæ limes ad meridiem ad vsque Alpes prolataretur. Fuerunt ex *FRANCIS* reduces in Germaniam coloniæ, vt victores Alemannos atque Sueuos in officio continerent. Fuit insignis *THVRINGORVM* populus, qui mediam pene Germaniam tenuit. Fuere ex *SAXONIBVS* reliqui, in interiora a littoribus profecti. Fuit demum potens *FRISIORVM* natio maritimæ Saxoniæ, quæ ante erat dicta, domina. Imo & fuerunt alienigenæ gentes, *VENEDI*, qui in magnæ Germaniæ partis possessionem peruenerunt. In Germaniæ illis populis extrema propemodum vicissitudo stetit: nec enim hodie, quam quas vidimus, nationes in nostra sunt Germania. Et nominari quidem cum populis minores subinde, quas antiquitas habuit, ciuitates, in omnis fere æui scriptoribus reperimus. Aut vero ex veteri auctores memoria gentes adpellarunt, quæ dudum in diuersis populis nomina posuere. Aut, vt populorum varii pagi esse consueuere, ii prima adhuc, post populorum in Germania stabilitas sedes, ætate crebrius antiquis nominibus compellati sunt: licet non, vt olim, suam rem vltra haberent solam, sed vnius alteriusque populi essent partes (*b*). Quænam nunc Germaniæ regionum distributio nostris populis placuerit? statim id post mediæ Germaniæ finium lustrationem ostendi debet.

CAPVT

(*b*) *Hassi, pagus*, laudatur a POETA *Annal. Caroli M. ad Ann.* IↃCCLXXVII, *Vers. 134. Hessorum prouincia in Antiquit.* FVLDENS, *Lib. I, apud* PISTORIVM *fol. CCCCLXXXVI. Boructuariorum* meminit MARCELLINVS *in Vita Diui Suiberti* BEDA *Lib. V. Cap. XII*, & cum *Hessis Borthares* lau-

CAPVT II.
FINES GERMANIAE MEDIAE.

I.

DE finibus proprio quodam loco copiose & abundanter loquuti sumus, vt vix noua sit opus cura. Ad *orientem* communi auctorum consensu Germaniæ regionis verus limes *VISTVLA* fluuius exstitit. Sera equidem ætate Germania orientis valde, vt diximus, est exhausta; adeoque per communes motus, non valde ad rem attendentibus Germanis, in alienigenæ nationis, Venedorum, possessionem plurimam partem versa est. Poterat tunc non inepte constitui, ipsum Germaniæ regionis limitem coangustatum esse, & modo ad *Viadrum*, modo etiam ad *Albim*, atque *Salam*, retro reductum: quæ etiam nostra quondam, quam nec prorsus mutamus, exstitit sententia. Quod attamen ius Germaniæ semper seruatum est, & tarda ætate omnino in amissas prouincias felicissime vindicatum: inde saltem non errabunt, qui priscum Germaniæ ad orientem finem semper continuatum esse, adfirmauerint: cum maxime desint auctorum testimonia, qui limitum ex hac parte vicissitudinem diserte testentur. Contra *septentriones* dubium nullum est, cito maximis terris nostram Germaniam mulctatam esse. Mansit, vt ante, Germanicas nationes vasta aquilonaris regio. Sed, quod separari iam consueuere Dani, atque Normanni,

Finium mediæ Germaniæ considera-tio.

Ad orientem Viadrus, Albisque re ipsa: de iure, Vistula.

Contra

dat inscriptio *epistolæ* GREGORII II. *Papæ* ad optimates & populum prouinciarum Germaniæ. *Regio Altoaria* inter Thuringiam & Saxoniam, in diuisione regni inter filios a Ludouico Pio memoratur. *Angriuarii*, seu *Angarii*, in CAROLI M *Capitularibus*, *Anno* IƆCCCXCVII. *Aquisgrani præscriptis* in exordio, & a POETA *Ann. Car. M. Lib. I. Vers. 45.* describuntur. Omnes vero hæ ciuitates fuere partim in Francorum, partim in Saxonum, ciuitate: quod iam alibi indicauimus.

aquilonem Mare, & Chalusus. manni, a ceteris Germanis: inde est, quod recte putamus, Germaniæ regionem medio ineunte æuo *SVEVICO MARI*, & Cimbricæ chersonesi radice, aut *Stæra*, & *Trana*, seu *Chaluso*, amnibus, finiri. *Eidora* fluuius a Carolo statutus limes est: quod autem victor putatur limitem vtique promouisse, inde mea est opinio, anteriore ætate Danorum ditionem cis etiam Eidoram stetisse (c). Ego non quidem hoc loco negauerim, difficillime ob auctorum silentium medio æuo Germaniæ fines vsque quaque definiri: & sequi tamen in hac causa oportet eorum perpetuam constantemque voluntatem, penes quos ius est, & norma, loquendi. Veteres inde Germaniæ termini facile indicari potuerunt, cum curiosi limitum Romani scriptores magno consensu Germaniæ etiam fines dederint: sed procul dubio eos, aut ex ipso Germanorum ore, aut ex eo dederunt capite, quod perpetuo ordine vidissent Germaniæ populos huc atque illuc pertingere. Nos interim coniecturas sequi, vbi clara desunt indicia, habemus

Germaniæ mediæ initia.

(c) Orientis limes *Vistula* mansit. IORNANDES *de Rebus Geticis in principio* ait: *Vistula fluuius Sarmaticis montibus ortus, in conspectu Scanziæ septentrionali oceano trisulcus illabitur, Germaniam Scythiamque disterminans.* Hoc vero magis videtur ex priscis auctoribus accepisse, quam vt ad sui æui statum respexerit. Slauicas gentes iam a sexto seculo cis Vistulam egisse, historia docet: iam enim tum modo in Thuringos, modo in Francos, incurrisse, leguntur. Sed ius Germaniæ in auulsas regiones Carolus Magnus vindicauit; & adeo recte de eo EGINHARDVS *in eius Vita* scripsit: *Omnes barbaras nationes* (quæ nondum sub imperio Francorum erant, vt Saxones, aut quæ prorsus alieni erant generis, vt Slaui) *quæ inter Rhenum & Vistulam, perdomuit.* Dein diutissime maiestas Germanici imperii omnem Vistulam vidit in obsequio, donec primum per turbas, quæ Henrico IV. imperante accidere, deinde per maiores, quas interregnum attulit, se Vistula Germanica clientela maiorem partem eximeret, & totus Sarmaticus esse inciperet. Contra septentriones saltem dubius Germaniæ limes aliquamdiu exstitit, donec finem Carolus statueret *Eidoram*: quod *Annales Francorum a* NVENARIO & PITHOEO *editi ad Annum* IↃCCCXI. enarrant. Si vero Carolus demum hunc limitem constituit, aut si, quod ADAMVS BREMENSIS *Cap. XI.* dicit, *Hemmingus rex pacem cum imperatore faciens Egidoram fluuium regni sui terminum accepit:* saltem ante videntur Dani citeriora etiam affectasse.

Germaniæ mediæ fines. benius necesse, quibus probabiliter saltem, qui a nobis proferuntur, mediæ Germaniæ fines, adseruntur.

II. Ad *occidentem* quondam *RHENVS*, Germaniæ, Galliæque, perpetuus finitor exstitit; eiusque, vbi ingens fluuius scinditur, medius alueus. Postquam Francia in Galliam effusa esset, non continuo iudicamus limitem Germaniæ occidentalem promotum esse: alioquin sub initia medii æui maxima Europæ pars, cum insulis, parteque omnino Africæ, in Germaniæ complexionem venisset, si migratio Germanicarum gentium nouas adferre prouincias valuisset. Sed cum primum Franciæ regnum diuideretur, & Austriæ, siue Austrasiæ, quæ Cisrhenanos Germanos complexa est, Transrhenanæ clientelæ adderentur; tum prima fere vice videtur ad vsque *MOSAM* Germaniæ nomen pertinuisse. Superiore Rheni parte, quod & Alemannia, quæ ad Vrsam vsque flumen spectauit, ad Austriam adiecta esset, ad eundem vsque amnem Germania videtur protenta esse. Nono seculo ille ad Mosam iam ante promotus Germaniæ limes solennibus pactionibus confirmatus, & paulo deinceps iisdem pactis interuenientibus ad *Scaldim* vsque idem terminus productus est. Vere tum Cisrhenana Germania, & quædam viciniæ, cum Transrhenana regione æterno sunt fœdere copulatæ & coniunctæ. Ad *austrum Danubius* totus iam Germanicus esse cœperat, ex quo Alemanni Sueui, atque Boioarii, Germanici populi, cis Danubium omnibus terris insederant. Vere autem ex hac parte Germaniæ agros prolatatos esse, arbitror; cum ad Francicam clientelam illi populi traducti Austriæ adscriberentur: non enim nisi Germaniam illi Austriæ regno adsignatam fuisse, reperimus. Exin meridialis Germaniæ limes stetit in *ALPIBVS*, & *Adriatici sinus littoribus*: vt parum tamen idonee possit ostendi, vbi Italia, aut Longo-

Ad occidentem Mosa.

ANN. DXLIV.

ANN. DCCCXLII.

Ad austrum Alpes & Adriatici sinus litora.

bardici regni, quod tunc floruit, ditio, inceperit, aut desierit (*d*). *Germaniæ mediæ initia.*

CAPVT

(*d*) Cum *Austriæ* adiicerentur *Germaniæ Transrhenanæ* partes, haud dubie eo id consilio actum, quod eiusdem essent generis Cisrhenani Transrhenanique populi, recteque adeo ii, separatis Gallis, vni adiicerentur regno. Pacta Verdunensia Lotharii medium inter Galliam & Germaniam regnum constituerunt. REGINO *Abbas Prumiensis ad An.* ƆƆCCCXLII. SIGEBERTVS GEMBLACENSIS *ad Annum* ƆƆCCCXLIV Deinde pactis nouis inter Ludouicum Germ. & Carolum Caluum promoti Germaniæ fines contra Galliam per Lotharii regnum. REGINO *ad Annum* ƆƆCCCLXX. SIGEBERTVS *ad An.* ƆƆCCCLXXI. *Appendix* AIMOINI, vbi & formula diuisionis est. Demum omne Lotharii regnum Germaniæ a Ludouico Ludouici Germ. F. vindicatur. *Annales Francici* PITHOEANI *ad Ann.* ƆƆCCCLXXXI. breuiter rem indicant. *Rex Ludouicus in Galliam profectus filios Ludouici Balbi ad se venientes suscepit, totumque regnum Lotharii suæ ditioni subiugauit.* Id consensu Franciæ primorum contigisse, docent *Annales* BERTINIANI. Postea varia adhuc lis de Lotharingia fuit, donec ab Henrico & Ottone Magno pleno iure vindicaretur. *Henrico Belgica cessit; Carolo Celtica tantum & Aquitania, parsque Lugdunensis (Burgundia regem per se habente) remansit:* quod OTTO FRISINGENSIS *Chron. Lib. VI. Cap. XIIX.* commode dicit, simulque & Austriam, & Lotharii regni complexionem, interpretatur. IDEM *ille Lib. VI. Cap. XIX Rex Otto,* inquit, *rursum Belgicam ingreditur, totamque in ditionem accepit. Et ex hinc prouincia illa a regibus Teutonicorum absque contradictione possidetur.* Conf. FRODOARDVS *Chron. ad Ann.* ƆƆCCCCXXV. & ƆƆCCCCXLII. Reliquas de Lotharingia, quæ successere, contentiones non moramur. Meridianus limes iam *Alpes* esse cœperunt. Boioarii, Sueuique, Austriæ regno præcipue adiecti. Sed ait AVCTOR *Vitæ S. Remacli Cap. I.* quem locum supra vidimus: *Clotarius porro inclytum filium suum Dagobertum Austrasianis præfecit, eique etiam Germaniæ ditiones voluit esse subiectas.* Ergo Germaniæ ditiones iam tum complexæ sunt Alemanniam atque Boioariam. Imo FREDEGARIVS *Chronici Cap. CX.* in Caroli Martelli diuisione regni, illas ditiones Germaniæ cum Austria coniunctas, clarius ostendit: *Igitur,* inquit, *memoratus princeps, consilio optimatum suorum expetito, filiis suis regna diuidit. Itaque primogenito filio suo, Carolomanno nomine, Auster & Suauiam, quæ nunc Alemannia dicitur, atque Thoringiam, tradidit. Alteri vero secundo filio iuniori, Pipino nomine, Burgundiam, & Neuster, & Prouinciam, permisit.* Sic Austria propria ipsam Transrhenanam Franciam comprehendit; Sueuia Boioariaque, cis Danubium in Germaniæ ditionibus habitæ prouinciæ. De Alemanniæ & Boioariæ contra Italiam finibus mox dicemus Stiria Carintiaque ad Foroiuliensem ducatum, adeoque ad Longobardici regni ius, spectauit: sed Germaniæ illas prouincias tradidit Ludouicus Pius, Lothario licet grauiter rem ferente; & inde perpetuo Germania illas seruauit regiones.

CAPVT III.
GENERALIS POPVLORVM GERMANIAE MEDIAE PARTITIO.

I.

Hisce finibus definita Germania a populis, quorum ante nomina in medium protulimus, eo fere modo diuisa est. Orientis regiones, si adhuc ad Vistulam Germaniam hoc æuo proferemus, peregrinus populus, VENEDI, coluerunt; variis nominibus, vt diuersas habitarunt terras, discreti. *Behemi* dicti sunt, qui Boiohœmum tenuerunt; & *Maharenses*, qui Marum, postea Maharum adpellatum, adcoluerunt. Ad Salam *Sorabi* pertigerunt; ad Vistulam Ligiorum patria *Poloni* insederunt. *Dalemincii* prope Albim, *Hauelli* ad Hauelam, *Lini*, *Vcbri*, *Redarii*, in Viadri fluuii confini tractu, egerunt. Trans Viadrum *Luiticos*, & fortassis *Wagrios*, habitasse, auctores putant. Maritimam oram a Vistula *Cassubi*, *Pomerani*, & cis Viadrum *Wiltzi*, qui & *Welatabi*, & *Ludici*, nuncupati sunt, & proxime Saxones Transalbianos, qui vocati sunt, *Obotriti*, obsederunt. Quod etiam trans Albim Saxones grauissime a Slauis adfligerentur, inde fuit, quod non raro in inferiorem vsque Albim Slauorum ditio imputaretur. Ita sane Venedi, seu Slaui, aut etiam Sclaui, adultiore medio æuo in orientis Germania habitarunt; ex qua nos memoria nostra sumsimus. An statim sexto seculo, quod nos præsertim respicimus, omnes has regiones habuerint, difficiliter, quod silent fere auctores, expedierim. Probabilis me tamen inducit coniectura, vt iis omnes has terras, quas memoraui,

Mediæ Germaniæ inter populos partitio.

Pars Germaniæ orientalis.

etiam tum adiudicem; siquidem non iis contenti in ipsam mox Francorum ditionem incurrisse Slaui eo tempore leguntur; &, qui tanta terrarum spatia, cum iam validiores Germanicæ res factæ essent, adhuc habuerunt, non sane minora habuisse, cum ipsorum prævalerent vires, existimantur (e). *Germania media initia.*

II. Vt

(e) Rata *SLAVORVM* & ipsorum migrationis in Germaniam in ævi medii initiis memoria. IORNANDES, Seculi VI. scriptor, *de Rebus Geticis*, iam dixit, *eos vbique peccatis nostris* (Germanorum quippe, nam se in Gothis, Alanis, hos in Germanis, ipse IORNANDES diserte adnumerat) *facientibus desæuire*. Hinc non male colligitur, iam sexto seculo in Germaniam Slauos, siue Venedos, inuasisse: nam, si in Sarmatia sua modo sæuiissent, non id valde Germanicis nationibus fuisset curæ. Cum fine sexti seculi, in Longobardis Agilulfo regnante, *Tassilo a Childeberto rege Francorum, apud Baioariam rex* (dux) *ordinatus est. Qui mox cum exercitu in Sclauorum prouinciam introiens, patrata victoria ad solum proprium cum maxima præda remeauit*: scribente PAVLO DIACONO *de Gestis Longob. Lib. IV. Cap. VII.* IDEM *Lib. IV. Cap. XLI.* nouum Baioariorum bellum, *Garibaldo* duce, cum Slauis administratum memorat; & *Lib. V. Cap. XXII.* ad Carnuntum Sclauorum eam gentem monstrat, quæ & Baioariis & Foroiuliensi ducatui tantas formidines eo tempore opposuit. Credo itaque notari a PAVLO eos Sclauos, qui a Maro fluuio *Mahærenses*, & a Boiohæmo occupata *Behemi*, succedente ætate adpellantur. Cum Francis Dagoberti I. ætate primum commissos Venedos reperio. Primum gloria Dagoberti moti Sclaui vltro se clientelæ Francicæ dedisse leguntur in *Gestis* DAGOBERTI I. *Cap. XXII.* & in *Chronico* FREDEGARII *Cap. LVIII.* Mox nata leui contentione graue bellum coortum est, quo Franci sæpe & iterum grauissime sunt afflicti; in Thuringiam & Franciam Transrhenanam Sclauis inuadentibus, omniaque ferro igneque miscentibus. Rogantibus inde Germanis Sigebertus filius rex datus, ne absente Dagoberto Germaniæ limites nimium vexarentur. Quantum videtur, isti *Sclaui*, siue *Winidi*, quos DAGOBERTI *gesta* adpellant, tunc in *Lusatia*, & in reliquis *trans Albim superiorem* regionibus fuere, quæ adeoque nullos vltra Germanos incolas videntur habuisse. Conf. AIMOINVS *Lib. IV. Cap. XXVI.* *Gesta* DAGOBERTI I. *Cap. XXVII. XXXI. XXXII.* FREDEGARIVS *Chron. Cap. LXVIII. LXXV.* Quod vero Saxones promiserunt, se Francorum limitem contra Sclauos defensuros, si remitterentur tributa a Clotario imposita; quod etiam iidem ideo non pactis stetere, quod Slauorum contra ipsos Francos opera vti decreuissent: quod vtrumque AIMOINVS, & *Gesta* DAGOBERTI, memorant: inde puto colligi, *trans inferiorem* etiam *Albim* a latere Saxonum iam tum Sclauos egisse. Tantum ex vetustiore de Sclauis, seu Venedis, memoria.

Germaniæ mediæ distributio. II. Vt ceteras vere Germanicas gentes cernamus, trans inferiorem Albim sola SAXONVM pars, pone Obotritos, & in Cimbricæ chersonesi radice, habitarunt. Vocant *Transalbianos Saxones*, & *Nordalbingiam* regionem; quam tres gentes *Stormarii*, *Holsati* & *Ditmarsi*, incoluerint. Cis Albim ad Rhenum vsque reliqui Saxones egere, ex regionum plagis *Westfali*, *Ostfalique*, inter quos *Angarii* fuere medii, nuncupati. Maritimam infra Saxoniam, & orientalem, & occidentalem, oram, FRISII habuerunt; incertisque ad austrum spatiis, ab Eidora ad Scaldim vsque omne mare obsederunt. A Saxonum latere occiduo supra Frisios FRANCI ad Mosam vsque coluerunt: si certe nostræ hic Germaniæ statim Mosam terminum constituerimus. Hi Franci Mosam inter & Rhenum, imo & aliquandiu trans medium Rhenum, proprio nomine sunt *Riparii*, aut *Ripuarii*, dicti, eoque nomine a veris Francis, quod, ante monuimus, distincti. Vera trans Rhenum Francia, cui Franci in Germaniam reducti dederunt nomen, ex vtroque Mœni amnis latere ad Nicrum & ad Visurgim late pertigit; maior facta Thuringici regni clade, quæ in Theodorici Austriæ regis, ætatem incidit. THVRINGORVM populus exin ad Salam, Vierramque, amnes coluit; cum ante latissimis insedisset contra septentriones, & ad austrum, atque occidentem, finibus: ex qua veteri memoria nomina adhuc Thuringiæ pagorum non pauca supersunt. Ipsam Saxoniam Visurgim inter & Albim ex Thuringici regni clade creuisse, notari debet: quas enim ante prope ad vsque oceanum, regiones Thuringi habuerunt, Saxones auxiliorum Theodorico regi missorum mercedem accepere. At mulctatam tamen maxima finium parte Thuringiam, ea, quæ hodie nomen habet, multo adhuc maiorem fuisse, paulo infra declarabitur. Cum *Saxonibus* alicubi *Sue-*

Pars Germaniæ occidentalis.

uos; quod Saxones cum Longobardis in Italiam abeuntes id permiſiſſent, habitaſſe; ex ſexti ſeculi notitia accipimus. Prorſus tamen ignoro, quas eis, & vbi, ſedes adſignauerim (*f*). *Germania media initia.*

Pars Germaniæ auſtralis. III. Auſtralem Germaniam Alemanni, Sueui, atque Boioarii, diuiſerunt. ALEMANNI cis & trans ſuperiorem Rhenum ſedes habuerunt. Cis Rhenum ad vsque Vrſam Heluetia inſederunt; & inferius in Rauracorum agris. Trans Rhenum, quæ *Alemannia* quondam dicta erat, mutata adpellatione magis *Sueuia* conſueuit vocari. Et hæc vero medii æui *Sueuia* probe ab ea diſtinguenda eſt, quæ fuit quinto adhuc ſeculo trans Danubium, imo etiam ab *Alemannia priore*, quæ, Danubium inter Loganamque, ad Rhenum ſtetit. *Sueuiæ* nomen Transrhenanæ adhæſit *Alemanniæ*, quod, cum magnam partem Alemanni in Galliam tranſiiſſent, Hermunduri Sueui in Alemannorum inuaſerunt

(*f*) De ipſis populis paulo dicetur poſtea. Thuringici regni ruinam GREGORIVS TVRONENSIS *Hiſt. Franc. Lib. III. Cap. VII.* deſcribit. Eam magna finium viciſſitudo ſequuta eſt, cum Saxones ob fortiter in bello nauatam operam partem regionis acceperint; docente WITICHINDO *Ann. Lib. I. Chlotarius & Sigibertus, reges Francorum, Suauos, aliasque gentes in locis, de quibus iidem Saxones,* (quos Longobardi ad Italicam expeditionem inuitauerant) *exierant, poſuerunt:* ſcribente PAVLO VVARNEFRIDO *de Geſt. Longob. Lib. II. Cap. VI.* Saxones autem ex Italia per Galliam reduces in patriam grauiſſimum cum illis Suauis geſſerunt bellum, nec conquieuerunt, donec vtraque pars fere armis deleta eſſet. Idem PAVLVS *Lib. III. Cap. V. VI. VII.* GREGORIVS TVRONENSIS *Hiſt. Franc. Lib. IV. Cap. XXXVII.* AIMOINVS *Lib. III. Cap. VII.* Sueui putantur Halberſtadienſem ditionem, & vicinas prouincias, incoluiſſe. Saxones poſt reditum Mimigardiam, qui vicus celebri Monaſterienſi ciuitati initia dedit, & Paderbornam, quod vulgo creditur, condiderunt. Vid. NICOLAVS SCHATENIVS *Hiſt. Weſtfaliæ Lib. V. pag. 314. ſequ.* Quam autem huius de Sueuorum ſedibus famæ parum liqueat, non dicere intermiſimus.

Germaniæ mediæ distributio. uaserunt ditiones, & vna cum eis Rhætiam atque Vindeliciam possederunt. Et ipsos autem Alemannos ob originem iam ante Sueuos etiam consueuisse nuncupari, aliunde constitit. SVEVI ergo trans Rhenum cum Alemannis permixti, inter Danubium atque Alpes, habitarunt. Trans Danubium recentem putantur ad Nicrum pertigisse; cis Danubium fortassis ad Licum amnem : qui attamen fines non tam accurate videntur definiti fuisse, vt satis demonstrari valeant. Pone Sueuos & Alemannos BOIOARII extremum Germaniæ angulum tenuerunt. Ad austrum hi fuerunt Alpibus ab Italia diuisi. Contra septentriones in Nariscos vsque trans ipsum Danubium Boioaria extenta fuit. Ad orientem limitem nemo facile ostenderit, sed magis sit contentus Slauorum, & demum Hunnorum, confinium nominasse. Ast Carolo imperante Anisum flumen Boioariam, & Hunnicum regnum, disterminasse, nouimus. Quibus exinde regionibus Boioaria fuerit aucta, donec ad eam adscendit amplitudinem, quam Saxonicorum imperatorum ætate habuit, qua omnem, quæ hodie vocatur, *Austriam*, simul complexa est; non nos hic persequemur (*g*).

CAPVT

(*g*) Respice ad dicta in Alemannis in Hermunduris, in Boiis: & confer, quæ ex mediæ ætatis initiis iam modo de singulis populis addemus.

CAPVT IV.
NATIONVM GERMANIAE MEDIAE PRAECIPVARVM HISTORIA.

I.

Slauorum generalia nomina.

PAulo copiosius nunc singulares populos, eorumque regiones, statum, atque conditionem, quantum sexti nobis, septimiue, seculi notitia suppeditabit, enarrabimus. Quo ordine paulo ante vsi sumus, in visendis eis in vniuersum, eo & vtemur in iis curatius considerandis. Primi alienigenæ nobis occurrunt

VENEDI, qui & SCLAVI sunt;

orientis Germaniæ, quod docuimus, habitatores. De nomine *Venedorum*, primisque eorum in Sarmatia sedibus, post Aestios inquisiuimus; quo ea nomine hic transimus silentio. Diu etiam, postquam in Germaniam inuasissent, antiquo nomine *Venedi* adpellati sunt: sed habuisse iam tum in Sarmatia *Sclauorum*, *Slauorum*, seu *Sclauinorum*, cognomenta, Iornandes testis est. Hoc tamen maxime in Germania affectasse, auctores cupiunt, postquam Vandali in Africa Græcis armis essent debellati; vt repellerent a se ignominiam propinqui nominis: qui enim *Venedi* erant, sed simul *Vandalorum* prisca regione in Germania insederant, vulgo per temporis ignorantiam pro *Vandalis* haberi consueuerant. *Slauorum* nomen passim de *glorioso*, *multisque decoribus ornato*, *populo*, ex lingua Sarmatica interpretantur: quod adeoque vocabulum, si ea omnino eius vis est, quæ adfertur, haud dubie, quam alterum *Venedorum*, lubentius acceperunt. Aetate tarda Slauorum adpellatio valde cœpit probrosa esse, cum quippe ea passim

Ann. IↃXXXIV.

Slaui. paſſim mancipia notarentur. Noua autem hæc nominis ſignificatio inde nata, quod pertinaciores Venedi extremum adiicerentur duræ ſeruituti, quam hodieque non paruæ eorum tolerant familiæ. In Germaniam ipſi Venedi iam quinto, ſaltem ſexto ineunte, ſeculo inuaſerunt: quod alibi declaratum eſt. Quo ordine regionibus nunc his, nunc illis, inſederint, per iſtius temporis obſcuritatem plena obliuione inuolutum manet. Opinio eſt, cum Vandalica, Sueuicaque, & alia fœdera, alio directa, aquilonarem orientis Germaniæ partem primum exhauſiſſent; in eam ſtatim propinquos Venedos tranſiuiſſe, ſemelque tentata fortuna maiorem mox populi ſui vim ad reliqua occupanda acciuiſſe. Poſſeſſione ſtabilita crebro in vicinias excurrere, & maxime Saxones, Francoſque petere; ab his autem non ſimplici vice grauiſſimis cladibus adfici. Præter exiguam hanc quorundam bellorum memoriam, ceteram omnem Venedorum hiſtoriam alta nox, altumque texit ſilentium. Carolum vero primum eos cœpiſſe perdomare, & Tranſalbinas regiones ad priſcam ditionem reuocare, & quæ ſequuntur recentiora, non eius, quod reſpicimus, æui ſunt (*b*).

Memoria Slauicarum rerum.

Ann. DCXXXIX.

Ann. DCCLXXXII.

II. Qui-

(*b*) Nominis *VENEDORVM* antiquitas ſatis declarata eſt. Dicuntur *Veneti* & *Winidæ*, a IORNANDE *in Rebus Geticis*; *Winidi* a FREDEGARIO, & in *Geſtis* DAGOBERTI I. & ita plerumque in ceteris medii æui ſcriptoribus. Nomen ex Græca lingua quidam capiunt, & diuerſe interpretantur. MATH. PRAETORIVS *in Orbe Gothico Lib. I. Cap. VI. Num. III.* deducit a voce Sarmatica *Panas*, quæ *dominum, herumque*, ſonet; vnde *Panaitis* vocabulum, *Paneitis*, & demum *Beneda*, *Wenedæque*, ex Sarmaticæ linguæ more natum ſit. Iudicent, quibus illa eſt lingua cognita. Nomen *SCLAVORVM*, quam ſit antiquum; non conſtat. Ante tempora PROCOPII & IORNANDIS nullus eius nominis auctor meminit. Sed in Sarmatia illud nomen iam geſſiſſe Venedos, IORNANDES *de Rebus Geticis* docet. *Dacia*, inquit, *eſt ad coronæ ſpeciem arduis Alpibus emunita: iuxta quorum ſiniſtrum latus, quod in aquilonem vergit, & ab ortu Viſtulæ fluminis per immenſa ſpatia venit, Winidarum natio populoſa conſedit. Quorum nomina, licet nunc per varias familias & loca mutentur, principaliter tamen Sclauini & Antes nominantur. Sclauini a Ciuitate noua, & Sclauino*

Vniuersarum Slauicarum in Germania regionum fines.

Germania media initia.

II. Quibus in Germania finibus nostri Venedi, siue Slaui, sexto seculo contenti sint, non ex historia liquere, diximus. Probabilis coniectura, cuius ante meminimus, suadet tamen, non pauciores iis illo æuo sedes tribuere, quam quas postea insederunt: cum sane tum maxime res eorum essent validæ, optimaque suppetiisset occasio, omnes trans Albim regiones occupandi. Quodsi probatur sententia, contra *septentriones* Sueuicum mare Slauos alluit; *ad ortum* ad Vistulam, veteris Germaniæ terminum, vbique pertigerunt; *ad occasum* Albis, præter exiguam inferioris ripæ partem, quam Transalbini Saxones tenuerunt, porro Sala, qua cum Albi confluit, & sinistrum Bohemici saltus iugique latus eos finiit: *Ad meridiem* altera Hercynii montium iugi parte, & Danubio

Rummunense, & lacu, qui adpellatur Musianus, vsque ad Danastrum & in Boream Viscla tenus, commorantur: hi paludes siluasque pro ciuitatibus habent. Antes vero, qui sunt eorum fortissimi, qui ad Ponticum mare curuantur, a Danastro extenduntur vsque ad Danubium: quæ flumina multis mansionibus ab inuicem distant. IDEM deinde ait; *Hi* (Veneti) *vt initio expositionis vel catalogo gentis dicere cœpimus, ab vna stirpe exorti tria nunc nomina reddidere, id est Veneti, Antes, Sclaui: qui, quamuis nunc ita facientibus peccatis nostris vbique deseuiunt, tamen tunc omnes Hermannici imperiis seruiere.* PROCOPIVS *de Bell. Goth. Lib. I.* Sclauorum in exercitu Belisarii militantium mentionem facit: nihil vltra de eorum sedibus. PRÆTORIVS *in Orbe Gothico Lib. II. Cap. I. Num. II.* plures nominis interpretationes affert, sed eam cum pluribus probat, quæ a *Slaua*, Sarmatica voce, quæ *famam gloriamque* notat, *Slauos* adpellatos esse constituit: vnde rectior videtur *Slauorum* vox esse, quam *Sclauorum*. SCHVRTZFLEISCHIVS *in erudita de Sclauicis rebus disceptatione*, tunc præcipue Sclauorum nomen affectatum putat, cum Vandali Græcis essent armis debellati. Verum vt ipsi fortassis *Venedi* libentius *Slauorum* nomine audierint, ita in nostrarum rerum scriptoribus fere promiscuus vocabulorum vsus reperitur, vt modo *Slauos, Sclauos, Sclauinos*, modo *Winidos, Venedos*que, nationem illam vocent. Hodie omnium vsu percrebuit, vt infimos seruos *Slauos* nuncupemus. Sic Galli, Italique, & aliæ nationes, consueuere Slauorum vti vocabulo. OLAVS RVDBECK *Atlant. Cap. XXIV.* ipsam vocabuli eam potestatem contendit esse, vt *infimum seruum* notet: sed is frustra est: quis credat enim tam ignominiosum nomen nobilem nationem voluisse sumere? Nos veram vsus originem indicauimus. Coniecturas de primis Slauorum in Germania sedibus paulo ante dedimus.

Slaui. Danubio deinde flumine, fuere contenti. Finium horum vniuerſorum probationes a populis accipimus, qui ſunt in Slauis relati, & iſtis limitibus deſcripti. Quibus ipſi Slauorum populi inter ſe finibus fuerint complexi, indicare velle, prorſus videtur eſſe temerarium. Aegre oſtenduntur terrarum tractus, quibus inſedere, aut flumina, quæ adcoluere: reliquos terminos, qui deſignauerit, futurus eſt, arbitror, nemo. Accepere autem dubio procul omnia cognomenta, quibus ſingulæ ciuitates diſcretæ fuerunt, in ipſa Germania. Pleraque aut a ſedibus, quas nouas occuparunt, aut ab amnibus, quos obſederunt, idque maxime, & plerumque, deſumta eſſe conſtat; vt illa Behemorum, Maharenſium, Hauellorum, Dalemінciorum, Redariorum, Vchrorum, & plura alia. Sit, aut iam ante Slauorum aduentum amnes illa nomina habuerint, accoliſque Slauis ſua impertierint; aut contra acceperint adpellationes a Slauis accolis, qui aliunde inuenerint vocabula: tantundem nobis id eſt, cum ſane ex amnium reliquis nominibus de populorum ſedibus coniectationem nemo valde vituperaturus ſit, ſiue prius, ſiue poſterius, adfirmauerit. Quæ cum amnibus, aut cum priſcarum ſedium notis, non conueniunt Slauorum nomina: vnde alioqui capta ſint, noſtra parum intereſt ambitione perueſtigare.

Ratio ſingularium Slauorum cognomentorum.

III. Non tædet autem ratione nominum, quibus mox, quantum licebit, ſedes certas adſignabimus, paulo euagari, & quæ duce illa opinione, quaſi in amnibus nominum maxime ſint notæ quærendæ, inuenimus, enarrare. *MAHARENSES* a *Muro*, poſtea *Mabaro* dicto, quod eſt manifeſtum, adpellati ſunt. *POLONOS*, licet plerumque putent, a plana terra, quam habitant, quaſi *Poleckos* vocatos eſſe; malim ego nomen ab amne accipere, qui per medios Polonorum, antiquoſque Ligiorum, fines lunato curſu in Viſtulam excurrit, & *Pileza* vocatur, fortaſſis antiquius *Poleza*. *DALEMINCIOS* arbitror notare amnes *Caminizi*,

Multarum Slauicarum ciuitatum adpellationes ex amnium nominibus illuſtrantur.

qui Muldæ, aut *Doellniz*, quasi *Daleminiz*, qui Albi suas aquas in ea regione adfundit, quam veteres Dalemincii habitarunt. *HAVELLI* sine dubio ab *Hauella* fluuio dicti sunt: nec dubito *VCHROS* ab *Vcker* amne, qui in Viadri ostium excurrit, compellare. *REDARIOS* fortassis *Reder* amnis, qui a dextra Albi adfunditur, nomine donauit. Quod tamen ad maritimam oram Redarii vulgo ponuntur, nescio, an ab illo amne ad inferiora descendisse putandi sint? *MILCENI* putantur a *Milde* amne, qui a sinistra suis aquis Albim auget, cognominati fuisse: sic & commode Behemis vicini potuerunt dici. *LINI* probabilius, opinor, nomen ab amne *Ihne*, qui Viadri aquas suis auget, accepere; quam a *Leine* amne, qui in Alleram, & cum eo in Visurgim, excurrit. *WILZORVM* gens cis Viadrum in finibus amnem *Wilse* habuit: cuius nomen manifeste gentem refert. *POLABI*, vt describuntur, binos amnes, *Aw* dictos, in finibus habuerunt; vnde credibile, quasi *accolas Aw* amnium, *Polabos* in Sarmatica lingua dictos esse. *RVGIANOS* a *RVGEN* insula, de cuius nomine est alibi dictum, vt *BEHEMOS* a *Boiohæmo* regione, compellatos esse, facile crediderim. Cum sit autem alterum Rugianorum nomen, illud *RANORVM*, iidemque continentem propinquam insulæ habitasse feruntur; non dubito *Ranorum* vocabulum ab amne *Randau*, qui in ostia Viadri cum Vker flumine vno irruit alueo, repetere. De *Obotritis*, *Wagriis*, aliisque nominibus, nihil habeo dicere: & satis pro curiositate de Slauorum adpellationibus dictum est.

Germaniæ mediæ initia.

Definiuntur sedes Slauicarum gentium. Behemi.

IV. De sedibus eorum distinctis, quibus in vniuersum definitas regiones inter Albim, Salamque, & Vistulam, mare, atque Danubium, diuisas habuerunt, ex modo instituti pauca addimus. *BEHEMI*, siue *Behemanni*, incinctos Hercyniæ siluæ campos, vt ante eos Marcomanni, & antiquius Boii, insederunt: cum prisco iam nomine regio, *Boiohæ-*

Slaui. *iobœmum*, vocata ſit. Ad auſtrum fortaſſis ad Danubium fluuium prope Maharenſes pertigerunt; vt ad occidentem vero Boioariis, qui etiam trans Danubium egerunt, locum reliquerint. Ceteros Behemorum limites, ſaltusque, monteſque, dederunt. Prope eos ad ortum *MAHARENSES*, *Maharenſes.* qui & *Maruani* ſunt, ex vtraque Mari, ſiue Mahari, amnis ripa coluerunt: & amplitudinis ipſorum fidum eſt argumentum, quod potens quondam Maharenſium regnum plerique reliquorum Slauorum comiter venerati ſunt. Ipſum Behemorum florem non niſi Maharenſium regni clades dedit. Infra Bohemos cis Albim *SORABI* occurſarunt; *Sorabi.* quibus diſerte fida rerum monumenta campos inter Albim & Salam interiacentes adſcripſere. Magna natio plures non minoris claritatis pagos ſub ſe comprehendiſſe legitur. Certe *Dalemincii*, ad Albim, vbi amnis Doellniz eſt, ad amnem vsque Caminiz, regionis optimæ incolæ, in Sorabis referuntur: nec minus *Chutici*, e latere Daleminciorum, inter Elſteram, & Mildam, ſeu Muldam, ſita ciuitas. *Sraborum* nomen non coniicio, niſi *Bare* amnis in illis finibus monſtrauerit eius veſtigium. Cis Salam ad Viſurgim vsque aliquando Slauos coluiſſe, boni auctores memorant. Sed, cum addunt, a Saxonibus mox pulſos eſſe & profligatos, malo de excurſionibus potius interpretari, quam certis ſedibus. At fortaſſis tamen, licet id iudicare ante dubitauerim, ex ſedibus temporariis ad *Leinam*, & ad *Ockeram*, amnes, qui cum Allera, quem ſuis aquis augent, in Viſurgim profluunt, *Lini* acceperunt nomen cum *Vcbris*; & inde deinceps trans Albim fugati in nouis ſedibus diuerſis fluentis conſonantia dedere nomina. Vt ad Sorabos redeamus, *Milceni* eorum confines proxime Behemos fuiſſe videntur. Certe cum Behemis eos Ditmarus coniungit; quod magis commode non intelligitur, quam ſi cis Mildæ fluuii confinia dederis. Alii partem Sraborum Milcenos etiam eſſe cupiunt, ſed trans

Albim tamen eos ad Spream amnem locant; vt adeo, Soraborum nomen latiſſime patuiſſe, ſit neceſſe. Diuerſi *Luticios* in Luſatia, quam Milzenis multos diximus tribuere, poſuerunt; ſed cum pago *Lucizorum*, cui vtique Luſatia videtur deberi, Luticios illi confundunt; quos ad vtramque Viadri ripam magis quærere conuenit (*i*). *Germaniæ mediæ initia.* Lucizi.

V. Trans

(*i*) Inuentionem veræ notationis nominum plerarumque Slauicarum ciuitatum bonam partem eleganti Germaniæ *Hydrographiæ*, quam *Clariſſimus* PHIL. HENRICVS ZOLLMANNVS nuper edidit, debeo. Hac tabula cum bonis auctoribus comparata, facile in ſedibus, quas hi indicant, ex illa notas deprehendi, quæ certiorem potuere notitiam inſtruere. Iam de ſingulis populis vnum alterumue audiemus ſcriptorem, qui regiones indicet: quo vetuſtiorem, eo & gratiorem. *BEHEMOS* ſine addita regionis nota ſcriptores memorant, quia nemini non Boiohœmum eſt cognita. *Annales* CAROLI M. *ad Ann.* IↃCCCV. *Cacanus, princeps Hunnorum, propter calamitatem populi ſui imperatorem adiit, poſtulans, ſibi locum dari ad habitandum inter Sabariam & Carnuntum, quia propter infeſtationem Slauorum, qui Behemanni vocantur, in priſtinis ſedibus eſſe non poterant.* - - - *Eodem anno miſit* (imperator) *exercitum ſuum cum filio ſuo Carolo in terram Sclauorum, qua Beheim vocatur, qui omnem illorum patriam depopulatus, ducem eorum nomine Lechonem occidit.* Bohœmos & Bohemos adpellant EGINHARDVS *in Vita Caroli* & POETA *Ann. Caroli M. Lib. IV. Verſ. 164.* Hic ita canit;

Natio Sclauorum ſtudio ſatis aſpera belli,
Quos Bohemos vocitant, in ſe leuitate procaci
Irritans Francos, Caroli commouerat iram.
Quos contra miſſus multis cum millibus eius
Natus & æquiuocus bellum virtute ſagaci
Commiſit, celeri victor quod fine peregit.

De *MAHARENSIBVS* REGINO PRVMIENSIS *Lib. II. ad Ann.* IↃCCCXC. *Arnolphus*, inquit, *conceſſit Zundebolch, Maharenſium Sclauorum regi, ducatum Bohemenſium, qui hactenus principem ſuæ cognationis ac gentis ſuper ſe habuerunt, Francorumque regibus fidelitatem promiſſam inuiolato fœdere conſeruauerant. Quæ res non modicum diſcordiarum & defectionis præbuit incitamentum. nam & Bohemi a fidelitate diutius cuſtodita receſſerunt, & Zundebolch ex adiectione alterius regni vires non paruas ſibi acceſſiſſe ſentiens, faſtu ſuperbiæ inflatus contra Arnolphum rebellauit. Quod cum cognouiſſet Arnolphus, cum exercitu regnum Maharenſium ingreſſus cuncta, quæ extra vrbes reperit, ſolotenus demolitus eſt.* cetera. Conf. SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad Ann.* IↃCCCXLIIII. qui item *Maharenſes* vocat, & immiſſos ab Arnolpho Hungaros narrat; REGINO iterum *ad Ann.* IↃCCCXLIIII, vbi mortem

Slaui. V. Trans Albim *Reder* amnis *REDARIORVM*, siue *Rhetariorum* primas sedes videtur ostendere: vt adeo & ipsi, quippe Sorabis proximi, non ab horum genere alieni fuerint. Plures eos cis Viadrum, sed ostiis propinquum quærunt: vt nec iis repugnemus, sed migrationem quandam illo ab Albi susceptam intelligamus. Quippe in Slauicis rebus id mirari non Redarii.

Zundibolchi, & Maharensium regni ruinam docet. LVITHPRANDVS *Histor. Lib. I. Cap. V.* qui *Zwentebaldum Marauanorum ducem*; & ALBERTVS STADENSIS *ad Ann.* ↀCCCXC. qui *Zwendebaldum, Morauenorum regem*, vocat. *SORABI* in ANNALIBVS *Caroli* crebro describuntur. *Ad Annum* ↀCCLXXXII. *Regi allatum est, quod Sorabi Sclaui, qui campos inter Albim & Salam interiacentes incolunt, in fines Thuringorum & Saxonum, qui eis erant contermini, prædandi causa fuissent ingressi. Ad An.* ↀCCCVI *Imperator Carolum filium suum in terram Sclauorum, qui dicuntur Sorabi, & sedent super Albim fluuium, cum exercitu misit.* EGINHARDVS *in Vita Caroli Salam fluuium* memorat; addito, *qui Thuringos & Sorabos diuidit.* POETA *in Ann. Caroli M. Lib. II. Vers. 38. ad An.* ↀCCLXXXII.

Qui medias Sorabi terras camposque iacentes
Inhabitant inter fluuios: hinc voluitur amnis,
Qui Sala nomen habet, fluit Albia latior inde.

Minores pagi Slauorum, quos populi maiores complexi sunt, in Caroli & paulo succedente historia non occurrunt. *DALEMINCIOS* Henrici historia illustrauit. Reperio a DITMARO MERSEBVRGENSI *Lib. I.* sub initium dici *Dalemenci prouinciam ab Albi usque in Caminizi fluuium porrectam fuisse:* nec dissimulat, quod nos coniecimus, ab illo amne ipsum pagum denominatum fuisse. *CHVTICI* pagus ab eodem DITMARO laudatur, & non longe ab amne *Caminizi* abesse ostenditur. *MILCENI* a DITMARO, *dicto loco*, haud procul *Misni* vrbe, quam Henricus iuxta Albim condiderit, locantur: nam addit, *Ex ea* (vrbe præsidiis munita) *Milzenos suæ subactos ditioni censum persoluere coëgit.* Magis id mihi persuadet, prope *Mildam* amnem eos coluisse, Soraborumque partem fuisse. *LVCIZI* pagus memoratur a DITMARO *Lib. VII.* & ita describitur, vt *Lusatiæ*, seu potius *Luciziæ*, veteres incolas agnoscas. Præter hos, qui, quia trans Albim egerunt, non in Sorabis videntur numerandi, reliqui indubii fuerunt Soraborum pagi. Et si qui cis Salam Albimque coluerunt Sclaui, nec dubito, simul eos Sorabis, potenti nationi, dare. Cum Bohemis & Maruanis Sorabi in Orientales Sclauos relati sunt in ANNALIBVS *Ludouici Pii apud* REVBERVM *ad Ann.* ↀCCCXXII. *In quo conuentu* (in Franconofurt) *omnium orientalium Sclauorum, hoc est, Abotritorum, Soraborum, Vuilsorum, Behemannorum, Maruanorum, Prædenecentenorum, & in Pannonia residentium Auarum, legationes cum muneribus ad se missas excepit.*

non conuenit, in pluribus locis idem gentis nomen repe- *Gentis nomen migra-ta.* riri; cum & Germanorum instar crebras Slaui egerint migrationes, & fortassis diuersis locis quandoque insederint. A Slauorum, qui Lusatiam incoluerunt, quiue illi fuerint, Silenses. latere *Silensis* pagus, quem primus Ditmarus memorauit, quærendus est. Silesiæ, nobilissimæ regionis, nominis originem haud dubie in illo Silensi pago reperimus. Ab illo Poloni. pago ad ortum, & Vistulam, *POLONI*, quod nemo dubitat, a longo æuo habitarunt; soli Slauorum, quos hodie nostra non complectitur Germania. Porro inter Albim & Via- Hauelli. drum *HAVELLI* egerunt, in Hauellæ, Spreæque, fluminum tractu: in quo præcipuum etiam eorum castellum, *Brennaburgum*, Witichindus nominauit. Cum Hauellis *Vchros* ad aquilonem coniungo, vbi nominis hodieque crebra sunt vestigia. Prope Vchros a multis ad Viadrum *Redarios* quæri, iam ostensum est. *Tolentiorum* pagum alii non male ad occidentem Vchris continuarunt: nam & hodie amnis ibi *Tolentz*, & lacus *Tollensee*, visitur. Id probat vero, exiguas illa nomina, si Hauellos exceperis, referre ciuitates, cum in non magna regione vna omnia ponantur. Nam cum Tolentiis, & Redariis, reperio etiam *Kissinos* & *Recipanos*, quos *Panis* seu *Pene*, amnis ab illis diuidat. Imo, si nouo scriptori fides, non tam gentes singulares fuisse, quas hactenus post Hauellos in medium protulimus, quam pagos Wiltzi. modo maioris populi, satis constat. Nempe *WILTZI* fuere, sua lingua *Welatabi* dicti, & *Ludici*, & *Luitici*, qui cis Viadrum amnem maris tractum ad vsque Obotritos coluerunt; quos variis iterum nominibus, quæ attulimus, discretos fuisse, accipimus. Trans Viadrum Luiticos ponentes non magis errare putauerim; siquidem potens natio non amnis alueo de transitu fuerit prohibita; nec antiquiori æuo nomen gentis est, quæ a Viadro ad Vistulam coluerit: adde fluentorum nomina, *Miezel*, qui infra Vartam in Viadrum, &

Molzau,

Slaui. *Molzau*, qui cum Rega in mare excurrit, non videri infida sedium Wilzorum indicia. Ante etiam Wilzi, seu Willi prope Sorabos & Behemos egerint, vt recte potuerint *orientalium Slauorum* nomine compellari. Id rursus bono argumento, non iisdem in sedibus omne Slauici cuiusdam populi nomen semper reponendum esse (*k*).

VI. Quæ

(*k*) ***REDARIORVM*** nullam reperio in Carolingico æuo mentionem; bene Henrico imperante. DITMARVS MERSEBVRGENSIS *Lib. I. & VI.* eos inter, aut potius circa, Viadrum & Albim ad mare ponit, & vrbem *Riedegast in pago Redariorum* commemorat. VVITICHINDVS *Lib. I. Annal.* SIGEBERTVS GEMBLAC. *ad Ann.* IϽCCCCXXXI. grauissimum bellum ab iis cum Henrico rege administratum describit: in quo quod ducenta millia Redariorum militasse scribit, argumento id est, validissimam nationem Redarios fuisse. *Pagi Silensis* primus meminit DITMARVS MERSEBVRGENSIS *Lib. VII.* & addit, *Vocabulum hoc a quodam monte nimis excelso & grandi olim inditum esse.* Cuius nationis pagus fuerit; non liquet. Et *POLONOS* non reperio quam seriore ætate, cum bellis Sclauicis aperirentur, hoc nomine celebratos. Eorum latos fines ex antiqua fama reperio laudatos a GVNTHERO *Ligur. Lib. IV. apud* REVBERVM *pag. 361.*

Hos, vt fama tenet, populos a cardine primo
Solis, & æstiuo Phœbææ Lampadis ortu,
Vistula præcingens torrentibus alligat vndis:
Et quæ fumantem mergi videt æquore Phœbum
Hanc rapido cursu prælabitur Odera partem:
Quod latus imbriferos telluris respicit Austros,
Rura Boëmerum siluis horrenda vetustis,
Tangit, ab arctoa Scythici maris æstuat ora
Fluctus, & indomiti sedem posuere Rutheni.
Hæc regio Sclauos complectitur atque Polonos.

Paulo post canit;

Odera Germanos, quæ separat atque Polonos.

Mea coniectura est, plures Sclauicas ciuitates, quæ ante propriis nominibus fuere cognitæ, inde in *Polonorum* nomen transiuisse. ***HAVELLI*** a VVITICHINDO *Ann. Lib. I.* & a DITMARO *Lib. I.* in iis gentibus, quas Henricus perdomuit, numerantur. Antiquiorem eorum memoriam nondum reperi. Vrbs earum *Brennaburch*, quæ tum expugnata est, satis sedes indicat. Vid. SIGEBERTVS GEMBLACENSIS *ad An.* IϽCCCCXXV. Omnes, qui sequuntur Sclauorum pagi, serioris sunt ætatis. *VCHRI*, si sunt iidem cum *Vncranis*, magna clade ab Henrico prostrati leguntur apud REGINONEM *Contin. ad Ann.* IϽCCCCXXXIV. Habitarunt ad Vckeram amnem, fortassis in regione, cui hodieque nomen est *Vckermark.*

VI. Quæ maiores restant Slauicæ gentes, nam plura minorum pagorum nomina de industria hic dissimulamus silentio, ad mare fere quærendæ sunt. Trans Viadrum est incertum, quos Slauorum populos posuerimus. Tarda ætate *POMERANORVM*, & *CASSVBORVM*, nomina innotuere, omnemque maris oram a Viadro, & cis eum, ad Vistulam, sunt complexa. Vt est autem dubium, vnde, & quando demum noua sint orta nomina; ita magis ignorantur gentium, maris Sueuici in eo tractu accolarum, diuersæ & antiquiores adpellationes. Habetur in auctoribus *Wagriorum*, seu *Waigrorum* itemque *LINORVM*, seu *Lingonum*, non

Germaniæ media. Pomerani & Cassubi.

Tolentiorum, Kissinorum, Recipanorum, meminit HELMOLDVS *in Chron. Sclauorum* & KRANZIVS *in Wandalia Lib II Cap. XXI.* Fuerunt *WILTZORVM* pagi. Sic KRANTZIVS modo laudatus; *Sunt & alii,* inquit, *Wandalorum populi, qui intra Oderam & Albim degunt, longoque situ in austrum protendunt: sicut Heruli, vel Gueldi, qui Habelam fluuium & Doxam incolunt: Lembusi, & Winuli, Stoderani, cum multis aliis. Post Oderæ ergo leuem meatum, & varios Pomeranorum populos, ad occidentalem plagam occurrit Winulorum prouincia, eorum, qui Tolenzi, siue Retharii, dicuntur. Ciuitas eorum vulgatissima Rhetere, sedes idololatriæ. - - - - Deinde venitur ad Circipanos, siue Kissinos, quos a Tolenzis & Rhetris separat flumen Panis, & ciuitas Wineta. Kissini, & Recipani cis Panim: Tolenzi & Rheteri trans Panim habitant. Hos quatuor populos a fortitudine Wilsos, siue Luticios, adpellant. Vltra illos sunt Lingones & Wernaui, hos sequuntur Obotriti: ciuitas eorum Mikilinborg. Inde versus nos Polabi: ciuitas eorum Racisborg, nunc Razeburgum. Inde transitur fluuius Trauena, in nostram Wagriensem prouinciam: quæ iam adpellatur Holsatia.* Licet noui auctoris verba, non tamen ea exscribere, quod illustrant nostrum argumentum, dedignati sumus. Maioris autem populi, cuius pagos memorauit KRANZIVS, memoria in Caroli æuum incidit. ANNALES *Caroli ad Ann.* IↃCCXXXIX. *Natio quædam Sclauorum est in Germania, sedens super littus oceani, qui propria lingua Welatabi, Francica autem Wilzi vocantur.* Contra hos Carolus, binis pontibus constructis Albim transgressus, tum fecit expeditionem, quæ describitur. Et EGINHARDVS *in Vita Caroli, His,* inquit, *motibus ita compositis, Sclauis, qui nostra consuetudine Wilsi, proprie vero, hoc est, sua lingua, Welatabi dicuntur, illatum est bellum.* POETA *in Ann. Caroli Lib. II. vers. 432.* eandem Caroli expeditionem describit. De VVilzis hæc dicit:

Gens est Sclauorum Wilci cognomine dicta,
Proxima littoribus, quæ possidet arua supremis
Iungit vbi oceano proprios Germania fines.

Slaui. non prorsus inglorium nomen. Cum Linorum sedes non *Lini.* diserte nominantur, parum dubito, eos trans Viadrum locare, vbi amnis *Ibne* nomen occurit. *WAGRIOS* plerique trans Trauam amnem quærunt, vbi hodieque Wagriæ vocabulum regionem mansit: nec res caret multa fide. At fortassis tamen non inepte antiquiores *Wagrios* trans Viadrum quæsieris, vbi *Warta* amnis est; a quo forte parumper mutatis litteris, ipsam adpellationem adepti sunt. Transierint succedente ætate in ipsam Cimbricam chersonesum, nouasque ibi sedes occupauerint. Saltem nec sic Transuiadrina regio prorsus carebit probatis incolarum cognomentis. Cis Viadrum in Wilsis adhuc refero *Warnauos*, siue *Warrabos*, qui haud dubie a *Varna* amne instar veterum *Varinorum*, seu *Varnorum*, Vandalicæ ciuitatis, nominati sunt, & pars potentioris Wilsorum nationis fuerunt. Wilsorum regioni obiacens Rugia insula *Rugianos* habuit. Iidem Ru- *Rugiani.* giani etiam *Rani* adpellati sunt, & nostram de iis coniecturam supra protulimus in medium. Post Wilsos *OBO-* *Obotriti.* *TRITI* ad vsque Albim habitarunt. Hi *Obotriti*, seu *Abotriti*, ad orientem antea cum Behemis, & Maharensibus, coluerint; cum iis enim alicubi memorantur, & in orientalibus Slauis adnumerantur. Postea fatis incertis compulsi mutauerint sedes, & ad mare inter Viadrum Albimque migrauerint: in qua regione multam insignibus factis celebritatem adsequuti sunt. Extremi demum Slauorum trans Trauam, seu veterem Chalusum, contra septentriones *Wa-* *VVagrii.* *grii* consedere: cum qua sententia nostræ non minus conuenire opinioni, ante ostendimus. Non constat vero, quando Wagrii in Cimbricæ peninsulæ partem inuaserint? Sexto sane seculo iam in ea nostros egisse, verisimile parum videtur: antequam enim reliquam possessionem firmassent, non videntur in Saxonum antiquas terras Slaui inuasisse. Intulisse Wagrios suum nomen in nouam terram inde con-

iicio, quod nulla acceptæ in Wagria compellationis nota adpareat. Si recte ceteroquin iudico, seriore æuo *Obotritorum* excellentius nomen alterum *Wagriorum* simul comprehendit. Hoc enim dudum oblitterato prius Obotritorum semper in magna fama fuit (*l*). *Germania media interior.*

VII. Quas

(*l*) De nomine *POMERANORVM* magna inter eruditos lis est. Alii Henrici IV. ætate demum auditum esse nomen contendunt; alii remotiorem ætatem quærunt. Vid. CHRISTOPH. HARTKNOCH, qui *Pomeranicas origines* egregie exposuit. *LINOS* Caroli historia rursus nouit. POETA *in Rebus Caroli ad Ann.* IↃCCCVIII. *Lib. IV. Vers. 292.*

Sunt Sclaui quidam Lini cognomine dicti.
Hos contra genitore suo mittente profectus
Iunior est Carolus, cuius non Albia lata
Præpediebat iter, sed Francorum legiones,
Fluminis eiusdem traiecto gurgite, latis
Auspiciis Vsus, memoratos duxit in hostes,
Signaque gaudenti retulit Victricia patri.

ANNALES *Caroli ad eundem annum: Filius autem imperatoris Carolus Albim ponte iunxit, & exercitum, cui præerat, in Hilinones & Smeldingos, qui & ipsi ad Godefridum defecerant, celerrime transposuit, populatisque circumquaque eorum agris, transitoque iterum flumine, cum incolumi exercitu in Saxoniam se recepit.* Hic *Lini*, quos *Helinones* ANNALES vocant, diserte trans Albim ponuntur Caroli ætate. Meam ideoque coniecturam, qua *Linos* ad *Ibne* amnem quæsierim, non amplius desenderim, quam videri nomen amnis a populi quodam pago acceptum. *WAGRII* rursus pertinent ad seriorem ætatem. Contra meam nihil valde est coniecturam. Incertum vero, an *Wagriæ* demum nomen intulerint, an ibi acceperint? In *Excerptis ex Historia* GODESCHALCI *in Ill.* LEIBNITZII *Collectione Script. Brunsuicensium pag. 874.* de VVagria dicitur: *quæ est pars terræ Slauorum, quam Teutones Slauis eiectis possident.* Qui sequuntur, *Warnaui, Rugiani, seu Rani*, in HELMOLDI *Chronico* non raro occurrunt. *ABOTRITI* post Mabarenses antea ad orientem coluerunt. Sic diserte ANNALES *Ludouici pii ad Ann.* IↃCCCXXIV. *Ceterum legatos Abotritorum, qui Vulgo Pradenecenti Vocantur, & contermini Bulgaris Daciam Danubio adiacentem incolunt, qui & ipsi aduentare nuntiabantur, illico Venire permisit.* Quoniam autem iam Caroli æuo Abotriti ad inferiorem monstrantur Albim, inde coniectura est, iam ante illam ætatem partem huc ad Albim migrasse, potiorem nationem priscis resedisse in sedibus. His ad orientem nomen *Pradenecentenorum* maxime datum; nostris ad Albim proprium *Abotritorum*, siue *Obotritorum*: vnde ad An. IↃCCCXXIII. in iisdem ANNALIBVS videris vtraque nomina separatim posita. Nostri Abotriti amici Francorum fuere, & cum iis aduersus Saxones, Danosque, imo

Slaui. VII. Quas vidimus Slauicæ ciuitates, omnes vnius generis, Sarmatici inquam, fuisse, manifesto liquet. Cum omnes primum Venedi, quod proprium populi in Sarmatia cognomentum fuit, nuncuparentur; inde primum ciuitatum singularia adnomina, & demum pagorum omnino peculiaria vocabula, in Germania nata sunt. An autem sexto iam seculo omnia cognita fuerint; & an sedes ciuitatum eodem tempore ita prorsus dispertitæ fuerint, vt modo eas vidimus? nunquam ego plane adseruerim. Verum, aut prætermittenda a nobis erat Slauorum commemoratio; aut, quod sexti seculi scriptores nihil, quod nos iuuet, adferant, ex succedente æuo, eiusque memoria, iudicium ad antiquius retrahendum fuit. De statu atque conditione Slauorum idem prope, ac de vetustis Germanicis ciuitatibus, habemus dicere. Pleræque ciuitates, nisi quæ forte in clientela potentiorum nationum erant; singularia iura, singularem suam libertatem, atque rem ceteram, habuerunt. Hoc vnum, quod fœderibus se firmare, atque communem gerere causam, nescirent, oppressionis Slauorum, quam succedentia secula viderunt, præcipua causa exstitit. Sane Germani etiam calamitatem imminentem nunquam effugissent, nisi coiuissent, integra adhuc re, communis contra Romanos belli, stabilisque fideï, certas societates. His floruit Germana res, & ad eam adscendit potentiam, quæ ipsi summo orbis imperio fatalem cladem attulit. Non æmulati Slaui Germanorum solertiam, stulte nimium obseruatæ libertatis suæ

Ex sequentis æui memoria sexti seculi historia non male illustratur.

Iura Slauorum publica.

Ddd ddd 3 grauissi-

aduersus ipsos Sclauos, bellarunt. ANNALES *Caroli ad An.* ↄↄCCXCVIII. *Transalbiani* (Saxones) *qui Nordmanni vocantur, - - - arreptis armis contra Abotritos Francorum auxiliares & socios proficiscuntur.* Inde ob merita gentis ampliorem iis Carolus ipse regionem dedit. Iidem ANNALES *ad An.* ↄↄCCCIV. *Imperator Aquisgrani hiemauit, æstate autem in Saxoniam ducto exercitu, omnes, qui trans Albim & in Wihmuodi habitabant, Saxones cum mulieribus & infantibus transtulit in Franciam, & pagos Transalbianos Abotritis dedit.* Clarissimam Abotritorum seriore æuo partam famam non moramur.

grauiſſimas demum dedere pœnas. Qua igitur inſociabiles gentes, diuerſis, variisque, modis regnatæ ſunt. Quædam ciuitates habuerunt reges; ſi iis recte regium datur nomen, quibus regia poteſtas prorſus negata eſt. Aliis gentibus præfuere duces, credo, veterum Germanorum more, ex virtute ſumti. In diuerſis nationibus ſacerdotibus omnis honor fuit, vt ipſi regerent, publicamque rem, quaſi Deo mandante, moderarentur. Et ſacerdotum ſumma veneratio in omnibus quidem Slauis viſa eſt, vt maximi ſacerdotis prope ſemper maior eſſet, quam regis, auctoritas: maxime tamen Rugiani deuoto ſacerdotibus præ reliquis, animo fuiſſe, leguntur. Sorabi, cum Redariis, & aliis minoribus ciuitatibus, duces habuerunt. Behemorum etiam magis duces, quam reges, celebrantur: maxime creſcente Germanici imperii maieſtate, quam dedecere videbatur, regium nomen permittere ſtipendiariæ prouinciæ. Regium nomen in Maharenſibus, & Wilſis, & Wagriis, & Obotritis frequentatum eſt: vt parum vero, quod diximus, indomitæ libertati adſuetæ gentes regis titulo poteſtatis reliquerint, aut conceſſerint. Filiorum in patrias dignitates ſucceſſio paſſim adprobata; non ſemper tamen, nec in omnibus ciuitatibus. Quæ nationes, vt hoc ex ſuccedentium ſeculorum hiſtoria adiiciamus, ad clientelam Germanorum, & ad ſanctæ doctrinæ communionem, citius tranſiuerunt, ſuis relictæ ſunt iuribus, ſuæque libertati. Quæ diutius maieſtati ſurgentis imperii, & veritatis curſui, repugnarunt, grauiſſimis primum bellis adflicti, mox in duram ſeruitutem, poſtquam extremum eſſent perdomiti, ſunt traditi (*m*).

Germania media pr-tia.

IIX. Alter

(*m*) *SCLAVORVM* ſtatus publicus ex teſtimoniis auctorum, quæ vidimus, aliquantum adparuit. *Maharenſium* rex fuit ad Arnulphum vsque, quo imperante regnum deſtructum eſt. *Bohæmorum* ſeu *Behemorum*, duces laudantur. *Wilzorum reguli* adpellantur in ANNALIBVS *Caroli ad Ann.* IↃCCLXXXIX. Controuerſia de regno in VVilzis inter duos fratres, quorum ſeniore exauctorato iuniori regnum commiſerunt VVilzi, in con-

Saxones.

Saxonia sexti seculi indicatur:

IIX. Alter mediæ Germaniæ populus,

SAXONES,

ab orientis parte in occidentem mouentibus nobis occursant. In ipso opere nostro copiose, & abundanter, de Saxonum nomine, de nati fœderis, crebrarumque Saxoniæ vicissitudinum, rationibus diximus; vt ludere videremur operam, si hoc loco ea omnia repeteremus. Quæ vana autem commenta de Saxonum, cum quibus Francorum etiam causam commode coniungimus, origine superiora secula passim accepere, & iam silentio transmittimus, vt supra fecimus: hoc argumentum quantum videbitur e re fore, tunc pertractaturi, quando de originibus nostræ nationis inquiremus. Vna itaque nos hic cura manet, explorare, vt sexto seculo, & paulo postea, *Saxones* in Germania egerint? quibus finibus? quibus nominibus? qua demum conditione? Et primum quidem inter omnes constat, Saxoniam, quondam maritimam, post celeberrimam in Britanniam nauigationem, cœpisse in mediterranea declinare, & Frisio nomini iam prope a Saxonico separato, illis terrarum oris cedere. *Mediterranea* hæc *Saxonia* magis inter Visurgim, & Rhenum, postquam in Galliam Francia transgressa esset; minus inter Albim, & Visurgim, stetit. Primo enim adhuc tempore *Thuringi* magis inter Albim, & Visurgim, valuere; vt tamen nec prorsus *Saxoniæ* suæ deessent regiones, nec *Thuringia* diutius suam ditionem tueretur, quam libertatem: qua perdita, & prostrata, Saxonia non minus integros, Visurgim, Albimque, amnes rursus habuit, quam ante Rhenum habuerat, atque Visurgim. Eodem

uentu Francofurtensi disceptata, in ANNALIBVS *Ludouici ad An.* IↃCCCXXXIII. describitur. Abotritorum modo reges, modo duces, nominantur. Perpetua autem ciuilia bella, quibus Sclaui quasi furentes suas ipsi vires destruxerunt, magno Germaniæ solatio, & Caroli, & postera, vidit ætas. Singulares causas, quarum meminit nostra commentatio; HELMOLDVS & ALB. KRANTZIVS suppeditant.

Eodem æuo seruauit etiam Saxonia quasdam trans Albim partes; quot scilicet se contra ingruentem Slauorum vim potuerant defendere. Hæc *SAXONIAE* trans Albim pars, *NORDALBINGIA* nuncupata, *Transalbianos Saxones*, qui dicti sunt, habuit. *Prior Saxonia*, nempe quam nos hic primo nominauimus loco, quæque in locum propriæ Franciæ successerat, præcipuo *Saxoniæ* nomine, Angli *veterem & antiquam* dixere, compellata est. *Posterior Saxonia*, quæ præsertim nostro æuo, ad quod hic contuemur, ex Thuringici regni ruina creuit, non minus *Saxoniæ* nomine, sed tamen ante Caroli Magni ætatem rarius, notata est. *OCCIDENTALIS* atque *ORIENTALIS SAXONIAE* vocabula vtramque regionem postea distinxerunt. Nos quidem, vt hoc non dissimulemus, prius supra Saxonum nomen inter Albim, & Visurgim, quam cis Visurgim, & prope Rhenum, vidimus; adeoque primos mediterraneorum populorum, Cheruscos, in Saxonum commune fœdus adscitos esse, contendimus. Sed mox variasse Saxoniæ fines, & regiones, &, vt Saxones inter Albim & Visurgim durarent, magis tamen Thuringorum in illo tractu potentiam, atque nomen, præualuisse, veram contra Saxoniam maxime cis Visurgim tunc constitisse; nobis miras Germaniæ regionum, atque populorum, vicissitudines hactenus cernere adsuetis, minime mirum videri debet.

Germania media initia.

eademque definitur.

IX. Vniuerse & generatim visa Saxonia iam definienda erat; & operam perquam libenter negotio isti insumeremus: modo seculi nostri ignorantia non tot obiiceret difficultates, voluntasque adeo nostra bonum successum desperaret. Vt saltem tentetur negotium, primum *Transalbinos*, mox *Cisalbinos*, Saxones dispiciemus. Quam illi prope Slauos longe lateque vicinum Albi terrarum tractum incoluerint; nemo de nostro seculo satis nouerit. Quod nomen

Saxonia Transalbina seu Nordalbingia.

Saxones. nomen habetur *NORDALBINGIAE*, ab Albi flumine aduersus septentriones eos habitasse, clare patet. An ad Eidoram vsque protentas sedes, vtrum modo ad Stoeram flumen vsque, habuerint? non liquet. Sunt quidem auctores, qui diserte in Saxonibus *Stormarios*, *Holsatos*, & *Ditmarsios*, numerarunt. Si harum ciuitatum hodiernos respicimus fines, tantamque earum probamus antiquitatem, vtique iam sexto seculo *Eidora* Germaniæ ad aquilonem finis fuit; de quo nos antea dubitauimus. At vero sunt illa nomina nulli antiquiorum scriptorum cognita: seriore etiam æuo putantur suos agros magis contra Danos prolatasse Saxones; ante magis in tractu Albis e latere Slauorum habitasse, quam ad maria. Quæ cum sint ita, saltem anceps hæreo, nec mihi persuadeo satis, Transalbinam Saxoniam, maxime Britannica nauigatione exhaustam, ad vsque Eidoram medio ineunte æuo pertigisse. Quam ad Albim late ad orientem, & ad austrum, pertinuerint iidem *Transalbini Saxones?* quos hoc loco fines habuerint? non magis quisquam explicare est aptus. Ex Slauorum sane, quod nemo dubitat, latere hic egere, & a Slauis crebro pulsi, & cis Albim migrare coacti sunt: nihil vero id ad finium notitiam pertinet. Mea coniectura est, non facile Transalbinos Saxones supra *Elde* amnis confluentem, a quo Albis ad austrum vergit, coluisse; cum occurrant eorum nomina *Osterfalorum* & *Westerfalorum:* quæ testari videntur, qua Albis ad orientem ab occidente procurrat, dextram eius ripam ita a Saxonibus obsessam fuisse, vt pars ad oceanum & occidentem, pars ad Sueuicum mare, & orientem, quod nomina satis indicant vetera, nulla ad austrum pars, prospexerint. Hoc adiicimus, ex superioribus ad Albim agris Saxones, a Slauis expulsos, videri in Cimbricam chersonesum magis demum penetrasse. Et in hac vero regione non prorsus ab iniuria tutos fuisse, id testatur, quod

Wagrii Slaui simul in peninsulam inuaserunt, & quod omnis hæc terra subinde, prorsus prætermissis Saxonibus, in Slauorum ditionem est imputata (*n*). *Germaniæ mediæ notitia.*

X. Omissis,

(*n*) *TRANSALBINORVM*, siue ex medii æui scribendi more, *TRANSALBIANORVM SAXONVM* nomen perpetuo in ANNALIBVS *Caroli*, quos ASTRONOMO cuidam tribuunt, reperitur. *Nordalbingorum* etiam crebro in auctoribus mentio fit. Bene eos PORTA *in Annal. Caroli M. ad Annum* IↃCCXCVIII. describit:

Veris in initio facinus commiserat atrox
Saxonum populus quidam, quos claudit ab austro
Albia sciunctum positos Aquilonis ad axem.
Hos Northalbingos patrio sermone vocamus.

Dicuntur omnino *NORDMANNI* in ANNALIBVS *ad eundem annum*: *Saxones Transalbiani occasionem nacti legatos regis, qui ad eos ob iustitias faciendas missi erant, comprehensos interficiunt. - - - - Transalbiani autem, qui Nordmanni vocantur, superbia elati, eo quod legatos regis impune occidere potuerunt, arreptis armis contra Abotritos, Francorum auxiliares & socios, proficiscuntur.* Me id fere docet, *Normannorum* nomen sexto sequentibusque seculis non prorsus a *Saxonibus* fuisse alienum, nedum solis Sueonibus id a quibusdam recte tribuatur. Nomen *Nordluidorum* idem est, quod *Nordmannorum*; vtrumque a septentrionali plaga acceptum. ASTRONOMI *Annales Caroli ad An.* IↃCCXCIX. *Saxones de Nordluidis.* VITA *Caroli M. apud* PITHOEVM. *In ipso quoque Paschæ tempore Nordluidi, trans Albiam sedentes, seditione commota, legatos eius occiderunt.* REGINO PRVMIENSIS *ad Ann.* IↃCCLXXX. multi de Nordlindis baptizati sunt. IDEM *ad Ann.* IↃCCXCVIII. *Nordiueli*, ait, *trans Albim sedentes, seditione commota legatos regios, qui tunc ad iustitias faciendas apud eos conuersabantur, comprehenderunt.* Mox; *Norsliudi contra Tranaschonem, ducem Abotritorum, & Helbruinum legatum regis, commisso prælio, victi sunt.* *NORDALBINGIAE* tres populi fuisse leguntur. DITMARVS MERSEBVRGENSIS *Chron. Lib. II. Thietmarsgoos, Olcetas*, & *Sturmaros*, adpellat; HELMOLDVS *in Chron. Sclauorum Lib. I. Cap. XLVII. Sturmarios, Holsatos*, & *Dietmarsos*. Nominis *Osterfalorum* & *Westerfalorum*, in ipsis Transalbianis Saxonibus recepti, vestigia reperiuntur in ANNALIBVS *Caroli Magni ad Ann.* IↃCCCVIII. & IↃCCCXIII. Coniecturam meam, quod Transalbiani Saxones vix Albim videantur coluisse, quam ab ostiis ad Elde amnem confluentem, cerno plane probari ex TABVLIS, *quibus Carolus Magnus Verdensem episcopatum Anno* IↃCCLXXXVI. *instituit.* Fines illæ episcopatus Transalbinos, quibus sane soli Saxones insidebant, ita designant: *Dehinc trans Albiam, vbi Bilena mergitur in Albiam; dehinc in ortum Bilena: inde vbi Trauena absorbetur a mari: deinde vsque quo perueniatur, vbi Pene fluuius currit in mare Barbarum: inde in ortum eiusdem fluminis, hinc in Eldam, dehinc in Albiam.* Ex his autem ad Eldam amnem sedibus

Saxones. X. Omiſſis, quæ porro ex recentiore memoria *de* *Transalbina Saxonia* poterant dici, continuo *CISALBINAM* reſpicimus. Ea poteſt generatim accipi, qua ab Albi ad vſque Rhenum pertigit, ampliſſimisque finibus eſt contenta. Si ad ſextum ſeculum proprie contuemur, diuidenda eſt, vt cernatur ea, quæ eſt inter Albim & Viſurgim, & altera, quæ a Viſurgi prope ad Rhenum pertinet. Hanc *propriam Saxoniam* recte ſexto ſeculo dicimus; quo in locum propriæ *Franciæ* illa plene ſucceſſerat, primasque, quas quondam inter Albim, atque Viſurgim, occupauerat, mediterraneas regiones Thuringis magnam partem reliquerat. Quas ex quo, poſt grauiſſimam Thuringorum cladem, recepit, rurſus a Viſurgi ad Albim explicari, & antiqua ſpatia complecti cœpit: intuitu huius ſeculi pro *noua* vtique habenda *Saxonia*. Hæc igitur *inter Albim atque Viſurgim SAXONIA* diuerſos fines habuit, cum ſtaret adhuc Thuringorum regnum, & alios, poſtquam de-

Saxonia citerior.

Saxonia inter Albim & Viſurgim.

 ſtructum

partim expulſi ſunt a Sclauis Saxones, & coacti, ad inferiora concedere: partim a Carolo Magno abducti & in Franciam tranſlati ſunt: vt adeo ſolæ inferiores contra ſeptentrionem ſedes iis manſerint & permanſerint. Equidem reperio Ludouicum Pium permiſiſſe Saxonibus, vt rediſent ad priſtinas ſedes: nunquam tamen priſcus ad orientem eorum regionis limes videtur recuperatus eſſe. ANNALES *Caroli M. ad Ann.* IↃCCCIIII. *Imperator Aquisgrani hiemauit, æſtate autem in Saxoniam ducto exercitu, omnes, qui trans Albim & in Wihmuodi habitabant, Saxones cum mulieribus & infantibus tranſtulit in Franciam, & pagos Transalbianos Abotritis dedit.* TABVLAE *Ludouici Pii*, quibus Hamburgenſem Archiepiſcopatum conſtituit, apud LINDENBROGIVM. *Vnde, poſtquam terram Transalbinorum, laxata captiuitate, quam ob multam perfidiam in ipſis chriſtianitatis initiis patratam per ſeptennium paſſi ſunt, ne locus ille a barbaris inuaderetur, Exeberto comiti reſtituere præceperat. Poſtmodum vero captiuis optatam ad patriam vndique confluentibus eandem parochiam cuidam presbytero Herede nomine ſpecialiter commendauit.* Ceterum hanc noto diſtinctionem nonnunquam in ſcriptoribus obſeruari, vt *Transalbianos* potiſſimum adpellent ſuperiora ad Albim adcolentes; *Nordalbingos* & *Nordluidos* ad ſeptentrionem proſpicientes: plerumque tamen miſceri & confundi vocabula ſimul liquet. Transalbiani Saxones Francis Caroli demum bellis, ita vt memoria eorum celebrentur, aperti ſunt: ante nulla ſit illorum vſpiam mentio.

ſtructum eſſet. Donec Thuringorum floreret regnum, haud ita magna cis Albim exſtitit Saxonia; infra Alleram amnem ad Viſurgim, infraque Hauelæ confluentem ad Albim, conſtituta: fortaſſis etiam cis Ockeram amnem a dextro Viſurgis latere. Reliquas terras inter Albim & Viſurgim tunc adhuc *Thuringia* habuit; eiusque ea pars, quæ *ſeptentrionalis* adpellata eſt. Cum autem trans Vnſtrutum amnem, qui terminus erat, omnis Thuringia Saxoniæ tribueretur; quam hæc eximiis aucta ſit acceſſionibus, manifeſto patet. Nempe infra Vnſtrutum omnes terras deinde Saxonia habuit, quæ Salam Albimque ex vna parte, & ex altera Werram Viſurgimque, duobus nominibus notatum fluuium, interiacuerunt. Contra ſeptentriones hanc Saxoniam Friſiorum regio prætexuit: quæ quippe a Scalde ad Eidoram vsque eo æuo protenta fuiſſe creditur. Valde autem hic incertum eſt, imo prorſus ignoratur, quibus contra ſeptentrionem finibus a Friſiorum agro Saxonia fuerit diuiſa. De ſeriore ætate notamus, cum Friſiorum nomen coanguſtaretur, aut partim ad antiquius Saxonum nomen rediret; protentam hic eſſe ad vsque oceanum Saxoniam, & ſolo Albis alueo a Nordalbingia diuiſam (*o*).

Germania media intia.

XI. *Prior*

(*o*) Varia nomina *SAXONIAE*, ſed diuerſo tempore, diuerſoque reſpectu recte tribuuntur: quod alibi oſtendimus. Ea Saxonia, quæ in locum Franciæ ſucceſſit, recte dicta eſt *VETVS SAXONIA*; intuitu *nouæ Saxoniæ*, ſiue *Transmarinæ*, quæ in Britannia erat ſtabilita. Et *noua* deinde dici potuit *Saxonia*, quæ ex clade Thuringici regni inter Albim & Viſurgim creuerat: nam altera inter Viſurgim & Rhenum iam tum erat longe confirmatior. Nomen Saxoniæ vtrique citeriori Saxoniæ a Carolingicis ſcriptoribus promiſcue datur. ANNALES *Caroli ad Ann.* IↃCCXCVIII. *Quicquid Saxoniæ inter Albiam & Wiſram interiacet, totum ferro ac igne vaſtauit. Ad Ann.* IↃCCLXXXIX. *per Saxoniam iter agens, cum ad Albiam peruenisset, castris in ripa poſitis, amnem duobus pontibus iunxit.* De altera Saxonia vid. ANNALES *ad Ann.* IↃCCLXXVI. IↃCCLXXVII. & ſic porro, vbi in Saxonia amnes vrbesque nominantur, quæ inter Rhenum ſunt atque Viſurgim. Vtramque Saxoniam complectitur EGINHARDVS *in Vita Caroli*, dum dicit, eum etiam debellaſſe *Saxoniam, quæ quidem Germaniæ pars non modica eſt, & ad eam, quæ a Francis incolitur, latitudine du-*

nes. XI. *Prior inter Rhenum & Visurgim* SAXONIA nostro quidem, quod iam spectamus, æuo altera longe exstitit illustrior; at æque difficiliter, ac noua Saxonia, quam vocauimus, definitur. *Ad orientem* Visurgis certus limes fuit. *Ad occasum*, quibusdam in partibus Rhenus, in aliis Francorum confinium. Quippe infra Luppiam ipsum Rhenum attigisse Saxones creduntur; cis Luppiam, & Rubram, Francicum adhuc nomen stetisse veri est simile: siquidem non Ripariorum modo pagus confinia Rubræ amnis habuit, sed & Boructuarii, Franco-

Saxonia inter Visurgim & Rhenum.

pla putatur, cum longitudine possit esse consimilis. Scriptores Francicarum rerum ante Carolum gestarum, dum de Saxonia loquuntur, eam fere, quæ est inter Rhenum & Visurgim, intelligunt: nam cum vlterioribus Saxonibus rara adhuc bella Franci administrauerant. FREDEGARIVS *in Chron. Cap. CX. Pipinus rex*, inquit, *ira commotus, commoto omni exercitu Francorum, iterum Rheno transiecto in Saxoniam cum magno apparatu veniens, ibique eorum patriam maxime igne cremauit.* GEOGRAPHVS RAVENNAS, scriptor seculi septimi, Gothus, *Libr. IV. Geogr Num. XVII. flumina Saxoniæ* memorat *Lamazon*, (id est *Amasiam*) *Ipadum*, (*Pader* fluuium, vnde *Paderborn* vrbs dicta) *Lippam* (*Luppiam* amnem) *Linac*, (*Loganam*, die *Lohne*; aut magis fortassis amnem *Lenne* dictum, qui cum *Rubra* confluit, haud procul *Luppia*) quæ omnia flumina sunt inter Visurgim atque Rhenum. *Thuringiam* aute maximam regionis inter Rhenum & Visurgim partem occupasse, satis ex reliquo *Nordthuringiæ* nomine probatur; cuius & definitio nobis declarat, quæ priores trans Visurgim fuerint Saxonum sedes, & quot ex fuerint auctæ accessionibus. Et, quia GREGORIVS TVRONENSIS atque FREDEGARIVS nihil narrant de Saxonum auxiliis, Theodorico contra Thuringos submissis, dubitant quidem non multi de attributa a Francis Saxonibus regione: sed id fere frustra est. Nam, vt alteram litem mox infra disputemus, quocunque modo acquisierint Saxones agros, saltem inter nos constat, trans Vnstrutum in veteribus Thuringorum finibus deinde Saxones consedisse. Facit ad rem probandam fragmentum insigne, quod ex EGINHARDO nobis seruauit ADAMVS BREMENSIS *Lib. I. Histor. Eccl. Cap. IV.* vbi & ceteri huius Saxoniæ inter Albim & Visurgim limites ostenduntur. *Saxones*, ait, *a meridie Francos habere, & partem Thuringorum, quos præcedens hostilis turbo non tetigerit, alueoque fluminis Vnstrote dirimi, a septentrione vero Nordmannos, gentes ferocissimas, ab ortu solis Obotritos, & ab occasu Frisios.* ANNALES *Caroli Magni ad Annum* IↃCCLXXXIV. dicunt: *Ipse* (Carolus Imperator) *iter faciens per Thuringiam, venit in campestria Saxoniæ, quæ Albi atque Sala fluminibus adiacent: depopulatisque orientalium Saxonum agris, ac villis incensis, de Schoninge in Franciam regressus est.* De Frisia paulo dicemus postea.

Francorum fidi amici, ſuperiora habuerunt, adeoque ab ipſo Rheno Saxones prohibuerunt. Octauo quidem ſeculo a Saxonibus Boructuarii victi, & prope exciſi ſunt, vt tum pertigiſſe ad Rhenum Saxonia videri queat. Sed paulo poſt grauibus bellis Francicis Saxones adflicti non modo Boructuariis agris rurſus exciderunt; ſed & omni prope Rheno, munimentis Francicis tum firmato, ſunt excluſi: vnde incertus poëta occiduum Saxoniæ limitem æuo Caroli non vltra ſtatuit ipſum Rhenum, ſed, non longe terminum amne a Rheno diſtare, ait. Contra *ſeptentrionem* iterum a Friſiis hæc Saxonia eſt prætexta: vt autem non audeam certum Friſiorum & Saxonum limitem nominare. Trans Amiſium ſeriore æuo Saxones maris littora recuperarunt, cum quippe Friſii nominis amplitudo coarctaretur, & primum cis Viſurgim, demum cis Amiſiam reduceretur. De eo æuo recte Saxones maris tractum coluiſſe, qua Viſurgis & Albis oceano abluitur, in veteribus chronicis dicti ſunt. At *auſtrum* limitem certum difficillime quiſquam coniecerit, auctorum rem declarante nemine. Si ad Loganam amnem cum Rheno confluentem, & ad Dymel fluentum cum Viſurgi confluens, aut generatim ad montes, qui Haſſiam hodie cingunt, priſcum terminum protenderim, non admodum me errare putem. Non habeo tamen, cuius teſtimoniis rem poſſim diſerte probare. Et bellis, quæ inter Francos Saxonesque perpetuo geſta ſunt, plurimam finium mutationem ſubinde accidiſſe; quis valde adfirmare ambiget (*p*)?

Germania media initia.

XII. Qua-

(*p*) *FRANCORVM* trans Rhenum ſeruatam ditionem, in Ripariis, in Boructuariis; & deinde prolatam Clotarii, Dagoberti, Pipinique, regum armis, iam ſæpe vidimus. Dubie autem hic atque confuſe vix dicere non licet, cum obſcuræ ætatis, quam tractamus, rara ſuperet memoria. Et licet vero hic ex Caroli ætate, qua vere Saxonia eſt debellata, ad æuum antiquius referre iudicium, cum alioquin ſilentio pleraque transmittenda forent. Ita POETA *in Annal. Caroli Lib. I. Verſ. 25. ad Ann.* IↃCCLXXII. de finium incertis canit:

Saxonum proxima Francis
Adiacet ad Boream tellus: Vix limite certo

Saxonia. XII. Qualitercunque descriptæ Saxoniæ nomina sua adserere iam conuenit. Et, inquis, tunc ad sextum septimumue seculum modo respicere decreueras: quid aliena supponis isti ætati, distinctorum gentis nominum prorsus adhuc ignaræ? Enimuero tacendum fore, si ad vnum alterumue obscurorum istorum seculorum animum tantummodo attenderimus, iam ante monuimus. Ex sequente ætate coniecturas capere oportet, quibus priora tempora obscuriora illustremus. Licet & distincta nomina solo Carolingorum æuo auctores memorauerint, non est continuo demonstratum, non ante ea in vsu fuisse. Imo potius contendo, habuisse late diffusam Saxoniam vocabula, quibus pars a parte discreta fuerit: quippe docuit antiquum æuum, non consueuisse plures ciuitates vnis cognomentis promiscue in nostra Germania compellari. Sed quis inde adstruxerit, ignotis vocabu-

De Saxoniæ & Saxonum Germanicis nominibus inquiritur.

Diuisi gentis fines vtrimque cohærent.

Mox de Rheni confiniis *vers.* 48.

Westfalos vocitant in parte manentes
Occidua, quorum non longe terminus amne
A Rheno distat.

Visurgis fere Saxoniæ, quæ Francicis ante Carolum regibus tot formidines opposuit, finis fuit. Ad hunc fluuium vsque Clotarius rex progressus Saxones deuicit. *Vetus Appendix ad* MARCELLINI *Comitis Chronicon in Tomo I.* DU CHESNE: *Hlotarius ipse,* ait, *Saxones rebellantes iuxta Wiseram fluuium magna cæde domuit.* AIMOINUS *Lib. II. Cap. XXVII. Rex,* inquit, *in Saxones rectum iter direxit, qui assiduis excursionibus Francorum deuastabant fines. Quibus super Wiseram fluuium bello subactis, Thoringos quoque, eo quod Saxonibus auxilium tulissent, depopulatus est.* FRISIAE nomine coarctato SAXONIA ad mare monstratur. REGINO *Abbas Prumiensis ad Ann.* IↃCCCXCVII. *Expeditio facta est in Saxoniam, & vsque ad oceanum trans omnes paludes & inuia loca pertransit exercitus: & rex de Adulo hoc regressus, (hoc enim loco nomen, vbi oceanus Saxoniam alluit) tota Saxonum gente in deditionem per obsides accepta in Aquis palatium reuersus est.* Iam imo ANNALES *Caroli ad eundem annum* monstrant Saxoniam in maritima ora. *Saxoniam vastaturus intrauit.* (Rex Carolus) *Nec prius destitit, quam omnes terminos eius peragrasset: nam vsque ad vltimos fines eius, qua inter Albim & Wisiram oceano alluitur, accessit.* Nempe Carolus Frisiæ proprium nomen intra Visurgim redegerat; vt adeo, quæ extra foret, Saxoniæ rursus nomine compellarentur.

vocabulis olim Saxones vſos eſſe? cum, quæ ſuperant adpellationes, adeo ſint ſimplices facilisque vſus, vt ſinceriores, quales amauit antiquitas, non facile liceret reperire. Nempe, præter vnum *Angariorum*, ſeu *Angriuariorum*, vocabulum, cetera omnia ſitum regionis & plagam, oſtendunt, quam Saxonum vna alteraque natio incoluit: more id inter omnes potentiores Germanicos populos tunc recepto, vt regioni darent nomina ex cœli plagis; quod Francorum, Gothorum, Longobardorum, Saxonumque in Britannia exemplo, ſi foret opus, copioſe declarari poterat. Habemus itaque de Saxonum populo nomina *Nordalbingorum*, *Oſtfalorum*, & *Weſtfalorum*; omnia vere Germanica, magnamque antiquitatem ſpirantia, vocabula. NORDALBINGI dicti ſunt, quos etiam *Transalbinos* auctores nuncuparunt; viſi antea ad Albim, & in Cimbricæ cherſoneſi radice. Nuncupati iidem ſunt *Nordleuti*, ſiue *Nordliudi*, imo & quandoque *Nordmanni:* claro indicio, non niſi a ſeptentrionali cœli plaga nomen accepiſſe. Diſtinctos fuiſſe antiquiori æuo nominibus *Oſterfalorum*, & *Weſterfalorum*, nihil dubito: licet ipſæ adpellationes non ante Caroli tempus reperiantur. *Holſatorum*, ſeu *Holſingorum*, aut *Olcetarum*, *Ditmarſorum*, ſeu *Thietmarsgoorum*, & *Stormariorum*, ſeu *Sturmariorum*, vocabula cenſeo ad ſequens pertinere æuum: licet nec hic omnino rationes cernam, cur prorſus ab antiquo tempore excludi mereantur (*q*). Oſterfalorum & Weſterfalorum, nominum vim atque poteſtatem mox explicabimus.

Germania media initia.

Nordalbingi, Nordleudi.

XIII. Qui

(*q*) A cœli atque regionis plagis plerique Germaniæ populi nomina ſumſerunt. Nota eſt Francorum diſtinctio in *Auſtraſios* atque *Neuſtraſios*. Longobardi in Italia quasdam ditionis ſuæ partes non minus a ſitu *Auſtriam* & *Neuſtriam* dixere, ſuo Tuſciæ nomine relicto: quod veteres LONGOBARDORVM *leges*, & PAVLVS *in rebus geſtis Longobardorum*, docent. Gothi antiqua iam ætate in *Veſigothos* & *Oſtrogothos* diuiſi fuere. Saxones in Britannia regna quædam ibi ex ſitu denominarunt: inprimis *Eſtſaxoniam*, vel mutilato nomine *Eſtſexiam*; *Weſtſaxoniam*, aut *Weſtſexiam*; & *Suthſaxoniam*, vel *Suthſexiam*; quaſi dixeris *orientalem*, *occidentalem*, atque

Saxones. XIII. Qui ſcilicet Saxones, vt Ciſalbinas terras repetamus, ad occaſum & prope ad Rhenum, coluerunt, ii a plaga cœli, & campis, qui ad occidentem proſpexerunt, ſunt dicti WESTFALI; quaſi *Weſtfelders*, aut campos occidentales colentes: vt fruſtra omnino ſint, neſcio quos ex Gallia, aut olim trans Rhenum profectos, aut a Carolo demum traiectos, comminiſcentes; nec minus alii, quibus equorum aliaque Germanica vocabula, vt gentium cognomenta commode interpretarentur, in mentem venerunt. Vt vero Weſtfali, qui & *Weſtuali*, & *Weſtfalai*, & *Weſtphalabi*, variante pronuntiatione, dicti ſunt, ex regione accepere adpellationem; ita iam & aperte liquet, ex qua cauſa *Nordalbingorum* quidem *Oſterfali*, & alii *Weſterfali*, cognominati ſint. OSTFALI porro nuncupati ſunt, qui inter Albim & Viſurgim coluerunt, ſextoque etiam ſeculo ſeptentrionales Thuringiæ regiones potiti ſunt. Hos item a regionis ad orientem ſitu adpellatos eſſe, manifeſto patet. Rem præcipue & probant cetera adnomina, quæ Francici ſcriptores Oſtfalis impoſuerunt. Vocarunt eos *Auſterlingos*, *Auſterlandos*, *Auſtreleudos* imo & *Auſtraſios*: quæ omnia vocabula clariſſime probant, quod poſtulatur. Inter Oſtfalos atque Weſtfalos iam medii ANGARII, ſeu *Angrarii*, adpellati ſunt, credo, & perſuaſus ſum, ex antiquo *Angriuariorum*, qui iisdem in terris, quas hoc æuo *Angarii* habuerunt, quondam conſtiterunt, nomine. Hos Angarios in magnam regionem vetus poëta collocauit: patriam Francorum ab auſtro, oceanumque

VVeſtfali, Oſtfali, Auſterlingi. Angarii.

auſtralem, Saxoniam. Quis valde dubitet, veteres Saxones ſimilem gentis & regionis diuiſionem iam antiquitus adprobaſſe? Hoc ergo demus, ante Caroli Magni ætatem nullos auctores Saxonum ſingularia nomina celebraſſe: non enim Saxonia penitior valde Francis fuit cognita: ſaltem improbabile non videtur, inſtar Francorum atque Transmarinorum Saxonum antiquiori æuo noſtros eiuſdem modi ſingularia nomina adſumſiſſe. Dictum de Transalbinorum Saxonum Germanicis nominibus paulo ante eſt.

numque ex aquilone, iis tribuens. Credibile est cis Visurgim, fortassis & iam trans eum fluuium, Angarios habitasse; & Frisio demum coangustato nomine cum Ostfalis, qua Visurgis & Albis oceano abluitur, ad eum pertigisse (*r*). Distinctiores singulis hisce Saxonibus regiones definire, non vltra vacat.

Germania media in tis.

XIV. Extre-

(*r*) Et fines trium Saxoniæ partium, & diuisionis rationes, egregie canit POETA *in Annal. Caroli ad Ann.* IↃCCLXXII.

Sed generalis habet populos diuisio ternos,
Insignita quibus Saxonia floruit olim.
Nomina nunc remanent, virtus antiqua recessit.
Denique Westfalos vocitant in parte manentes
Occidua, quorum non longe terminus amne,
A Rheno distat. Regionem solis ad ortum
Inhabitant Osterlingi; quos nomine quidam
Ostfalos alio vocitant, confinia quorum
Infestant coniuncta suis gens perfida Sclaui.
Inter prædictos media regione morantur
Angarii, populus Saxonum tertius. Horum
Patria Francorum terris sociatur ab austro,
Oceanoque eadem coniungitur ex aquilone.

Eadem tria nomina CAPITVLARIA *Caroli Magni Aquisgrani Ann.* IↃCCXCVII. præscripta statim in exordio præferunt. Memorantur *conuenisse Aquisgrani congregati Saxones ex diuersis pagis, tam de Westfalabis & Angariis, quam de Oestfalabis.* LEX *Vetus Saxonum* non minus habet illa nomina, & singulatim *tit. VII. VIII. &* *XVIII.* *Titulus VIII. de Adquisitis* ait: *De eo, quod vir & mulier simul conquisierint, mulier mediam portionem accipiat, hoc apud Vestfalaos: apud Ostfalaos & Angrarios nihil accipiat, sed contenta sit dote sua.* *Titulo XVIII.* vocantur *Westfalaii, Angrarii,* & *Ostfalii.* In ANNALIBVS *Caroli* præcipue frequens mentio trium nominum occurrit. *Ad Annum* IↃCCLXXV. *Rex amne* (Wisira) *traiecto cum parte exercitus ad Obacrum fluuium contendit, vbi ei Hesso, vnus ex primoribus Saxonum, cum omnibus Ostfalis occurrens, & obsides, quos rex imperauerat, dedit, & sacramentum fidelitatis iurauit. Inde reuersus, cum in pagum, qui Buchi vocatur, peruenisset, Angrarii cum suis primoribus ei occurrerunt, & sicut Ostfali, iuxta quod rex imperauerat, obsides & sacramenta dederunt - - - Westfalorum obsidibus acceptis ad hiemandum in Franciam reuertitur.* *Ad Annum* IↃCCLXXXIV. *Orientalium Saxonum* fit mentio. VITA *Caroli M. apud* PITHOEVM & ANNALES *Francorum apud* CANISIVM vocant *Angarios.* Sic etiam REGINO *in Chronico;* qui & *ad Ann.* IↃCCLXXXIV. *Hostfalos* & *Westfalos* memorat. *Austrasii* Saxones audiunt *Annalibus* OISELIANIS *apud* DV CHESNE

Saxones.

XIV. Extremum de Saxonibus inquirimus, qua egerint sexto septimoue seculo conditione, quæ iura obseruauerint? Vnam licet cum Francis Germanicam nationem, continuis tamen bellis, cum Francis administratis, esse exercitam; vtriusque seculi testatur memoria. Theodorici Austriæ regis,

Saxonum facta & fata circa medii æui initia.

Fff fff 2

Tom. II. Ad Annum ɪↃCCLXXV dicitur: *Ibi* (ad Obacrum fluuium) *omnes Austreleudi Saxonum, venientes cum Hassione, dederunt obsides Domno Karolo regi. Similiter venerunt Angrarii in pago, qui dicitur Buck', & dederunt obsides ibi sicut Austrasii.* Hac nominum variatione perspecta valeant, qui nescio quam lepidam vocabulorum originem commenti sunt. In generis, qui *Vesta sacra* respiciant solennia Saxonibus, quasi ab iis sint nomen adepti pagi. Alii *palos* terminosque regionum, alii *equinum pullum*, quam *Valen* dicimus, memorant; deque iis nomina nostrarum regionum interpretantur. CRANTZIVS *in Saxonia* magno conatu postremum defendit, additis absonis narratibus de insigni gentili nigri pulli imagine notato, & deinde mutato colore, albo pullo, largiente Carolo, donato. VALESIVS *in Notitia Galliarum, voce Wallenses*, egregie ostendit, a Germanis maxime Romanos, & deinde alios etiam peregrinos *Wallos* dictos esse, quod & plurimis testimoniis confirmat. Eius auctoritate motus, HERTIVS *in eruditissima Notitia Germaniæ veteris*, arbitratur, nomina Saxonum inde nata esse, quod in exhaustam crebris præliis Saxoniam multa millia Franco-Gallorum transferre Carolus habuerit necesse: eos enim quasi peregrinos Gallos, ab indigenis Saxonibus *Wallos* dictos esse, vnde demum vocabula *Franco-Gallorum ad Orientem*, & *Franco-Gallorum ad Occidentem*, *Ostvvalorum* & *Westvvalorum*, orta sint. Putat id ceteris cæcutientibus visum esse ab vno TRITHEMIO *de Scriptor. Eccles. Cap. III.* scribente; *Carolum M. in locum Saxonum, quos trans Rhenum locauerat, ex Gallis similiter triginta millia in Saxoniam transtulisse, eosque ad differentiam Westgallos, vulgariter autem Westvvalen, nuncupasse, qui hodie corrupto vocabulo, sed mendose, Westphali adpellantur.* Profert & alia, quibus sententiam stabiliat: sed omnia fere frustra. Saxonum ea fuit vetus diuisio. *OSTFALI* dicti *Austrasii, Austreleudi, Osterlingi*; quæ vocabula nihil cum Gallorum nomine habent commune. Trans Albim in *Nordalbingia* Gallos nemo quæsierit; & eadem tamen ibi *Osterfalorum* & *Westerfalorum* nomina reperimus. *ANGARIORVM* etiam medium nomen ostendit, nihil hic Gallis rei esse. Ita ergo constituo, *Angarii* dicti, qui mediam terram, pratis herbidis crebrisque virgultis abundantem, tenuere. *Ostfali* inde dicti, qui campos ad orientem; & *Westfali*, qui campos ad occidentem, coluerunt. PAVLVS VVARNEFRIDVS *de gestis Longob. Lib. I. Cap. XX. Egressi*, inquit, *Longobardi de Rugiland, habitauerunt in campis patentibus, qui sermone barbarico Feld adpellantur.* Vid. idem apud AIMOINVM *Lib II. Cap. XIII.* Primum ideoque dicti *Westfelders*, & *Ostfelders*: inde contractis litteris *Westfali*, & *Ostfali*.

regis, æuo adhuc amici, certe non inimici, Francorum fuisse videntur. Statim post eum bellari cœpit, multaque data & accepta damna sunt. Plerumque tamen Francis fauit fortuna, vt Saxones omnino ad tributa adigerent. Interim, quæ iam tolerarunt tributa, mox recusarunt, perque læta atque aduersa integram seruarunt libertatem, donec Carolo imperante, plene debellarentur. Perdomiti vero non libertate prorsus exuti sunt, sed paulo post, fauore Caroli, fauore maxime Ludouici, in pleniorem libertatem, quam vnquam potuissent sperare, sunt adserti. Regimine ciuitatum vsi sunt, quo semper ab æuo antiquissimo consueuerant. Non rex rexit Saxoniam, nec hæc, nisi inepte, regnum regio vocatur. Optimates in ciuitatibus rem administrarunt publicam: satrapas scriptores adpellarunt. Hoc ex antiquo seruatum, vt singulæ ciuitates, ex quibus, positis demum nominibus, magnum Saxonicum fœdus nomenque diuersis ætatibus est conflatum, suis vterentur iuribus, suisque institutis, nihil consociatione facta de singularum detrahente immunitate. Bello duces populi præfuere; fortissimi quiuis & nobilissimi ex natione delecti. Si ad Caroli æuum respicimus, quæuis in populo singularis gens habuit singularem ducem. Westfalorum *WITTEKINDVS*, Ostfalorum *HESSO*, Angariorum *BRVNO*, & Nordalbingorum, si poetæ fides, *ALBIO*; omnes magna in bellis auctoritate præditi duces fuerunt. Ordines de reliquo diuersi ambitiose a Saxonibus obseruati sunt; & fuere *Edbilingorum*, *Frilingorum*, & *Lazzorum*: qui a Tacito, Germanorum eosdem ordines describente, nobiles, ingenui, atque serui, seruisque non multo digniores, liberti, nuncupati sunt (*s*).

[Margin notes: *Germaniæ mediæ initia.* — Ann. IↃLIII — Ann. IↃCCCII — simul & eorum status & conditio.]

XV. A Sa-

(*s*) Historia Saxonum Seculi sexti atque paulo posteriorum, huius non potest esse loci. A Clotario I. præcipue adflicti sunt, & ad tributa adacti: & ipsi tamen semel magno prælio cum Clotario prospere administrato victores. GREGORIVS TVRONENSIS *Hist. Franc Lib. IV. Cap X. & XIV.* AIMOINVS *Lib. II. Cap. XXVII.* Rersus Clotarius II. rebelles Saxones per-

Frisii.

XV. A Saxonibus descendimus ad tertium maiorem populum, qui medio cœpto æuo Saxoniam vbique fere contra septentriones prætexuit; quique non alia, quam Saxonicum fœdus, ratione, vt sexto septimoue erat seculo, ex diuersis ciuitatibus, quæ in eius nomen aut sponte transierunt, aut vi & armis traductæ sunt, est conflatus. Habuit ille populus clarissimum

Frisia sexti seculi describitur.

FRISIORVM

nomen: quod, qua antiquam notauit gentem, inter Amisium Rhenumque quondam sitam, Romanis primum bellis, deinde Francorum, posteaque Saxonum, societate, illustratam; satis est a nobis singulari loco illuminatum, nec nouam nostram hic curam postulat. Ad Frisios non hic alio animo rursus contuemur, quam vt eius nationis sexto seculo natam amplitudinem, nouos fines, noua nomina, &, quæ successere, fata, consideremus. Ad nominis amplitudinem primum scire attinet; postquam Franci in Galliam migrassent, stabileque ibi condidissent regnum, Saxones in eorum locum continuo succedere, gentesque inter Rhenum atque Albim ad nomen suum & fœdus cœpisse pellicere. His nouis Saxonum conatibus, maris littora, quæ maximam

 partem

domuit. GESTA *Regum Franc. Epitom. Cap XLI.* AIMOINVS *Lib IV. Cap. XIIX.* Et Carolus Martellus fortiter cum Saxonibus conflixit, & filius Pipinus. FREDEGARII *Chron. Cap. CVIII. & Continuator eius ad Annum* IↃCCXLVII. ADELMVS *Ann. ad Annum eundem & ad Ann.* IↃCCLIII. Extremum Carolus, post decretum VVormatiæ Anno IↃCCLXXII. bellum, per XXX annos varium & grauissimum cum Saxonibus administrauit, & gentem plene perdomuit. EGINHARDVS *in Vita Caroli, & Annales Varii.* Statum Saxoniæ liberæ in Saxonibus ex BEDA *Lib. V. Cap. XI.* ex POETA, qui Caroli insignia facta cecinit, satis indicauimus. Confutauimus & errorem eorum, qui Saxoniæ quoddam vetus regnum commenti sunt. Ordines diuersos in Saxonia indicat NITHARDVS *Lib. IV. de dissensionibus filiorum Ludouici Pii,* hisce verbis: *Quæ gens* (Saxonum, nam de iis loquitur) *omnis in tribus ordinibus diuisa consistit Sunt enim inter illos, qui Edhilingi, sunt, qui Frilingi, sunt, qui Lazzi, illorum lingua dicuntur. Latina vero lingua hoc sunt Nobiles, Ingenuiles, atque Seruiles.*

partem Saxonicum nomen complexum erat, passim deficere ab illa antiqua adpellatione, & in nouam transire; *Saxonia mediterranea*, inquam, esse cœpit, aliique nomini locum maritima fecit ora. *Frisium nomen* fuit, quod tum ampliatum, & a regione ad regionem prolatatum, est. Primum ad occidentem dilatatum est, exstinctisque Batauorum, & Caninefatum, & Taxandrorum, partimque Menapiorum, & Morinorum, nominibus, solum in omni maris tractu auditum est: vt tamen illa, quam notauimus, prolatatio non vno contingeret impetu, sed vno alteroque temporum interuallo interposito. Postea idem Frisiorum nomen ad orientem se etiam explicuit vltra Amisium, antiquioris Frisiorum populi verum limitem. Quantum concederet *SAXONIA* in mediterranea, tantum *FRISIA* occupabat inde sensim pedetentimque maria. Nunc ad Visurgim, nunc ad Albim, Frisia constitit, donec transmisso Albi ad Eidoram vsque proferretur; & adeoque, cum ad occasum a Morinis inciperet, ad orientem, & contra septentriones, Eidoram haberet, latissima iam spatia compleuisset. Non solos hic Frisios sufficisse tot terris, & ciuitatibus, debellandis, quisquam crediderit: sed rursus fœderis manifestas rationes, quibus modo vna, modo altera, ciuitas in gloriosi nominis societatem adscita est, & in vnam cum Frisiis rempublicam demum coaluit, facillime licet intelligere (*t*).

Germaniæ mediæ initia.

Fines illius Frisiæ.

XVI. Nouos fines, noua Frisiorum nominis, siue fœderis, amplitudo, vtique postulauit. *Ad ortum* & *occasum* ii auctorum testimoniis satis certi sunt, facileque monstrabiles. Quondam Batauos Frisiosque medius Rheni diuiserat alueus; iam omnes Rheni aluei, simul cum Mosa, Scaldique, Frisium

(*t*) Vid. VBBO EMMIVS *Frisia & Frisiorum Republica*, qui statim a principio nominis Frisiorum mira incrementa indicat, verasque rationes erudite persequitur. Quo vero primum nomen Frisiorum permanauit, nempe in Batauos, Taxandrosque, ibi diutissime stetit, cum reliquæ ditiones dudum illa adpellatione excidissent.

Frisii. Frisium nomen habuere: quid? quod cis ipsum Scaldim aliquando illud constiterit. Ad ortum Amisius olim Frisios & Chaucos disterminauerat. Postquam adcreuit Frisiorum fœdus, mox maiores Chauci, deinde & minores, in societatem tracti, & ad nomen admissi, sunt: denique Transalbinorum Saxonum occidua parte, Westersalos fortassis iam tum eam dixere, in fœdus accepta, Eidora amnis contra septentriones, vt ostium Albis ad orientem, Frisiæ limes exstitit. Reliquos ***ad aquilonem*** Frisiæ terminos natura dedit; & vndique oceani fluctibus Frisiam abluit. ***Ad austrum*** non vlla ex parte limites Frisiorum certi reperiuntur, si priscos Frisiorum agri, & Batauiæ, fines exceperis. Leguntur maris tenuisse littora, nec itaque longe ad interiora pertigisse. Quam autem longe eo pertigerint, si monstrare conarer, temeritatis non minime reus fierem. Nominemus Francorum, Saxonumque, ad austrum confinia; absque erroris formidine rem commode tangemus. Dictis finibus Scalde atque Eidora satis diu Frisiorum ditio est contenta; sed denique tamen Francorum potentia valde eadem imminuta. Nempe, quod Frisii infestis armis cum Francis committerentur, ***CITERIOR***, quæ dicta est, ***FRISIA*** extremum debellata est, & in Francorum ditionem redacta. ***VLTERIOR FRISIA*** libera permansit, suamque magnitudinem adhuc seruauit integram. Carolus autem primus, totius Frisiæ dominus, nouis finibus integram Frisiam descripsit. Reliquit occidentalem Frisiis limitem, Scaldem; orientalem dedit Visurgim: adeoque omnem reliquum maris tractum ad vsque Eidoram Saxonibus restituit. Quæ recentiores inde Frisiæ descriptiones successere, mittimus (*b*).

XVII. Noua

(*b*) De ***FRISIORVM*** nominis amplitudine satis constat; sed parum de tempore, quo, modo ad orientem, modo ad occidentem, se illud explicuerit. VALESIVS *Notitia Galliarum, voce Frisia Cisrhenana, & rerum Francicarum Lib. XXIV. ad An.* IↃCXCVII. sub Clodouæi iunioris filiis desciuisse

Frisiorum & Frisiæ sexto seculo noua

XVII. Noua nomina Frisiorum ditionis post nouos crebrosque variatos fines consideramus. Integer, quem modo amplissimo nomini demus, terrarum tractus FRESIA vocata

Germania media inita.

a Francis Frisios, & transgressos deinde Rhenum in Galliam, proximis Francicæ ditionis pagis manus intulisse, nomenque adeo suum prolatasse, constituit. Quo auctore ita opinetur, non reperi. Mihi ita videtur, Saxones, constat, stante adhuc Roma, Batauiam proximaque Galliæ littora insedisse. Non legimus a Francis in Galliam inuasuris turbatam eorum esse possessionem. Saxonica expeditione in Britanniam facta, cuius & socios Frisios alibi vidimus, nomen *Saxonum* scimus ab ora maritima in mediterranea deflexisse; & contra ad oceanum nomen *Frisium* inualuisse. Vt ergo trans Rhenum, ad Visurgim, ad Albim, Frisium nomen in Saxonici locum successit, ita idem videtur cis Rhenum contigisse; adeoque eadem esse in Gallia Frisii nominis ac Francici antiquitas. Et primum quidem sociæ gentes fuerunt Frisii Francique: non his illi parentes aut subiecti, sed vtrique plene liberi. Sed mox ad bella ventum, quibus plura fortassis Frisii occuparunt; vt tamen de iis non satis constet, & saltem certum maneat, iam ante bella cis Rhenum in Gallia Frisium nomen constitisse. Demum debellata est Frisia Cisthenana a Carolo & Pipino ducibus: sed relictum tamen regioni Frisiæ nomen: quod argumento est, non bello a Frisiis partam, aut de manibus Francorum aliquando extortam, fuisse regionem, sed antiquitus a Saxonibus atque Frisiis infessam, & iam solo victoriæ iure in ditionem Francorum redactam. De finibus hæc bona antiquitas tradit. Ad *occidentem* modo Scaldis, modo Mosa, modo Kinnemus riuus, diuersis temporibus Frisiam finiisse perhibetur. AVDOENVS *de Vita S. Eligii*, seculi VII. scriptor, *Frisios contra Antwerpum* posuit; adeoque ad Scaldem. *Antiqua charta apud* MEIERVM *Ostendam* omnino *Frisia oppidum* vocauit: vnde *FRISIAE* nomen cis Scaldem latis finibus insedisse probari poterat. EGINHARDVS *de Translatione SS. Martyrum Marcellini & Petri Lib. IV. Cap. XIX. Villam Schaltheim* memorat; *quæ iuxta ostium Scaldis fluminis in maritima Frisiorum regione posita est. Annales Francorum* BERTINIANI *ad Ann.* IϽCCCLXXXVII. narrant; *Nordmannos Frisiam irruentes in insula, quæ Walacria dicitur, multos trucidauisse.* Idem fortassis volunt ANNALES *Astronomi ad An.* IϽCCCX. dicentes; *classem ducentarum nauium de Nordmannia Frisiam appulisse, cunctasque Frisiaco littori adiacentes insulas* (haud dubie Selandicæ insulæ notantur) *esse vastatos, iamque exercitum illum in continente esse, terrenaque prælia cum Frisonibus commisisse.* Omnia hæc auctorum testimonia & ante Pipini victoriam, & post eam Caroli Magni æuo, Frisiam ad Scaldem, aut omnino cis eum, ponunt; vnde constat, nomen Frisiorum non cessasse in regionibus, quas Franci occuparunt, licet de potentia Frisiorum non parum victoria Francorum imminuisset. Quando vero *Annales* BERTINIANI *ad Annum* IϽCCCXXXIX. *ducatum Frisiæ vsque ad Mosam ponunt*; certe *PROPRIA*

Frisii. vocata est: nos *Frisiam*, licet non minus inusitata antiquis loquendi, magis tamen cum Frisiorum vero cognomento conuenienti, forma, adpellauimus. Populus non vltra *Frisiorum*, sed magis *Fresionum*, *Phresonum*, *Phresionum*, *Frigionum*, *Fresonicorum*, &, nescio, quibus aliis barbaris, vocabulis compellatus est. SAXONIAE etiam adnomen tum, cum amplissima esset *Frisia*, non fuit ab ea alienum; sed vt *INFERIOR* nuncuparetur *SAXONIA*. Ceterum id Saxoniæ nomen reliquum satis testatur, non nouas ciuitates cum nouo nomine maris littora obsedisse, sed easdem, quæ ante Saxonico nomine fuerant notatæ, Frisium etiam suscepisse. Nomen itaque adhuc superabat antiquum, sed separata nomina, & diuisio.

FRISIA intelligitur, quæ ad seram ætatem seruauit nomen. Namque & *Annales* METENSES *ad Annum* ƆCCCCLXXXV. quam *Batuam* (Bataviam) prouinciam & insulam non semel adpellant, ibidem & *Frisiam* vocant. Et LAMBERTVS SCHAFFNABVRGENSIS *in rebus Henrici IV*, *Fladiringam*, in ripa Mosæ, supra Roterodamum sitam, & *Rinerburgum*, in solo veteris Batauiæ oppidum, *munitissimas Frisiæ Vrbes* vocauit. Si itaque aliqui scriptores ad Kinnemum riuum reductam a Francis Frisiam ostendunt, non de nominis, sed de *libera Frisia*, finibus eos interpretari decet. Carolus adeoque non tam restituit Frisiæ, quam reliquit veterem ad occidentem amplitudinem: post Carolum sensim contractam, & primum ad Mosam, mox ad interiora, redactam. *Ad orientem* limes, qui maxime protentus fuit, ad Eidoram vsque producitur. Prouocatur ab VBBONE EMMIO, & MENSONE ALTINGIO, partim ad veteres chartas, partim ad domesticam memoriam; quæ sane in illis rebus non parum habeto auctoritatis. Est nomen & constitutio *derer VII. Zeelande*, regionum Frisiæ, quæ ad Eidoram vsque pertinet; & reliquum cognomentum *littoralium Frisiorum* apud Eidoram, satis orientalem illum terminum defendit. A Caroli æuo ad Visurgim reductus creditur Frisiæ nominis terminus. An solenni lege nouis finibus Frisiam Carolus circumscripserit? non reperi: & puto magis, solo vsu ab eius æuo diuersam nominum positionem inualuisse. Est tamen CAROLI *priuilegium*, *Bremensi ecclesiæ donatum*, *apud* ALBERTVM STADENSEM *in Rebus Caroli*, quod nouo fini Saxoniæ & Frisiæ nominum fere fidem facit. Ibi circumscriptis partibus, quæ Bremæ adsignantur, post Saxoniam vsque ad Albim imputatam, de Frisia etiam dicitur: *Fresiæ partem, quæ contigua huic parochiæ* (adeoque Visurgi) *esse dignoscitur, eidem Bremensi ecclesiæ, suoque prouisori Willehado Episcopo, eiusque successoribus, perpetualiter delegauimus retinendam.*

parata erat ditio; quippe Frisiis & Saxonibus diuersam publicam rem habentibus. Ex regionibus Frisiorum diuisio & cognominatio hæc habetur; vt *Citeriores* & *Cisrhenani*, & *Occidentales* fuerint vocati, qui cis Rhenum Galliæ extremas oras insederunt: *Vlteriores*, & *Orientales*, qui trans Fleuum habitarunt. *Occidentalis Frisia* occurrit etiam in Frisiorum vetustis legibus *Cisfli*, quasi *Cisflevana*, adpellatio. Porro, quam erat lata, Frisia, in *VII regiones*, totidem portubus interiectas, vulgo *littorales terras*, *de VII Zeelanden*, auctores compellarunt, distincta est. Seriore quidem æuo creditur esse cognita diuisio, sed quod integrum veteris Frisiæ, sola ea excepta parte, quæ prima a Francis in ditionem redacta est, terrarum tractum declarat, commode obseruatur: imo & ante Carolum iam vsu venisse, inde existimatur, quod ille magna ad orientem portione Frisiam priuauit. Prima *Zeelandia* a Kinnemo riuo ad Fleuum, seu orientis ostium Rheni, imputata est: hodie *Westfrisia* nuncupatur, quod veteris Occidentalis Frisiæ eximia pars est. *Alteri* terra a Fleuo ad Lauicam, seu Manarmanem portum, quæ proprie hodie *Frisia* vocatur, adscribitur: eademque in tres pagos, *Vistraga*, seu *Westrogowe*, *Astraga*, seu *Ostrogowe*, & *Islegowe*, quondam diuisa fuit. *Tertia Zeeland* habuit inter Lauicam & Amisium agros, qui a Grœninga, nobilissima vrbe, hodie nomen gerunt. *Quarta* inter Amisium & Iadæ portum eam regionem est complexa, quæ hodie *Orientalis Frisia* dicitur. Ad *quintam*, *Transiadanam* nuncupatam, inter Iadam & Visurgim; ad *sextam* inter Visurgim & Albim; ad *septimam* demum inter Albim & Eidoram, regiones adscriptæ sunt. In septima regione hodieque nomen littoralium Frisiorum, *Strant-Friesen*, viget. Et tantum de diuisionibus Frisiæ, quæ fuit medio æuo, earumque notis, habemus dicere (*x*).

Germaniæ media initia.

VII Frisiæ regiones.

XVIII. Ad-

(*x*) *FRESIAE* nomen modo in CAROLI *priuilegio* visum. EGINHARDVS, ASTRONOMI *Annales*, SIGEBERTVS, *Frisiam* vocant. *Fresones*

Frisii. XVIII. Adiici ex historia, aut potius ex iis, quæ alio loco diximus, repeti debet: habuisse Frisios reges; cum nomen ad illam, quam ostendimus, magnitudinem adscendisset, & tenuisse, donec crebris a Francis fatigati bellis infirmas manus porrigerent, victorumque leges acciperent. Vt vero regum nomen nihil de populari libertate detraxerat, sed suadendi potius, quam iubendi, auctoritate fuerat præditum: ita nec victoria Francorum valde de Frisiorum vetustissima

Frisiorum sexto seculo fata, & publicus status.

furat in *Monachi* BOOLISMENSIS *Vita Caroli ad Ann.* IↃCCLXXXIX. & in POETA *Annal. Caroli Lib IV. ad Ann.* IↃCCCV. *Frisones*, in ASTRONOMI *Annalibus*, in SIGEBERTO, & passim alibi; *Frisiones* in FREDEGARII *Chronico Cap. CII.* *Frigiones in* GESTIS *Regum Francorum apud* DV CHESNE *Tomo I. Cap. LII.* Reliqua horrida nomina passim chartæ habent. *FRISIA* sæpe *SAXONIA* prisco nomine, & *Inferior Saxonia* vocatur. MENSO ALTINGIVS *Notit. Germ. Inf. P. II. voce Fresia & Fresiones* adfert testimonia recentiorum auctorum. Antiquiora testimonia vix reperi: nisi EGINHARDVS *in Vita Caroli*, vbi *Saxonia* maximam amplitudinem describit, simul Frisiam notet. *Citeriorem Frisiam* BEDA *Lib. V. Cap. XI.* memorat. *Et quia*, inquit, *nuper citeriorem Fresiam, pulso inde Rhatbedo rege, ceperat*, (Pipinus) *illo eos ad prædicandum misit*; nimirum VVilbrordum Presbyterum cum XI. sociis. LEX *vetus Fresionum Cisfli* vocem affert: quæ notat *Cisfleuanam*, siue *citeriorem*, *Frisiam*. Eadem LEX *Fresiones Occidentales*, quæ inter *Flebi & Sinefalam*, id est, inter duo ostia, quæ PLINIO *Fleui & Scaldis* sunt, commorantur, memorat. *Ortiua Frisia* in quibusdam monumentis dicitur, quæ *Transamisiana* est; vt a *Cisfleuana*, seu *occidentali*, eo nomine separetur. *Citerior Frisia* etiam Germanico nomine dicta *Wistragonia*, & *Westragonia*; quasi dixeris *Occidentalis Frisiæ pagus*. HADR VALESIVS *Rer. Francic. Lib. XXIV. ad Ann.* IↃCCXXXIII. memorat, se in tribus antiquissimis annalibus reperisse, *Carolum dicto anno in Wistrogouiam Frisiæ venisse*. REGINO *Chron. Lib. I.* diserte ait; *Carolus XVII. anno regni sui cum exercitu in Westrachiam venit, eamque suæ ditioni subiecit.* Non autem Franci ante Carolum Magnum, nisi Citeriorem Frisiam debellarunt. Septem illæ Frisiæ regiones, quas laudamus, vocantur *septem villæ Frisiorum*, voce villæ pro regionis nota accepta; & ab EMONE ARCHIMANDRITA *ad Ann.* CIↃCCXIX. Germanico cognomento *dever Zeelanden* latine verso, *septem villæ mari contermina*. *Kinnemus* riuus & ignotus est antiquitati, nec hodie eo nomine cognitus. Quæri autem potest in septentrionali Hollandia infra Alcmaram, vbi in Tabulis exile riui ostium & nomen *Petten* visitur. Inde vulgo *libera Frisia*, in illas diuisa regiones, imputari consueuit: adeoque exilis riuus in Francicis monumentis satis est insignis.

libertate quicquam imminuit. Eſt quidem Citerioris Friſiæ pars ad Kinnemum riuum, in quam vi & armis Friſii quondam inuaſerant, in plenam Francorum ditionem redacta; adeoque in illa in VII regiones diuiſione ſilentio prætermiſſa: Vlteriori ſed Friſiæ omnimoda libertas ſemper relicta, modo vt regis nomen duces Friſiorum non vltra gererent. Poſtquam Carolus omnem Friſiam in clientelam ſuſcepiſſet, omni, & toti, reddidiſſe, aut reliquiſſe potius, libertatem atque immunitatem, cenſetur. Interim, noua facta diuiſione, reſtituit multa *Saxoniæ* nomini, quæ ante habuerat *Friſium*: vt tamen a Scaldi rurſus Friſiam imputaret, licet a Scaldi ad Kinnemum partes iam ante Franci Friſiæ detraxiſſent. Ex Francica itaque conſtitutione illa in VII regiones diuiſio initium a Kinnemo captum habet; orientis fines ex antiquiori rerum ſtatu. Poſt Caroli imperium reliquæ inter Scaldem & Viſurgim Friſiæ ex diſtributiones ex regiminis forma obtigere, vt *HAEREDITARIA FRISIA* vocaretur, quæ a Scalde ad Kinnemum pertingebat, & interiora ſimul comprehendit; *LIBERA FRISIA*, quæ a Kinnemo riuo ad Amiſium, & vltra etiam ad Viſurgim, pertinuit: in illa quippe comitum hæreditaria dignitate, in hac populi libertate, perfectaque immunitate, plene ſtabilita (*y*).

Germana media in-tia.

Ann. IↃCCXXX

XIX. Friſio-

(*y*) D: Friſiorum regibus alibi dictum. Antequam cum Francis Friſii infeſtis armis committerentur, reges dicti; deinde duces. Ex gentis autem ingenio colligitur, & ducum & regum poteſtatem nunquam populari libertati offec:ſſe. Friſiorum potentia a Pipino ſeniore impulſa, a Carolo Martello fere proſtrata eſt. Pipinus *RATBODVM* vicit, citerioremque Friſiam occupauit. FREDEGARIVS *Chron. Cap. CII.* GESTA *Regum Francorum Cap. XLIX.* SIGEBERTVS *ad Ann.* IↃCXCIV. Iterum vero Citeriorem Friſiam occupauit Ratbodus Pipino mortuo: quod ex VITA *D. Bonifacii* probauit HADR. VALESIVS *Rer. Francic. Lib. XXIII.* Carolus Martellus denuo vindicauit a patre partam prouinciam, & cum Ratbodo & *POPPONE* ducibus feliciter bellum adminiſtrauit. GESTA *Regum Franc. Cap. LII.* FREDEGARIVS *Chron. Cap. CVI.* REGINO *Chron. Lib. I. circa finem.* SIGEBERTVS *ad Annum* IↃCCXXXIV. Pipinus

Franci. XIX. Frisiorum considerationi succedunt inter Mosam Rhenumque, & trans Rhenum ad Mœnum, & circumcirca, siti Franci mediæ Germaniæ, vbi siti?

FRANCI.

Egimus aliis locis de celeberrimo nato Francorum fœdere, de nominis vi atque potestate, de primis inter Rhenum Albimque Franciæ finibus, de eius miris vicissitudinibus, & ingenti fortuna, & proxime de Ripariis, Francorum inter Mosam Rhenumque parte. Hoc loco de solis Francorum in Germania media sedibus inquirimus, earumque breuem historiam persequimur. Sexto seculo, si Mosam iam tum Germaniæ nostræ constituimus terminum, & cis, & trans, Rhenum Franci in Germania considere: cetera imperium longe latius vsquequaque diffusum habentes. Cis Rhenum inter Mosam Rhenumque egere, & quod copiose docuimus, primum in inferioribus partibus, mox etiam in superioribus, sunt *RIPARII*, a duabus, quas obsedere, ripis, adpellati. Ex inferioribus partibus trans ipsum Rhenum *Ripariorum* nomen pertigit, & circa Rubram amnem constitit. Inde aliquando non ad ipsum Rhenum Saxonum pertinuerunt fines, sed a Rheno Francica ditione sunt prætexti: in quam præter Ripariorum pagum Transrhenanum, Boructuariorum etiam, quippe clientum & amicorum, agros imputare licet. A Ripariis autem cis Rhenum sitis, *AVSTRIAE* nomen incepit, & deinde cum Transrhenanis terris communicatum est. Quo nomine *AVSTRASIORVM* vocabulum ab altero *FRANCORVM* distinguatur, non rursus monemus. Ex superiori Austriæ, seu Austrasiæ, parte magis iam continuo tractu *trans Rhenum FRANCIA*, nostris, quæ spectamus,

 seculis,

rex & Carolus Magnus fere quietam viderunt Frisiam Hic vero, cum eam durius pater habuisset, plane liberam eam esse iussit. Enarrat autem hanc Frisiæ historiam VBBO EMMIVS *Lib. IV. Rer. Frisic.* *Hæreditaria Frisia* rursus in tres partes diuisa est; quarum mentio fit in diuisione regni Lotharii apud AIMOINVM *Lib. V. Cap. XXV.*

feculis, eft protenta. Occafio eo Franciam proferendi Alemannorum fuit clades, & calamitas. Ne enim Alemanni iugum a victore populo impofitum excuterent, propinquis Francorum præfidiis opus exftitit: quæ non rectius, quam in prifca Alemannia, diuturnis gentium in Galliam migrationibus prope exhaufta & deferta ab habitatoribus, potuerant collocari. Si iam ante in Mœni tractus Franci immigrarunt, nouoque *Franciæ*, fiue *Franconiæ*, nomini occafionem dederunt; minime id quidem conftat, nec vnquam fabulis, quæ paffim in hac caufa frequentantur, fides efto. *TRANSRHENANAM* hanc *FRANCIAM* cum Auftriæ regno peculiari ratione coniunctam fuiffe, & ipfam *AVSTRIAM* proprio dici nomine confueuiffe, & quæ huiusmodi funt reliqua obferuanda; ftatim poft finium declarationem docebimus (z). *Germania media initia.*

XX. Ergo,

(z) Quæ pars Franciæ *AVSTRIA* dicta fit, fupra dictum. Licet eius fines fæpe conuulfi fint, vt modo aliquid de ea detractum fit, modo additum, vnde auctores in definitione Auftriæ non parum difcrepant; nos eam modo tamen hic refpicimus, quæ Germanos, in Cisrhenanam quondam Germaniam imputatos, habuit, & ipfa demum noftræ adiecta eft Germaniæ. *RIPARIORVM* nomen maxime ad inferiorem Rhenum Mofamque conftitit. Nomen acceptum a duabus ripis. Genus gentis Ripariorum haud dubie Germanicum; quod etiam frequentia Germanica vocabula, quæ in LEGE *Veteri Ripariorum* occurrunt, teftantur. Illa *regio Ripariorum* dicta *PAGVS RIBVERIENSIS* in *Appendice ad Chronicon* FREDEGARII; *RIPVARIA* ab EGINHARDO *in Annalibus*, & in FVLDENSIBVS *Annalibus ad Ann.* CIƆCCCLXXXI. *Ribuaria*, & ibi *Comitatus quinque*, in diuifione regni Lotharii paulo fupra citata. *Fines Ribuariorum* memorantur a NITHARDO *Lib I.* & a FRODOARDO *in Chron. ad Ann.* CIƆCCCCXXIII. *Pagus Ribuarius fuper fluuium Ruram.* VITA *Rigoberti Remenfis Epifcopi* a BOLLANDO edita diftinguit *Francum* & *Ripuarium*, quippe dicitur Rigobertus *in regione Ribuariorum ortus patre ex eodem pago, nomine Conftantino, matre Francigena ex eodem territorio.* LEX *Vetus Ribuariorum Cap. XXXI. pagum Ripuarium, Cap. XXXIII. Ducatum Ripuarium*, vel *Ripuariorum*, & *Cap. LXXXVIII. prouinciam Ripuariam* laudat. Præter illam vero Ripuariam prouinciam cis inferiorem Rhenum, in fuperiori etiam tractu ad Mofellam, Sarauum Blefamque, *Riparii*, fiue *Ripuarii* fuere; hi vero raro ab auctoribus memorati. Notantur tamen ab ANNALIBVS *Bertinianis ad Ann.* CIƆCCCXXXIX. inter *Comitatum Con-*

Franci.

XX. Ergo, vt fines, quantum licebit, consideremus, de *Cisrhenanis*, & inde de *Transrhenanis Francis* singulatim inquirendum est. *CISRHENANORVM FRANCORVM* sexto seculo, qua nimirum ii in nostram Germaniam impugnandi sunt, Mosa limes *ad occasum* exstitit; *ad ortum* Rhenus; contra *septentriones* oceanus, vbi Mosæ Rhenique duos haurit alueos; *ad meridiem*, quantum fere videtur, mons Vogesus. Quantum ad ditionem Francorum Cisrhenanam, ad Germaniam porro adscribendam, attinet, cis Rhenum etiam Rauracorum ager, & Heluetiorum agri pars, huc spectat; & vtramque regionem Vogesus fere mons, Vrsaque cum Arola confluens ad occasum, Rhenus ad orientem, disterminauit: quos vero fines in Alemannis accuratius dispiciemus. *Trans inferiorem Rhenum Francorum* a Saxonum latere fines nemo facile ostenderit; tutiusque mea fecerit opinione, qui solum hic Rhenum ad occasum, Luppiam fortassis ad aquilonem, ad ortum & austrum Francorum Saxonumque collimitium nominauerit. *Trans superiorem Rhenum*

Fines Franciæ inter Mosam atque Rhenum;

item trans inferiorem Rhenum;

& demum

drusti & Ducatum Elisatia, nomine *Ducatus Ribuariorum*: qui nequit, nisi superiores Riparios designare. Trans Rhenum *Riparii* vix semel atque iterum occurrunt. Meminit eius LVDOVICVS *in diuisione regni inter tres filios* ita, vt nequeat non esse Transrhenana prouincia. *Ad Baiouariam, totam Toringiam, Ribuarias, Atoarias, Saxonia, Frisia*, &c. Tota tamen coniectura est, hanc Ribuariam trans Rhenum instar alterius cis Rhenum ad Rubram, seu ad Ruram, amnem constitisse. Probabile autem, trans Rhenum *Ribuariam* cum Boructuariis ipso *Francia* nomine quondam compellatam fuisse, adeoque a parte Rheni Saxoniam prohibuisse. Sic interpretari licet GREGORIVM TVRONENSEM *Lib. IV. Cap. XV. Saxones*, inquit, *per Childebertum commoti atque indignantes contra Francos superiori anno, exeuntesque de regione sua in Franciam venerunt, & vsque Diuitiam* (e regione Coloniæ Agrippinæ oppidum) *ciuitatem prædas egerant.* Et confirmat opinionem FREDEGARIVS *Historia Francorum Epitom. Cap. LII. Saxones factione Childeberti in Francia venientes vsque Deuiciam ciuitatem prædas egerunt.* Si in Francia prædas egerunt, nec tamen vltra, quam ad vrbem *Duitz*, quæ est trans Rhenum e regione Coloniæ Agrippinensis, peruaserunt; sane Francia etiam Francorum trans Rhenum reliqua ea ætate ditio dicta est.

Rhenum

Franconiæ trans superiorem Rhenum.

Germania media.

Rhenum FRANCIA, non magis habet, ac inferior, exploratos limites. *Occiduum* limitem habemus certum; Rhenum, inquam, Galliæ Germaniæque olim perpetuum finitorem, nunc totum Germanicum. Ad *ortum* Thuringia fuit; quam illa parte lata? non constat. Eginhardus protulit nostram Franconiam ad Salam; ex auctorum iudicio laxe nimium Franconiæ fines constituens, vt Thuringos complectatur. Ipse, licet minime putem, Thuringos post suam cladem in Franciam, abolito eorum nomine, esse imputatos; arbitror tamen, cum quadrifariam, saltem trifariam, Thuringia olim diuideretur, cumque pars aquilonaris Saxonico cederet nomini, partem etiam a Francis post victoriam plenius vindicatam, Thuringicoque nomini negatam esse: vt hoc sensu Eginhardus, cum Salam tribuat Franconiæ, non valde errauerit, aut omnes Thuringos complexus esse videri debeat. Ita & vero *Francia prior*, & *altera*, quæ post destructionem Thuringici regni creuit, fuerit distinguenda: vt minime tamen fines distinctos vtriusque Franciæ ausim ostendere. *Ad austrum* Alemannia, siue ea Sueuia rectius dicitur, Franciam finiuit. Limitem certum ponere, neminem prope reperio. Eginhardus quidem Danubium habet; & is fluuius, vbi Almona in eum intrat, videtur vtique Francorum irrigasse terram. Vbi vero Danubius oritur, haud dubie Sueuia fuit, fortassis ad Nicrum vsque, quem & tamen simul Franci habuerunt, protenta. Medius Franciæ nostræ amnis, Mœnus, exstitit; totus, quod videtur, a prima Francorum in hanc regionem migratione Francicus. Contra *septentriones* Saxoniam nominant auctores, inter hanc & Sueuiam, Franconiam mediam constituentes. Si licet conii cere, trans Loganam haud procul Saxonum confinium constitit. Constat vero, Cattorum maximam partem nouam Franciam complexam esse; fortassis Francis contra Thuringos atque

atque Alemannos a Cattis amicis aduocatis, ideoque ſtatim cum hiſce coniunctis. Partem veteris Cattorum agri a Thuringis inſeſſam eſſe, iam alibi docuimus (*a*).

XXI. Eſt hæc *trans Rhenum FRANCIA*, quam modo leuiter circumſcripſimus, variis nominibus in veteribus monumentis notata. De Cisrhenanis enim Francis, quæ habeantur vocabula, cum ſupra egerimus, nulla opus eſt repetitione dictorum. Nominata ſubinde abſolute eſt FRANCIA; ſæpius cum aliorum vocabulorum additamentis. Vocatur *Orientalis*, *Teutonica*; & Germanicis vocabulis *AVSTRIA*, & *Oſtrofrancia*. *FRANCONIAE* nomen non minus antiquum, eſt ex eo, quod Franci & iam *Francones* adpellarentur, vt Saxonum nomini alterum Franconum magis conueniret. Franconiæ huius habitatores ſæpe ſimpliciter *FRANCI*, pluries *Orientales*, *Teutonici*, nec raro *Auſtraſii*, nuncupati ſunt. Franconum nominis præclariſſimum eſt indicium vrbis *Francofurti ad Mœnum*, quondam *Franconefurt*, quaſi *vadi Francorum*, dictæ, adpellatio. Nobiliſſima, plurimisque decoribus ornata, ciuitas ad ſextum, ſiue id potius ſeptimum ſit, ſeculum creditur adſcendere: vt fere tamen ſit obſcurior eius origo, quam quæ doceri poſſit. Hoc etiam probe notandum, noſtros trans Rhenum *Orientales Francos* ſe ipſos *Nobiliſſimos Francorum* habuiſſe, & priſca lege Salica vixiſſe; inde quandoque *Salicos* nominatos: vt nomen & nobiliſſimos Francorum, & lege Salica

Franciæ Transrhenanæ nomina.

(*a*) De reliquis finibus nihil attinet dicere. *FRANCIAM TRANSRHENANAM* ita EGINHARDVS *in Vita Caroli* deſcribit: *Pars*, inquit, *Germaniæ, quæ intra Saxoniam & Danubium, Rhenumque ac Salam, fluuium, qui Turingos & Sorabos diuidit, poſita, ac a Francis, qui Orientales dicuntur, incolitur.* Generales easdem notas, ſingulatim Alemanniam, ſeu Sueuiam, ab auſtro, Saxoniam contra ſeptentriones, ab ortu Salam, ab occaſu Rhenum, plures memorant auctores; vix tamen æque ac EGINHARDVS ſimul atque coniuncte. Qui diſtinctiores veteris Franconiæ fines indicet, mihi non viſus. Nihil ergo addo coniecturis.

Salica viuentes, simul notaret. Nempe occidentales Franci in Gallia, cum Gallis & Romanis permisti, confestim variare mores, nouisque adsuefieri institutis, cœperant. Qui in Germaniam reuersi erant coloni, antiquis moribus stetere, adeoque, nobilitatem veram ex Germanico æstimantes animo & sanguine, nobiliores se ceteris Francis esse crediderunt. Repereris etiam nostram *FRANCIAM* vocari *ANTIQVAM*, aliamque *NOVAM*. Non hic eorum opinio firmatur, qui Francorum propriam in hac Francia & antiquissimam sedem constituerunt. Dicitur vero ***Antiqua Francia***, quod soli hi Franci solis antiquis moribus legibusque viuerent; quod soli se crederent genuino Francorum sanguine natos satosque: quod denique antiquius hæc eorum tellus Francia compellaretur, quam reliqua Germania, quæ in priscæ Austriæ esset clientela, & ipsa seriore æuo Francia nominata; cui posteriori adeo probe ***noua Francia*** nomen conuenire poterat (*b*).

Germania medianitia.

XXII. Cete-

(*b*) Francia Transrhenana, nostra nimirum *FRANCONIA*, multa habet cognomina, quæ & sæpe cum ipsa Germania, quam longa lataque exstitit, communicata sunt. *Francia* vocatur absolute satis frequenter in *Annalibus* FVLDENSIBVS *Anno* ıↄcccLxv. & ıↄcccLxvi. *Villa regia Franconofurt in Francia.* *Ad Ann.* ıↄcccLxxix. *Mogontiacum & Franconofurt in Francia.* Nomen *Franciæ orientalis* magis peruulgatum est. ANNALES *Ludouici Pii ad Annum* ıↄcccxx coniungunt *Saxoniam, Orientalem Franciam, Alemanniam, Boioariam*; & easdem prouincias rursus *ad Ann.* ıↄcccxxiii. *Annales* FVLDENSES *ad Ann.* ıↄcccLii. item *Orientalem Franciam* cum *Boioaria* & *Saxonia* celebrant: & *ad Annum* ıↄcccLxxvi. *Franconofurt principalem sedem Orientalis regni* adpellant. VITA *Kiliani oppidum Orientalis Franciæ Wirtzburg* nuncupat. In EGINHARDO *de Vita Caroli, Annalibus* METENSIBVS, & FVLDENSIBVS, crebro laudantur *Franci Orientales.* WIPPO *de Vita Conradi Salici*, & LAMBERTVS SCHAFFNABVRGENSIS, *Franciam Teutonicam* nominant. LIVTHPRANDVS *Lib. I. Cap. II. Francos Teutonicos* vocauit. *Ostrofrancia* est in SIGEBERTO *ad Ann.* ıↄcxcvii. *Wirziburch*, inquit, *castrum Ostrofranciæ. S. Chilianus cum discipulis Colomanno & Tolmanno clam martyrizatur a Galcina, vxore Gozberti, principis Wirziburgensium.* Idem SIGEBERTVS *Chron. ad Ann.* ıↄccccxxxviii. *Austrasiam* cum *Alemannia* coniungit, illo nomine *Franconiam* designans. Ri-

franci. XXII. Ceterum hoc etiam iuuat ſcire, noſtram, quam Franconiæ formula. vidimus, Franciam ſtatim Auſtriæ regno adiectam eſſe, & cum ea nunquam non coniunctam manſiſſe. More autem

Hhh hhh 2 Franco-

CHERIVS *in Chron. Senonienſis Lib. III. Cap. ultimo ; Quem,* inquit, *cum diu quaſiuiſſem, eum cum rege Friderico in Herbipoli, quæ Teutonice Werſeborch uocatur, in Hoſterfrank inueni. Auſtria* nomen habent *Annales* BERTINIANI *ad Ann.* IↃCCCXXXVIII. Ibi, *Heliſatia, Saxonia, Toringia, Auſtria, & Alamannia* coniungitur. *Ad Ann.* IↃCCCXXXIX. *Auſtraſii, Toringi, & Alamanni,* coniunguntur; & deinde *Ducatus Auſtraſiorum* inter *Ducatum Alemanniæ* & *Ducatum Thuringiæ* ponitur. *Franconiæ* nominis adeo vetuſta veſtigia non occurrunt ; ſed crebra adſunt *Franconum* nominis in auctoribus indicia. Eadem fere nomina, alia citius, alia ſerius, toti Germaniæ data eſſe, vno alteroue teſtimonio probari debet. *FRANCIA* dicta tota *GERMANIA* ; & *Imperium, Regnumque Francorum,* aut omnino *reges Francorum,* vocarunt, cum ſolum Germaniæ regnum, ſolosque Germaniæ reges, intelligerent. Sic ſæpe LIVTHPRANDVS, VVITICHINDVS paſſim, & præſertim OTTO FRISINGENSIS *Lib. VI. Chron. Cap. XI.* addita nominis ratione *Cap. XVII.* A Græcis præſertim Germania *Franciæ* nomine conſueuit compellari : quod inſigni teſtimonio PROCOPII ſupra in nomine Germanorum probauimus. CEDRENVS *in Conſtantino Porphyrogenneto* nominat *Ottonem regem Franciæ.* Ὄττων ὁ τῶν Φράγγων βασιλεύς. Ipſe CONSTANTINVS PORPHYROGENNETVS *de adminiſtrando imperio Cap. XXVIII.* Attilam per Noricum & Germaniam peruadentem per Franciam ducit ; & *Attila,* inquit, *totam Franciam uaſtante,* (πάσας τὰς Φραγγίας) *Francos ex Aquileia & aliis Franciæ caſtris fugiſſe. Orientales Franci Germani* iam antiquius nuncupati ; & inprimis is titulus Germaniæ regibus placuit, vt ſe *Francorum Orientalium* reges adpellarent. *Antiquitatum* FVLDENSIVM *Lib. I. Dominus Ludouicus Francorum Orientalium Rex* paſſim vocatur. VVITICHINDVS *Lib. I. ultimum Carolorum apud Orientales Francos imperantium Lothouuicum Arnulphi filium fuiſſe,* ait. Henricus Auceps audit *Magnificentiſſimus Rex Francorum Orientalium.* Audiri meretur VVILHELMVS MALMESBVRIENSIS, grauis auctor, qui circa CIↃCXL. floruit, & de Orientalibus atque Occidentalibus Francis ita ſcripſit : *Lotharingi, Alamanni, & ceteri Transrhenani populi, qui imperatori Teutonicorum ſubiecti ſunt, magis proprie ſe Francos adpellari iubent : & eos, quos nos putamus, Francos Galuualas antiquo uocabulo, quaſi Gallos Romanos, nuncupant.* De *Auſtriæ,* & *Auſtraſiæ,* nomine in Ciſrhenanis Germanis dictum. *Proprii* noſtri *Franci* ſe ob vſum legis Salicæ, tanquam certum originis ſuæ & vetuſtatis familiæ argumentum, *SALICOS* & *NOBILISSIMOS FRANCORVM* adpellarunt. OTTO FRISINGENSIS *Lib. IV. Chron. Cap.*

Francorum, quem procul dubio a Romanis acceperant, Franciæ præfuit dux, prouinciæ supremus præses & gubernator. Legas eum *Nobilissimum*, *Ducem Orientalium Francorum*, *Australium*, aut *Austrasiorum*, passim compellari; & in maxima sub prima regum Francicorum stirpe dignatione fuisse habitum. Caroli, & paulo succedente, æuo dux in Franconia nullus fuisse creditur; sed per comites tantum omnis publica res procurata est. Post Carolum ducum Franconiæ rursus nomen, idemque clarissimum auditum est. Cum vero quondam *ducatus Austrasiorum*, quem auctores vocarunt, vtramque Austriam & Cisrhenanam, & Transrhenanam complexus esset, vt dux vero in Francia trans Rhenum ageret: deinde post Caroli æuum diuisum reperitur territorium, & diuersis ducibus commissum esse. Nostros Transrhenanos Francos ad seram ætatem Salicam, Francorum antiquissimam præscriptionem, coluisse, iam ante declarauimus: & id in singularibus horum Francorum institutis merito habendum est. Ex historiæ Franciæ, & magis *Cisrhenanæ Austriæ*, multa hic porro a nobis adiici dictis poterant: vt Austria post deuictos Alemannos Boioarios traduxerit in clientelam; deuicerit Thuringos; profligauerit subinde Saxones, & Slauos in Franconiam inuadentes; vt ex *Franconia* passim reliquæ Germaniæ formidines atque terrores intentatis fortiter armis fuerint

Germania media initia.

XXXII. post enarratam Salicæ legis sanctionem addit: *Ab hoc Salagasto legem, quæ ex nomine eius Salica vsque hodie vocatur, inuentam dicunt. Hac nobilissimi Francorum, qui Salici dicuntur, adhuc vtuntur.* Hoc sensu idem OTTO *Chron. Lib. VI. Cap. XV. Albertum nobilissimum Francorum comitem* adpellat; & *Conradum, natione Francum,* qui omnium consensu *Salicus* dictus est. *Monachus* SANCTIGALLENSIS *in Lib. I. de Vita Caroli M. Cap. XX. & Lib. II. Cap. XVI. antiquam Franciam* Rhætiis ac Saxoniæ interponit, vt non potuerit non *Franconia* intelligi. IDEM vero *Lib. I. Cap. XXIII. Franciam nouam* memorat, quæ non alia ipsi est, ac integra nostra Germania.

Thuringi. fuerint oppositi ; & quæ eius generis sunt alia (*c*). Sed festinamus ad finem, non maxime necessaria hoc loco non ingratiis transeuntes.

XXIII. Saxonum, Frisiorum atque Francorum, consideratione succedit nobilis medio æuo populi, Thuringorum nomen, & controuersiæ de eo, simul ac de gentis origine.

THVRINGORVM,

contemplatio. Plura hic, quod nondum suppetiit occasio de Thuringis vspiam in antiquis agendi populis, disquirenda erunt; nomen, inquam, populi ; eius historia ; eius fines primi & posteriores ; & singularia eius instituta. De nomine Thuringorum, eiusque origine, plurimum inter se eruditi controuersati sunt. *THVRINGI* sæpe *Toringi*, Hhh hhh 3 *Thoringi*,

(*c*) In Austria supra ostendimus, semper ei Germaniæ partes esse adnumeratas. Licet autem regnum Austrasiæ esset constitutum, at prouinciis tamen simul datos nouimus duces. *Franconiæ* nostræ *duces* satis antiqui, vix autem ante seculum VII. celebrati, sunt. GESTA *B. Kiliani Scoti*, Theodorici regis æqualis, meminere *GOZBERTI*, *nobilissimi ducis orientalium Francorum*, ibidem *Australium* vocatorum. SIGEBERTVS *Chron. ad Ann.* IϽCXCVII. *Gothbertum principem Wirziburgiensium* adpellat. *HARDRADVS*, *Dux Austriæ*, audit apud THEGANVM ; is vero Franconicus fuit præfectus, rem ANNALIBVS *Caroli ad Ann.* IϽCCLXXXV. diserte his verbis testantibus : *Facta est eodem anno trans Rhenum apud Orientales Francos aduersus regem immodica coniuratio, cuius auctorem Hattradum comitem fuisse constabat. Annales* BERTINIANI *ad Annum* IϽCCCXXXIX. *Ducatum Austrasiorum* inter *Ducatum Alamanniæ*, & *Ducatum Toringiæ*, ponunt. Diuisum esse Franciæ ducatum post pacta Verdunensia, singularemque ducem cis Rhenum & alium trans Rhenum prouincias gubernasse, HADR. VALESIVS *in Notitia Galliarum, voce FRANCIA*, obseruat. Illi cis Rhenum duces, quod VVormatiæ residere consueuerint, *Wormatienses duces* nonnunquam dicti. Sic VVIPPO *de Vita Conradi Salici* adpellat *Cunonem, Wormatiensem ducem Francorum*. Reperio etiam *ducatum Ripariorum* & ad inferiorem, & cis superiorem Rhenum. Testimonia supra protulimus. Quod ea vero in ætatem Carolingorum incidunt, instar diuisi Francorum ducatus, Ripariis etiam tunc singularem præfectum, pro more scriptorum ducem adpellatum, datum esse existimo.

Thoringi, & *Doringi* sunt; indeque in diuersum abeunt, qui vocabuli populique originem interpretari satagunt. Quidam de *stultitia* nomen interpretantur, & *Doringos*, seu *Dorelingos* quasi *stultos*, nos germanice *Doren*, seu *Toren*, adpellamus, vocatos esse putant. Reperias, qui, vt defendant illam nominis deriuationem, Tacitum de *inertibus atque stultis Cheruscis* loquentem memorent; huncque *Thuringorum* nominis veram prodere originem putent. Alii, *duritiem*, *dura*que ad quasuis molestias tolerandas, & ad labores omnes sustinendos, *Doringorum corpora* nomen dedisse, autumarunt. Quidam *strenuos pugiles atque athletas* Thuringos fuisse; indeque adpellationem quasi *Theuren-Ringer*, sic *Thuringorum*. Rursus quidam *turrium* Germanicum nomen adferunt, indeque compellationem coniiciunt. Plures nomen, gentemque, cuius satu Thuringi orti videantur, simul adsequi vna coniectura conati sunt. Nominarunt, modo *Tyrigetas* ex Plinio, Strabone, atque Ptolemæo; modo *Tyrangitas* prope Dacos ex Ptolemæo; modo ex eodem *Teuriochæmas*, prope Variscos; modo *Theruingos* ex Ammiano atque Eutropio; modo *Tulingos* Heluetiorum confines, ex Cæsare; modo *Turcilingos*, cum Herulis a Iornande & Paulo coniunctos; modo *Reudingos* ex Tacito; modo demum ex Plinio Cisrhenanos *Tungros*. Nonnulli *Hermundurorum* nomen excussere; & abiectis prioribus litteris *Durorum*, demum *Duringorum*, nomen effinxerunt. Aliis placuit ex *Cheruscorum* adpellatione mira litterarum translatione Thuringicum vocabulum producere. Hos omnes satageos, ac sibi molestos, recte demum missos bonæ antiquitatis quidam magis consulti fecere, & nouam gentium societatem nouum prorsus sumsisse nomen, arbitrati sunt. Putarunt, & ipsi huic fauemus opinioni, nominari voluisse a præcipuo suo Deo, quem coluerint,

Germaniæ mediæ initia.

ringi. luerint, quique *Thor*, *Dor*, siue etiam *Taranes*, fuerit adpellatus. *Thuringi*, siue *Thoringi*, quasi *satu istius Thori dei orti*, nuncupati fuerint. Et enim a Deo Germanicas gentes nomina lubenter sumsisse, non antiquitati repugnare, supra declaratum est. Quæ vero denuo ab aliis auctoribus magis, quam par erat, hoc in negotio curiosis, extremæ huic nominis significationi adiiciuntur, vt hos Thuringos, Dei sui nomine notatos, non de fœdere nationum plurium, sed de singulari natione, interpretentur, easque rursus nunc a Gothis, aut Cimbris, aut, nescio, a quibus aliis gentibus, deducant, lubentes dissimulamus silentio; non veterum originum vulgarem curam, licet extrema vocabuli Thuringorum explicatio satis placuerit, cum his auctoribus sequuturi (*d*).

XXIV. Nostram autem vt exponamus sententiam, prorsus Thuringorum nomen

(*d*) Varias opiniones de *THVRINGORVM* nominis notatione, & coniecturarum ex nomine de genere Thuringorum captarum farraginem, reperis in CASPARIS SAGITTARII *Antiquit. Regni Thuringici Lib. I. Cap. I. & II.* Non libitum est, discrepantes auctorum sententias exscriptas dare. Ad quæ prouocatur, veterum auctorum testimonia, hæc sunt. TACITVS *Germ. Cap. XXXVI.* post enarratam Cheruscorum cladem ait: *Ita qui olim boni æquique Cherusci, nunc inertes ac stulti vocantur: Cattis victoribus fortuna in sapientiam cessit.* Laudat PLINIVS *Lib. IV. Cap. XII.* STRABO *Lib. VII.* & PTOLEMAEVS *in Sarmatiæ descriptione Tyrigetas*, seu *Tyragetas*: & posterior ibidem, & in Germaniæ descriptione *Tyrangitas* & *Teuriochæmas*. Ab AMMIANO MARCELLINO *Lib. XXXI. Cap. III.* & passim deinde *Theruingi*, *Gothorum pars*, memorantur: & eosdem EVTROPIVS *Lib. VIII. Cap. II.* in gentibus a Traiano victis refert. De *Tulingis* vid. CAESAR *Bell. Gall. Lib. I. Cap. V.* *Reudingi* sunt in sociis VII ciuitatibus apud TACITVM *de Germ. Cap. XL.* De *Tungris* ex PLINIO *Lib. IV. Cap. XVII.* ex TACITO *Germ. Cap. II* & ex PTOLEMAEO *Lib. II. Cap. IX.* in Belgicæ populis dictum. Nominis *Thuringorum* veriorem notationem, a *Thor, Deo*, acceptam, erudite rursus SAGITTARIVS *Lib. I. Cap. III.* persequitur.

noui fœderis insigne est.

Germaniæ mediæ initia.

prorſus vtique nouum antiquiorum Germanicarum ciuitatum fœdus, nouamque ſocietatem, quæ Thuringorum accepit compellationem, hic deprehendimus. Nouam enim in Germaniam peregrinæ nationis migrationem tum accidiſſe, cum primum Thuringorum nomen audiretur, omni hiſtoriæ aduerſatur. Quærendum autem, quando primum illud nomen audiri cœperit? quæ videantur ad illud veteres ciuitates acceſſiſſe? quæ primæ Thuringorum ſedes fuerint? Nominis Thuringorum prima in Vegetio mentio occurrit; isque quarti exeuntis ſeculi auctor, Thuringorum equos iniuriæ admodum patientes eſſe, dixit: gentem ipſam Iornandes, Caſſiodorus, atque Procopius, præter Francicarum rerum eximium ſcriptorem, Gregorium Turonenſem, nominarunt, partimque deſcripſerunt. Quod ideoque antiquiorum hiſtoricorum Thuringos meminit nemo; recte inde coniicitur, non multum ante quartum ſeculum illud nomen natum atque celebratum fuiſſe. Capti vocabuli rationes, quantum licuit coniectura in antiquitatem proſpicere, oſtendimus. Gentes, quæ videantur ad hoc fœdus acceſſiſſe, proferre in medium, admodum videtur difficile futurum. Si conſtaret de ſingulari Germaniæ quarundam ciuitatum cultu, Thoro Deo præſtito, tunc fortaſſis coniecturis idoneis locus foret. Iam, cum omnes paſſim Germani Thorum, qui Romanorum Iupiter creditur eſſe, coluerint; nihil inde magis vnius, quam alterius, gentis ad Thuringorum fœdus tranſitionem comprobat. Ex primis Thuringorum ſedibus daretur fortaſſis locus de populis iudicandi, quibus Thuringicum nomen placuerit: ſed & illis prorſus ignoratis, ſaltem plenæ dubitationi relictis, iterum nihil, quod probabile ſit, colligitur. Quid ergo conſilii ſuperat? Deſperare, credo, oportet plenam gentium, quas Thuringicum fœdus

Nominis Thuringorum ætas.

Thuringi. fœdus complexum eſt, notitiam: ſufficiet arbitrari, & opinari, quæ forte ciuitates nouæ ſocietati nomina dederint (*e*).

XXV. Opi-

(*e*) VEGETIVS RENATVS *Mulomedicinæ ſiue artis Veterinariæ Lib. IV. Cap. VI.* Thuringicos equos memorat. COMES NVENARIVS, qui *Mulomedica* edidit, eundem eſſe VEGETIVM arbitratur, qui *de Re Militari Libros V.* conſcripſit: indeque de auctoris ætate iudicium. De gente PROCOPIVS *Bell. Goth. Lib. I. Cap. XII.* ita narrat, vt cernas, nationem ipſi fuiſſe cognitam, licet accepta notitia admodum fuerit confuſa atque obſcura. Poſt ea, quæ de *Arborichis*, incerto populo, diſſeruit, ait: Μετὰ δὲ αὐτοὺς, ἐς τὰ πρὸς ἀνίσχοντα ἥλιον Θόρυγγοι βάρβαροι, δόντος Αὐγούστου, πρώτου βασιλέως, ἱδρύσαντο. καὶ αὐτῶν Βουργουζίωνες οὐ πολλῷ ἄποθεν πρὸς νότον ἄνεμον τετραμμένοι ᾤκουν. Σουάβοι δὲ ὑπὲρ Θορύγγων, καὶ Ἀλαμανοὶ, ἰσχυρὰ ἔθνη. οὗτοι αὐτόνομοι ἅπαντες, ταύτῃ τὸ ἀνέκαθεν ἵδρυντο. *Secundum eos* (Arborichos) *ad orientem Thoringi conceſſam ſibi ab Augusto Cæſare, Imperatorum primo, regionem colebant. Non procul ab his ad auſtrum verſus, degebant Burgunziones; vltra Thoryngos Suaui & Alamanni, validæ nationes. Iſti omnes ab antiquo liberi, oras illas tenebant.* Recte ponit ab auſtrali Thuringorum latere Sueuos & Alemannos; ſed ex priore memoria Burgundiones; præter quod peruulgatam de hiſce fabulam ad Thuringos ſimul transfert. IORNANDES crebro Thuringorum meminit in *libro de Rebus Geticis*, ſed vt nullo verbo Gothicum eorum genus indicet; quod, ſi, quod quidam cupiunt, Gothici fuiſſent, vtique facturus fuiſſe videtur. Situm populi ex ætate Glycerii, imperatoris, ita deſcribit: *Regio illa Sueuorum* (Hermundurorum) *ab oriente Boioarios habet, ab occidente Francos, a meridie Burgundiones, a ſeptentrione Thuringos.* Rurſus ex antiquiori memoria Burgundiones ponuntur, & ex recentiori æuo Franci: nam Glycerio, Iulioque Nepote, imperantibus, iam in Galliam Burgundiones inuaſerant; nec tum Francia noua a latere Sueuorum Hermundurorum ſtetit. CASSIODORVS Senator, VENANTIVS FORTVNATVS, Francicique aliquot ſcriptores, vocant gentem *Toringos*; regionem *Toringam* & *Toringiam*: ſic GESTA DAGOBERTI I. *Cap. XXXI.* GESTA *Regum Francorum Cap. VI. & XXII.* GREGORIVS TVRONENSIS *Hiſt. Franc. Lib. II. Cap. XII. Lib. III. Cap. IV.* & alibi conſtanter *Thoringos* & *Thoringiam* nominat. PAVLVS DIACONVS *Hiſt. Longob. Lib. I. Cap. XXI. Lib. II. Cap. X. Turingos* & *Turingiam* memorat. Non reperio autem in hiſce auctoribus Thuringiæ regionis accuratam deſcriptionem, niſi, vbi per tranſitum aliquid indicatur: vnde non viſum multa coaceruare auctorum teſtimonia. GEOGRAPHVS *Rauennas Lib. IV. Geogr. Num. XXV. Ad ſa-*

Conie&u-ræ de populis Thuringico fœdere complexis.

Germania media initia.

XXV. Opinationis modeſtæ vt fiat periculum, conſtituamus, primas Thuringorum eas ſedes fuiſſe, quas primi auctores indicarunt: nam, licet priores aliæ fuerint, quis eas ex obſcuritate expromere aptus erit? Multos circumcirca reperimus populos, quorum nomina tum, cum Thuringicum nomen ſurgeret, perierunt: quid prohibet, quo minus eorum partes, nam in partes plures plerumque Germaniæ antiquæ populos diffluxiſſe conſtat, in Thuringica conſociatione exquiramus? Coluerunt *CHERVSCORVM* optimam Thuringi regionem: nomen Cheruſcorum iam exoleuerat: periiſſe aut exciſam eſſe integram nationem, non legimus: cur dubitamus Cheruſcos in Thuringis quærere? Sed, inquis, illos Saxonico dediſti fœderi; cur partes deſeris, nouamque probas opinionem? Ego vero pluries docui, perſæpe fœdera nominaque Germanicas ciuitates conſueuiſſe mutare atque deſerere. Cœpiſſe Saxones cis Albim primos Cheruſcos ad defectionem a Francico fœdere ſollicitare, & ad ſuam traduxiſſe ſocietatem, videtur vtique probabile. Fortaſſis autem rurſus deſciſcere a Saxonia placuit, & nouæ ſurgenti ſocietati manus dare. Eam puto rationem; cur Saxonibus poſt Thuringici regni cladem omnis prope Cheruſcorum vetus regio a Francis ſit relicta? quod ſcilicet poſtularent Saxones eam ſibi reſtitui regio-

ciem, inquit, *patria Francorum Rhenenſium eſt patria, quæ dicitur Turingia, quæ antiquitus Geemania nominatur, quæ propinquatur & patria Saxonum. In qua patria aliquanta caſtella fuiſſe legimus, id eſt, per quam Turingorum patriam plurima flumina, inte cætera, quæ dicuntur Bac*, (forte Nab) *& Reganum*, (Regen, vnde Regenſpurg) *quæ in Danubio merguntur.* Cum ſeculi VII ſcriptor ſit ille ANONYMVS *geographus*, non inutiliter eius de Thuringiæ poſitione narratio accipitur. Ad coniecturas de gentis Thuringicæ vera origine nihil addendum puto. Celeberrimus HERTIVS *in Notitia Germ. populorum P. III. Cap. IV.* mecum ſentit, & fœdus quoddam Germaniæ populorum in Thuringico agnoſcit nomine.

Thuringi. regionem, quæ iam olim in Saxoniam fuerat imputata, nec quam ſerius a Thuringico nomine occupata. Præter Cheruſcidis portionem Hermundurorum regionis pars cenſetur in Thuringia: non enim ſolum cis Salam, ſed & trans hunc fluuium, Thuringi coluerunt. Hermunduros in Sueuicum nomen tranſiuiſſe, & poſterioris æui Sueuiam inſediſſe, declarauimus. At potuere nihilo ſecius & partes *HERMVNDVRORVM* ad Thuringicam ſimul conſpirare ſocietatem; vt quædam feruntur eorum partes cum Vandalis inuaſiſſe in Gallias, & Hiſpanias: niſi tamen magis contenderis, Thuringos non niſi in deſertos ab Hermunduris, qui in nouam Sueuiam conceſſerunt, agros ſeriore æuo inuaſiſſe.

XXVI. Porro in Thuringia vetuſtiore Cattorum regionis eximiam portionem mox cernemus. Num & Catti cum Thuringis fecerunt, nomenque mutarunt ſuum? Non id ego crediderim, cum ſemper cum Francis Catti feciſſe legantur, ſed illorum maximi hoſtes Thuringi fuerint. Credibile potius eſt, cum Cattorum inſignis vis cum Francis in Galliam penetrauerit, præualuiſſe nouæ ſocietatis Thuringicæ vires; &, aut ſponte ſua cedentium, aut vi expulſorum, Cattorum regionis partem a Thuringis occupatam eſſe. Ex gentium, quæ extra Thuringiæ habitarunt limites, numero, plures Transalbinas nouis acceſſionibus Thuringicum fœdus auxiſſe putauerim. Habeo ſeptem prope Sueuicum mare, inter Albim & Viadrum, ciuitates; Anglos, Varinos, Reudingos, & alios. In plures illas gentes diffluxiſſe partes, alio loco oſtendimus; nec videri improbabile diximus, partem etiam migraſſe cis Albim, & ad nouam ſurgentem Thuringorum ſocietatem ſe adiunxiſſe. Præſertim perſuaſit multis vetus lex, cuius inſcriptio

Continuata populorum in Thuringico fœdere latentium inueſtigatio.

Germa-medis na-tia.

ANGLIOS & *WERINOS* habet, cum addita interpretatione, hos esse *THVRINGOS*; vt vtramque illam ciuitatem in Thuringis quærerent. Cum obstet vero, Anglos in Britanniam cum Saxonibus migrasse, & Werinos, siue Varnos, nam vna gens vtroque vocabulo notatur, singularem prorsus habuisse rem publicam, singulares reges, quod posterius Cassiodorus probat, & Francica historia comprobat; licet nondum fuerit inuentus, qui, vbi Varni egerint, quibusque finibus, potuerit ostendere: inde aliis placuit, alienam manum suspicari, quæ ad Angliorum Werinorumque nomen Thuringicum adiecerit, & proinde in Thuringis nullos, neque Anglos, neque Varinos, quærere. Ego nihil quidem definio, sed admitti posse vtramque *puto* gentem; cum, quod subinde Thuringicum regnum est diuisum, Angli Varinique potuerint singularem tueri rem publicam, suum quandoque habere regem, sua seruare cognomenta, & simul tamen communi Thuringorum fœdere comprehendi. Rem Francorum, Saxonumque, fœderis rationes satis adprobare, quilibet viderit. Si ex *NARISCIS*, si ex *SEMNONIBVS*, si & ex aliis gentibus, quarum extrema non sunt explorata fata, nouas conquisierimus Thuringico fœderi adiectiones; non valde nunc porro errauerimus, licet probandi destitueremur idoneis rationibus. Sed satis monstratum esse putamus, satis fuisse in Germania gentium, ex quarum consociatione Thuringicum ortum esse fœdus videri queat; vt saltem minime opus fuerit, multa opera nouas nationes in Germaniam inducere, iisque Thuringicum cognomentum adserere (*f*).

XXVII. Siue

(*f*) Veteris LEGIS hæc inscriptio est: *Incipit Lex Angliorum & Werinorum, hoc est, Thuringorum.* In *Varinis* superiore loco inquisiuimus de *Werinis*, locaque auctorum protulimus. Auctoritatem veterem, nam recentiorem quid morer? qua probem meam de gentibus, Thuringico fœdere complexis, opinionem, non reperio.

Thuringi. XXVII. Siue igitur *Cherusci*, siue *Hermunduri*, & *Narisci*, siue *Semnones* fuerint, & *Angli*, & *Varini*, & *Reudingi*, siue integræ ex his gentes, siue ex omnibus illis populis partes; incertis adductæ rationibus quarto seculo Alemannorum, Francorum, Saxonum, diuersorumque fœderum, exemplo, coiuerint in liberam coniunctionem, iuriumque, simul & nominis, stabilem communionem: Elegerint nomen a communi, quem Thoro præstiterunt, cultu, &, quasi istius Dei satu omnes nati ortique, se *THORINGOS*, siue *Thuringos*, adpellauerint. Pars quædam, si Varnos omnino in Thuringis numerauerimus, seruauerit singularia sua instituta, singularem regem: cuius rei crebra exempla Alemannicum & Francicum fœdus suppeditat. Potior pars vnius imperium, sed libertati non graue, non periculosum adprobauerit, & a rege, Germanico sed more, regnata fuerit. Hactenus liberæ coniecturæ; iam certiora habemus. Certe reges habuerunt Thuringi, quinto exeunte, & sexto cœpto, seculo: & regum occurrunt aliquot nomina. An *regnum* potuerit tunc *THVRINGIA* vocari? dubitant auctores: nos non dubitamus regnum dicere, quale Marcomannicum, quale & deinceps Francicum, fuit; licet satis clausam non habuerit prouinciam, nec magnitudine cum illis regnis conferri potuerit. Sub regibus Thuringi satis fortiter egisse leguntur: & tum rebus in Germania maxime turbatis, fines suos prolatandi optimam habuerunt occasionem. Cum autem, Francico in Gallia firmato regno, contra istud bella administrare occepissent, maxima denique clade Thuringici regni amplitudo corruit. Primum ad tributa Thuringi adacti sunt; mox fraternis simultatibus & odiis labefactatum regnum, vicinorum Francorum Saxonumque coniunctæ vi facile patuit. Theodoricus Austriæ primum fratrem

Thuringorum historiæ præcipua monumenta.

ANN. CCCXCI.

ANN. XIIX.

contra fratrem adiuuit; deinde, prædæ non data parte, arma contra illum regem, qui ex fratribus erat reliquus, vertit, eumque Saxonum, qui Hatugato duce alacres ad diuidenda spolia aduolauerant, ope euertit, & sustulit. Ita *HERMINFRIDO* sublato desiit Thuringia regnum esse, & amplissimis finibus mulctata est. *Saxones* septentrionalem Thuringiam, quæ trans Vnstrutum erat, accepere; & hanc partem deinde Saxonia rursus habuit. Alteram partem suæ ditioni *Franci* adiecerunt. Licet vero eiusdem partis quædam portio plene videatur Franconiæ cessisse, reliquum tamen nihilo minus *Thuringicum* mansit nomen; hoc quidem omne in Francica clientela, & longe nunc minoribus finibus contentum (*g*).

Germaniæ mediæ initia.

Ann. DXXXIII.

XXVIII. Hos

(*g*) Antiquissima prope Thuringici regis memoria occurrit in rebus gestis Childerici Francorum regis. Hic in Thuringiam fugere compulsus, *apud Regem Bisinum uxoremque eius Bisinam latuit*: scribente GREGORIO TVRONENSI *Lib. II. Hist. Franc. Cap. XII.* Vid. AIMOINVS *Lib. I. Cap. VII.* *HERMENFRIDVM*, Thuringorum regem, memorat IORNANDES *de Rebus Geticis*. Sic nomine *Thuringorum regis filiam Ranicundam*, VVachoni Longobardorum regi nuptam, laudat PAVLVS DIACONVS *Lib. I. Cap. XXI.* Primus Clodouæus Thuringos adflixit. GREGORIVS TVRONENSIS *Lib. II. Cap. XXVII.* *Decimo*, inquit, *regni sui anno Thoringis bellum intulit, eosdemque suis ditionibus subiugauit.* Iterum Theodoricus cum *HERMINEFREDO*, Thuringorum rege, contra eius fratrem *BADERICVM* bellum administrauit: de quo vid. GREGORIVS TVRONENSIS *Lib. III. Cap. IV.* Cum autem Herminefridus pactis non staret, Theodoricus nouum bellum orsus ipsum sustulit, regnum Thuringicum plane euertit. Idem *Lib. III. Cap. VII.* illam Thuringici regni internecinam cladem describit; & cum eo PROCOPIVS *de Bello Goth. Lib. I. Cap. XIII.* VENANTIVS FORTVNATVS variis carminibus, inprimis *carmine de Excidio Thuringiæ* singulari, nomine *Rhadegundis* composito; AIMOINVS *Lib. II. Cap. IX.* Quam sæpe Thuringia exinde rebellauerit, auitamque libertatem ope Saxonum recuperare concupiuerit, Francica historia tradit. Sed an Saxones auxilia Francis submiserint, partemque regionis acceperint? ab auctoribus disputatur. Quia nec GREGORIVS, nec PROCOPIVS, nec AIMOINVS quicquam eius rei meminerint, plures

Thuringi. Finium Thuringiæ commemoratio.

XXVIII. Hos fines nunc cernere oportet; & quos Thuringicum, cum floreret, habuit regnum, & quos seruauit victa, & debellata, Francisque subiecta, Thuringia. Illi maxima terrarum spatia concluserunt, vt omnino secundum quatuor cœli plagas, potuerint diuersis nominibus compellari. Nempe putatur vetus *THVRINGIA* cœpisse a Mœno contra *septentriones* protendi ad vsque Ockeram; ad *orientem* habuisse Muldam, ad *occasum* Lanum, & superius Adranam amnem. Quantum & monumenta illius ætatis docent, *Septentrionalis Thuringia* dicta est, quæ trans Vnstrutum ad Ockeram pertigit; *Australis*, quæ ab Vnstruto ad Mœnum prospexit. *Orientalis* fuerit dicta, quam Sala ab australi diuisit; *Occidentalis*, quam Werra disterminauit. Post ruinam celebris regni magnam finium iacturam fecisse Thuringiam, iam demonstratum est. Nempe pars trans Vnstrutum septentrionalis Saxonico & imperio cessit, & nomini. Quota Thuringiæ pars in Franconiæ complexionem sit suscepta? a nemine doceri video. Puto vero ad Mœni Salæque fontes iam Franconiam esse protentam, indeque Thuringicum nomen exclusisse. Ergo

prorsus negant, VVITICHINDIque narrationem malæ fidei incusant. Sed VVITICHINDVS *Ann. Lib. I.* omnem expeditionem, eiusque rationes atque euentum, tam accurate describit, vt vix dubium sit, ex antiquis monumentis sua eum sumsisse. Porro ante VVITICHINDVM EGINHARDVS, Caroli ille æqualis scriptor grauissimus, rem memorauit eodem ac VVITICHINDVS modo: & conseruauit nobis fragmentum illius narrationis ADAMVS BREMENSIS *Lib. I. Cap. IV.* Accedit causa silentii priorum Francicorum auctorum; quod noluerint Saxonibus, grauissimis hostibus, gloriam auxilii Francis tunc præstiti largiri. Vnde non dubito accedere receptæ hodieque meliori sententiæ; non, quod post VVITICHINDVM plurimi cum ipso senserint, sed, quod probata videtur vetus rei memoria. Si cui lubet fatum Thuringici regni, eiusque diuisionem, magis contemplari, adeat eruditissimas Thuringici regni antiquitates, quas CASP. SAGITTARIVS dedit *Lib. II. Cap. XI. XII. sequ.*

Ergo tunc mansere Thuringiam propriam pars Australis cis Vnstrutum terræ; Orientalis trans Salam; Occidentalis cis Werram regio. In Saxonica ditione licet dudum mutatis dominis, durauit tamen semper nomen *Nordthuringiæ*, siue *Nordthiringowe*, veterisque Thuringiæ diuisionis memoria. Quos Franconia accepit agros, plene deinceps & re, & nomine, possedit; nec in iis veterum habitatorum vestigia reliqua facta sunt. De *propria Thuringia* adhuc notari debet, succedente ætate Soraborum ingruentium vi rursus illam eximia regione, quæ trans Salam sita erat, excidisse. Quando expulerint Sorabi Thuringos? a nemine proditum reperio. Factum fortassis, cum fracta bellis gens iniuriis exterorum magis cœpisset esse obnoxia: quod in sexti seculi finem retulerim. Seriore ætate iterum Salam Thuringi superasse, & Sorabos agrorum parte exclusisse, videntur: vix tamen priscus orientis Thuringiæ limes restitutus fuerit. Interim constat Thuringiam, quantumuis valde diminutis agris, semper maiorem exstitisse illa Thuringia, quæ hodie nomen habet. Nempe Werra amnis nunc *Thuringiam* ab *Hassia*, quæ dicitur, diuidit; olim integra Hassia, quod nomen sera ætate regio accepit, quam fere lata est, Thuringiæ pars fuit; Occidentalis Thuringiæ, quod nomen ante memorauimus, nomine notata (*b*). Germania media.

XXIX. Pote-

(*b*) Quos Thuringiæ fines veteres auctores designent, dictum. De singularibus limitibus vix quicquam, nisi ex priscorum nominum memoria, constat. Occurrit vero in multis diplomatis nomen *Nordthuringia*, eiusque termini, vt fere in commentatione est, describuntur. Vid. SAGITTARIVS *dicto loco Cap. XII.* qui etiam ex coniecturis ceterarum Thuringiæ regionum fines declarat. Si GEOGRAPHO *Rauennati*, cuius testimonium supra protulimus, fides, *Australis, Thuringia*, videtur haud procul absuisse Danubio; quia Nauum & Regen amnes in Thuringorum patria ostendit. Hæc ergo australis Thuringia maximam partem Transrhenanæ accessit Franciæ.

ringi. XXIX. Poterant finium intuitu multa præterea disquiri plura; quo nempe modo Thuringia Rheno vicina fuerit? cur a Procopio Sueui Alemannique statim supra Thuringos locentur? & alia illius generis varia. Nos autem, curatiorem de nostro populo inuestigationem, aliis relinquentes curis, illa omnia mittimus, & ad extrema contuemur. *THVRINGI*, si instituta & publica, & priuata, respicimus, veram Germanicam indolem vbique exhibuerunt. Bellis adsueta gens, & fortis, & animosa, & hospitalis, & libertatis maxime studiosa fuit. Antequam reges eligerent, duces habuisse videntur, nec nisi exemplo vicinorum populorum, vt magis forent ad gerendas res promti & expediti, ad regium imperium consensisse. Placuit vero, semel probata regia dignitate, perpetuare regiæ domus decora, filiisque in parentum locum successionem relinquere. Quid, quod ex numero filiorum diuidere ditionem & imperium Thuringi consueuerint: quod omne Thuringici regni historia satis comprobat. Euerso regno reges habere Thuringi desierunt; vt æque ineptiant, qui reges recentiores in medium proferunt, ac alii, quibus fabulæ de antiquissimis Thuringiæ regibus persuaserunt. Partem suam Saxones pro gentili more rexere. Alteram partem Franciæ ducis iurisdictio est complexa. Quæ fuit reliqua, Thuringia, a Francis, in quorum clientelam redacta erat, ducem accepit. Primus ducum *RADVLPHVS* a Dagoberto est institutus, isque fortissime Slauos cohibuit; iam tum propinquos Thuringis Slauos fuisse, certo argumento. Ex crebris Soraborum incursionibus Carolingorum ætate contigit, Thuringiæ ducem *Sorabici limitis ducem* adpellari. Paulo deinde per solos comites Thuringia administrata est, vt tamen cum eis dux limitis, quem *Marchionem* vocare moris exstitit, regionis saluti prospexerit.

Instituta Thuringorum & publicus status.

Tandem vni ex comitibus prouincialis comitis *Landgrafium* dixere, dignitas concessa est: quæ & dignitas regionem, quamquam denuo auulso occidentali parte, dimidiatam, ad hodiernum vsque manet æuum (*i*). *Germaniæ mediæ.*

Origines Alemanniæ Sueuiæque, quæ sexto fuit seculo.

XXX. Pergimus ad

ALEMANNOS atque SVEVOS;

quos hoc, ad quod proprie respicimus, æuo vna persequi & complecti commentatione conuenit. Nempe satis est aliis locis declaratum, esse quidem Alemannos ex Sueuis conuenas, qui quondam Romanos clientes, qui inter Rhenum & Danu-

(*i*) Inter ceteras clarissimas ac ferocissimas nationes *gentem Thuringorum nobilissimam* vocauit BOETHIVS WILFINVS, Episcopus, libro *de Vita Iuniani Confessoris ad Godolenum Abbatem.* De regia in eis potestate, deque filiorum in paternam dignitatem successione, ex dictis constat. Francica victoria Thuringicum regnum finiuit, & inde duces prouinciam ex auctoritate Francorum rexerunt. Maxime ex his clarus fuit *Radulfus dux*, *filius Chamasi, quem Dagobertus Toringiæ ducem instituit, qui pluribus vicibus cum exercitu Winidorum dimicans, eosque victos vertit in fugam. Huius victoria superbia elatus, & contra Adalgiselum ducem diuersis occasionibus inimicitias tendens, paulatim contra Sigibertum iam tunc cœperat rebellare:* scribente FREDEGARIO *in Chron. Cap. LXXVII.* qui item *Cap. LXXXVII.* grauissimum bellum cum *RADVLFO* a Francis, sed infeliciter administratum commemorat. Caroli Magni æuo nullius Thuringiæ ducis annales meminere: vt credibile sit, & iam eam prouinciam a Comitibus administratam esse. Sed rursus in *Annalibus* BERTINIANIS in diuisione regni, quam Ludouicus Pius fecit, *Ducatus Thuringici*, verum sine nomine, quis dux fuerit, mentio fit. Regnante Ludouico Germanico, *THACVLFVS* dux Thuringiæ fuit, isque *Dux Sorabici limitis* adpellatur in FVLDENSIBVS *Annalibus ad Ann.* CIƆCCCXLIX Iisdem ANNALIBVS *ad Annum* CIƆCCCLXXIII. ille Thaculfus audit *Trachulfus Comes & Dux Sorabici limitis*: & post fata eius memorata *RATOLFVS*, *Thaculfi successor* nominatur, qui a PERSONA *in Cosmodromio Act. VI. Cap. XLII.* dicitur, *ex commissione Ludouici regis ducatum Thuringiæ obtinuisse.* Non recentiora moramur: sed vid. CASPARVS SAGITTARIVS *in Antiquit. Thuringicis*, & VVILH. ERN. TENZELIVS *in Supplem. II. Historiæ Gothanæ.*

Alemanni & Sueui. Danubium consederant, expulere, nobilemque regionem, capto Alemannorum nomine, possedere: recteque adeo & veteres ***Alemannos*** esse ***Sueuorum*** nomine notatos. Sed obseruauimus etiam, eos Sueuos, a quibus hodie Sueuia nomen habet, diuersos fuisse ab Alemannis, cum quibus deinceps in vna regione permixti coluerunt. Cum, inquam, Alemanni in Rhætias inuasissent, deinde cis Rhenum non vnam regionem occupassent, factum est, vt passim vicina ***Sueuia***, quæ ad orientale veteris ***Alemanniæ*** latus, inter Salam Albimque, ad Danubium vsque, fuerat porrecta, colonias in Alemannorum veteres agros submitteret, Sueuiæque adeo nominis fines late ad occidentem proferret. Alemanni non videntur ingratiis desertas sedes cognatæ genti concessisse; quid? quod videantur permisisse, vt in ipsam Rhætiam Sueui, siue ii Hermunduri fuerant ante dicti, colonias ducerent. Arcto tum fœdere cum Sueuis Alemannis consociatis, communia videntur fuisse bella, & communia iura. Cum ergo Alemanni gra- ANN. CCXCIX. uissimo ad Tolpiacum prœlio victi essent, & in Francorum ditionem concessissent; simul tum credibile est, Sueuos in Francicam susceptos esse clientelam. *SVEVIA* tum prorsus a suo loco dimota erat, & in priscæ *ALEMANNIAE* locum, maxime autem in Rhætiam ab Alemannis quondam insessam, successerat. Inferioribus quidem agris cedere iussi Sueui, vt fieret locus Franciæ, trans Rhenum iam constituendæ. Ad Danubii autem vtramque ripam iam confirmatior SVEVIA, finibus certis cœperat describi, quibus temporum nulla vlterius iniuria officere debebat. ALEMANNIA eodem æuo cis Rhenum in Heluetia, & Rauracorum agro firmior erat, & in illas maxime regiones suum transtulerat nomen; licet nec nominis proprii trans Rhenum delerentur vestigia. Scilicet cis Rhenum fere soli

Alemanni coluere, vnde nomen *Alemanniæ* ibi certius. *Germaniæ*
Trans Rhenum cum Sueuis permixti in antiquis durarunt *media ætas.*
ſedibus; vt vero, quod Sueuorum prævalerent ibi vires, magis *Sueuiæ* frequentaretur nomen, nec tamen *Alemanniæ* vocabuli vſus deficeret: imo, præter generalem Alemanniæ nominis acceptionem, ſingularis *Alemannorum pagi* in reliqua Sueuia adpellatio conſeruaretur. En! cur Alemanni & Sueui, licet vtrique Sueuicæ originis, ante tamen diuerſis in regionibus ſtrati, mox eiusdem trans Rhenum terræ poſſeſſores facti, hoc a nobis loco recte inter ſe iungantur atque copulentur (*k*).

Sueuiæ atque Alemanniæ iſtius formula. XXXI. Variam exinde Sueuiæ & Alemanniæ compellationem trans Rhenum accipi, modo eſt indicatum. Quis autem non cernit, in quantum hiſtoriæ confuſionem ille incurrat; qui primum *Alemannos Sueuos*, *Sueuosque Hermunduros*, *Alemanniam Sueuiam* ad Rhenum, & *Sueuiam HERMVN-*

(*k*) In Alemannis atque Sueuis Hermunduris omnium eorum, quæ hic narrantur, auctoritatem ante occupauimus. De *ALEMANNORVM* atque *SVEVORVM* coniunctione atque confuſione placet iterum IORNANDEM audire *de Rebus Geticis* ita diſſerentem: *Regio illa Sueuorum ab oriente Boioarios habet, ab occidente Francos, a meridie Burgundiones, a ſeptentrione Thuringos. Quibus Sueuis tunc iuncti Alemanni etiam aderant, ipſique Alpes Rhaticas omnino regentes; vnde nonnulla fluenta Danubio influunt, nimio cum ſono vergentia. Hic ergo taliter munito loco Theodemir rex hiemis tempore Gothorum ductauit exercitum; & tam Sueuorum gentem, quam etiam Alemannorum, vtramque ad inuicem fœderatas, deuicit, vaſtauit, & pene ſubegit.* Ex PROCOPIO *de Bell. Goth. Lib I. Cap. XII.* modo etiam vidimus Sueuorum Alemannorumque coniunctionem. Σουάβοι δὲ καὶ ὑπὲρ Θορίγγων καὶ Ἀλαμανοὶ ἰσχυρὰ ἔθνη, *vltra Thoryngos Suaui & Alamanni, validæ gentes.* Et recentior quidem illis, ſed fide digniſſimus, auctor VVALAFRIDVS STRABVS *in Vita S. Galli prologo*, antiquiorem Alemanniæ atque Sueuiæ ſtatum exponens, optime ait: *Igitur quia miſti Alemannis Sueui partem Germaniæ vltra Danubium, partem Rhætiæ inter Alpes & Hiſtrum, partemque Galliæ circa Ararim* (Arolam intelligit) *obſederunt; ab incolis nomen patriæ deriuemus, & Alemanniam, vel Sueuiam, nominemus.*

Alemanni & Sueui. *HERMVNDVRORVM* ad Salam & Danubium patriam, non commode discreuit? qui *Sueuiæ nouæ*, *nouæ*que *Alemanniæ*, ortus non rite edoctus est? qui demum ignorat, vnde *extrema Sueuia* nomen, & vnde alterum *Alemannia extrema*, traxerit? Nos, ne vspiam per errorem labamur, publicum Alemanniæ Sueuiæque sub Francis statum hic porro contemplamur, quo viso cetera luculentiora, credo, erunt. A Francis debellati & perdomiti Alemanni, inque clientelam accepti Sueui; nam diuersa videtur vtrorumque fuisse conditio, cum fœderati quidem Alemannis fuerint Sueui, non adeo tamen in Francos infenso atque inimico, ac Alemanni, animo. Alemanni cis Rhenum acerbe & aspere quam maxime a Francis sunt habiti, vt frangeretur gentis summa peruicacia. Alemannis trans Rhenum non mitior, quam reliquis cis Rhenum, videtur obtigisse conditio; nisi qui Alemanni prorsus cum Sueuis eosdem pagos incoluere. Sueuis enim Francorum beneficio libertate pleniore donatis, qui inter hos habitarunt Alemanni, participes simul beneficii creduntur facti esse. Ceterum, vt minores magistratus sileamus, qui Alemannis atque Sueuis sunt dati; toti prouinciæ inde dux præfectus est, qui modo *dux Sueuiæ*, modo *Alemanniæ*, modo vtriusque populi simul præses, audit. Dubitetur hic, an idem Sueuiæ fuerit dux, qui alibi Alemanniæ dux adpelletur; vtrum singulorum populorum singuli duces fuerint? Quod equidem permixti Sueui Alemannique coluere, extrema quæstio statim neganda videtur. Sed tamen reperimus, in Francorum annalibus alium Sueuiæ, alium Alemanniæ, ducem diuersis in locis nominari; imo eodem tempore duos duces Alemanniæ atque Sueuiæ: quod saltem euincere poterat, licet coniunctos, & inter se copulatos, Sueuos, Alemannosque, in duas tamen prouincias, duasque

iurisdictiones, imputatos videri; vt altera prouincia haberet *Cisrhenanam Alemanniam*, altera *Transrhenanam Sueuiam*. Atque hoc, si ad Carolingorum ætatem respicimus, vtique ita legitur constitutum, vt alter dux, qui Alsatiæ vocatus est, Cisrhenanam regeret terram; alter Sueuiam Transrhenanam gubernaret, & aut Sueuiæ, aut Alemanniæ, dux compellaretur. Quantum autem de nostro æuo, probe subductis rationibus, constat; vnus tantum dux & Cisrhenanam, & Transrhenanam, siue *Sueuiam*, siue *Alemanniam*, moderatus est: vt primum tamen negare nolim, Cisrhenanam fortassis Alemanniam, qua regio fisco peculiariter adscriptam prouinciam, singulari modo administratam esse; & deinde vni forsitan, alterique, comiti ducis titulum a regibus, præter verum Sueuiæ, eundemque totius Alemanniæ, ducem, esse concessum. Quæ dubitanter igitur supra, cum de Alemannis atque Sueuis, eorumque formula diceremus, sumus arbitrati, commode hoc ex loco, qui proprie gentium harumce statum, qualis sub Francis fuit, persequitur, lucem accipiunt (*l*). Germania media.

XXXII. Ergo

(*l*) De victoria Clodouæi regis, & quam crudeliter ea ille vsus fuerit, partim diximus, partim alibi in nostra docebimus historia. Prouincia promiscue nominata. ANONYMVS *Rauennas Geogr. Lib. IV. Num. XXVI. Propinqua ipsius Thuringiæ adscribitur Sueuorum, quæ & Alemannorum patria.* GESTA *regum Francorum in diuisione regni*, quam Carolus Martellus fecit, nominant *Sueuiam, id est, Alemanniam;* & FREDEGARIVS *in Chronico Cap. CX.* in eiusdem diuisionis descriptione, *Suauiam, quæ nunc Alemannia dicitur.* Historia ducum Alemanniæ sub Merouingicis rebus valde obscura est. Crebro duces nominantur, sed non addita prouinciæ nota. Erant etiam comites, quibus nullus dux præfectus erat, qui & ipsi ideo sæpe in ducum dignitate habiti sunt. Vid. GESTA DAGOBERTI *Cap. XXXVI.* & FREDEGARIVS *Chron. Cap. LXXVIII.* LEX *Alemannorum* crebro *Ducis* meminit, eumque *Dominum*, & res, quæ ad eum pertinebant, *res dominicas* adpellat, filiorumque simul in paternam dignitatem successionem quodammodo constituit. *Ducum Suauorum* mentionem reperio in FRANCICIS *Anna-*

Alemanni & Sueui. XXXII. Ergo in vnam medio ineunte æuo redacta prouinciam & Sueuia, & Alemannia, nunc ſimul finibus ſuis circumſcribenda eſt. Quod enim ſatis oſtendimus, cis Rhenum quidem *Alemannia*, quæ non Sueuia dici poteſt, quam quod ipſi Alemanni Sueui ſubinde compellantur, propriis poteſt notis definiri. Trans Rhenum autem *Sueuia*, quæ duplici ſenſu nomen tuetur ſuum, quod promiſcue Alemanni Sueuique coluerunt, minime poteſt ita diſtingui, vt Sueuorum Alemannorumque ſedes diſcretæ adpa-

Fines Sueuiæ atque Alemanniæ cis & trans Rhenum.

libus, quos Dv Chesne *Tomo II. in principio operis* poſuit; *ad Ann.* ᴉↄccix ᴉↄccx & ᴉↄccxii. *Pipinus in Suauis contra Wilarium ducem bellauit. Ad Ann.* ᴉↄcccxxx *Karolus perexit Suauis contra Lanfridum*, rurſus ducem. *Auctiores* Annales *ad Ann.* ᴉↄcccxii. *Anepus ducit exercitum Francorum in Suauis contra Willebarium.* Erchanbertvs *in Breuiario Regum Francorum & Maiorum domus*, cuius fragmentum habet Dv Chesne *Tomo I.* memorat *GOTEFREDVM* Alemannorum ducem, his verbis: *Illis temporibus ac deinceps Gotefredus, dux Alemannorum, ceterique circumquaque duces, noluerunt obtemperare ducibus Francorum, eo quod non potuerunt regibus Merouels ſeruire, ſicut antea ſoliti fuerant. Ideo ſe vnusquisque ſecum tenuit, donec tandem aliquando poſt mortem Gotefridi ducis, Carlus ceterique principes Francorum paulatim ad ſe reuocare illos arte, qua poterant, ſtuduere.* Eius Gotefridi ducis filius & ipſe dux fuit *THEODOBALDVS*, qui contra Pipinum Caroli Martelli filium rebellauit, ſed mox patria expulſus eſt, vnde rurſus *Pipinus renouauit ſibi eiusdem loci ducatum:* ſcribente Anonymo *in Appendice ad Geſta Regum Francorum.* Carolingica ætate diuiſus eſt Alemanniæ ducatus, & pars cis Rhenum Alſatiæ ducatus adiecta; altera pars nomen Alemanniæ ducatus tenuit. Rem probant clariſſime *Annales* Bertiniani *ad Ann.* ᴉↄcccxxxix. qui *ducatum Heliſatiæ* ponunt inter *ducatum Ribuariorum, & ducatum Alamanniæ.* Incerta deinceps Carolingis regnantibus ætate ducatus Sueuiæ deſiit a ducibus adminiſtrari, nec quam Conradi I. æuo ducem accepit. Eckchardvs *iunior de caſibus monaſterii S. Galli Cap. I.* de Conradi I. ætate dicit: *nondum adhuc illo tempore Sueuia in ducatum erat redacta, ſed fiſco regio peculariter parebat, ſicut hodie & Francia. Procurabant ambas cameræ, quos ſic vocabant, Nuncii.* Inde ſimul de Franconiæ ſtatu ſub Conrado conſtat. Vid. Vlr. Obrechtvs *Prodr. Rerum Alſaticarum*, vbi omnes Sueuiæ atque Alemanniæ ducatus viciſſitudines ſatis accurate exponuntur.

adpareant. Generatim *ad austrum* Sueuia ad Alpes pertigit, quæ Rhaticæ sunt adpellatæ. Inde Alemanni, qui Italiæ proximi fuere, ob Clodouæi regis crudelitatem se Theodorico regi Italiæ dedidere, huiusque patrocinio fuerunt tuti: redditi demum Franciæ ditioni a Theodorici successoribus. Medius amnis Rhenus, vbi oritur, Cisrhenanam Alemanniam item ad austrum prætexuit: vbi ad Brigantinum procurrit lacum, & vltra, *Alemanniam* propriam a *Sueuia*, siue Alemannia, Transrhenana diuisit. Contra *septentriones* cis Rhenum Alemanniæ terminus fuit incertus, nisi idem, qui Alsatiam hodie finit, limes quondam Alemanniæ etiam finis exstitit. *ALSATIAM* vero seu *Elsatium pagum*, a flumine *Alse* siue *Elsa*, qui mediam rigat regionem, accepisse nomen, transeundo monemus. Trans Rhenum aquilonarem limitem haud procul a Nicro abfuisse censeo: nec hic autem quicquam liquet. *Ad occasum* Vogesus mons Alemanniam disclusit, &, supra Arolam, Rhenumque confluentem, Vrsa amnis ab ortu ad confluentem. Vrsa Burgundicam ditionem ab Alemannica disterminauit. *Ad ortum* Licus fuit, Boioariæ atque Sueuiæ vetus finitor. Quibus trans Danubium finibus a Franconia Sueuia distincta fuerit, non facile colligitur. Quem ante nominauimus singularem, *Alemannorum* nomine notatum, trans Rhenum situm *pagum*, (si recte pagum, quem *Algow* hodie vocamus, pro Alemannorum pago accipimus,) Licus ad orientem, Brigantinus lacus ad occasum, concluserit. Idem contra septentriones habuerit Danubium; ad austrum Alpes, siue malimus Bregentz amnem, qua ille haud procul Lici fontibus oritur, meridialem limitem constituere (*m*).

Germaniæ mediæ initia.

XXXIII. Quod

(*m*) In extrema ad Italiæ fines Rhætia Alemannos etiam egisse, docet ipse Theodoricus rex in epistola ad Clodouæum apud CASSIODORVM

manni ineui. XXXIII. Quod de Sueuis atque Alemannis praeterea dicamus, supereſt fere nihil. Disquiri adhuc poterat, an Alemanni atque Sueui, cum in arctiorem coiuiſſent societatem, vnum regem elegerint, eiusque ſuſpexerint imperium; vtrum, vt quondam Alemanni plures, ſiue duces, ſiue reges, habuerunt, ita nunc Sueui ſuos duces, Alemanni etiam ſingulares reges, habuerint? Et recentiores quidem An vnus Alemannorum Sueuorumque rex fuerit?

Lib. II. Epiſt. ult. vbi, cum deprecatus eſſet pro Alemannorum victorum ſalute, id ſibi ait gratiſſimum futurum, ſi precibus Clodouaeus annueret, *nec ſe de ea parte* (Alemannorum) *qua ad ſe pertineat, ſollicitum futurum.* Et MAGNVS FELIX ENNODIVS *in paneg. Theodorico,* eum *Alemannicum* dicendum fore contendit, quia *Alamannos* a Clodouaeo fugatos intra Italiae fines receperit & defenderit. Vitiges rex Francis hac Alemanniae Oſtrogothica parte plane ceſſit, vt illorum ſibi fauorem conciliaret: quod teſtatur PROCOPIVS *Bell. Goth. Lib. I. Cap. XIII.* AGATHIAS *Scholaſticus Hiſt. Lib. I.* putat a Theodeberto rege armis & vi totam Alemanniam de Oſtrogothorum manibus detortam eſſe, in qua vero cauſa admodum ille fallitur. Cis Rhenum quidem SERVIVS HONORATVS *Grammaticus in Georgicorum Lib. IV verſ. 278.* & ISIDORVS, *Hiſpal. Episcopus Orig. Lib. IX.* ſcripſere: *populos habitantes iuxta Lemanum fluuium Alemannos vocari:* vbi aut male *Lemanus,* cum lacus eſſet, fluuius dictus eſt, aut, cum *Limagus* amnis intelligeretur, Lemanus adpellatus eſt. Sed videntur illi auctores magis excurſiones Alemannorum, quam veras ſedes, indicare: vnde communi conſenſu Vrſa amnis creditur Alemanniam diſterminaſſe: quam opinionem maxime defendit FRANC. GVILLIMANNVS *in Rebus Heluеticis* paſſim; vt ſecus autem videatur HADR. VALESIO *Rerum Francic. Lib. V. ad Ann. CCCCLXXXI.* vbi ex diuerſis auctoribus probare nititur, cis Vrſam prope vetus Auenticum, & ad Iuram montem, Heluetiorum pagis Alemannos etiam inſediſſe. Licum amnem Sueuiam ab ortu finiiſſe, perpetuo auctorum conſenſu traditur. VETERES *Annales ad An.* IↃCCLXXXVII. *Perrexit in fines Alemannorum & Beiuueriorum ad flumen, quod adpellatur Lech.* EGINHARDVS *in Vita Caroli Magni. Boioariam,*inquit, *petiturus ipſe ad Lechum amnem cum maximo venit exercitu. Is fluuius Baioarios ab Alemannis diuidit.* Idem & dicunt ANNALES *Caroli ad Ann.* IↃCCLXXXVII. De reliquis finibus fere ex coniecturis conſtat. *Alemannorum,* qui dicitur, *pagus* illuſtratur ex diplomatis & chartis vetuſtis a CRVSIO *in Annalibus Sueuicis.*

dem scriptores, vnum Alemannorum regem cum Clodo- uæo conflixisse, & in prælio cæsum esse, opinantur; vt fere videatur idem rex Alemannorum idem etiam Sueuorum tunc fuisse. Quod autem sine probato illud teste adfirmatur, nec, cum semper pluribus Alemanni rerum summam detulerint, valde veri putatur esse simile; minime hic sufficit ad probandum, Sueuos Alemannosque vnum rexisse regem. Potius, quod benignius a Francis Sueui sunt habiti, quam Alemanni; id facit fidem, suis siue regibus, siue ducibus, Hermunduros Sueuos paruisse, nec forsitan, quam missis auxiliis, Alemannorum causam adiuuisse. Ex Sueuis legimus insignem coloniam a Francis in Saxonum terram ductam esse; tum, cum a Longobardis in Italiam migraturis magna Saxonum manus ex patria euocaretur. Controuersia est, vnde hi Sueui a Francis in nouam ducti terram sint? & quo iidem in Saxoniam adducti? Vtrumque auctorum coæuorum memoriæ prodidit nemo; & solis hic standum est coniecturis. Mea est opinio, ex Sueuis Transrhenanis ductam esse coloniam: quod & hi, magna agrorum parte a Francis capta, angustioribus finibus, quam qui continendæ populi multitudini sufficerent, cœpissent contineri; & insuper Sueuis magis Franci cuperent, quam Alemannis. In Saxonia coloniæ eos dederim agros, quos eo tempore nuper admodum Saxones ex Thuringici regni clade acceperant. Pactio erat interposita, vt cederent Sueui agris, si in Italia stabilem fortunarum sedem Saxones non reperissent. Istud cum Francis pactum non videtur aliam magis terram, quam nuper Francorum fauore recuperatam, cui iam, cum migrarent, non vltra sufficiebant, respexisse. Positi ergo Sueui fuerint trans Vnstrutum in septentrionali Thuringici regni portione. Postea, cum Saxones Longobardorum dedignati imperium ad suas

Germania media initia.

Sueuorum in Saxoniam a Francis ductorum fata.

reuer-

Boioarii. reuerterentur sedes, Sueuis non omnibus agris cessuris, Saxonibus contra integras sedes reposcentibus, primum grauis coorta est contentio, mox grauissimum bellum: quo extremum maior & Sueuorum & Saxonum, nouorum scilicet veterumque terræ colonorum, mutuis cladibus pars concidit (*n*).

XXXIV. Ad ortum a Sueuis, Licum amnem traiicimus, & Boioarium nomen.

BOIOARIOS,

populorum mediæ Germaniæ vltimum, inuisimus. Eos alii auctores *Boioarios*, *Baiouarios*, & *Baiwarios*, & regionem, quam coluerunt, modo *BAIOARIAM*, modo *Bagoariam*, vel *Boueram*, aut etiam *Bagueriam*, adpellarunt. Recentiores *Bauarorum*, & *Bauariæ*, nominibus vulgo vtuntur. Quibus antiquæ, ex nominum similitudine ductæ gentium origines placuerunt, *Boioarios* magis *Boios* nuncupare visum est. Arbitrati nimirum sunt, veteres Boios, Boiohœmi quondam incolas, a Maroboduo rege expulsos, in Vindelicia deinceps egisse: donec, ruente Roma, transgressi in Nariscos Danubium, & rursus inde regressi in Vindelicos atque Noricos, in clarissimum Boioariorum nomen ex longa gloriæ olim partæ obliuione emerserint. An Boioarii Boiorum veterum prosapia?

 Mirum,

(*n*) AVENTINVS *Ann. Boic. Lib. III. Cap. I. Alaricum* Sueuorum, & *Adalgerionem* Baioariorum, regem fuisse contendit; vtrosque fuisse in prælio a Francis cæsos, vtriusque nationem vi in clientelam Francicam traductam. Sine omni vero auctoritate ille hæc adseuerat; cum cladem Alemannorum omnes memorent; nullus regum nomina, aut missa a Boioariis auxilia. De Sueuorum colonia per Francos in Saxoniam ducta ex PAVLO VVARNEFRIDO *Hist. Longob. Lib. II. Cap. VI. Lib. III. Cap. V. VI. VII.* GREGORIO TVRONENSI *Hist. Franc. Lib. IV. Cap. XXXVII.* & AIMOINO *Lib. III. Cap. VII.* diximus, & de acceptis eorum sedibus coniecturas quasdam protulimus, quas vide.

Mirum, quam se eruditissimi viri ista *Boioariorum* originis inuentione iactauerint; quam sibi, ad augendam Boioariorum gloriam coaceruatis omnibus Boiorum decoribus, placuerint. Nos superiore loco, vbi Boios vidimus, confutauimus communem opinionem; &, vt non negauerimus, si qui ex multis cladibus cis Danubium Boii fuerint reliqui facti, in Boioariorum foedus eosdem fortassis vna susceptos fuisse; in vniuersum tamen demonstrauimus, plurium fuisse nationum Germanicarum foedus, quod, cum omnes Germaniae populi ad foedera conspirassent, & ipsum surrexerit, communeque Boioariorum susceperit nomen. Vt vnum vrgeamus hoc loco argumentum, omnes *Boioarios* habuisse pro *Germanis*, omnes pro *Gallis Boios*, nouimus; vnde vero Germani Boioarii dici possunt, si a Gallis orti procreatique sunt? Et Germanos quidem cis Rhenum saepe Gallos compellarunt auctores, vt originem vero Germanicam semper fuerint testati: quale de Boioariorum testata Gallica origine nihil vsquam inuenimus, sed potius Boioariorum Germanicum animum, Germanicosque mores, vbique summis laudibus scriptores concelebrasse. Illam ergo seruamus hoc loco sententiam, & foedus plurium populorum ostendimus, cum Boioarios censemus. Nominis capti rationes declarauimus superiore loco: vbi etiam probabili coniectura adsequi sumus conati, quos populos nouum Boioariorum vocabulum videatur complexum esse. Qui illorum meminere, iam nobiscum considerent, quae prima Boioariorum fuerint fata; quos & fines regio ipsorum priore habuerit tempore, quosue vlteriores acceperit (*o*)?

Germania media nitia.

XXXV. Roma

(*o*) Nullius fere Germaniae populi tot vicibus nomen variatum reperitur, quot illud *BOIOARIORVM* cognomentum: sed, ne duplicata fit opus opera, id modo proferenda testimoniis comprobabunt. Non *Boios*

XXXV. Roma ruinæ suæ satis propinqua, cum aliis fœderibus, maxime cum Thuringico, *BOIOARIORVM* societatem inclarescere cœpisse, vidimus. Id tempus erat, quo diuino quasi monitu omnes Germaniæ nationes, positis, quæ hactenus morata erant victoriarum cursum, impedimentis, ad stabiles conspirarunt societates, & oriente & congregata vi fortiores Romanam vbique deiecerunt, & protriuerunt dominationem. In Nariscis primum egisse Boioarios, contendunt auctores. In ea regione videntur ex *BVRIIS*, ex *MARCOMANNIS*, siue *Bebemis*, ex *NARISCIS* fortassis etiam, & aliis ciuitatibus, confluxisse; vnumque mox commune, *Marcomannis*, Boiohœmi habitatoribus, & *Buriis*, nomini fortassis occasionem suppeditantibus, cognomentum sumsisse. Sane iam Honorii eos ætas nouit. In Nariscis sumto nomine ab Honorii imperatoris ætate ad occidentis imperium ab Odoachro euersum semper manserunt; & tum demum cis Danubium in Vindeliciam atque in Noricum inuaserunt. Sedibus hisce in Romano capiendis solo, aut Auarum Hunnorum impressio in Cisdanubianas prouincias, aut quod Odoachri regis frater Ripenses Noricos in Italiam transtulit, occasionem dederit. Quicquid controuersiæ est, certe Theodorici regis fauore Fœderis Boioariorum historia.

Boioarios esse, supra satis euictum. Hic laudamus Boioariorum Germanicum animum, Germanicamque linguam: quo rursum argumento a Boiis discernuntur. PAVLVS DIACONVS *Lib. I. Cap. XXVII. Alboin*, inquit, *ita praeclarum longe lateque nomen percrebuit, ut hactenus etiam tam apud Boioariorum gentem, quam & Saxonum, sed & alios eiusdem linguae homines, eius liberalitas, & gloria, bellorumque felicitas, & virtus, in eorum carminibus celebretur*. Ergo Saxones, Longobardi atque Boioarii, vnius eiusdemque linguæ homines fuere. Et LEX *Boioariorum* clare docet, Germanicam fuisse gentem: etenim præscripti mores plane cum Germanicis congruunt, & lingua prorsus est Germanica, quam plurima vocabula indicant. Et ducum omnia nomina germanam Germanicam fatentur originem.

fauore primas cis Danubium regiones plene insederunt; siue Vindeliciæ primum partem, siue Ripense Noricum primo loco occupauerint. Eiusdem Theodorici regis fauore tuti deinde contra Francos fuere, qui exeunte quinto seculo grauissima clade Alemannos prostrauerant. Qui enim Boioariorum quondam comminiscuntur regem cum Alemannis contra Francos fecisse, adeoque suæ gentis debellatis Alemannis libertatem simul pessundedisse; sine idoneo teste historiam tradunt. Mortuo autem Theodorico rege, Francorum eos suspexisse potentiam & felicitatem, seque ipsos Franciciæ dedisse clientelæ, verisimile est: vt facti tamen circumstantes res ob auctorum silentium non possint accurate definiri. A Francis plenæ libertati relictos nouimus, vt saltem amicitiam perpetuam colerent, Franciciique imperii maiestatem comiter venerarentur. Quas etiam habuerunt in Norico & Vindelicia sedes, non tantum seruarunt incolumes, sed etiam permittentibus Francis longe lateque prolatarunt. Reliquum quod semper in Theodorici regis imperio fuerat, Noricum ad extremas Alpes vsque occuparunt. In Vindeliciam atque Rhætiam ad vsque Licum omnes possederunt agros, & hac etiam ex parte ipsius Italiæ confines fuerunt (*p*).

Germania media initia.

XXXVI. Sexto

(*p*) Per maximam illius seculi, quo Boioariorum nomen surrexit, obscuritatem nihil fere ipsorum, nisi quod ex memoria prisca accipitur, scitur. Et est vtique maxime mirum, cum EVGIPPIVS *de Vita S. Seuerini* omnes prope Transdanubianas gentes memorasset, ne quidem verbo eum Boioariorum meminisse. Est vero opinio, cum Asnulphus, Odoachris frater, prouinciam ductis in Italiam coloniis exhauriret; quod EVGIPPIVS memorat *dicto libro Cap. XLV*, inde Boioariis occupandi eam optimam datam esse occasionem. Norici pars, quod ex epistola Theodorici ad Prouinciales Noricos, velut ditioni eius subiectos, apud CASSIODORVM liquet, adhuc diu Ostrogothico paruit imperio, donec eius inclinante maiestate in Boioariorum simul possessionem verteretur. Probabilem susceptarum expeditionum ordinem persequitur AVENTINVS *Ann. Boic.*

Boioarii. XXXVI. Sexto igitur seculo, nondum valde adulto, ampliſſima iam *BOIOARIA* exſtitit, nulliusque prope populi Germanici eo æuo regioni ſecunda. Habuit omne Noricum, & Ripenſe, quod prius poſſedit, & Mediterraneum. Habuit Rhætiam Primam ab Aeno ad Licum, & integram fere Secundam, qua ea trans Aenum ſuperiorem ſita fuit. Porro ſeruauit trans Danubium veteres Nariſcorum agros circa Nauum amnem; imo & partem Marcomannicæ ditionis prope Danubium cis Hercynium ſaltum tum tenuit. Fines generatim facile oſtenduntur, ſi cum auctoribus ſolas finitimas nominabimus regiones. Fuit ſane *ad orientem* Pannonia; a *ſeptentrionibus* Franconia & Boiohœmum; ab *occaſu* Sueuia; & ad *auſtrum* Italia. Fluuios aliosue limites deſignaturi haud adeo faciliter nos expediemus. *Ad occaſum* Licus fluuius ſatis certus exſtitit Sueuiæ Boioariæque finitor. Superius ad Alpes Aenum arbitror Sueuorum Boioariorumque fines præterfluxiſſe. *Ad meridiem* Alpes vbique Boioarios contra Italiam prætexuere: vt minime vero auſim diſtinctiores limites hic memorare. *Ad orientem* Pannoniam ſimpliciter Paulus poſuit, vt Boioariam finierit. Si vero veterem Pannoniæ terminum, Cetium montem, reſpicimus, non ad hunc vsque hoc æuo Boioaria protenta fuit. Quodſi ſeruato Pannoniæ nomine eam de Hunnorum, & aliquando de Slauorum Cisdanubianorum, ſedibus interpretabimur, recte Pannonia confinis Boioariæ dicetur. Vere autem hoc æuo ad Aniſum, qui Anaſus dictus eſt, Boioaria pertigit, hicque fluuius

Boioariæ fines.

Lib. III. hic tamen ſæpe leuioribus coniecturis fretus: quas ſolertius examinarunt ANDR. BRVNNERVS *Ann. Boic. P. I. Lib. IV.* & IOH. ADLZREITERVS *P. I. Lib. VI.* Vt traducti ſint in Francicam Boioarii clientelam, non memoriæ proditum eſt. Iam autem Theodorico Auſtraſiorum regi paruiſſe, *LEX* ipſorum *vetuſta* probat, quam primus Theodoricus rex ſanxit,

fluuius Boioarios diuisit & Hunnos. Caroli autem æuo prolatari contra orientem hic cœpit terminus, & vltra omnino veteres Norici fines late proferri. Nempe crebris victoriis Germani Hunnos fregerunt, multisque iis ereptis ditionibus principes quosdam præfecerunt viros, qui nouum limitem contra incursiones Hunnorum defenderent. Omnes vero bello partæ prouinciæ ad Boioariam sunt relatæ. Contra *septentriones* fines ostendere nouos non possumus. Franconia vtique & ad aquilonem, & ad occasum trans Danubium, Boioariam continuauit; & ex altero latere Boiohœmum Baioariæ finem fecit. Qui vero singulares fines a Francis fuerint positi, ægre quisquam in veteribus monumentis indicatum deprehenderit (q). *Germani media in-tia.*

XXXVII. Quod

(q) PAVLVS DIACONVS *Rer. Longob. Lib. III. Cap. XXX. Noricorum siquidem*, inquit, *prouincia, quam Boioariorum populus, inhabitabat, habet ab oriente Pannoniam, ab occidente Suauiam, a meridie Italiam, ab aquilonis vero parte Danubii fluenta.* Antiquiore æuo IORNANDES *de Reb. Get.* ostendit Boioarios trans Danubium; cum regioni Sueuorum Hermundurorum, in quos Theodemir Gothorum rex Danubium transgressus mouit, ab oriente Boioarios continuat. Rara apud alios antiquiores auctores finium memoria. Lici & Oeni amnium mentio fit in FREDEGARII *Chronico Cap. CX.* ita, vt diuersis locis Boioariæ terminos clare agnoscas. *Odilo Dux Bagoariorum contra ipsos* (Carlomannum & Pipinum) *rebellium excitat. Compulsi sunt generalem cum Francis in Bagoaria admouere exercitum. Venientesque super fluuium, qui dicitur Lech, sederunt super ripam fluminis vterque exercitus, hinc inde se mutuo videntes vsque ad dies quindecim.* Mox deinde: *Bagoarii consilio nefandorum, iterum eorum fidem fefellerunt, & contra præfatum principem eorum* (solum iam Pipinum) *fidem mentiti sunt. - - - Memoratus princeps super ripam Igni* (Oeni) *castra metatus, nauale prælium præparauit, qualiter eos ad internecionem persequeretur.* Vtrumque etiam memorat APPENDIX *ad Regum Francorum gesta*: qui vero *Bauoariam* & *Bauoarios* adpellat. De Aniso flumine ANNALES *Caroli M. ad Ann.* IↃCCXCI. hæc habent. *Prima castra super Anesum posita sunt. Nam is fluuius inter Boioariorum atque Hunnorum terminos medius currens certus duorum regnorum limes habebatur.* Caroli victorias ab Hunnis reportatas EGINHARDVS *in Vita Caroli*, & laudati

Forma regiminis in Boioariis.

ril. XXXVII. Quod reliquum est de nostris Boioariis dicere; volunt historici recentiores, reges Boioarios priore tempore habuisse. Ex iis vnum *ADALOGERIONEM* in medium proferunt, eumque prœlio, quo Alemannorum fortuna corruit, interfuisse arbitrantur. Postea addunt, cum in Francicam clientelam Boioarii essent recepti, regium nomen ponere iussos esse, & ducis insignibus contentos esse. Hoc tamen Francos memorant dedisse Boioariorum libertati, vt ipsi ex nobilissima in gente familia ducem possent eligere. *Agilolfingicam* domum nominant, cui iste honor concessus sit ab omni populo, vt duces daret. Quod quidem ad duces Boioariorum pertinet, eorum memoria satis in Francica claret historia: nec dubium nobilissimam gentis familiam eo honore donatam esse, vt ducum muniis fungerentur. Quod vero de regibus dicitur, non probatur; sed veri similius, statim duces nondum firmato Boioariorum fœderi præfuisse: nec regium sumtum esse titulum, quod primum in Theodorici, Ostrogothorum regis, mox in Francorum, clientela Boioarii agere necesse haberent. Ducum imperium ad vsque Caroli æuum semper perpetuatum esse legitur. Hic autem ob *THASSILONIS* ducis crebras rebelliones mutare populi statum duxit satius. Habue-

modo Annales, memoriæ prodidere. Quam regionem Hunnis eripuit, eam recentiores auctores, & iam in iis DITMARVS MERSEBVRGENSIS, modo *Marchiam Orientalem*, modo simpliciter *Marcham*, modo *Marcham inter Vngaros & Baiuuarios positam*, modo demum *Orientalem Teutonicorum Marchiam* vocarunt:, hodie *Austria* est, Archiducatus glorioso titulo maxime insignis.

Germaniæ mediæ mi-tia.

Habuerunt ceteroquin ſuas leges Boioarii, ex antiquis acceptas conſuetudinibus & inſtitutis; earumque ad ſeriſſimum æuum maxime fuerunt obſeruantes. Quod denique Boioarii cum Alemannis atque Sueuis Romanas, quondam cultiſſimas, inſederunt prouincias, plurimasque vrbes, quæ quidem primis bellis grauiſſime ſunt vaſtatæ, repererunt; ex harum habitatione, ſuccedenteque verioris doctrinæ profeſſione, mollioribus eos, quam ceteri trans Danubium Germani, moribus vti cœpiſſe, auitamque, quam vocant, barbariem, nos aſperioris cultus amorem adpellabimus, citius depoſuiſſe, non difficiliter intelligitur (*r*).

XXXVIII. Boio-

(*r*) PAVLVS DIACONVS *Rer. Longob. Lib. III. Cap. XXX. Garibaldum, regem Baioariorum,* memorat: ſed vere dux fuit, cum non rex ſit, qui regem habet. Imponit ergo AVENTINVS, qui *ADALOGERIONEM,* regem Boioariorum, cum Clodouæo bellum adminiſtraſſe ſcribit. Nec conſtat de formula Boioariæ, niſi ex rerum geſtarum perpetua memoria. Hæc docet, ſemper ex ipſa gente duces delectos eſſe; in eorum locum plerumque filiis ſucceſſionem datam: plenam libertatem nationi relictam eſſe. Seriem ducum a *GARIBALDO* ad *TASSILONEM* expoſuit præter Boioariorum hiſtoricos HADR. VALESIVS *Rer. Franc. Lib. XXIV. ad Annum* ɪↄccxxv. Quid Carolus de Baioaria egerit? dicit EGINHARDVS *in eius Vita. Taſſilo tamen poſtmodum ad regem euocatus, neque redire permiſſus, neque prouinciæ, quam tenebat, vlterius præeſſe, ſed comitibus ad regendam commiſſa eſt.* Vt de vocabulis conſtet, quorum exempla nulla hoc adhuc loco exſtant: GESTA DAGOBERTI I. *Cap. XXIX. Baiuuarios* adpellant; VITA S. *Salaberga Abbatiſſæ in fragmentis rerum geſtarum Dagoberti I. Baicarios;* FREDEGARIVS *Chron. Cap. LXXII. Boioarios;* APPENDIX *ad Geſta regum Francorum, Baucoariam regionem;* ANNALES *Francorum Loiſelani ad An.* ɪↄccxlviii. *Baugauriam;* ANNALES *alii ad An.* ɪↄcclxxxviii. *regnum Bauuarium,* & paolo ante *Bauuariam* atque *Baugoarios. Diuerſi Annales in* DV CHESNE *Tomo II. ad eundem annum, Beiuuerios, & Beiuueriam;* HISTORIA *conuerſionis Boiorum & Carentanorum in fragmentis veterum ſcriptorum de geſtis Car. M. Boioariam, Boioarios,* atque *Boiarios;* THEGANVS *de geſtis Ludou. Pii Cap. XLV. Bauariam.* Alia adhuc vocabula plurimum diuerſa exſtant in diplomatis recentioribusque monumentis.

Vrbes Germaniæ mediæ. XXXVIII. Boioariæ atque Sueuiæ vrbium modo meminimus; & ægre fortaſſis tuleris, non eas, quod in antiquæ Germaniæ notitia fecimus, hoc a nobis loco ſimul indicari. Partim autem eæ inſignem ferunt antiquitatem, vt pleræque nobiliores; & eas iam ante, cum Noricum atque Rhætiam cerneremus, oſtendimus: partim ſeriore quædam æuo ſurrexere; & huius minime poteſt eſſe inſtituti, de iis dicere. In ceteris quidem populis plures vrbes reperire licebat, quas antiquitas ignorauit, ſolaque, quæ hic reſpicimus, ſecula nouerunt. Nec vero defunctorium laborem, qualem illis ſeculis deſtinauimus, exquiſita huiusmodi omnium vrbium cura decere poteſt. Hoc interim obſeruemus, ante Carolum non nimio vrbium condendarum ſtudio noſtros maiores ductos eſſe; villis, vicisque, aut arcibus, vt antiquius, fere contentos. Poſtea, quod ſacræ ſacrorum antiſtitum ſedes poſcerent vrbes, frequentiores paſſim exſtrui cœperunt. Demum poſt nouum ſeculum *HENRICVS* in Germania imperauit, isque ab inſigni vrbium ſtudio maximam laudem promeruit; nec inepte commoda comparatione *Germaniæ Theſeus* a quibusdam eruditis vocatus eſt (*s*). Vrbes mediæ Germaniæ non huius loci.

(*s*) Sæpe dictum de vrbibus Germaniæ. Cis Rhenum & cis Danubium plurimæ a Romanis conditæ, & illic a Germanis, hic a Romanis & prouincialibus hominibus, habitatæ. Hæ autem, antequam quiete regio a noſtris maioribus poſſideretur, a Scythicis Germanicisque populis partim funditus deletæ, pars vaſtatæ, adque maximam ſolitudinem redactæ ſunt. Quot iam ſuo æuo nobiles euerſas vrbes HIERONYMVS *Epiſt. XI ad Acheruchiam Viduam* conqueſtus eſt! *Innumerabiles*, inquit, *& ferociſſimæ nationes vniuerſas Gallias occuparunt. Quicquid inter Alpes & Pyrenæum*

CAPVT V.

SERIORES GERMANIAE MEDIAE VICISSITVDINES.

I.

DE cetero, vt, post mediæ Germaniæ visos populos, binis verbis de reliquis post hæc tempora Germaniæ vicissitudinibus dicamus; primum *iuuat* scire; vt a Francis integræ prouinciæ diuisæ sint; deinde

est, quod oceano & Rheno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, &, o lugenda respublica, hostes Pannonii, vastarunt! Moguntiacum, nobilis quondam ciuitas capta atque subuersa est, & in ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones longa obsidione deleti. Remorum vrbs prapotens, Ambiani, Atrebates, extremique hominum Morini, Tornacus, Nemetes, Argentoratus, translati in Germaniam. En Vandalorum studium destruendarum vrbium AIMOINO *Lib. III. Hist. Franc. Cap. I.* descriptum. *Cum,* inquit, *gens Wandalorum iunctu sibi Sueuis & Alanis Gallias depopulatum ire destinauisset, Crocho rege ipsorum a matre sua quarente, quid faciendo Magni nomen obtineret? illa ad eum, si, inquit, fili, famosus in orbe esse cupis, magnarum ædificia adium a maioribus exstructa destrue, egregiasque vrbes destruens, eorum incolas gladio exstingue. Neque enim meliora a prioribus potes condere habitacula, aut bellando nominis tui gloriam amplius propagare. Cuius ille responsi non segnis exequutor exstitit, ac si diuino oraculo non hominis voce dictum fuisset.* Postquam Cisdanubianæ atque Cisrhenanæ prouinciæ nouum Germanorum subiissent imperdium, diu prostratæ vrbes iacuere, donec post aliquot vix secula inciperent ad pristinum splendorem lentis adsurgere gradibus. Trans Rhenum & trans Danubium rara & vix vlla prima vidit antiquitas oppida. PTOLEMAEI non pauca vidimus illustria in magna Germania celebrata loca. Non vrbes vero fuere, quod ostendimus, sed

Diuiſio prouinciarum Germaniæ mediæ.

deinde, quo modo ſuccedentium ætatum Germaniæ facies a priore diſtulerit? Vtriusque momenti perbreuis conſideratio toti huic operi extremam nunc addet clauſulam.

Diuiſio prouinciarum a Francis vſu recepta.

II. Franci ſummæ rerum adminiſtrationis eam ſeruarunt formulam, vt integras *regiones* in *prouincias*, *prouincias* in *pagos*, *pagos* in *centenas*, quas vocarunt, partirentur. Prouincia plures complexa pagos eſt; pagos centenas plures comprehendit. *Prouinciæ* Merouingorum ſeculo dux imperare conſueuit; pago præeſſe comes. In *pagis* præcipua quædam vrbs cum villis atque vicis haberi; in *centenis* vna alteraque villa. Sub comitibus igitur in centenis plures fuerunt magiſtratus; diuerſique in vrbibus, quos enumerare heic non opus eſt. Illo etiam pacto Germania noſtra, quantum ea in Francorum eſſet clientela, dispertita eſt. Alemanni, Sueuique, in vnam; Franci Cisrhenani, & Transrhenani, in binas; Thuringi in vnam, & Boioarii in nouam; in vniuerſum omnes in quinque pro-

 uincias,

villæ, vicique, aut arces etiam, fama apud Romanos cognitæ, & inſcitia Germaniæ morum ab aliis pro veris vrbibus acceptæ. Sexto ſeptimoue, atque octauo ſeculo vrbium quidem quarundam fit mentio, ſed rurſus perrara: & adhuc ſemper ſubeſt dubium, vrbesne notentur, an villæ? Vere itaque ante *HENRICVM Aucupem* propria & antiqua Germania non cœpit vrbibus multis illuſtrari. Eius conatus egregios, eorumque rationes, perſequitur VVITICHINDVS CORBEIENSIS *Ann. Lib I.* & ex eo SIGEBERTVS GEMBLACENSIS *ad Ann.* IↃCCCCCXXV. *Theſeum Germanicum* inde *Henricum* probe nominauit CONRINGIVS *de Vrbibus Germanicis Num. LXXXII. quod, vt ille Athenienſes, ita hic Saxones certe, ſi non & alios Germanos, ex agro in vrbes compulerit.* Hæc autem recentiora iam mittimus. Vid. modo laudata inſignis exercitatio CONRINGII, quæ integrum argumentum erudite exponit.

uincias, imputati ſunt. Totidem fuere in Germania hac duces; niſi quod nonnunquam honoris ergo plures vnius prouinciæ duces adpellarentur. Friſia vero debellata eſt, nec integra: vt adeo dux, quem Friſii poſt reges ex pacto cum Francis habuerunt, nec inter Francicos duces nominari poſſit. Saxonia a Carolo demum victa eſt; ideoque, donec Merouingi regnarent, propriis inſtitutis regi permiſſa. Carolo ducum imperium, quod crebri tumultus orirentur, non placuit, ſed loco ducum plures in prouinciis ordinauit comites. Sed ſtante adhuc Carolidarum imperio prudens Caroli conſilium deſertum eſt, totidemque rurſus ſunt conſtituti duces, quot prouincias Germania habuit. Sunt autem, vt omnes Francicæ prouinciæ, ſic etiam in Germania populi, in prouinciarum redacti formam, in plures diuiſi pagos: qui equidem mos in pagos partiendi populos iam ab antiquiſſimo æuo, teſte Tacito, teſte imo ipſo Cæſare, Germaniæ quaſi proprius extitit. *Pagos* patrio ſermone noſtri vocarunt *Gowe:* & non fuit prouincia in Germania, quæ non plurimos iſtiusmodi maiores minoresque pagos habuerit, quorum partis hodieque ſuperſunt Germanica nomina. Pagos in *Centenas* in Germania etiam eſſe partitos, dubium quidem non eſt; licet adeo crebræ earum notæ non adpareant. Interim primo tempore, cum Transrhenana Germania raras adhuc vrbes haberet, pagi proprium inſigne, vt maiorem vrbem cum pluribus haberet villis, raro Germania oſtendit. Non id autem quo minus reliqua Francico, imo potius

Germania media ætia.

vetere

Viciſſitudines Germaniae mediae.

vetere Germanico, more adminiſtrarentur, quicquam prohibuit (*t*).

Diuerſa hodiernae Germaniae a priſco & paulo ſuccedente ſtatu facies.

III. Ab illis autem priſcis Francici imperii inſtitutis plurimum ſequentia ſecula abſceſſere. Prima poſt Carolingorum exitum ætas antiquum adhuc tenuit morem, & Germaniam per prouincias atque pagos definitam, atque deſcriptam habuit. Paulo deinde variis modis territoria ducum atque comitum conuelli, aut prorſus minui, cœpere; ipſæ etiam dignitates paſſim mutari, nouumque ſtatum induere. Principes Germaniæ ſacrorum, quos *Epiſcopos* adpellant, integras regiones accepere, quæ ducum iurisdictioni paulo poſt ſunt ſubtractæ. Ipſi duces, & demum comites, hæreditario iure primo dignitates, poſtea & territoria, poſſidere cœperunt. Cœpere tunc audiri vocabula

(*t*) Diuiſio Germanicarum regionum in *pagos* iam cognita fuit Cæſari *Bell. Gall. Lib. I. Cap. XII.* vbi, *omnis*, inquit, *ciuitas Heluetia*, (quæ hunc morem haud dubie ex Germania, quam incoluerat, traxit) *in quatuor pagos diuiſa eſt. Lib. IV. Cap. I. Sueui*, ait, *centum pagos habere dicuntur.* Idem mos cognitus etiam fuit Tacito *in libro de Germania. Cap. VI.* qui poſt velocitatem peditum enarratam *Centeni*, ait, *ex ſingulis pagis ſunt: idque ipſum inter ſuos vocantur. & quod primo numerus fuit, iam nomen & honor eſt. Cap. XII.* commode diſtinguit inter pagos atque vicos. *Eliguntur*, inquit, *in iisdem conſiliis & principes, qui iura per pagos vicosque reddunt. Cap. XXXIX. Adiicit*, inquit, *auctoritatem fortuna Semnonum. centum pagis habitantur: magnoque corpore efficitur, vt ſe Sueuorum caput credant.* Imo *Centenarum* iam veſtigia ſunt in Tacito *Germ. Cap. VI. & XII.* vbi vtroque loco *Centenorum* fit mentio: addito nomen & honorem eſſe, quod numerus fuit. Magis ſolennis hæc in *pagos, centenas*, atque *parochias*, regionum diſtinctio Francici æui eſt. Alio autem fortaſſis opere illa copioſe illuſtrabitur. Vid. interim *erudita præfatio* Hadr. Valesii *ad Notitiam Galliarum*, quæ de pagis Franciæ, eorumque ordinatione egregie inquirit.

cabula inusitata atque adhuc inaudita, quibus territoriorum noua facies designaretur. *Episcopatus*, *Ducatus*, *Comitatus*, *Palatinatus*, *Landgrafiatus*, *Marchia*, & nescio, quot alia nomina, sero emersere æuo, & in Germaniæ annalibus perstrepere occœperunt. Inde & noua imperii in Germania forma ex inenarrabilibus turbis enata est: de cuius vero nomine & descriptione controuersantur adhuc auctores, & puto, nunquam non inter se contendent. Sed capiat demum hic finem nostra veteris Germaniæ, quam ad mediæ ætatis initia producere visum est, notitia: sancte tamen nuncupato voto, vt porro æternum seruet Deus optimus maximus, & conseruet, nostri, quem modo in vetustis sedibus sumus contemplati, populi gloriam, & nunquam per vllos fortunæ ab vltima memoria casus imminuatum imperium, aut debilitatam maiestatem. [illegible]

F I N I S.

INDEX I.

INDEX I.
AVTORVM ET MONVMENTORVM.

Numerus primus *librum*; ſecundus *caput*; tertius *paragraphum*; quartus *paginam*; literula *notas*; M. *Germ. Mediam*; Pr. *Proëmium* deſignat.

B.

Belgi.

Con-

Freins-

Ha-

de

K.

L.

M.

Maxi-

Schurtz.

T.

Iod

V.

Valesius

INDEX II.

INDEX II. RERVM PRAECIPVARVM.

Numerus romanus *librum*, fecundus *caput*; tertius *paragraphum*; quartus *paginam*; literula *notas*; M. Germaniam *Mediam*; Pr. *Prooemium* defignat. Fines primo *orientis*; deinde *auftri*; poft *occidentis*; denique *feptentrionis* pofiti.

A.

Le-

Anni

cepto

Brita-

C.

Celti-

Cisrhe-

D.

exclusit ibid. inuito Pomponio, Plinio, Agrippa, non autem Strabone ib. 18. o. ex Taciti, Ptolemæi, Solini, Claudiani sententia ib. o. medium circa æuum demum ad Alpes protentus ib. 9. 18.

Germaniæ *veteris nationis fines* I 4, 31. sq. ampliores regionis finibus ib. I. 31. sed non ita accurati ib. muruo metu statuti 33. vix constantes stabilesque unquam ib. eos dignoscendi ratio ib. distinquendæ hic Germanorum in exteris sedes antiquæ a tumultuariis excursionibus hasque secutis ingentibus migrationibus Rom. Imp. conculcantibus ib.

ab *Oriente* trans Vistulam Bastarnæ ad Carpates montes, Tyram fl. & Euxinum P, vsque coluerunt Germani ib. 1. 34. Getarum Dacicum regnum, aliæque ciuitates circa Istrum, inde Massagetæ, Sacæ Dahæque in Scythiam Asiaticam diffusi, & Aestii ad omnem Germaniæ sinus oram trans Vistulam huc pertinent ib. v.

Tumultuarias excursiones ex hoc latere Eoo fecerunt Cimbri, Teutoni, Getæ Gothique & cum his Heruli, Rugii, Burgundiones; Vandali, Franci, qui Sarmatia plurimum pererrata, in Macedoniam, Græciam, Thraciam, Scythiam, Asiam penetrarunt ib. 3. 35. 36. x. y. z. a. b. c. quinto seculo per ingentes migrationes toti fines transmutati ibid. 4. 77. orientalis contractus per Vandalorum, Gothorum, Bastarnarum emigrationes, Aestiis solis extra Germaniam restantibus ib. sq. forte & aliis ib. 38. Venedis Slauisque succedentibus ib. qui in ipsa quoque Germania prouincias inter Albim & Vistulam vacuas occuparunt ib.

a *septentrione* contra coarctati limites, magnis prouinciis a Germania separatis I 4, 5. 39.

ab *occidente* Germani vicinam antiquitus ante Romanos expugnarunt Galliam, vnde cis Rhenum Germanorum nomen cœpit ib. 6. 39. vnde orti Batavi, Treuiri, Triboeci, Neruii, Menapii, Eburones, a Cæsare cis Rhenum inuenti ib. g. vbi & Sueconi cum Bethasiis ibid. 40. h. a Romanis in Germaniam Cisrhenanam & Belgicam diuisi ibid. Cluuerii caput 37 de his finibus ibid. Britanniæ quoque ex hoc latere, s. Scotiæ dominarunt, Germanica gens I 4, 7. 40. sq. i. Caledonii dicti ib. Excursiones ex hoc latere fecere in Galliam Frisii Batauique, Cherusci, Bructeri & Chauci; Catti aliique I 4, 7. 41.

a *meridie* Galliam Cisalpinam primo Romanorum æuo Transrhenani insederunt I 4. 9. 44. demum Galli & Germani possederunt ib. limite fl. Varo, fl. Arsia, fl. Rubicone & Alpibus ibid. Transdanubiani Germani Sec. 2. & 3. Rhætia Noricoque perruptis in Italiam penetrarunt, Marcomanni nimirum Quadi, Sueui, Catti, Alemanni ib. 45. n. Hieronymo teste ibid. 43. l. Sec. V. Vesigothi Italiam depopulati bis Romam expugnarunt I 4, 11. 45. Alemanni Rhætias diripuere; Boioarii Noricum; Longobardi, Heruli, Ostrogothi Pannonias & Illyricum ib. Vandali ex Africa Siciliam traiecti Romam & Italiam cepere ib. 46. Odoacer Saxonibus nixus Herulorum rex, primus A. 476 Italiæ Rex ib. Ostrogothorum Theodorici secutum regnum ib. cui Longobardorum successit ib.

Germaniæ veteris *regionis notæ naturales*, siluæ, montes, fluuii II Pr. 47. sq. necessarium & præstans medium in G. A. historia ib. naturalis conditio non tam e Romanis Græcisque quam ex præsentibus æstimanda V t, 1. sq. 45 sq. ficta Romanis perpetua cœli inclementia, &

eo-

H.

Hel-

Hert-

Hungari

M.

Migra:

O.

fupra

Prima

S.

Scan-

Sic-

Theo-

magna

quem

ERRATA OPERARVM.

Pag. 33. lin. 27 lege *tum*. p. 40. l. 7. *protentioris* p. 44. marg. *antiquissimos*. p. 50. n. l. 1. AEL. p. 56. l. 24. & passim *Ptolemeus*. p. 57. l. 3 NAVVS. p. 60. n. l. 16. *Tabulis*. p. 61. l. 3 *lacum*. n. l. 5. *munimenta*. l. 29. *altera*. p. 66. n. l 6. *sito* p. 69. n. l. 11. *Romanum*. p. 71. l. 31. *Castellum Alisonem* p. 80. l. 12. TVRVNTVS. p. 81. l. 4. *dicendi*. p. 98. marg. An. *XVIII*. p. 101. l. 8. *metu*, *pactis partim*. l 27. *patentiores*. p 104. n. l 22. TEVTONES p. 107. n. l. 3. *acceptum*. p. 108. n. l. 15. *nuncupatos* p. 110. l. 1. *perspicacioribus*. p 112. l. 20. *populos*. p. 121. n. l. 8 *Epigr*. p. 135. n. l. vlt. TEVTONICVM. p. 152. n. l. 33. *mauult*. p. 160. n. l. 8. *reuerti se* p. 164. l. 19 *Qui*. p. 165 l. 1. *propius*. p. 168. n. l. 19. *eam*. p. 171. n. l. 5 *silentio* p. 174 n. l. 10. *Vindonissa*. l. 11. *Tenedone*. p. 179. l. vlt. *eoque facto*. p. 197. l. 10. *solum*. p 200. n. l. 10. *latere sedes*. p. 202. l. 16. *notos*. p. 205. n. l. 3. *preponere* p 214. n. l. 1. *solos*. l. 15. *Mattium* p 235. l. 12. *Quod*.

Part. II. pag. 5. lin. 9. *Germanorum*, p 80. n. l. 2. PROSPERI. p. 207. n. l. 22. IORNANDES. p. 339 marg. *vindicantium*. p. 409. l 13. *quidam*. p. 413. n. l. 2. seqq. *non potest non*. p. 464 l. 15. *imminutum*.